UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In quo tractatur de Ministro Sacramento Pœnitentiæ. Item de Sacramentis Extrema Unctionis, & Ordinis

Bosco, Jean a

Lovanii, 1672

Disputatio VIII. De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-73429

Visual Library

DISPVTATIO VIII.
DE MINISTRO
SACRAMENTI
PŒNITENTIÆ.

MInister Sacramenti appellatur, qui conficit Sacramentum: adeoque Sacramenti Pœnitentiæ Minister est, qui, auditâ Confessione, & injunctâ Satisfactione, Absolutionem impendit: nam Absolutio ipsa sola est strictè dicta ejus essentia, ùt patet ex dictis præcedenti Disputatione Sect. 2. Concl. 3. & alibi. 1. Quis minister Sacramenti Pœnitentiæ.

Portò ab auditione Confessionis, dicitur Confessarius, vel, ut Aliqui, Confessionarius; ab impositione Satisfactionis, seu Pœnitentiæ, vocatur Pœnitentiarius; & denique à prolatione sententiæ, dum absolvit, nominatur Judex animæ. Et quoniam non est auctor principalis gratiæ, sed agit auctoritate Dei, dicitur propriè Minister.

Placuit autem novam instituere Disputationem de Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, propter varia ac molestissima, quæ à DD. Catholicis solent de eo pertractari, tum circa illius potestatem, tum circa modum & obligationem in administrando.

Dicemus itaque primò de Ministro tum in communi, tum in particulari. Deinde de modo, quo exercere debet suum munus, & consequenter de obligationibus & præceptis, quæ ad eum pertinent. Sit itaque

SECTIO PRIMA.

De Ministro ordinario Sacramenti Pœnitentiæ.

2. Quid jurisdictio ordinaria & delegata.

IUrisdictio alia ordinaria, alia delegata. Ordinaria, quæ alligatur alicui muneri seu officio. Ex quo patet, quid sit jurisdictio delegata, scilicet, quæ non est annexa alicui muneri seu officio, sed immediatè habetur ab homine; ex commissione utique illius, qui jurisdictionem ordinariam habet.

Utraque exprimitur leg. *More* 5. ff. de Jurisdictione: *More majorum ita comparatum est, ut is demùm jurisdictionem mandare possit, qui eam suo jure* (ecce jurisdictio ordinaria) *non alieno beneficio* (ecce jurisdictio delegata) *haberet.*

Quis minister ordinarius & delegatus Sacram. Pœnit.

Nunc si à me quæritur; quis sit minister ordinarius Sacramenti Pœnitentiæ. Respondeo; qui habet jurisdictionem ordinariam, id est, qui absolvit suo jure, seu ex vi officii; delegatus autem, qui habet jurisdictionem delegatam, id est, qui absolvit alieno beneficio, seu ex commissione ministri ordinarii. De Ministro ordinario hâc Sectione, de Ministro delegato Sectione sequenti.

Ut autem exordiar ab eo, quod magìs certum, & de quo nefas est dubitare, Dico primò:

CONCLUSIO I.

Solus Sacerdos ex institutione Christi est Minister Sacramenti Pœnitentiæ.

3. Concil. probatur ex Conc. Trid.

ITa novissimè contra Acatholicos Concil. Trident. sess. 14. c. 6. quod sic incipit: *Circa Ministrum autem hujus Sacramenti, declarat sancta Synodus, falsas esse, & à veritate Evangelii penitùs alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos & Sacerdotes, Clavium ministerium perniciosè extendunt; putantes verbæ illa Domini*: Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo, &c; Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt: *ad omnes Christi fideles indifferenter & promiscuè, contra institutionem hujus Sacramenti ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit; secreta verò per spontaneam Confessionem cuicumque factam.*

Matth. 18. v. 18.

Joan. 20. v. 23.

Eandem veritatem eisdem ferè verbis definitam habes eâdem sess. can. 10. *Si quis dixerit ....; non solos Sacerdotes esse ministros Absolutionis, sed omnibus & singulis Christi fidelibus esse dictum*: Quæcumque ligaveritis super terram &c. *quorum verborum virtute quilibet absolvere possit, peccata publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta verò per spontaneam Confessionem; anathema sit.*

Jure ergo meritissimo Leo X. Bullâ: *Exurge Domine*, inter cæteros articulos Lutheri, hunc in ordine 12. damnavit: *In Sacramento Pœnitentiæ ac remissione culpæ, non plus facit Papa aut Episcopus, quàm infimus Sacerdos: immo ubi non est Sacerdos, æquè tantùm quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset.* 4. Item ex Leone X.

Siquidem Trident. loquitur generaliter & absolutè, nullam faciens distinctionem inter ministrum ordinarium, & extraordinarium in casu necessitatis, quando deest copia Sacerdotis; ergo generalirer & absolutè intelligendum est, nisi aliquid obstet. Similiter Florent. in Decreto Eugenii generaliter & absolutè asserit: *Minister hujus Sacrament.* (Pœnitentiæ) *est Sacerdos, habens auctoritatem absolvendi vel ordinarium, vel ex commissione Superioris.* & Concil. Florent.

Alioquin hæc Concilia dicere debuissent, & indubiè dixissent, Trident. quidem: *Non solos Sacerdotes esse ministros ordinarios Absolutionis*; Florent. autem, *Minister ordinarius hujus Sacramenti* &c. Utì loquitur Trident. de ministro Sacramenti Confirmationis sess. 7. can. 3. *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium minister non esse solum Episcopum* &c. Et Florent. in Decreto Eugenii: *Ordinarius minister* (Confirmationis) *est Episcopus.*

5. Conc. Flor. tent. & Trident. docent, non solùm Sacerdotem esse ministrum Baptismi.

Nonne idem Concilium expressissimis verbis significat, ministrum Baptismi in casu necessitatis, etiam esse laicum & mulierem? *Minister*, inquit, *hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis, non solùm Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus & mulier* &c.

Nusquam quoque Trident. insinuat, ministrum Baptismi esse solùm Sacerdotem, sed contrarium sufficienter significat sess. 7. can. 4. definiens, Baptismum, qui datur ab hæreticis, esse verum Baptismum: *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.*

6. Concl. probatur ratione à priori.

Igitur solus Sacerdos, tam in necessitate, quàm extra necessitatem, est minister Sacramenti Pœnitentiæ. Ratio à priori, voluntas

tas Christi, qui solis Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus dixit Matth. 18. v. 18. *Quæcumque alligaveritis* &c. Et Ioan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c. Sicuti dixit solis Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Matth. 18. Ioan. 20. Luc. 22.

Nam veluti his verbis instituit Apostolos suos Sacerdotes, & ordinavit, ut ipsi soli, eorumque in Sacerdotio successores, offerrent corpus & sanguinem suum, ita verbis illis Ioan. 20. *Quorum remiseritis* &c. instituit Apostolos suos Iudices, & ordinavit, ut ad ipsos solos, eorumque in Sacerdotio successores, omnia mortalia crimina deferrentur, in quæ Christi fideles cecidissent, quò pro potestate Clavium, remissionis aut retentionis sententiam pronuntiarent.

7. Ratio conuenientiæ.

Planè conveniens erat, ut illi omnes & soli, qui habent potestatem in corpus Christi verum, etiam haberent potestatem in corpus Christi mysticum, id est, in Christi fideles; potestatem, inquam, per quam redderent eos apta membra, ad suscipiendum verum corpus Christi. *Potest* (inquit Doctor Subtilis 4. dist. 19. q. 1. n. 6.) *in Ecclesia esse una Clavis calum aperiendi, scilicet auctoritas sententiandi particulariter, & non irrevocabiliter, alicui calum esse apertum. Congruit etiam istam esse in Ecclesia, & hoc in Sacerdote, ut Hierarchia Ecclesiastica sit ordinata, & ultima reducantur in primum per medium.*

Scotus.

Hierarcha autem est medius inter Deum peccatorem reducendum, & de hoc Bernardus de Consid. lib. 3. cap. 13. Hoc etiam congruit perfectioni causarum secundarum in esse morali, sicut causarum in esse naturali. Deus enim universaliter non negat creaturis causalitatem, quæ potest eis competere, immo & illam communicat, & ad ejus actionem causis secundis assistit. Ex quo ergo in esse gratuito possibile est hominem habere istam causalitatem reductivam, quæ dicitur Clavis, congruum est, quòd hoc supremo in Ecclesia, scilicet Sacerdoti, detur.

Iudicium sacramentale gravissimum, sacrum, valde utile & necessarium.

Enimverò judicium hoc gravissimum, & ideo non cuilibet de populo debebat committi; cùm neque judicium sæculare cuilibet de populo committatur. Iudicium hoc sacrum, inter Deum utique & peccatorem de æterna animæ salute; quid ni ergo oporteat ministrum habere sacrum? Iudicium hoc magnæ utilitatis & necessitatis, ac proinde non debuit solis Episcopis reservari. Iudicium hoc, uti ad commune bonum Ecclesiæ ordinatum, ita usque ad finem Ecclesiæ permansurum: & ideò auctoritas judicandi non solis Apostolis pro seipsis, sed etiam pro eorum successoribus in Sacerdotio, à Christo concessa. Hæ sunt rationes congruentiæ.

8. Concluf. probatur ex Traditione.

Sufficere debet omnibus, tam Catholicis, quàm hæreticis, infallibilis Traditio Ecclesiæ, juxta illud celebre dictum: *Traditio est, nihil quæras amplius.* Constat autem hæc Traditio ex perpetua consuetudine, cujus nullum extat initium, neque in aliquo Concilio, neque in aliquo Pontificis Decreto, quod est signum, esse Traditionem Apostolorum, qui ita sensum verborum Christi intellexerunt, & Ecclesiæ tradiderunt.

Hinc Innoc. III. cap. 10. de Pœnit. & Remiss. *Nova quædam nostris sunt auribus intimata, quòd Abbatissæ monasteriales proprias benedicunt: ipsarum quoque Confessiones in criminibus audiunt* &c. *Cùm igitur id absonum sit pariter & absurdum: Mandamus; quatenùs ne id de cætero fiat, curetis firmiter inhibere: Quia licet Beatissima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus Claves regni cælorum commisit.*

Cap. 10. de Pœnit. & remiss.

Christus non commisit claves regni cælorum B. Virgini M.

Accedant testimonia veterum Patrum S. Ambros. lib. 1. de Pœnit. c. 2. ibi: *Certum est Ecclesiæ utrumque* (id est, solvere & ligare) *licere, hæresi utrumque non licere. Ius enim hoc* (solvendi & ligandi) *solis permissum Sacerdotibus est.* Et Enar. 10. in Psalm. 118. *Accepimus*, inquit, *Spiritum S. qui non solùm nostra peccata dimittit, sed etiam nos facit Sacerdotes suos alios peccata dimittere.*

9. Concluf. probatur testimoniis veterum Patrum. S. Ambros.

S. August. lib. 50. Homil. Homil. 50. c. 11. aliàs 4. *Iudicet*, inquit, *seipsum homo in istis* (operibus carnis) *voluntate, dum potest, & mores convertat in melius, ne cùm iam non poterit, etiam præter volantatem à Domino judicetur. Et cùm in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ, sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia Claves ministrantur* &c. Plura testimonia vide apud Suarium hic disput. 24. sect. 1. n. 4.

5. Auguſt.

Nec obstat; quod scribit Iacob. Apost. in Epist. sua Canonica c. 5. v. 16. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini*; quæ ultima verba etiamde laicis veniunt intelligēda; ergo similiter prima verba.

10. Obiectio ex Epist. Canonica Iacobi Apostoli.

Respondeo quippe; verba intelligenda esse juxta materiam subjectam: quia ergo oratio convenit universis hominibus, tam activa, quàm passiva, ut sic loquar, non mirum, si hæc verba: *Orate pro invicem, ut salvemini*, veniant intelligenda etiam de laicis, juxta illud Apostoli 1. Timoth. 2. v. 1. 2. 3. & 4. *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate: hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Responſio.

Oratio convenit universis hominibus; 1. Tim. 2.

Ergo etiam illa verba Iacobi: *Confitemini alterutrum peccata vestra*, veniunt intelligenda etiam de laicis. Resp. Neg. Conseq. si accipiantur de Confessione sacramentali; sed dico, solùm intelligenda de illis, qui habebant potestatem absolvendi, nam Confessio sacramentalis

sechs Absolutio activa;

mentalis ad finem Absolutionis instituitur; absolvere autem non convenit universis hominibus.

11. quæ non est nudum ministerium vel annuntiandi Euangelium, vel declarandi esse remissa peccata; *Conc. Trid.*

Neque enim est nudum ministerium, vel annuntiandi Euangelium, vel declarandi esse remissa peccata, ut contra hæreticos declarat & definit Concil. Trident. sess. 14. c. 6. ibi: *Quamvis autem Absolutio Sacerdotis, alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi Euangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut à Iudice, sententia pronuntiatur.*

sed actus judicialis.

Et can. 9. *Si quis dixerit, Absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum &c. anathema sit.* Jam autem constat actum judicialem, seu pronuntiationem sententiæ, non convenire universis hominibus, sed illis solis, quibus à Deo, vel Republica, specialiter fuerit concessa potestas judicandi.

12. Nequit ostendi, ubi Christus laicis specialiter concesserit potestatem judicandi.

Ostendant ergo hæretici, ubi Christus specialiter concesserit hominibus laicis, vel etiam Ecclesiasticis non Sacerdotibus, potestatem pronuntiandi sententiam remissionis aut retentionis peccatorum, & dicam, verba Jacobi Apostoli sicut posteriora, ita & priora generaliter esse de omnibus hominibus intelligenda.

Cùm autem id ostendere non possint, dicant nobiscum, intelligi debere priora verba de solis Sacerdotibus, de quibus immediatè ante dixerat Iacob. Apost. versu scilicet 14. & 15. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.*

13. Scotus explicat illa verba Iac. *Confitemini alterutrum*, de Confessione generali.

Dixi signanter: *Si accipiantur de Confessione sacramentali*; quia, juxta Scotum 4. dist. 17. q. 1. n. 16. *Dicendo*; Confitemini alterutrum, *non magis dicit, Confessionem faciendam esse Sacerdoti, quàm alii. Subdit enim:* Et orate pro invicem, ut salvemini, *ubi nullus diceret ipsum instituisse, nec promulgasse præceptum divinum: sed intellectus eius est, sicut in illo verbo:* Confitemini alterutrum, *persuasio ad humilitatem, ut scilicet generaliter nos confiteamur apud proximos, peccatores, iuxta illud:* Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus *&c. Ita per secundum persuadet ad charitatem fraternam, ut scilicet per charitatem fraternam subveniamus nobis invicem. Apparet ergo istud non esse de jure divino, promulgato per Scripturam Apostolicam.* Hæc ille. Ut ostendat ex illo loco Apostoli Iacobi non haberi præceptum Confessionis, utpote qui non loquatur de Confessione sacramentali, sed de generali Confessione ad humilitatem, quæ indubiè fieri potest laico.

1. Ioan. 1. v. 8.

Sed nunquid debet? Statim resolvo ex eodem Doctore. Nam cùm dixisset n. 21. *Continet hoc præceptum, Cui, quia Sacerdoti. Ille enim in Ecclesia habet solus auctoritatem ligandi & solvendi*: sic ait n. 27. *Si verò quæras, utrum de vi præcepti primi, & de ejus explicatione, quantum ad istum articulum, Cui, liceat confiteri laico? Ad quod Magister videtur respondere in littera, quod sic, & auctoritates sunt in Canone de Pœnit. dist. 6 §.* Placuit.

14. An Confessio in necessitate debeat fieri laico.

Respondeo; talis Confessio potest esse materia verecundiæ, quæ est una pœna debita peccato, & in hoc confitens solvit aliquam pœnam, quam solveret, si confiteretur Sacerdoti: sed quia accusatio ad hoc ex præcepto fit, & non ad aliud, ut sequatur sententia, & laicus nullam habet sententiandi auctoritatem in isto foro; sequitur, quod nullum præceptum est de accusando se laico, & fortè utilius esset non accusare se illi, si posset aqualem verecundiam habere, apud se recogitando eadem peccata, & sic aquè puniri.

15. An liceat confiteri laico.

Et si diceret aliquis, quod necessarium est non confiteri laico, quia nulli licet diffamare se, nec prodere peccatum suum occultum, maximè quando ille, cui prodit, non præsumitur celator secreti, nec sit melius consulere peccatori, quàm ipsemet sibi: fortè enim propter consilium requirendum, liceret alicui revelare peccatum suum alicui laico discretiori. Sed nec hoc patet, quia consilium posset inquiri posito casu in universali de aliquo, absque revelatione peccati sui.

Igitur secundùm Scotum Confessio non tantùm non debet fieri laico, sed fortè nec potest fieri, propter infamiam confitentis. Verùm cùm confitens sit dominus suæ famæ, facilè talis Confessio posset excusari à peccato, nisi infamia ejus cederet in præjudicium tertii.

Quid igitur (prosequitur Doctor) *de malefactoribus damnatis, confitentibus laicis? Respondeo; simplicitas excusat eos, ne in hoc peccent, & humilitas eorum est meritoria eis, pro quanto volunt illud, quod pertinet ad Sacramentum Pœnitentiæ supplere, sicut possunt. Sed vivo discreto, qui bene sciret, ad quid est Confessio instituta, nec fortè utile foret, nec (sine fortè) necessarium, talem Confessionem facere.*

16. Confessio non debet fieri laico.

Quidquid sit de utilitate hujusmodi Confessionis, quam Scotus dubiam relinquit, communis sententia negat obligationem, & asserit, nullo prorsus casu alteri, quàm Sacerdoti, sacramentaliter esse confitendum.

Probatur ex ratione.

Ratio patet ex dictis; quia nullo prorsus casu alius, quàm Sacerdos, potest sacramentaliter absolvere; jam autem ut Scotus supra dicit: *Accusatio*, seu Confessio sacramentalis, *ad hoc ex præcepto fit, & non ad aliud, ut sequatur sententia*, id est, Absolutio sacramentalis; ergo ubi hæc sequi non potest, illa non est necessaria.

Porrò

17. Nullo casu non Sacerdos potest absolvere sacramentaliter.

Porrò nullo omninò casu posse quempiam non Sacerdotem absolvere sacramentaliter, jam suprà probavimus: quia neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, neque ex sanctis Patribus constat, alium esse ministrum hujus Sacramenti extra necessitatem, alium in necessitate, alium ordinarium, alium extraordinarium, sicut constat de ministro Baptismi, Confirmationis, & Ordinis.

Cur autem Christus sic voluerit, quis consiliarius ejus fuit? Major indubiè est necessitas Baptismi, quàm Absolutionis sacramentalis, cùm ille parvulis sit necessarius necessitate medii strictè dictâ, adeòque conveniens erat, ut quilibet eum posset ministrare.

Deinde ordinarius minister Confirmationis, & Ordinis est solus Episcopus, qui sæpiùs abesse potest, quàm Sacerdos, & ideò major fuit necessitas, constituendi extraordinarium ministrum pro illis Sacramentis simplicem Sacerdotem, quàm pro hoc Sacramento laicum, vel Clericum non Sacerdotem. Interim ratio fundamentalis, sicut dixi, institutio Christi, quæ nobis innotescit per Traditionem Apostolicam, & communem consensum Ecclesiæ.

18. Objectio ex D. Cypriano.

Sed, interrogat aliquis; unde constat communis consensus Ecclesiæ? Nonne Cyprianus epist. 13. aliàs l. 3. epist. 17. ait: *Si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologesin facere delicti sui possint* (loquitur de lapsis, qui libellos à Martyribus acceperant) *ut manu eis in pœnitentiam impositâ, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt?*

Solvitur.

Respondeo cum Pamelio in Annotat. ibidem n. 2. Etsi alii plerique Auctores videantur vocem *Exomologesios*, accipere pro omni Confessione peccatorum, sive privatâ, sive publicâ..... sunt tamen, qui existimant, accipi apud Cyprianum pro publica.... Quòd si verum sit, nihil hìc mirum, quòd permittat apud Diaconum Exomologesin, & manum ab illo imponi, ut non sit aliud hæc manûs impositio, quàm à pœnis satisfactoriis absolutio, quæ cur Diaconis concedi non possit, non video; præsertim cùm etiam hodie usitata sit Archidiaconorum ab excommunicatione absolutio, etiamsi in solo Diaconatûs ordine constituti sint. Nec mirum, quum constet ex lib. 8. Constit. Apost. Clementis, auctoritatem excommunicandi habuisse Diaconos, absente Presbytero. Habuerunt igitur illo absente etiam absolvendi ab excommunicatione potestatem, nam ejusdem est absolvere, cujus excommunicare. Hæc ille.

Pamelius.

Diaconi possunt absolvere à pœnis satisfactoriis.

Item ab excommunicatione, uti etiam ex communicare.

19. Et continuò subjungit: fortassis quum Episcopus absens, & Presbyteri multi carceribus inclusi essent, ex privilegio quodam Diaconis in necessitate permissa est pœnitentium reconciliatio; sicuti à D. Gregorio Presbyteris aliquando concessam legimus Sacramenti Confirmationis administrationem, quæ solis alioquin Episcopis competit. Hucusque Pamelius.

Non possunt sacramentaliter absolvere à peccatis.

Rectè quidem, si per reconciliationem pœnitentium intelligat reconciliationem in foro Ecclesiæ per absolutionem ab excommunicatione, aut à pœnis satisfactoriis, sive satisfactionibus, publicè subeundis; secùs verò si intelligat reconciliationem sacramentalem à peccatis; hanc enim non legimus ab aliquo Pontifice concessam Diaconis, sicuti legimus à D. Gregorio aliquando concessam Presbyteris administrationem Sacramenti Confirmationis.

20. Objectio ex Conc. Triburiensi.

Esto, inquis, non legatur concessa à Pontifice, saltem à Conc. Triburiensi legitur concessa, aut saltem supponitur concessa, prout refertur cap. 2. de furtis. *Fures*, (inquit Conc.) *& Latrones, si in furando vel deprædando occiduntur, visum est, pro eis non esse orandum. Sed si comprehensi aut vulnerati, Presbytero vel Diacono confessi fuerint, Communionem* (id est, Eucharistiam, secundùm Glossam ibidem verb. *Communionem*) *eis non negamus.*

cap. 2. de Furtis.

Ubi Glossa verb. *Diacono. In necessitate*, inquit, *etiam laico, de Consecr. Dist.* 4. Sanctum est. *de Pœnit. dist.* 1. Quem pœnitet *vers. fin. & dist.* 6. *c.* 1. *circa princ.* Porrò cap. *Sanctum est*, quod hìc citat Glossa, est D. August. ad Fortunatum, ubi sic scribit sanctissimus Præsul: *Cùm in navi quadam fidelis nullus esset præter unum pœnitentem, cœpit imminere naufragium. Erat ibi quidam non immemor salutis suæ, & Sacramenti* (Baptismi) *vehementissimus flagitator: nec erat aliquis, qui dare posset, nisi pœnitens ille. Acceperat enim* (Baptismum) *sed pro peccato, de quo agebat pœnitentiam* (publicam) *amiserat sanctitatem, sed non amiserat Sacramentum. Nam si hoc amittunt peccantes, cùm reconciliantur post pœnitentiam, quare non iterum baptizantur? Dedit ergo quod acceperat, & ne periculose vitam finiret, non reconciliatus, petiit ab eo ipso, quem baptizaverat, ut eum reconciliaret: & factum est: naufragium evaserunt. Cognitum habes, quod fecerunt. Nemo extitit eorum, qui non pium animum ita crederet, ut consiliis eorum in illo periculo Dominum crederet affuisse.* Hactenùs August.

& S. Augustino.

21. Responsio ad S. August.

Sed audi, quòd sequitur: *Motus enim animus religiosus & supplex ab homine exegit Sacramentum* (Baptismi) *a Deo ipse* (pœnitens) *impetravit sanctitatem.* A Deo, inquam, pœnitens impetravit sanctitatem, quam amiserat, non per reconciliationem sacramentalem, factam à laico, jam baptizato; sed per Contritionem Chatitate perfectam: & ideò dicit, *A Deo.* Hinc licèt Baptismum, quem dedit pœnitens, vocet Sacramentum; minimè tamen reconciliationem, quam pœnitens acce-

pit à laico; ad summum ergo fuit reconciliatio in foro externo seu Ecclesiæ, de qua loquitur Cyprianus suprà.

Præterea subjungit S. Doctor: *Quòd si fortè hoc, quod narravi de his, qui naufragio imminente periclitabantur, non vult aliquis credere (non enim hoc Scripturarum divinarum auctoritas, sed incerto auctore fama commendat) non repugnabo: sed interrogabo: si tale aliquid contingat, quid futurum esset? Non enim potest quisquam dicere, relinquendum esse illum, qui morte imminente baptizari desiderat. Quem baptizatum à pœnitente, quisquis non credit contigisse, oportet, ut credat, posse contingere.*

Planè oportet; sed nunquid etiam oportet credere, pœnitentem imminente morte posse sacramentaliter reconciliari à laico? Hoc ibi Augustin. non dicit, neque verum est. Et sanè verisimiliùs apparet Augustin. ibi non loqui de reconciliatione sacramentali, sed de reconciliatione in foro Ecclesiæ; erat enim pœnitens publicus, ùt colligitur ex illis verbis: *Sed pro peccato, de quo agebat pœnitentiam,* scilicet publicam, ùt suprà annotavi.

22. Objicitur cap. 88. de Pœnit. dist. 1.

Præterea citat Glossa suprà cap. *Quem pœnitet.* 88. de Pœnit. dist. 1. (quod etiam est D. Augustin. lib. de vera & falsa Pœnit. c. 10. si ipse est Auctor, quod Plerique negant) ubi sic scriptum habes: *Tanta vis Confessionis est, ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo. Sæpè enim contingit, quòd pœnitens non potest confiteri coram Sacerdote, quem desideranti nec locus, nec tempus offert. Et si ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habet, sit tamen dignus veniâ ex desiderio Sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis. Mundati enim sunt leprosi, dum irent ostendere ora Sacerdotibus, antequam ad eos pervenirent. Vnde patet Dominum ad cor respicere, dum ex necessitate prohibetur ad Sacerdotes pervenire.*

Respondetur.

Prorsus respicit Dominus ad cor contritum, videlicet Charitate perfectâ, per quam Contritionem reconciliatur homo Deo, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ùt docet Trident. sess. 14. cap. 4. Ad hanc autem Contritionem juvare potest tum exercitium humilitatis, quale potest esse Confessio facta socio laico, tum consilium & exhortatio socii laici ad pœnitentiam de peccatis commissis. Alioquin laicum non posse tali casu sacramentaliter absolvere, liquidè constat ex iisdem verbis ibi: *Et si ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habet.*

Trident.

23. Magister videtur sentire, sin necessitate confitendū esse laico.

Atque huic loco D. Augustin. præcipuè initur Magister 4. dist. 17. ubi videtur sentire in necessitate confitendum esse laico. *Sed nunquid* (Interrogat Magister) *æquè valet alicui confiteri socio vel proximo suo, saltem cùm deest Sacerdos? Sanè ad hoc potest dici, quòd Sacerdotis examen requirendum est studiosè; quia Sacerdotibus concessit Deus potestatem ligandi atque solvendi. Et ideò quibus ipsi dimittunt, & Deus dimittit. Si tamen defuerit Sacerdos, proximo vel socio est facienda Confessio.*

Et infrà sic ait: *Quærendus est Sacerdos sapiens & discretus, qui cum potestate simul ferat judicium, qui si fortè defuerit, confiteri debet socio. Beda verò inter Confessionem venialium & mortalium distinguit super illum locum:* Confitemini alterutrum peccata vestra. *Ait enim:* Cœqualibus quotidiana & levia, graviora verò Sacerdoti pandamus, & quanto jusserit tempore purgare curemus; quia sinè Confessione emendationis, peccata nequeunt dimitti. *Sed & graviora cœqualibus pandenda sunt, cùm deest Sacerdos, & urget periculum. Venialia verò, etiam Sacerdotum oblatâ copiâ, licet confiteri cœquali, & sufficit; ut quibusdam placet, si tamen ex contemptu non prætermittatur Sacerdos. Tutius est tamen & perfectius utriusque generis peccata Sacerdotibus pandere & consilium Medicinæ ab eis quærere, quibus concessa est potestas ligandi & solvendi.* Hactenus Magister.

Sed tu dic cum Doct. Subtili, nullam esse obligationem ex vi præcepti divini Confessionis, confitendi socio seu cœquali non Sacerdoti, sive graviora sive leviora peccata: quia solus Sacerdos habet potestatem solvendi, non solùm graviora, sed etiam leviora peccata.

24. Scotus docet, nullam esse obligationem ex vi præcepti divini.

Interim fieri posset, ut ex charitate propria in periculo mortis, quando non adest copia Sacerdotis, aliquis teneretur peccata graviora confiteri socio, si videlicet absque tali Confessione non posset elicere Contritionem Charitate perfectam, quæ tali casu necessaria est ad salutem. Si aliam obligationem agnoscit Magister, ab eo recedimus; defectu sufficientis probationis.

Per accidens posset esse obligatio.

Venio ad cap. 2. de Furtis; nam cap. 1. dist. 6. quod tertio loco allegat suprà Glossa, nihil habet ad hoc propositum. Itaque c. 2. de Furtis dicunt Aliqui, solùm velle, quòd furibus in flagranti delicto vulneratis non sit neganda Communio, si ostendant signa pœnitentiæ: fit autem mentio Diaconi, non quòd is possit sacramentaliter absolvere, sed quia in tali casu absente Sacerdote potest dare Communionem. Ita Suarius disp. 24. sect. 1. n. 10. quem sequitur Herincx part. 4. tract. 4. disput. 5. de Minist. Sacram. Pœnit. n. 2.

25. Respondetur ad c. 2. de Furtis.

Suarez Herincx

Verùm cum tali casu, etiam Subdiaconus, imò laicus probabiliter posset dare Communionem, cur fit mentio solius Diaconi? Deinde non fit simpliciter mentio Diaconi, sed Confessionis factæ Diacono vel Presbytero; ergo videtur in audienda Confessione Diaconum æquiparare Præsbytero. Tertiò, si per Confessionem solùm intelligantur signa pœnitentiæ, sufficit quòd confiteantur laicis, ut possint à Presbytero, vel Diacono accipere Communionem; quamvis & tunc posset dici, confiteri Presbytero vel Diacono, dum laicus testimonium perhibet pœnitentiæ.

Dicerem

26. Melior responsio.

Dicerem ergo ego (salvo meliori) ly *Vel Diacono*, ab aliquo additum esse, cùm in originali textu, qui de facto extat; non reperiatur, ùt probè advertit Gratianus 13. q. 2. cap. 31.

Ecce verba textûs, ùt ea refert Binius tom. 3. Concil. p. 2. *Statuimus & indicamus, ut si quis .... inventus fuerit furtum aut rapinam exercere, & in ipso diabolico actu mortem meretur incurrere: nullus pro eo præsumat orare, aut eleëmosynam dare. Eleëmosyna pro eo data, in memoriam Clericorum, nec pauperum veniat, sed execrabilis fordescat. B. August. de talibus horribilem profert sententiam, dicens*: Nemo te post mortem tuam fideliter redimit, quia tu te red mere noluisti. *Si autem ille fur vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se mysteriis sacrosanctis, habitu corporis, & voluntate piæ mentis deprecatur, Deoq; & Sacerdoti, comite vitâ emendatione morum & actuum confitetur, Communionis gratiam non negamus tribuendam.* Ita Concil. Triburiense cap. 31.

27. Objicitur ex Bulla Martini V.

Restat parva difficultas ex Bullâ Mart. V. quæ incipit: *Inter cunctas.* & habetur tom. 3. Concil. p. 2. fol. 1651. in qua condemnantur errores Joannis Wicleff & Joannis Husz, ac inter alias interrogationes, quas Pontifex mandat proponi cuilibet, de illa hæresi suspecto, una est: *Vtrùm credat, quòd Christianus ultra Contritionem cordis, habitâ copiâ Sacerdotis idonei, soli Sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, & non laico, seu laicis quantumcumque bonis & devotis.* Ubi cùm additur: *Habitâ copiâ Sacerdotis idonei*, videtur indicari, in absentia ejus esse necessarium confiteri laico.

Responsio Scoti.

Respondet Suarius suprà n. 11. hoc argumentum à contrario sensu nullius est momenti, in materia præsertim doctrinali, ibi ergo solùm proponitur interrogatio de eo, quod ad Fidem pertinet: aliud verò, quod spectat ad Theologicam quæstionem, proponendum non fuit, nec propterea aliquid circa id definitur, aut insinuatur. Hæc ille.

28. Quid in illa Bulla definiatur.

Quæris à me; quid sit illud, quod ad Fidem pertinet, de quo proinde ibi proponitur interrogatio? Respondeo; solam Contritionem cordis non sufficere ad salutem, habitâ copiâ Sacerdotis idonei. Patet illud fuisse intentum Pontificis ex art. 7. Ioannis Wicleff sequentis tenoris: *Si homo fuerit debitè contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis.* Porrò de confessione facienda laico, bono vel malo, in absentia Sacerdotis, nihil lego in articulis damnatis, qui exprimuntur in illa Bulla.

Præterea ad Fidem pertinet, solam Contritionem sufficere, non habitâ copiâ Sacerdotis idonei; & ideò potiùs contrarium sequitur ex illa interrogatione, scilicet, in absentia Sacerdotis non esse necessarium ad salutem, confiteri laico seu laicis, quantumcumque bonis & devotis. Interim, sicut dixi, subinde talis confessio posset esse utilis, ratione consilii vel auxilii, à laico præstandi; immo per accidens necessaria ad salutem, si absque tali consilio vel auxilio non posset peccator elicere Contritionem Charitate perfectam.

29. Soli Sacerdoti data est à Christo potestas absolvendi.

De cætero dic, & intùs dic; quia sic est ùt dicis; soli Sacerdoti data est à Christo potestas Clavium, id est, potestas solvendi atque ligandi; in tantùm ùt si Episcopus vel ex errore aliquo; vel ex malitia priùs daret potestatem absolvendi per illa verba: *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseris peccata* &c. quàm potestatem consecrandi Corpus & Sanguinem Christi per hæc verba: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia* &c. collatio prioris potestatis omninò foret nulla & invalida.

Potestas absolvendi, & consecrandi sunt distinctæ.

Licèt enim hæ potestates distinctæ sint, & potestas offerendi Sacrificium, possit conferri absque potestate absolvendi à peccatis; nam Apostoli priùs fuerunt Sacerdotes instituti in ultima cœna hisce verbis: *Hoc facite in meam commemorationem* (ùt docet Trident. sess. 22. can. 2.) quàm acceperint potestatem absolvendi Ioan. 20. illis verbis: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis* &c. Et indubiè, si Episcopus moreretur post collatam potestatem consecrandi, maneret sic ordinatus Sacerdos, esto non haberet potestatem absolvendi. Quamvis, inquam, hæ potestates sint distinctæ, nihilominùs Christus de facto noluit, concedi potestatem absolvendi, nisi re ipsâ concessâ priùs potestate consecrandi, ùt constat ex definitionibus Conciliorum, & Ecclesiæ Traditione.

Sicut ergo nequit laicus in quacumque necessitate consecrare, seu conficere corpus Christi verum, defectu characteris Sacerdotalis; pari quoque passu nequit reconciliare sacramentaliter corpus Christi mysticum, id est, fideles peccatores, qui sunt membra Christi, defectu potestatis Clavium, quæ essentialiter fundatur in charactere Sacerdotali.

30. Quæ sit potestas Clavium.

Quæris à me, quæ sit illa potestas Clavium? Iam nunc edissero.

Scotus.

De Clavibus Ecclesiæ disputat Doctor Subtilis 4. dist. 19. q. unicâ, quæ talis est: *Vtrùm cuilibet Sacerdoti, in susceptione Ordinis Sacerdotii, conferantur Claves regni cælorum? Vbi,* (inquit n. 3.) *sunt quinque videnda: Primò, quòd in Ecclesia, & hoc apud Sacerdotem ritè ordinatum, est una Clavis Ecclesiæ, quæ est potestas sententiandi in foro pœnitentiæ. Secundò, quòd apud eum est Clavis, quæ est potestas cognoscendi in causa Rei confitentis. Tertiò, quòd hæc & illa Clavis non sunt eadem, sed duæ. Quartò, qualiter habens has duas Claves possit per eas in actus earum, sive qualem*

qualem potentiam habeat per eas, respectu actuum ipsarum Clavium. Et quintò, si præter istas sit alia Clavis in Ecclesia.

Potestas Clavium duplex est.

Igitur potestas Clavium, quæ requiritur ad validè absolvendum, secundùm Scotum, duplex est, videlicet potestas sententiandi in foro pœnitentiæ, & potestas cognoscendi in causa Rei confitentis. De prima potestate sic discurrit: *Omnes transferentes, secundùm aliquam similitudinem transferunt: clavis materialis, est proximum instrumentum aperiendi, & claudendi ostium: per quod intratur in domum; ac per hoc nec apertio, nec aperiens est, nec causa, propter quam aperitur, putà dignitas personæ ad intrandum, vel indignitas, propter quam expellitur: hoc modo spiritualiter contingit considerare apertionem regni cælorum, quæ fit per sententiam definitivam, quâ sententiatur, cælum isti aperiendum; quia ista apertio non est actualis, sed dictata condigna dispositio istius, cui aperitur.*

Quid est Clavis.

Convenit etiam invenire aperientem, & iste est sententians; convenit etiam invenire causam, propter quam huic aperitur per sententiam introductivam, & propter quam huic clauditur per sententiam exclusivam, scilicet, demerita istius, & merita illius. Nullum istorum est Clavis, quia primum est apertio, secundùm, aperiens, tertium, causa remota: igitur potestas illa, quæ est in sententiante, quæ est immediatè principium, sive instrumentum sententiandi, quæ sententia dicitur apertio illa propriissimè dicitur Clavis regni cælorum. Hoc de nomine, inquit Scotus.

31. Triplex est auctoritas judiciaria sententiandi.

De re autem n. 4. assignat triplicem auctoritatem judiciariam sententiandi. Unam simpliciter principalem, quæ *soli Deo* (inquit Scotus) *convenit, propter duo; quia ipse solus ex se est iustus; immo ipsa iustitia: primum autem iudicium non potest competere, nisi primo iusto, quia iudicium non est perfectum, nisi sit iustum, iuxta illud Psalm.* (118. v. 121.) Feci judicium & justitiam. *Siquidem iudicare est ius vel iustum dictare, primum autem iustum oportet esse perfectissimum, & ita iustissimum: igitur primi iusti.*

Principalis competit soli Deo.

Secundò, quia iudicare est præsidentis iuxta illud Apostoli ad Rom. 14. v. 4. Tu quis es, qui judicas alienum servum? *Primus autem præsidens non potest esse nisi Deus solus. Vnde sicut non potest alii communicare divinitatem; sic nec primam potestatem iudicandi, nec per consequens Clavem simpliciter principalem aperiendi cælum.*

Non principalis, sed præcellens propriè est Christi.

Secunda Clavis seu auctoritas sententiandi, scilicet non principalis, sed præcellens, tum in universalitate causarum judicandarum, tum in firmitate sententiæ diffinitivæ, *propriè* (inquit n. 5.) *est Christi, qui novit omnia merita & demerita iudicandorum, & semper iustitiæ divinæ conformiter iudicat. Nec ista potest esse in Ecclesia militante, saltem congruè non potest; quia nullus in Ecclesia novit omnes causas iudiciarias, nec habet voluntatem immutabiliter iustam.*

Tertia Clavis, scilicet non principalis, nec præcellens, sed particularis quantùm ad causas cognoscendas, & infirma quantùm ad sententiam ferendam, putà quòd sit aliquando revocabilis, *potest conferri alicui* (ait Scotus ibidem) *in Ecclesia militante, qui potest in illa causa nosse, & in illa secundùm legem divinam rectè iudicare; & si quandoque præter illam, sententia eius non erit firma, sed si secundùm illam, erit firma.* 32. Tertia Clavis, scilicet non principalis nec præcellens sed particularis,

Eam autem collatam esse Sacerdoti docet n. 6. ibi: *Tertiò dico, quòd data est. Probatur per illud Ioan.* 20. Quorum remiseritis *&c. Et rectè dicitur Clavis potestatis, quia auctoritas iudicandi rectè, est potestas, cùm iudicare sit præsidentis.* Et hæc quidem de Clave potestatis, seu potestatè sententiandi. collata est Sacerdoti.

At verò de Clave scientiæ, seu potestate cognoscendi causam; sic incipit dicere Doctor noster n. 7. *De secundo articulo dico, quòd illud, quod ordinatur ad istam auctoritatem sententiandi, vel cuius usus ordinatur ad usum istius, ita scilicet, quòd sine usu illius non est rectus usus istius, potest dici Clavis, quia instrumentum quoddam aperiendi; licèt non proximum: immo quasi concurrit in unum cum instrumento propinquo vel proximo. Sinè isto enim non rectè aperit, nec claudit: auctoritas vero cognoscendi in causa peccatoris est huiusmodi, quia sine ista cognitione non rectè quis sententiat, cælum huic aperiendum vel claudendum: ergo illa auctoritas potest dici Clavis regni cælorum.* 33. Auctoritas examinandi reum confitentem est Clavis scientiæ.

Deinde docet, hanc etiam Clavem esse penes Sacerdotem, ratione cujus Sacerdos in foro sacramentali juridicè & legitimè interrogat, teneturque reus fideliter respondere & fateri, quæ ad causam pertinent. *Qui habet* (inquit) *auctoritatem diffinitivè sententiandi in causa, habet auctoritatem cognoscendi in causa illa, nisi alicui committeretur, quòd sine causa cognitione sententiaret in causa ad suum libitum; quæ commissio non videtur alicui rationabiliter facienda, qui posset in sententiando errare, cuiusmodi est omnis viator. Deus ergo rectè committens Ecclesiæ auctoritatem primam, quæ dicitur Clavis potestatis, commisit etiam sibi secundam, quæ dicitur Clavis scientiæ. Et in collatione primæ Clavis, quæ habetur ex Ioan.* 20. *intelligitur etiam collatio istius secundæ, tamquam præviæ (quantùm ad usum) usui illius primæ.* Hæc etiam convenit Sacerdotis. Nemo sinè causæ cognitione sententiare potest.

Est quippe Sacramentum Pœnitentiæ institutum per modum judicii, ùt patet ex alibi dictis, ad quod concurrunt ante sententiam, confessio Rei ad informationem judicis, & inquisitio requisita ex parte ipsius judicis de materia, quam debet judicare, nempe de peccatis, eorum numero, & circumstantiis. Item de statu peccatoris, an sit dignus, qui debeat absolvi, aut ligari. 34. Quæ sint requisita ante sententiam Sacramentalem.

Hinc Trident. sess. 14. c. 5. *Constat*, inquit, *Sacerdotes iudicium hoc incognitâ causâ, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniun-* *Concil. Trid.*

injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent. Qui ergo dedit Sacerdotibus potestatem judicandi, dedit etiam potestatem cognoscendi causam, sinè qua cognitione non possunt hoc judicium debitè exercere; cùm exponant se periculo gravissimi erroris, vel reum ultra demeritum ligandi seu gravandi, vel ultra meritum absolvendi.

35. Potestas examinandi & absolvendi possent per Deum separari ab invicem ex Scoto.

Interim putat Doctor illas duas potestates absolutè esse separabiles suprà n. 10. ubi sic ait: *Dico ergo quod simpliciter sunt duæ Claves, ita quod absolute verum est illud verbum Christi:* Tibi dabo Claves *&c. & possent de potentia Dei absoluta separari ab invicem, sicut enim aliquis nunc præsidens, potest committere alteri auctoritatem cognoscendi in causa, non committendo sibi auctoritatem sententiandi in ea: ut si diceret; committo tibi auctoritatem examinandi causam istam; & referas mihi; ut sententiem. Posset etiam conferre auctoritatem sententiandi sinè auctoritate cognoscendi; ut si diceret, committo tibi, quod sinè omni cognitione causæ sententies, sicut placet: talis autem commissio non esset ordinata alicui, cui voluntas esset obliquabilis. Ita etiam posset Deus committere auctoritatem cognoscendi, sine auctoritate sententiandi: & esset ista commissio ordinata simpliciter, si esset etiam in humanis. Posset etiam Deus de potentia absoluta alicui habenti voluntatem obliquabilem committere auctoritatem sententiandi sinè cognitione in causa. De potentia autem ordinata, sive de facto, committitur utrumque cuilibet Sacerdoti Ecclesiastico ad minùs completè ordinato. Quod pro tanto dico; quia si prius tempore datur sibi auctoritas celebrandi, quàm absolvendi, non est perfectè ordinatus quantum ad utramque auctoritatem; si primo facto, omitteretur secundum.*

Et n. 11. in fine sic ait: *Collatio unius (* Clavis *) non separatur à collatione alterius: quia (sicut dictum est) quòd Christus in eodem verbo Ioan. 20. contulit ambas Ecclesiæ: ita & Episcopus in eodem signo sensibili, & verbo confert ambas; unam quasi excellentem & explicitè, & aliam quasi implicitè, cujus usus est antecedens ad usum istius. Et ex hoc patet, quòd aliqualiter possunt dici una Clavis unitate ordinis, quia ad actum unum ultimum, scilicet apertionis, ordinantur, & ad illum una subordinatur alteri, quia remotior ab illo effectu.*

36. An Clavis scientiæ sit aliqua scientia actualis vel habitualis? Magister.

Dubitas, an ista Clavis scientiæ sit aliqua scientia actualis, vel habitualis, vel discretio quæcumque? Audi Mag. 4. dist. 19. cap. 1. *Multi licèt indiscreti, atque scientiæ, quâ eminere debent, exortes, Sacerdotii gradum recipere præsumunt, vitâ & scientiâ eo indigni; quia nec ante Sacerdotium, nec post, scientiam habent discernendi, qui ligandi sint vel solvendi. Ideoq; illam Clavem in consecratione non recipiunt, quia semper scientiâ carent. Qui verò ante Sacerdotium scientiâ discernendi prædicti sunt, licèt habeant discretionem, non tamen in eis est Clavis, quia non valent eâ claudere vel aperire. Ideoq; cùm promovetur in Sacerdotem, Clavem discretionis rectè dicitur accipere, quia & ante habita discretio augetur, & fit in eo Clavis, ut eâ jam valeat uti ad claudendum vel aperiendum.* Hæc ille.

Negat Scotus.

Quem Scotus suprà n. 8. sic exponit: *Ista,* inquit, *scientia actualis, vel habitualis non est Clavis ista (* scientiæ *) quia auctoritas cognoscendi, etsi requirat scientiam vel discretionem, concomitantem rectum usum ejus; quemadmodum requirit Clavis potestatis aliquam justitiam, ad rectum usum sui: tamen sicut potestas judicandi non est justitia, imò potest esse sine justitia, ita potestas vel auctoritas cognoscendi in aliqua causa, potest esse sine discretione cognoscendi; & ita debet Magister exponi, qui vult eum salvare; quòd ad Clavem scientiæ requiritur scientia, supple ad hoc, quòd aliquis rectè utatur eâ; non autem ad hoc; quod absolutè insit.*

37. Objectio.

Si objicitur: quare ergo magis dicitur ista Clavis scientiæ, quàm illa justitiæ, sive justitia, si non requiritur hic scientia, nisi quantùm ad rectum usum illius?

Responsio ex Scoto.

Respondet Doctor: *Sinè justitia habens auctoritatem, & aliquid sententians, facit quod est potestatis, licèt indebite fiat;* id est, sive Sacerdos sit justus, sive peccator, sive judicet secundùm rigorem medii justitiæ non deviando, sive in aliquo deviando, v. g. nimium aggravando vel alleviando pœnitentem, quò ad impositionem pœnitentiæ, aut absolvendo eum, quem non deberet absolvere, vel etiam absolvendo ex fine mortaliter malo; si aliundè pœnitens est debitè dispositus ex parte sua, valet Absolutio, & exercetur actus potestatis, etsi Sacerdos peccet, sic utendo suâ potestate; *Et ideo,* inquit Scotus, *semper dicitur Clavis potestatis.*

Et ita habens auctoritatem cognoscendi in causa, si attentè aliquid facit, licèt indebitè, hoc tamen quod facit, semper est scientiæ, id est, cognitionis in causa, licèt non scientiæ habitualis, & ideò semper dicitur clavis scientiæ, ab effectu scilicet, ad quem ordinatur, nempè à cognitione & scientia causæ, non verò à scientia discretionis, quæ potest abesse & adesse eo modo, quo potest abesse & adesse justitia habitualis & actualis, quando Sacerdos utitur clave potestatis.

38. Aliud est habere auctoritatem inquirendi peccata, aliud posse ea discernere.

Sanè longè aliud est habere auctoritatem inquirendi & exquirendi & audiendi causam, quod fit, quando excipitur confessio Rei, & inquiritur de statu & dispositione ejus; aliud verò posse discernere peccata, circumstantias, & statum pœnitentis, ùt oportet, attingendo omnia ùt expedit. Et quamvis hæc discretio sit necessaria, ut Sacramentum debitè administretur, non tamen semper requiri ad valorem, sed valere Absolutionem, quæ datur ab ignorante differentiam mortalis à veniali, vel circumstantias substantiales, innuit Doctor suprà, & ideo erit

CONCLUSIO II.

Ad validè abſolvendum, præter poteſtatem Clavium, requiritur aliqua ſcientia actualis; ad licitè abſolvendum tanta, quâ poſſit Confeſſarius plerumque diſcernere inter peccata & non peccata, mortalia & venialia &c. attamen ſinè ea Abſolutio erit valida, ſi reliqua adſint.

39. Confeſſarius ut validè abſolvat, debet ſcire materiam, formam, intentionem & ſimilia.

DUæ priores partes tantùm indigent explicatione. Quantùm igitur ad primam partem, perſpicuè manifeſtum eſt, Confeſſarium, non ſolùm ut debitè, ſed etiam ut validè exerceat munus ſuum, nullatenùs poſſe ignorare materiam & formam Sacramenti, intentionem, & ſimilia, quæ planè neceſſaria ſunt, ut humano modo proferatur ſententia Abſolutionis; & ideò ad minùs debet ſcire pœnitentem ſeu confitentem peccaſſe, quomodo enim poteſt velle abſolvere ſeu ſolvere, quem planè ignorat ligatum, vel ſaltem in confuſo & in generali?

40. Notitia generalis peccatorum non ſufficit ad licitam adminiſtrationem Sacramenti.

Quòd autem talis notitia generalis, ſeu actualis, ſeu habitualis, non ſufficiat ad licitam adminiſtrationem Sacramenti, extra caſum neceſſitatis, quæ eſt ſecunda pars Concluſionis, nemo eſt qui dubitet: hoc enim ad minùs probant verba Tridentini ſeſſ. 14. cap. 5. *Conſtat, Sacerdotes judicium hoc, incognitâ cauſâ, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie ac ſigillatim, ſua ipſi peccata declaraſſent.*

Si pœnitens tenetur ſua peccata in ſpecie ac ſigillatim declarare, ne Sacerdos incognitâ cauſâ exerceat hoc judicium, & per conſequens exponat ſe periculo non ſervandi æquitatem in pœnis injungendis, quam tamen debet ſervare; ergo conſimiliter Sacerdos debet peccata in ſpecie ac ſigillatim cognoſcere, non ſolùm materialiter, ut ſic dicam, id eſt, intelligere ſonum vocis, v. g. quid ſignificet: *Occidi hominem, non jejunavi* &c. ſed etiam formaliter, id eſt, gravitatem ac levitatem malitiæ, quantùm moraliter & humano modo eſt poſſibile, alioquin exponit ſe manifeſto periculo non ſervandi æquitatem in pœnis injungendis, quam tamen, ùt mox dixi, tenetur ſervare.

Confeſſarius debet ſcire diſpoſitionem pœnitentis.

Præterea tenetur ſcire, quantùm moraliter poſſibile eſt, diſpoſitionem pœnitentis, dolorem, propoſitum emendationis &c. ne alioquin Sacramentum invalidè, aut ſaltem informiter adminiſtret, quod faciendo mortaliter peccat, ùt patet ex alibi dictis; ergo ſimiliter peccat exponendo ſe periculo proximo, ratione ignorantiæ, illud faciendi.

41. quantùm moraliter poſſibile eſt.

Dixi conſultò; *Quantum moraliter poſſibile eſt*, quia pœnitens non peccat, diſponendo ſe & declarando peccata in ſpecie & ſigillatim quantum moraliter poteſt, eſtò fortaſſis diſpoſitio vel declaratio in aliquo deficiat; cur ergo peccet Confeſſarius, qui habet ſcientiam moraliter poſſibilem, tam peccatorum in ſpecie & ſigillatim, quàm diſpoſitionis pœnitentis, eſtò fortaſſis hic & nunc erret, judicando aliquod peccatum mortale, quod ſolùm eſt vèniale, vel è contra; judicando obligationem reſtitutionis, ubi non eſt, vel vice versâ non judicando obligationem, ubi eſt obligatio; judicando pœnitentem legitimè diſpoſitum, cùm tamen non ſit legitimè diſpoſitus, vel defectu propoſiti emendationis, vel propter excommunicationem &c?

Manet fixa Reg. Iuris 6. de Reg. Iuris in 6. *Nemo poteſt ad impoſſibile* (etiam ſolum moraliter) *obligari*. Nec cenſetur Deus voluiſſe majorem ſcientiam, ne aliàs onus ſeu officium Confeſſarii ſit intolerabile, & meritò Sacerdotes ab eo avertantur, cùm tamen ſit maximè neceſſarium in Eccleſia Dei, ùt patet ex neceſſitate ipſius Sacramenti. *Reg. Iuris 6. de Reg. Iuris in 6.*

42. Non requiritur tam exacta ſcientia in Confeſſario, ut de omnibus prorſus caſibus ſtatim poſſit judicare.

Itaque non requiritur tam exacta ſcientia, ut de omnibus prorſus caſibus ſtatim poſſit judicare, an mortaliter, an venialiter pœnitens peccaverit, an teneatur, vel non teneatur ad reſtitutionem &c. Illa quippe ſcientia eſt moraliter impoſſibilis, etiam hominibus doctiſſimis; cùm non ſemper poſſint ſcire perfectè ipſum factum, an fuerit plena deliberatio &c. immo neque ſemper ſcire poſſunt, moraliter loquendo, ipſum jus. Quis enim novit omnia jura Civilia & Eccleſiaſtica, innumera, ut ſic dicam, quis omnes excommunicationes, irregularitates &c? Non attingo diverſitatem ſententiarum circa gravitatem, & levitatem malitiæ peccatorum, his aſſerentibus in tali actu malitiam mortalem, aliis ſolùm venialem, aliquibus nullam.

Sufficit quòd ſciat communia.

Sufficit ergo, quòd ſciat communia, id eſt, quòd in caſibus communiter occurrentibus, ſciat diſtinguere peccatum mortale à veniali; ſciat communes ſpecies peccatorum & circumſtantias mutantes ſpeciem aut numerum; ſciat caſus ſibi reſervatos; ſciat ordinariam obligationem reſtituendi; ſciat ordinarias excommunicationes, irregularitates &c. ut tamquam judex & medicus poſſit, adhibitâ convenienti medicinâ, pronuntiare ſententiam juſtam Abſolutionis, vel retentionis peccato-

catorum; & ut, tamquam doctor & Pastor, possit instruere pœnitentes de obligatione restituendi, de gravitate & levitate peccatorum, de numero & specie peccatorum, de impedimentis Matrimonii & similibus. In summa, ut in communibus & ordinariis casibus, suorum respectivè pœnitentium, sciat, quomodo valide & licitè possit administrare Sacramentum. Porrò in casibus extraordinariis satis est, quòd sciat dubitare, & alios consulere.

43. Unus Confessarius debet plura scire, quàm alius.

Ex quo fit, ut pro diversitate statuum & personarum, communiter confitentium, major vel minor requiratur scientia, ita ut expositus in Ecclesia pro quibuscumque personis adventantibus, Ecclesiasticis, sæcularibus, Principibus, mercatoribus &c. plura teneatur scire, quàm qui solùm exponitur ad audiendas Confessiones, v. g. Religiosorum, aut rusticorum & similium, qui non solent afferre casus difficiliores, vel si afferant, ipsimet satis docti sunt, ut Confessarium suum instruant.

Scientia pœnitentis potest supplere ignorantiam Confessarii.

Enimverò scientiam pœnitentis, aliquando posse supplere ignorantiam Confessarii, haud dubito. Cur enim minùs, quàm scientia alicujus tertii, quem de licentia pœnitentis in casibus difficilioribus Confessarius potest, imò debet consulere? Nonne homo doctus posset confiteri Sacerdoti, quem ipse priùs instruxisset & docuisset Theologiam moralem, quâ doctrinâ postea utitur in audienda ejus Confessione? Cur ergo hoc in ipsamet Confessione fieri non poterit?

44. Quantam scientiam debeant habere Pastores.

Sed quid, si aliquis assumat munus Pastorale, & interim defectu scientiæ sæpiùs dubitat, & antequam velit absolvere, mittit pœnitentes ad alios magis peritos pro consilio? Respondeo; esse nimis magnum onus pœnitentium, cùm satis molestum sit, vel uni tantùm peccata sua revelare: unde existimo Pastores & alios, qui ex officio, & consequenter ex justitia, debent audire Confessiones suorum subditorum, talem & tantam debere acquirere scientiam, ut saltem in plerisque casibus, etiam difficilioribus, possint per se resolvere, ne alioquin meritò subditi avertantur à Confessione, propter onus istud alios consulendi.

Alii Confessarii, qui promiscuè omnes audiunt.

Immo & idipsum curare debet, qui liberè audit Confessiones, quando promiscuè, & sinè delectu, omnium Confessiones excipit, & pœnitentes ignorant hujusmodi morem, & ignorantiam Confessarii; decipit enim pœnitentes, qui procul dubio non venirent ad illum, si ejus nossent defectum. Dixi; *Quando promiscuè* &c. quia cùm non teneatur audire, ùt supponitur, potest solùm velle audire sub illa conditione, quam proinde pœnitenti proponendo, nulli facit injuriam.

45. Non requiritur quod Confessarius de omnibus quæ audit à pœnitente, judicet an sint peccata gravia vel levia, an sint peccata specie vel numero distincta, imò neque an sint vel non sint peccata: sed sufficit, quòd de communibus hoc judicet, reliqua verò audiat & intelligat, ac postea absolvat cum debita intentione; tunc enim facit suum officium, sicut humano modo fieri potest; neque exponit se morali periculo errandi, cùm sufficienter cognoscat statum pœnitentis, sicuti moraliter cognoscibilis est.

Ex jam dictis infero Primò; non requiri, quòd Confessarius de omnibus quæ audit à pœnitente, judicet an sint peccata gravia vel levia, an sint peccata specie vel numero

Quando verò dandum est consilium in futurum, vel imponenda restitutio, aut prohibendus contractus dubius, vel quid simile, si Confessarius per seipsum non potest id resolvere, interroget pœnitentem, an sit paratus ad consulendos homines peritos, & standum illorum judicio: si promittit, absolvat, dicendo illi suam obligationem, quam habet, alios consuleridi.

46. Objectio.

Dices; sententia debet dari cognitâ causâ & materiâ; hæc autem materia non est opus secundùm se physicè factum aut omissum, sed ùt peccatum in genere moris, & de hoc quantùm fieri potest, debet esse Confessio & notitia data per accusationem pœnitentis; si ergo Confessarius non judicat nec intelligit, quæ audit à pœnitente, an sint vel non sint peccata, quomodo potest habere materiam & cognitionem causæ? Ita Dicastillo *Dicastillo* disp. 10. n. 341. Unde putat illam scientiam non sufficere, nisi ad absolvendum sub ea conditione, sub qua juxta regulas generales danda est Absolutio de peccatis dubiis, manente dubio.

Solvitur.

Respondeo; eo casu Confessarius habet materiam & cognitionem causæ, moraliter possibilem, quod sufficit, ut absolvat cum debita intentione, id est, cum intentione absolvendi ab omnibus auditis & intellectis, ex hypothesi, quòd sint materia Absolutionis, sive ab omnibus, quæ sunt materia Absolutionis. Dicas, illam Absolutionem esse conditionatam respectu operis illius, de quo Confessarius nequit judicare, an sit vel non sit peccatum, per me licet: indè ad summum sequitur, pœnitentem teneri postmodum, habitâ notitiâ peccati, & ignorantiæ Confessarii, iteratò confiteri illud opus, tamquam directè nondum absolutum. Interim Confessarius rectè functus fuit munere suo, quod hìc solùm asseritur.

47. Gravitas peccati Confessarius, qui sinè scientia requisita audit Confessiones, & Superior, qui eum approbat.

Infero II. peccare graviter, tam eum, qui sinè scientia respectivè requisita, exponit se ad audiendas Confessiones, quàm Superiorem, qui scienter talem approbat, aut certè approbatum non removet ab officio, ubi & quando commodè potest removere; immo & ipsum pœnitentem, qui talem Confessarium scienter eligit, nisi suâ doctrinâ possit supplere ejus insciti am, ùt suprà dictum est.

An sit alia qua differentia inter

Neque ulla est differentia inter Sacerdotem sæcularem & Religiosum, formaliter

sæcularem & Religiosum.

loquendo, cùm uterque obligetur præcepto naturali, satisfacere muneri suo, debitè administrando Sacramentum Pœnitentiæ. Poterit tamen, inquit Lugo disp. 22. n. 72. esse aliqua differentia materialis, quatenus Religiosus, qui dubitat de sua aptitudine & sufficientia ad illud ministerium, facilìùs poterit deponere illud dubium, quando Prælatus, qui eum bene novit, judicat illum aptum, & imponit ei tale munus. Hæc ille.

Lugo.

Sed quare hoc ipsum dicere non potero de Sacerdote sæculari, cui dubitanti, an sufficiat ad munus Pastorale, ab Episcopo, qui eum bene novit, imponitur tale munus? Non video differentiam.

48. Excipitur casus necessitatis.

De cætero excipitur ab Omnibus, & meritò, casus necessitatis, in quo, ùt alibi vidimus, non requiritur integritas materialis seu Confessio materialiter integra, sed sufficit etiam in communi confiteri aliquod peccatum, quod ad minùs quilibet Sacerdos potest apprehendere; adeoque quilibet habet scientiam proportionatam accusationi, pro tunc necessariæ, & consequenter judicio seu sententiæ ferendæ, quod sufficit, etiam ad licitam administrationem Sacramenti.

Aliqui casus proponuntur.

Quâ ratione excusantur fideles, captivi apud infideles, si confiteantur Sacerdoti ignaro, qui unicus ibi reperitur. Similiter excusantur Prælati, præficientes aliquibus oppidis ignaros Pastores, quia scilicet doctos invenire non possunt, & meliùs est esse tales, quàm nullos. Interim talis Pastor monendus est de obligatione, quam habet acquirendi majorem scientiam, si commodè possit.

Deindè nullatenus excusarem Prælatos, qui præficiunt indoctos, quia doctis nolunt dare congruum stipendium, idque ex avaritia, parùm soliciti de salute ovium, dummodò ipsi lac comedant, & lanis operiantur. *Væ Pastoribus Israël*, dicebat olim Dominus per Prophetam suum, *qui pascebant semetipsos: Nonne greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis* &c. Ezech. 34. v. 2. & 3.

49. Quales debeant esse Confessarii ostenditur ex Rit. Roman.

Finio verbis Rit. Rom. Tit. de Sacram. Pœnit. non procul à principio: *In ejus* (Sacramenti Pœnitentiæ) *Ministro requiritur bonitas, scientia atque prudentia, cum sigillo secretæ Confessionis, sub exacto perpetuoque silentio. Quibus & aliis, ad id opportunis, ut optime sint instructi, omni studio curare debent Confessarii. Imprimis meminerit Confessarius, se Judicis pariter & Medici personam sustinere, ac divinæ justitiæ simul & misericordiæ Ministrum à Deo constitutum esse, ut tamquam arbiter inter Deum & homines, honori divino, & animarum saluti consulat.*

Vt ergo rectè judicare queat, discernens inter lepram & lepram, & tamquam peritus Medicus animarum, morbos prudenter curare, & apta cuique remedia applicare sciat, quantam potest maximam ad id scientiam atque prudentiam, tum assiduis ad Deum precibus, tum ex probatis Auctoribus, præsertim è Catechismo Romano, & prudenti consilio peritorum, studeat sibi comparare. Sciat casus & censuras Sedi Apostolicæ & Ordinario suo reservatas, & suæ cujusque Ecclesiæ constitutiones, easque diligenter observet. Denique hujus Sacramenti doctrinam omnem rectè nosse studebit, & alia ad ejus rectam administrationem necessaria.

Item exc. 12. de Pœnit. & Remiss.

Atque hæc desumpta videntur ex Concil. Gener. Lateran. sub Innoc. III. c. 21 (& ponitur cap. *Omnis utriusque sexûs* 12. de Pœnit. & Remiss.) ubi sic ait Concil. *Sacerdos sit discretus & cautus, ut more periti Medici superfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati: per quas prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo, ad salvandum agrotum.*

50. An valeat Absolutio data sine sufficienti scientia?

Sed cùm hæc satis constent, gravis tamen quæstio restat; an Absolutio data, absque sufficienti respectivè scientia, quâ Confessarius novit discernere inter peccatum mortale & veniale &c. non solùm sit illicita, sed etiam invalida.

Ratio sententiæ affirmativæ.

Affirmat esse validam ultima pars Conclusionis. Ratio fundamentalis; quia neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, neque ex SS. Patribus, neque ex Traditione satis ostenditur, Deum suam potestatem, vel Ecclesiam suam jurisdictionem (de qua sequenti Conclusione) limitasse ad hujusmodi actualem vel habitualem discretionem Sacerdotis, dummodò alia requisita adsint, id est, Contritio & Confessio; nam quod attinet ad Satisfactionem, estò Confessarius ex malitia nullam imponeret, certum est apud Omnes, Absolutionem valere.

Porrò Contritionem & Confessionem non necessariò supponere in Confessario illam actualem vel habitualem discretionem, sole meridiano clarius est. Siquidem Contritio non est aliud, quàm animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Et Confessio nihil aliud est, quàm dolorosa narratio seu declaratio peccatorum ad obtinendam Absolutionem.

Quid autem vetat, me ex animo detestari peccatum, cum proposito de cætero non peccandi, illudque narrare Sacerdoti, quem puto bonâ fide satis doctum, ad obtinendam Absolutionem, estò revera Sacerdos nesciat peccatum sit mortale, an veniale? Dico, *Bonâ fide*, alioquin, ùt statim diximus, peccat mortaliter extra casum necessitatis, adeoque deest Contritio; quia deficit propositum de cætero non peccandi, ùt per se patet.

51. quæ probabilis est sat.

Hanc sententiam, sic explicatam, docet Suarez disp. 28. sect. 2. n. 12. citans Gabr. Adri.

tem ab extrinseco.

Adri. Med. & Alios. Eandem tenet Henriquez l. 5. de Pœnit. c. 14. n. 5. & indicat Corduba casu 9. & Gaspar Hurtado de Sacram. disput. 10. de Pœnit. diffi. 15. Sylvius in præsenti q. 8. a. 5. q. 7. Mercerus ibi q. 9. a. 1. quos refert & sequitur Lugo disp. 16. n. 602. Item Dicastillo disp. 10. n. 349. & Alii plures, quos vide apud hunc Auctorem: ut proinde meritò censeatur probabilis, saltem ab extrinseco.

immo etiam ab intrinseco.

Nec deest probabilitas ab intrinseco, propter rationem superiùs allegatam, quæ confirmatur; quia certum est, in necessitate hujusmodi Absolutionem esse validam, & conferre gratiam; ergo etiam extra necessitatem. Probatur Consequentia à paritate rationis.

52. Objectio.

Dices; disparitas est, quòd in necessitate sit Confessio formaliter integra, secùs extra necessitatem.

Solvitur.

Respondeo; etiam extra necessitatem, nam, ùt supponitur, pœnitens procedit bonâ fide, & confitetur omnia & singula peccata eodem modo, ac si Confessarius ea nosset discernere. Et dato, quòd non omnia confiteretur ex ignorantia, & Confessarius id probè sciens, equidem absolveret sive bonâ, sive malâ fide, putas, quia talis Absolutio non valeret? Noli putare. Quamvis enim Absolutio requirat Confessionem integram moraliter possibilem, ut licita sit; tamen ex nullo capite ostenditur, illam integritatem esse necessariam, ùt valeat, si adsit debita Contritio.

53. Potestas Clavium reperitur apud Sacerdotem ignarum.

Sanè potestatem Ordinis seu Clavium reperiri apud Sacerdotem ignarum, quid evidentiùs? Nam illa inseparabiliter annectitur ipsi Ordini seu characteri Sacerdotali, saltem completo: hunc autem habere potest, & habet puer validè ordinatus ante usum rationis. Nec deest jurisdictio: nam quando proprius Sacerdos est ignorans, quamvis per se non possit licitè hoc judicium exercere, potest jurisdictionem suam alteri delegare, & cùm primum depulerit illam ignorantiam, jam poterit etiam licitè per seipsum absolvere; idemque est in delegato. Igitur jurisdictio absolutè datur, & non quasi respectivè ad ea tantùm peccata, ad quæ Confessor habet scientiam proportionatam, nam esset hoc valde periculosum & nocivum. Ita Suarez sup. n. 13.

Multi Sacerdotes validè absolvunt.

Nonne Trident. sess. 14. c. 6. docet: *Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritûs sancti, in Ordinatione collatam, tamquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere, eosq; prave sentire, qui in malis Sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt?* Et can. 10. *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere &c. anathema sit.* Si illi Sacerdotes validè absolvant, tametsi illicitè, ùt constat ex alibi dictis; quid ni etiam possint validè absolvere, quamvis illicitè, Sacerdotes, qui ignorantiâ discretionis peccatorum mortalium & venialium tenentur? Non facilè ostendes disparitatem.

Concil. Trid.

Quin immò, inquis, facillimè; nam in uno casu est vera Confessio, in alio non; quippe perinde est peccatum non percipi à Confessario, ac non dici à pœnitente, ùt patet in illo, qui confitetur dormienti vel ignoranti idioma. 54.

Aliud est non percipi peccatum à Confessario, aliud non discerni.

Respondeo; aliud est non percipi peccatum à Confessario, aliud non discerni. Et quidem si nullatenus percipiatur, nequidem quantùm ad ipsum factum, vel quia Confessarius surdus est, vel quia dormit, aut omninò distractus, vel quia ignorat idioma, perinde est, peccatum non percipi à Confessore, ac non dici à pœnitente; & ideo talis Confessarius invalidè absolvit, saltem directè ab illis peccatis; indirectè posset absolvere, si saltem perceperit peccatum in genere. At verò in casu proposito, tametsi Confessarius non percipiat peccatum quantùm ad suam gravitatem, ratione ignorantiæ juris; equidem pœnitens declaravit integrum factum uniuscujusque peccati, & illud etiam percepit Confessor; quid ni ergo validè & directè ab illo absolvat? Directè, inquam, id est, ita, ut postea non teneatur pœnitens idem peccatum iteratò confiteri; tametsi jam constet de ignorantia prioris Confessarii. Ita docet Suarez suprà n. 14. Henriquez, Lugo, Dicastillo, & Alii.

In articulo mortis tenetur pœnitens confiteri Sacerdoti ignaro omnia peccata in specie & sigillatim. 55.

Confirmatur primò; quia in articulo mortis tenetur pœnitens omnia illa peccata confiteri tali Sacerdoti; ergo ea confitendo satisfacit suæ obligationi; ergo non est iteranda talis Confessio; & hoc ideo, quia illa sufficit, ut talia peccata directè & per se per Absolutionem tollantur; ergo etiam extra illum articulum talis Confessio est sufficiens ad directam Absolutionem.

Confessarius potest directè absolvere à peccatis, quæ nequit discernere.

Confirmatur II. quia si Confessarius sit doctus, sciens discernere in communibus peccatis, quamvis aliqua minus communia ignoret, & apprehendat ùt venialia, cùm sint mortalia, nihilominus directè ab his absolvit; ergo idem est dicendum de omnibus à paritate rationis; quia omnia æquè sunt de necessitate Confessionis. Ita communiter argumentantur Auctores, suprà allegati pro nostra Conclusione.

Sententia Hiquei, peccata absoluta in necessitate absque discretione Confessarii, denuò esse confitenda Sacerdoti docto. 56.

Verùm enimverò qui contrarium sustinent, inter quos Hiquæus in suo Comment. 4. dist. 19. q. un. n. 11. ubi docet, extra casum necessitatis Sacerdotem ignarum invalidè absolvere, consequenter facilè admittent, sicut hic Auctor admittit n. 17. peccata sic absoluta in necessitate, absque discretione Confessarii, denuò confitenda esse Sacerdoti

doti docto: quia, inquit, essentialia Sacramenti, quæ spectant ad integritatem ejus, variantur in casu necessitatis, ita ut sinè aliquibus Sacramentum esset nullum aliàs, sinè quibus in articulo necessitatis est ratum Sacramentum, ùt patet de Confessione integrâ, à qua plures casus excusant, sicut & à Confessione vocali, ùt quando quis amisit usum loquelæ, & per nutus petit Absolutionem. Hæc ille.

57. Contra quam arguitur 1. Sed supponit falsum; Confessionem per nutus non esse ratam extra necessitatem, similiter Confessionem non integram, ex hypothesi, quòd confitens per nutus, vel non integrè, propter bonam fidem non peccet mortaliter. Alioquin Sacramentum est nullum, non defectu Confessionis, sed defectu Contritionis. Ergo similiter in casu præsenti.

Arguitur 2. Deinde; consequenter hi Auctores admittere deberent, tali casu, id est, in necessitate, Sacerdoti ignaro non esse declaranda peccata in specie & sigillatim, sed sufficere Confessionem in generali: ad hoc enim necessaria est Confessio peccatorum in specie & sigillatim, ut pœnitens ab illis directè absolvatur, ubi ergo non potest absolvi, non videtur esse talis obligatio.

Arguitur 3. Denique; concedendum foret, nullo casu Confessarium absolvere posse directè ab aliquo peccato, quod non potest discernere grave sit, an leve; & per consequens illud non esse tali Confessario declarandum: similiter non esse declarandam circumstantiam, quam Confessarius non potest discernere, an mutet speciem &c.

58. An peccata dubia directè absolvantur. Si dixeris; tenetur pœnitens confiteri peccata dubia in specie & sigillatim, tametsi non possit ab illis directè absolvi.

Respondeo; eadem est difficultas, & ideò Multi docent, Confessarium directè absolvere à peccatis dubiis, ita ut quamvis postea reperiantur certa, non debeant iteratò declarari.

Deinde; non tenetur peccatum dubium confiteri, nisi ùt dubium, & ùt tale directè absolvitur, ut sic loquar; in nostro autem casu debent, secundùm communem sententiam, illa peccata in specie & sigillatim declarari Sacerdoti ignaro, tamquam certa & indubitata; ergo ùt talia possunt directè absolvi, vel si non possint, cur erit obligatio taliter confitendi? Hæc maturè expendantur.

59. Prima ratio Hiquæi, propter quam docet oppositum nostræ Concl. Interea subscribo rationes Hiquæi, propter quas tenet oppositum nostræ Conclusionis. Prima talis est: Nequiret Sacerdos dato casu, quo ei non daretur clavis scientiæ, absolvere validè; ergo similiter in eo casu, in quo clavis scientiæ caret suo fine: sed in Sacerdote ignaro caret suo fine, qui est cognitio peccatorum & status pœnitentis in ordine ad ferendam debitam sententiam; ergo &c.

Confirmatur. Confirmatur ex judicio humano, in quo Iudex debet procedere secundùm allegata & probata, ita ut aliter judicando, sententia nulla sit; præsertim si non sit Iudex supremus, sed inferior, qui debet conformari Iudici superiori, ùt contingit in judicio sacramentali.

Nec sufficit sola apprehensio criminis, sed requiritur discretio de ejus qualitate, in eo saltem gradu, quo debet secundùm legem puniri pœnâ judiciali, aut absolvi reus, judicando similiter eum non esse dignum pœnâ: ergo in proposito debet esse possibilitas in Confessario judicandi de crimine secundùm discretionem aliquam de ejus qualitate, in eo saltem gradu, quo debet secundùm legem puniri pœnâ sacramentali.

60. Secunda ratio. Oportet etiam cognoscere dispositionem pœnitentis, per quam fit dignus absolvi; quia non solùm Confessio est materia vel quasi materia pœnitentiæ, sed etiam Contritio & Satisfactio, & Contritio magis exigitur, quàm Confessio; quia in omni casu necessaria est Contritio, licèt Confessio non sit necessaria, saltem verbalis & in specie.

Tertia ratio. Deinde, potestas ligandi maximè respicit Satisfactionem; quia subtrahere Absolutionem; non tam est ligare de novo, quàm relinquere ligatum in suis peccatis: obligare autem ad Satisfactionem, est inducere novum onus, ad quod obligat Clavis. Debet ergo Confessarius esse habilis ad ligandum reum per Satisfactionem, ut possit uti Clave potestatis; sed qui neque statum rei discernere potest, neque peccata, nequit imponere Satisfactionem, ùt lege ipsi est præfixus terminus utendi suâ potestate; ergo nequit validè procedere. Hucusque Hiquæus n. 11. & 12. aliquibus omissis & mutatis brevitatis & claritatis gratiâ.

61. Responsio. Respondeo paucis verbis; quamvis hæc omnia requirantur ad bene esse judicii sacramentalis, id est, ut Confessarius non peccet administrando Sacramentum Pœnitentiæ, equidem ut valeat ejus sententia, non satis probantur esse necessaria: nam imprimis Satisfactio non est nisi pars integralis, in tantum, ut Absolutio valeat, etsi Sacerdos ex malitia vel oblivione nullam omnino imponeret: cur ergo non valeat, dum ex ignorantia imponit improportionatam delicto?

Valet Absolutio nullâ impositâ satisfactione.

Solvitur objectio. Quia, inquis, non est habilis ad imponendam proportionatam. Distinguo; in actu secundo, transeat; in actu primo, nego; id est, habet potestatem imponendi pœnitentiam proportionatam, quamvis per accidens, defectu ignorantiæ, non possit exire in actum. Sicuti dum pœnitens est impotens ad satis-

ad satisfaciendum, per quam impotentiam non impeditur valor Absolutionis.

Si dixeris; una impotentia tenet se ex parte pœnitentis, alia ex parte Confessarii. Fateor, sed tuum est probare, quòd una magìs repugnet valori sententiæ, quàm alia. Hoc certum est, Satisfactionem non esse necessariam ad valorem sententiæ.

62. Cognitio Contritionis non est necessaria ad validam absolutionem.

Quantùm ad Contritionem; quamvis hæc sit pars quasi essentialis, & magìs necessaria, quàm Confessio verbalis & in specie, atque tam necessaria, quàm Confessio simpliciter: attamen cognitio ejus non est necessaria ad validam Absolutionem, bene ad Absolutionem licitam; ac proinde, estò Confessarius putaret, me non esse contritum, si nihilominus velit facere totum, quod potest, valet Absolutio, si verè contritus sum.

Neque cognito validè confessionis.

Et idem dico de ipsa Confessione; estò Confessarius judicaret invalidam Confessionem, quæ tamen à parte rei valida est, si habeat intentionem absolvendi, casu quo Confessio valeat, dico, Absolutionem valere, non obstante errore speculativo Confessarii.

Dico; *Errore speculativo*, quia non potest habere intentionem efficacem absolvendi, nisi judicet practicè pœnitentem contritum & confessum, id est, nisi judicet fieri posse, ut, non obstante suâ opinione, pœnitens reverà sit cõtritus & confessus, nisi fortè quis adeò stupidus esset, ut putaret, se posse absolvere, etiam non contritum & confessum; & tali casu adhuc foret necessaria intentio generalis, non exclusiva Contritionis & Confessionis.

63. Valet Baptismus collatus cum errore speculativo circa materiam.

Sicuti, si quis baptizaret cum aqua, quam putat rosaceam, & tamen est aqua naturalis, si intendat facere totum quod potest, id est, baptizare sive sit aqua rosacea, sive naturalis, certum est, quòd Baptismus valeat, non obstante illo errore speculativo; imò etsi putaret aquam rosaceam esse veram materiam, dummodo habeat intentionem generalem, sive non exclusivam veræ materiæ.

Cognitio materiæ non est necessaria, nisi ad formandam intentionem.

Igitur cognitio materiæ non est necessaria, nisi fortè ad formandam veram intentionem administrandi Sacramentum, quæ tamen, ùt jam ostendimus, potest subsistere, etsi speculativè minister erret, judicando materiam, quæ talis non est: quia ab ipsius judicio vel cognitione non dependet, ut aliquid sit vel non sit materia Sacramenti. Unde, secundùm Omnes, non valet Absolutio, si reverà pœnitens non est contritus vel confessus, estò Confessarius eum judicet contritum & confessum.

64. Non est in omnibus argumentandum à judicio humano ad sacramentale.

Neque in omnibus argumentandum est à judicio humano, ad judicium sacramentale, ut non semel in præcedentibus clarè demonstratum fuit, & in præsenti casu declaratur; quippe in judicio humano multùm interest boni communis & particularis, si Iudex sinè debita cognitione causæ validè possit judicare, & ideò debet procedere secundùm allegata & probata, ne alioquin sæpè injustè privet aliquem vitâ, honore, bonis temporalibus &c.

Iudex humanus sinè debita cognitione causæ non potest validè judicare;

Alioquin in merè favorabilibus, in quibus non agitur de præjudicio tertii, sententia videtur valere, juxta illam opinionem, quæ docet, dispensationem in lege absque justa causa esse validam, & magìs absque cognitione causæ, quæ tamen reverà subest, estò sit illicita. Quid ni ergo valeat sententia sacramentalis, quæ est merè favorabilis, si pœnitens legitimè sit dispositus, quamvis Confessarius id ignoret?

nisi fortè in merè favorabilibus,

Si replicaveris: fit præjudicium Deo, si non imponatur congrua Satisfactio. Responsio patet, nimirum illud præjudicium tale quale est (quia Deo remanet jus suum puniendi, si non congruè peccatum puniatur per Sacerdotem) non invalidat sententiam, ùt constat, quando ex malitia vel oblivione nulla omnino imponitur Satisfactio.

Replicæ solvitur.

65. Respondetur ad 1 rationem Hiquæi.

Quid ergo ad principale argumentum Hiquæi suprà: Nequiret Sacerdos dato casu, quo ei non daretur Clavis scientiæ, absolvere validè? Respondeo ex Scoto, præcedenti Conclusione allegato: *Posset Deus de potentia absoluta alicui, habenti voluntatem obliquabilem, committere auctoritatem sententiandi sinè cognitione in causa; de potentia autem ordinata, sive de facto, committitur utrumque cuilibet Sacerdoti* &c.

Clavis potestatis per se sufficit ad validè absolvendum.

Itaque de facto, si non daretur Clavis scientiæ, nequiret Sacerdos absolvere validè, non præcisè defectu Clavis scientiæ, sed defectu Clavis potestatis, quæ de facto non committitur sinè Clavi scientiæ. Ergo quando Clavis scientiæ caret suo fine, Absolutio est invalida; Neg. Conseq. quia propterea non caret Sacerdos Clave potestatis, quæ sola per se sufficit ad validè absolvendum. Quòd autem Deus limitaverit illam potestatem ad casum; in quo invenitur illa actualis discretio Sacerdotis, nisi necessitas cogat; vel quòd Ecclesia sic limitaverit suam jurisdictionem, Hiquæus quamvis supponat, attamen non sufficienter probat, & ideò non credimus ei.

Ecclesia non solet dare jurisdictionem nisi Sacerdoti discreto.

Verum est, quòd Ecclesia non soleat dare jurisdictionem, nisi iis, de quorum discretione per prævium examen constat; interim si per errorem vel deceptionem alicui indiscreto daret, vel si quispiam discretus, quando jurisdictionem accepit, fieret ignarus, & perderet totam suam discretionem actualem, dico, propterea non perdere suam jurisdictionem, semel legitimè acceptam, nisi expresso jure id statuatur, quod jus hactenus nemo vidit.

66. Objectio Hiquæi.

Dices cum Hiquæo suprà n. 13. Si reus non confiteretur integrè sua peccata in specie,

ſpecie, Abſolutio eſſet omnino invalida, ex defectu ſubſtantiali actûs prærequiſiti ad ſententiam: ergo ſimiliter, ſi Sacerdos illa peccata in ſpecie non cognoſcat; quia juxta Trident. ſeſſ. 14. c. 5. *Conſtat, Sacerdotes judicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuiſſe.* Rationem ſubdit, ſeu potiùs declarat, quænam ſit illa cognitio cauſæ requiſita: *Neque*, inquit, *æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe* &c.

Trident.

Solvitur.

Reſpondeo ad Antecedens; Abſolutionem tali caſu eſſe omnino invalidam, quia reus non confitendo integrè, quando commodè poteſt, peccat mortaliter, adeoque deficit pars quaſi eſſentialis, ſcilicet debita Contritio, ùt ſuprà oſtendimus. Sin autem non peccet mortaliter, quia v. g. non poteſt commodè integrè confiteri, vel bonâ fide exiſtimat illam integritatem non eſſe neceſſariam, Abſolutio valet; eſtò Confeſſarius non procurans integritatem, poſſet mortaliter peccare, ſed peccatum Confeſſarii, ùt ſuperiùs adhuc dixi, non poteſt invalidare ſententiam, quando aliunde adſunt partes eſſentiales, & quaſi eſſentiales.

Peccatum Confeſſarii non poteſt invalidare ſententiam, quando adſunt partes eſſentiales.

67. *Trident. requirit cognitionem cauſæ non ad validè ſed ad licitè miniſtrandum.*

Itaque Concil. requirit illam cognitionem cauſæ, non ad valorem Sacramenti, quia ſupponit in eodem capite Confeſſionem aliquando poſſe eſſe materialiter non integram, ſed ad licitè Sacramentum hoc adminiſtrandum. Patet; quia, ſecundùm Omnes, ùt non ſemel dixi, abſque ulla Satisfactione validè adminiſtratur; ergo etiam ſinè Satisfactione condigna, ad quam tamen imponendam requiritur explicatio ſpeciei & numeri peccatorum. Illud autem totum obſervatur in caſu propoſito ex parte pœnitentis; ſupponitur enim quòd explicet ſpeciem & numerum peccatorum, quamvis Sacerdos, ob ſuam ignorantiam, non poſſit diſcernere unam ſpeciem ab alia.

Qui confitetur Sacerdoti ignaro ſpeciem & numerum peccatorũ, aliter confitetur, quàm ſi in genere, diceret, ſe peccaſſe.

Unde falſum eſt, talem non aliter confiteri, quàm ſi in genere diceret, ſe peccaſſe; per accidens enim eſt, quòd Sacerdos intelligens ſubſtantiam rei, nequeat diſcernere peccatum mortale à veniali, peccatum hujus ſpeciei à peccato alterius ſpeciei.

Superior ſinè cognitione cauſæ validè diſpenſat.

Confirmatur à ſimili. Si quis petat diſpenſationem (quæ & ipſa eſt actus juriſdictionis) & ex propria culpa alleget vel taceat ea, quæ de jure non deberet allegare vel tacere, diſpenſatio eſt nulla: & tamen ſi Superior etiam ſinè ulla cognitone cauſæ diſpenſaret, eſſet diſpenſatio valida, ſaltem ſi juſta cauſa ſubſit; ergo ſimiliter in caſu propoſito valida erit Abſolutio, ſi non ſinè omni omninò cognitione cauſæ; quia requiritur ſemper aliqua Confeſſio, & per conſequens aliqua cognitio cauſæ, certè ſinè cognitione peccatorum in ſpecie & ſigillatim.

Ex quibus omnibus tandem concludo cum Suario ſuprà n. 18. & Aliis, in duobus tantùm caſibus teneri pœnitentem, moraliter loquendo, ad iterandam Confeſſionem ob imperitiam Confeſſoris: Primò, quando novit illum eſſe ita imperitum, ut ſuam conſcientiam dijudicare non ſufficeret, & nihilominus, ut effugeret juſtum judicium, illi confeſſus eſt. Secundò, quando in ipſa Confeſſione intellexit ſufficienter Confeſſorem non percipere gravitatem delicti, & nihilominus ſimpliciter, & ſinè ampliori inſtructione confeſſus eſt, cùm facilè potuiſſet ipſum ampliùs inſtruere. Ratio; quia in his duobus tantùm caſibus peccat pœnitens mortaliter ob imperitiam Confeſſoris, & per conſequens Abſolutio eſt invalida defectu debitæ Contritionis; ergo Confeſſio iteranda.

68. *Duo caſus, in quibus tenetur pœnitens ad iteratam Confeſſionem ob imperitiam Confeſſoris, Suarez.*

Et verò quòd in illis duobus caſibus pœnitens peccet mortaliter, eſt communis ſententia: tenetur enim pœnitens facere quod in ſe eſt, ut Sacerdos juſtè judicet. Licèt ergo, per ſe loquendo, pœnitens non teneatur explicare quaſi in actu ſignato ſuam culpam eſſe mortalem, ſed ſufficiat ſpeciem ejus & materiam ac quantitatem, ſi magna ſit, declarare (nam per hoc quaſi in actu exercito ſatis explicat, ſuam culpam eſſe mortalem) neque teneatur, per ſe loquendo, præſumere de Confeſſario publicè expoſito, illum eſſe adeò ignorantem, ut nequeat diſcernere peccatum mortale à veniali &c. equidem ſi hìc & nunc conſtet aliquem eſſe talem, omnes DD. agnoſcunt obligationem, vel hujuſmodi non accedendi, vel ampliùs inſtruendi, extra caſum neceſſitatis.

Tenetur pœnitens facere quod in ſe eſt, ut Sacerdos juſtè judicet.

Pro fine adjicio; non eſſe eandem rationem illius Confeſſionis, quæ fit Confeſſario dormitanti, vel planè diſtracto; adeò ut nequidem intelligat ſeu percipiat peccata pœnitentis quo ad ſubſtantiam actûs; hæc enim iteranda eſt, eſtò nullum peccatum mortale ex parte pœnitentis interceſſerit; iteranda, inquam, vel ex toto, ſi poſtea conſtet toto tempore dormiviſſe, ita ut nullum omnino peccatum intellexerit; vel ex parte, ſi poſtea conſtet aliqua intellexiſſe, & aliqua non, & pœnitens certò ſciat, quæ peccata non intellexerit, & quæ intellexerit.

69. *Confeſſio quæ fit Confeſſario dormitanti vel planè diſtracto iteranda eſt.*

Nam ſi dubitet de omnibus, omnia repetet; quia conſtat de peccato, & dubitatur de Confeſſione, quo caſu, ùt diximus Sect. 8. Concl. 4. per ſe loquendo obligat præceptum Confeſſionis. Sin autem ſolùm dubitet de aliquo peccato in genere, v. g. 100. peccata confeſſus fuit, & conſtat Confeſſarium omnia percepiſſe, uno excepto, neſcitur autem quod illud ſit, exiſtimo cum Lugone diſp. 16. n. 607. & Aliis, non eſſe repetenda omnia & ſingula peccata prioris Confeſſionis, quia de nullo in particulari eſt morale dubium, id eſt

Quid ſi Confeſſarius intellexerit omnia peccata præter unum, neſcitur autem quod illud ſit &

Lugo.

id est, tale dubium, quod obliget cum tanto onere repetere omnia illa peccata, à quibus aliquis jam directè est absolutus.

Accusat se de peccato in genere.

Quid ergo? Accuset se de peccato in genere dicendo: Unum peccatum non intellexit Confessarius, non scio quod illud fuerit, ac proinde de illo me accuso, uti possum.

70. An debeat addere: *Illo tempore confiteri solebam tales species peccatorum?* Lug. Dicastillo. Arriaga.

Sed nunquid debet addere: *Illo tempore confiteri solebam tales species peccatorum?* Affirmat Lugo suprà nu. 610. Sed Dicastilloni disp. 8. nu. 101. hæc obligatio videtur aliquantulum dura. Et Arriaga disp. 35. n. 9. ait, hanc obligationem esse valde gravem; quia, inquit, tunc pœnitens ille valde multùm cogeretur de suis antiquis peccatis dicere ei secundo Confessario. Interim nihil resolvit. Dicastillo autem resolvit dicens: Nihilominùs satis probabilis est ea doctrina, & ea obligatio tot peccata explicandi, videtur esse per accidens.

Sententia Dicastillonis.

Respondeo; etiam obligatio explicandi omnia & singula peccata videtur esse per accidens, & tamen quia nimis dura, nolumus eam imponere pœnitenti. Quid enim si centum species peccatorum confiteri eo tempore solebat, cur magis illas centum species tenebitur explicare, quàm omnia & singula peccata illius Confessionis? Non video magnam differentiam.

71. Sententia Arriagæ.

Et quod ego dico de 100. peccatis, hoc Arriaga reducit ad 10. vel 20. Si constaret, inquit, mihi, mediam partem, aut ampliùs, non fuisse ab eo auditam, facilè admitterem obligationem hanc; at propter unum dubium obligare ad dicenda secundò decem vel viginti peccata, videtur satis grave onus: unde non nisi ad se accusandum in communi, modo paulò ante dicto, eum obligarem. Hæc ille.

Sententia Lugonis.

Lugo autem n. 609. Si in Confessione, inquit, generali scires, unum peccatum non fuisse à Confessario auditum, propter somnum, & nescires quod peccatum esset, non deberes repetere omnia peccata, quia non potes in tanta multitudine de singulis prudenter dubitare. Secùs esset, si in Confessione brevi scires id evenisse: quia jam tunc posses de singulis peccatis in illa Confessione dictis prudenter dubitare, an fuissent à Confessario audita.

72. Explicatur exemplo invalidi Baptismi unius hominis ulcujus civitatis.

Quæris à me, quid Lugo intelligat per Confessionem brevem? Si (inquit ille n. 608.) ego ex revelatione scirem esse unum hominem Romæ, qui existimat se baptizatum, & tamen non est verè baptizatus; non ideò deberem, aut possem licitè baptizari sub conditione; quia hic & nunc non habeo sufficiens fundamentum ad dubitandum prudenter de meo Baptismo. Alioquin omnes deberemus iterùm baptizari & ordinari, quia certum moraliter est, inter Christianos aliquem vel aliquos reperiri, qui vel ex defectu intentionis, vel materiæ, vel alia de causa verè baptizati non sunt, vel ordinati. Cæterùm in tanta multitudine id non generat dubium morale, respectu hujus hominis in particulari.

Aliud simile.

Sicut ex eo, quòd aliquis soleat repentè mori, non generatur morale dubium de morte hujus hodierna, qui nunc bene valet: alioquin teneretur sub peccato mortali statim confiteri, ne exponeret dubio morali suam salutem æternam.

Quando autem certum esset, unum ex decem, vel viginti hominibus, non esse baptizatum, possent & deberent omnes & singuli baptizari sub conditione: quia tunc de singulis possemus aliquo modo prudenter dubitare, an essent baptizati. Hactenus Eminent.

73. Quando constat unum ex 10. vel 20. peccatis non esse perceptum à Confessario secundùm Lug. omnia & singula sunt iterato confitenda.

Ac proindè, secundùm ipsum, quando certum esset unum ex decem vel viginti peccatis non esse directè absolutum, quia non perceptum à Confessario, propter somnum vel distractionem, deberent omnia & singula peccata iteratò subjici Clavibus Ecclesiæ; quia de singulis possemus aliquo modo prudenter dubitare, an essent directè absoluta.

Quidquid sit de Baptismo & Ordinatione, quæ sunt Sacramenta initerabilia, & ideò non possunt, multò minùs debent iterari sub conditione, nisi urgeat necessitas. Et ex alia parte parvum onus est, iteratò illa Sacramenta sub conditione recipere. Sanè Sacramentum Pœnitentiæ ex se iterabile est, & ideò etiam absque ulla necessitate sæpiùs iteratur, non sub conditione, sed absolutè, id est, eadem peccata, iteratò absolvuntur eodem modo, ac si nunquam forent absoluta.

74. Alius videtur illud onus esse nimis grave.

Interim ex alia parte hæc iteratio non fit sinè magno onere pœnitentis, ut proinde, licèt dubium in casu proposito per se sufficeret, ad imponendam obligationem iteratæ Confessionis; equidem onus & difficultas, videtur Aliquibus sufficiens ratio, ad excusandum pœnitentem ab illa obligatione, cùm aliæ plures causæ excusent à materiali integritate Confessionis, propter quam tamen solam, illa iterata Confessio foret necessaria: nam, ut supponitur, prior Absolutio fuit valida, & per consequens omnia omninò peccata sunt remissa, saltem indirectè.

Parvum onus est, confiteri peccatum mortale in communi.

Cùm autem parvum onus sit confiteri peccatum mortale in communi, & certus sit pœnitens, aliquod mortale in communi non fuisse intellectum, quid ni teneatur illud confiteri? Sicuti quando commisit aliquod peccatum mortale, & non recordatur cujus speciei, communi calculo tenetur illud dicere in communi.

Objectio solvitur.

Nec obstat; quod in casu Baptismi suprà proposito nullus possit baptizari, quia homo in communi non est subjectum capax

Baptismi, sicut peccatum in communi est materia Confessionis.

75. Quid si aliquis fecerit plurimas Confessiones, & scit unam non fuisse validam?

Cæterùm jam dicta applicari possunt simili casui; quando aliquis plurimas fecit Confessiones, & scit unam non fuisse validam, nescit autem in particulari, quæ illa sit. Videtur, inquam, tali casu non esse obligationem repetendi omnes illas Confessiones, quia non est morale dubium de singulis in particulari: sed satis erit accusare se in genere de peccatis, quæ in illa Confessione sunt dicta, quæ pro tunc determinari non possunt. Ita Lugo suprà n. 609.

Et à fortiori, si determinatè scias, quæ Confessio fuerit invalida, non erit necessarium intermedias Confessiones repetere bonâ fide factas, nec enim hæ fuerunt invalidæ, ùt suppono. Sufficiet ergo repetere Confessionem, quam scis fuisse invalidam. Sin autem omnes repetere placuerit, utì & omnia peccata, quando Confessarius dormitabundus unum non intellexit, per me licet, de bono opere non lapidaberis, sed tantò securior eris de remissione tam culpæ, quàm pœnæ.

Ad alia, quæ magìs propria sunt huic loco, calamus festinat; & quærit, utrùm præter potestatem Clavium, de qua hactenus egimus, requiratur ad validam Absolutionem jurisdictio? Respondet autem:

CONCLUSIO III.

Ad validè absolvendum, præter potestatem Clavium, requiritur Iurisdictio, quæ est vera Superioritas.

76. Quibus verbis detur Sacerdoti potestas Clavium.

POtestas Clavium datur cuilibet Sacerdoti in sua Ordinatione hisce verbis: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.* Sic enim lego in Pontificali Romano: *Quo finito* (Symbolo Apostolorum) *Pontifex cum mitra sedens super faldistorium, ante medium Altaris, imponit ambas manus super capita singulorum* (Sacerdotum) *coram eo genu flectentium, dicens cuilibet: Accipe Spiritum sanctum quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.*

Ioan. Hessel. Ex quo convincitur, errasse Ioannem Hesselium in suo Catechismo l. 5. c. 39. ibi: Nobis cùm in Sacerdotes ab Episcopis ordinamur, non dicitur: *Quorum retinueritis peccata, retenta sunt*; sed priùs tantùm: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; nisi fortè illud defuerit in alio Pontificali, quod ipse secutus fuerit.

Existimat hic Auctor, per potestatem retinendi peccata, verè & propriè intelligi potestatem excommunicandi seu ab Ecclesia separandi, quæ indubiè non competit omnibus Sacerdotibus, nec solis; ùt docet Scotus 4. dist. 19. q. 1. n. 15. sub hac forma verborum: *De 5. articulo dico, quòd in Ecclesia est duplex forus; unus secretissimus, in quo idem est accusator & reus, & ad istum pertinent Claves prædictæ* (scientiæ & potestatis) *Est autem alius forus publicus, quia & Ecclesia habet auctoritatem corrigendi delicta publica; & ibi requiritur duplex auctoritas correspondens duplici prædictæ: sicut ad quodlibet judicium rectum requiritur cognitio in causa illa, & sententiatio. Illæ auctoritates, pertinentes ad forum publicum, possunt duci Claves. De hac potestate data Ecclesiæ habetur Matth. 18. dicente Christo Petro:* Si peccaverit in te frater tuus, *& sequitur tandem*, dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, *& sequitur*: Amen dico vobis: Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.

77. An per potestatem retinendi peccata, intelligatur potestas excommunicandi.

Ecclesia habet Clavem judicii publici.

Matth. 18.

Ex quo patet, quòd Deus approbat solutionem & ligationem Ecclesiæ, factam in foro publico, quam qui contemnit, habendus est sicut Ethnicus & Publicanus. In hoc foro claudituR Ecclesia, scilicet communio fidelium, per excommunicationem, & aperitur per Absolutionem ab excommunicatione, seu reconciliationem.

78. Deus approbat solutionem & ligationem Ecclesiæ in foro publico.

Ex hoc patet, quòd istæ Claves non sunt eadem cum prioribus Clavibus: quia istæ separatæ ab illis; utpote in habentibus jurisdictionem secundum ordinationem Ecclesiæ sine Sacerdotio, ùt in Archidiacono, & quibusdam aliis habentibus jurisdictionem, secundum ordinationem Ecclesiæ, sine Ordine Sacerdotali, & è converso, ùt est in quibusdam, scilicet in communibus Sacerdotibus, quibus non est data hæc potestas excludendi ab Ecclesia, vel reconciliandi.

Nec omnibus; nec soli Sacerdotes habent potestatem ligandi in foro externo Ecclesiæ.

Hucusque Doctor Subtilis. Optimè conveniens cum Hesselio in eo, quod docet, nec omnes, nec solos Sacerdotes ligare, id est, excommunicare.

79. An sola potestas excommunicandi sit propriè potestas ligandi.

An autem sola potestas excommunicandi sit verè & propriè potestas ligandi, seu retinendi peccata, quæstio est de nomine, & ideo non immoror. Fatetur Hesselius D. Ambros. lib. 1. de Pœnit. c. 2. per ly *Retinere*, aut, *Ligare peccata*, intelligere impositionem congruæ Pœnitentiæ seu Satisfactionis, & plerumq; inquit, hoc DD. sic intelligunt ac loquuntur. Quid miramur? Nam etiam Conc. Trident. sess. 14. c. 8. & can. 15. sic loquitur, ùt patet ex dictis Sect. præced. Igitur hæc acceptio non debet dici impropria, ùt eam vocat Hesselius suprà, estò fortassis minùs propria foret.

D. Ambros.

Et sanè si per ista verba: *Quorum retinueritis peccata, retenta sunt*, dicta, ùt vult prædictus Auctor, soli Petro, & aliis Apostolis,

Hesselius.

tis, quos ùt Sacerdotes, ita etiam totius orbis Judices & Rectores fecit Christus; si, inquam, per illa verba data est eis potestas excommunicandi, cùm hæc verba non dicantur Archidiaconis & aliis non Sacerdotibus, per quæ verba ipsi accipiunt potestatem excommunicandi?

80. Si dixeris; non sunt necessaria illa verba, sufficit quòd per illa, vel alia detur ipsis potestas, de publicè agendis in Ecclesia judicandi, publicas in Ecclesia controversias definiendi &c.

Ecclesia illa verba: *Quorum retinueritis peccata* &c. non intelligit præcisè de potestate excommunicandi.

Respondeo; idem ego dixero; sed addo, me exinde colligere, Ecclesiam illa verba: *Quorum retinueritis peccata* &c. non intellexisse præcisè de potestate excommunicandi, cùm illa verba dicat omnibus Sacerdotibus, qui tamen non omnes habent potestatem excommunicandi. Sed hæc satis de nomine, quando constat de re.

81. Venio ad Conclusionem; quæ partim est realis, partim nominalis. De ipsa sequentia verba invenio apud Scotum suprà n. 12. *Potentia activa, cui statim correspondet passiva, & non est impedibilis, ipsa est semper potentia propinqua ad agendum: sed si est aliquâ, cui non correspondet passivum in natura statim, vel habito passivo, ipsa est impedibilis, dum est actu impedita, non est potentia propinqua, sed remota, ùt habetur à Philosopho 9 Metaph. c. 4. ubi vult, quòd activum & passivum, habentia completè potentiam activam & passivam, statim agunt: nec oportet addere, nullo exteriori prohibente; quia hoc includitur in ratione potentiæ; quod non est verum, nisi de potentia ùt dicit potentiam propinquam actui.*

Scotus,

Potentia propinqua & remota differunt, & quomodo.

Ad propositum, potestas conficiendi (verum corpus Christi) *statim habet materiam in natura, quia omnem panem triticeum, & est potestas non impedibilis; quia quandocumque aliquis attentat per eam facere in materia determinata & debita, facit. Sed si hoc modo esset de Clave; utpote quod statim corresponderet sibi pro materia peccator pœnitens, & non posset per actum alicujus alterius impediri, quin intendens uti eâ, faceret quòd facere intendit: tunc Clavis esset potestas propinqua ad absolvendum, & tunc sequeretur, quod Sacerdos ex hoc, quòd ordinatus, posset quemcumque peccatorem sibi confitentem absolvere; non quidem quod posset licitè, sed peccaret mortaliter, si hoc attentaret contra prohibitionem Superioris; faceret tamen, sicut Sacerdos prohibitus quantumcumque, si attentat consecrare, consecrat.* Ecce status quæstionis.

Potestas Clavis est remota & impedibilis.

82. Sequitur resolutio: *Sed hæc duo supposita,* inquit n. 13. *communiter non tenentur; non enim tenetur saltem primum, scilicet quòd ex Ordine habeat materiam, sed oportet aliquem subditum sibi dari, in quem habeat jurisdictionem; non solùm ad hoc, quòd ritè absolvat, sed ad hoc, ut simpliciter absolvat, quia sententia à non suo Iudice lata, est nulla. Et ita videretur etiam dicendum de secundo, quòd posset Superior ad tempus subtrahere subditum per suspensionem istius: & tunc potestas illius impediretur simpliciter, ita quòd si attentaret absolvere, non absolveret de facto.*

à Superiori scilicet, non ab ipso subdito.

Est ergo secundum sententiam istam (utique communem) *potestas conficiendi* (id est, consecrandi) *potestas propinqua: sed Clavis est potentia remota; tum quia ex hoc, quòd est Clavis in aliquo, non correspondet sibi passivum aliquod, nisi aliunde fiat sibi passivum; tum quia si est in aliquo, potest impediri per aliquem Superiorem prohibentem.*

Potestas consecrandi est propinqua inimpedibilis.

Quæris à Scoto rationem disparitatis? Continuò eam attexit, dicens: *Et ratio dissimilitudinis forte poneretur; quia à principio nulli notuit, nec ordinationi Ecclesiæ, quòd quicumque Sacerdos, quamcumque materiam consecraret; nocuisset autem, si per collationem Clavium in Ordine, quilibet Sacerdos fuisset iudex cujuscumque pœnitentis, & potuisset, quantumcumque prohibitus, exequi actum Clavis: quia in hoc iste posset facere præjudicium alii, cujus iste est subditus.*

83. Quod ergo ad rem attinet, in qua omnes Catholici conveniunt, sciendum; potestatem Clavium, quam Sacerdos quilibet accipit in sua Ordinatione, esse impedibilem saltem per Ecclesiam, prohibentem Absolutionem, in tantùm, ut Absolutio, contra eam data, non valeat, estò admittatur (prout admittit Francis. Amicus tom. 8. sui cursûs Theologici Disp. 15. Sect. 1. n. 10.) quemlibet Sacerdotem, vi suæ Ordinationis, jure divino accipere completam potestatem jus dicendi, in quæcumque peccata, sacramentaliter confessa, & in quemcumque Christianum, qui se sponte submiserit huic sacramentali judicio.

Potestas Clavium est impedibilis ab Ecclesia.

Deinde communiùs docetur, quemlibet Sacerdotem, vi suæ Ordinationis, jure divino non accipere completam potestatem, jus dicendi in quæcumque peccata, sacramentaliter confessa, & in quemcumque Christianum, tametsi sponte se submittat huic sacramentali judicio; sed insuper necessariam esse, vel applicationem materiæ, vel veram jurisdictionem; seu superioritatem, quæ est quæstio magis de nomine, quàm de re, ùt patebit ex dicendis.

Quilibet Sacerdos, vi suæ Ordinationis, non accipit completam potestatem absolvendi quemlibet Christianum.

84. Itaque quemlibet Sacerdotem, vi suæ Ordinationis, non accipere completam potestatem, absolvendi quemcumque Christianum, probatur manifestè ex Conc. Trid. sess. 14. c. 7. ubi sic ait: *Quoniam naturâ & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat ferátur: persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti Absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

Probatur ex Conc. Trid.

Ex quo ibidem infert, Pontificem & Episcopos habere potestatem, causas aliquas criminum graviores suo peculiari judicio reservandi. Hinc can. 11. *Si quis dixerit, Episcopos non*

Pontifex & Episcopus habent potestatem reservandi peccata, ex Conc. Trid.

non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideò reservationem non prohibere, quò minùs Sacerdos à reservatis verè absolvat; anathema sit.

& Florent. Simili modo loquitur Concil. Florent. in Decreto Eugenii ibi: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione Superioris.*

85. Item ex c. 2. de Pœnit. & remiss. in 6. Consonat Bonif. VIII. cap. 2. de Pœnit. & Remiss. in 6. *Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere Confessorem: ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitùs potestatem: cùm in generali concessione illa non veniant, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus. Nullâ quoque potest consuetudine introduci, quòd aliquis, præter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit absolvere vel ligare.*

& c. 12. de Pœnit. & remiss. Accedat ad cumulum Constitutio Concil. Gener. Latera. sub Innoc. III. & refertur cap. *Omnis utriusque sexûs* 12. de Pœnit. & Remiss. *Si quis alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata; licentiam priùs postulet & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare.* Ergo aliquid requiritur in Sacerdote præter Ordinationem sive potestatem Clavium.

86. Objicitur cap. 3. de Pœnit. dist. 6. Dices; sufficit, quòd non prohibeatur Absolutio; nam jura jam allegata solùm probant, quòd Superiores possint inferioribus prohibere Absolutionem aliquorum, vel omnium peccatorum, eorumque Absolutionem invalidare. Unde ab initio Ecclesiæ, quilibet Sacerdos poterat quemlibet Christianum absolvere, ùt colligitur ex cap. *Placuit* 3. de Pœnit. dist. 6. *Placuit, ut deinceps nulli Sacerdotum liceat, quemlibet, commissum alteri Sacerdoti, ad pœnitentiam suscipere sine ejus consensu, cui priùs se commisit, nisi pro ignorantia illius, cui pœnitens priùs confessus est. Qui verò contra hæc statuta facere tentaverit, gradûs sui periculo subjacebit.* Ita Urbanus II.

Ergo priùs licebat cuilibet, quemlibet ad Pœnitentiam suscipere, ac proinde sine collatione jurisdictionis, aut designatione materiæ, à Superiore facta, absolvere; atque adeò postea Ecclesiæ prohibitione tantùm factum est, ut non liceat absolvere.

87. Solutio. Resp. Neg. Conseq. quia jam pridem id fuerat prohibitum, seu potiùs jurisdictio fuerat limitatè concessa & restricta ad diœceses & loca ac personas, ùt liquidò constat ex cap. 1. 13. q. 1. sequentis tenoris: *Ecclesias singulas singulis Presbyteris dedimus: Parochias & cæmeteria eis divisimus: & unicuique jus proprium habere statuimus: ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terminos aut jus invadat: sed sit unusquisque suis terminis contentus, & taliter Ecclesiam & plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal æterni judicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat; & non judicium, sed gloriam pro suis actibus accipiat.* Ita Dionysius Papa Severo Episcopo Epist. 2.

Quando fuerint Parochiæ distinctæ. c. 1. 13. q. 1. Et Calixtus Papa scribit Epist. 2. Episc. Galliæ dicens: *Nullus alterius terminos usurpet, nec alterius Parochianum judicare, vel ordinare, aut excommunicare præsumat: quia talis judicatio vel ordinatio, aut excommunicatio vel damnatio nec rata erit, nec vires ullas habebit: quoniam nullus alterius judicis, nisi sui, sententiâ tenebitur, aut damnabitur.* Ita refertur 9. q. 2. c. 1. 9. q. 2. c. 1.

Sedit autem Calixtus Papa anno Domini 215. & Dionysius anno 262. Urbanus autem II. anno 1087. Ergo ante Urbanum II. non licebat cuilibet, quemlibet ad Pœnitentiam suscipere. Neque ante Calixtum, nisi ex tacita vel expressa Ecclesiæ concessione, quæ an aliquando fuerit, ab Aliquibus dubitatur.

88. An aliquando Ecclesia concesserit, ut quilibet quemlibet posset absolvere. Fuisse indicat Glossa in cap. 2. de Pœnit. & Remiss. in 6. dicens: *Pro intellectu hujus capitis, est præsupponendum illud quod habetur in cap.* Omnis utriusque sexûs *eo tit. in antiq. licèt olim omnes Sacerdotes receperint eandem potestatem & missam: ita quòd non erant Parochiæ distinctæ: tamen propter quasdam divisiones inter Apostolos & Discipulos, & postea inter Sacerdotes, fuerunt divisæ & distinctæ Parochiæ & territoria in foro pœnitentiali, sicut in foro contentioso.*

Estò ergo olim potuisset quilibet Sacerdos, quemlibet pœnitentem absolvere, non tamen absque potestate recepta ab Ecclesia, id est, sine collatione jurisdictionis, aut designatione materiæ à Superiore facta. Alioquin nulla hodie foret jurisdictio seu potestas delegata, sed omnes Sacerdotes haberent jurisdictionem seu potestatem absolvendi ordinariam, annexam immediatè à Christo Ordini Sacerdotali, Quod videtur contra Conc. Trident. & Florent. suprà, ubi jurisdictionem seu potestatem, necessariam ad validè absolvendum, distinguunt in ordinariam & delegatam. Trident. & Florent. distinguunt jurisdictionem in ordinariam & delegatam.

89. Si dixeris: non prohibitionem, vel sublationem prohibitionis ratione officii, esse jurisdictionem ordinariam; non prohibitionem autem, vel sublationem prohibitionis, absque respectu ad aliquod officium, fore jurisdictionem delegatam; est omninò impropria locutio, & ideò non admittenda; cùm Concilia debeant propriè intelligi, nisi aliquid obstet. Hic autem nihil obstat, quò minùs Concilia possint intelligi de jurisdictione propriè dicta, id est, de vera superioritate. Hæc Concil. intelligi debent de jurisdictione propriè dicta.

Responsio ad cap. Placuit 3. de Pœnit. dist. 6. Imprimis non obstat cap. *Placuit*, de quo jam egimus, & quod à Multis putatur non esse ad rem præsentem, quoniam, inquiunt, in eo agitur de pœnitentia solemni, non sacramentali, solumque decernitur, ut quoties aliquis ex iis pœnitentibus, commissus esset uni Sacerdoti, eam pœnitentiam illius judicio agat, nec possit, sine illius licentia, alteri

alteri se committere in eadem causa, quod extra rem est. Atque ut ageretur de Pœnitentia sacramentali, patet responsio ex dictis.

90. Occurritur objectioni desumptæ ex Ioan. 20.

Neque obstant verba Christi Ioan. 20. v. 22. & 23. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata* &c. quamvis enim generalia sint, & cuilibet Sacerdoti in sua Ordinatione dicantur; equidem ex subjecta materia colligitur, non esse generaliter intelligenda: quippe per ipsa datur potestas absolvendi; Absolutio autem est ad instar actûs judicialis, quo ab ipso, velut à Iudice sententia pronuntiatur; ergo solùm respectu illorum, qui legitimi subditi sunt: *Quoniam* (utor verbis Trident. sess. 14. c. 7.) *natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur.* Jam autem ex natura rei nullus est subditus alterius, sed superioritas ab altero tribuenda est.

Ibidem.

Quare ad alia Sacramenta, ut videant, non requiratur jurisdictio.

Ex quo patet diversitas inter hoc Sacramentum, & alia Sacramenta, quæ licèt etiam requirant jurisdictionem (excepto Matrimonio) tamen sinè ea validè administrantur, etsi illicitè: neque enim sunt actus judiciales, seu actus propriè dictæ jurisdictionis; ùt alibi diximus.

91. Objectio.

Dices; potuit Christus Sacerdotibus per se immediatè conferre in Ordinatione illam superioritatem independenter ab Ecclesia; sicuti fecit ipsos medicos ad curandos infirmos per Unctionem, absque tali dependentia; ergo &c.

Unde colligitur, Christum Sacerdotibus in Ordinatione non dare superioritatem.

Ibidem.

Respondeo; Christus multa potuit facere, quæ non fecit. Colligimus autem hoc non fecisse; quia in Ecclesia sua reliquit ordinem hierarchicum juxta illud Trident. sess. 23. can. 6. *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam, divinâ ordinatione constitutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & Ministris; anathema sit.* Porro si omnes Sacerdotes, ex sua Ordinatione, haberent omnes Christianos sibi subditos, vel saltem in foro sacramentali, jam omnes in hoc foro essent supremi Iudices & Principes æquales, absque subordinatione, quod non parùm præjudicaret perfectioni illius ordinis, in quo alii sunt Superiores, alii inferiores. Quod attinet ad potestatem curandi infirmos; hæc non dicit aliquam veram superioritatem, ùt patet in medicis corporalibus, adeòque non sequitur illud incommodum.

Quamvis ergo Christus Sacerdotibus immediatè dederit potestatem absolvendi in actu primo, ut sic loquar, haud equidem in actu secundo, nisi dependenter ab Ecclesia: quia videlicet Absolutio est actus veræ superioritatis, necessariò respiciens subditum, quem debet accipere ab Ecclesia, ùt patet ex continuo usu & praxi Ecclesiæ, quæ extendit, limitat, suspendit potestatem Ordinis dando vel subtrahendo subditos; per consequens dando vel auferendo superioritatem, necessariam ad validam sententiam.

92. Objectio.

Fateor, inquis, sed hoc totum fit prohibendo vel non prohibendo Absolutionem; nam prohibendo, subtrahit subditos; non prohibendo, dat subditos. Deinde, ut salva maneat hierarchia Ecclesiastica, sufficit, ut non omnes habeant æqualem potestatem spiritualem; ut non omnes sint Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Euangelistæ, omnes Pastores, omnes Doctores. Ut Episcopi possint Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, & alia pleraque peragere, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent: ita quippe hanc hierarchiam explicat Trident. suprà cap. 4.

Solutio.

Respondeo; non prohibere, seu tollere prohibitionem Absolutionis, omninò impropriè est dare subditos, alioquin qui excommunicatum absolvit, dat subditos; quæ est impropria planè locutio. Quid ergo facit? Respondeo; tollit impedimentum jurisdictionis, antea habitæ ab alio Superiore, quo impedimento sublato, potest jurisdictionem antea acceptam exercere. Sicuti, qui alicui injicit compedes, non tollit propriè potentiam ambulandi, neque qui solvit compedes, propriè dat potentiam ambulandi, sed ponit vel tollit impedimentum potentiæ priùs habitæ.

Qui excommunicatum absolvit propriè non dat subditos.

Quantùm ad hierarchiam Ecclesiasticam; consentio, sic eam explicare Trident. sed quid tum? Nonne potestas absolvendi spiritualis est?

93. Objectio.

Prorsùs, reponit quispiam, sed & potestas consecrandi spiritualis est, & tamen in ea omnes Sacerdotes sunt pares, absque confusione hierarchiæ Ecclesiasticæ; ergo etiam absque tali confusione poterunt esse pares in potestate spirituali absolvendi. Et certum est, pares esse in potestate Ordinis; cur non etiam possint esse pares in potestate jurisdictionis? Nonne omnes Apostoli acceperunt immediatè à Christo potestatem universalem jurisdictionis in totam Ecclesiam?

Unus Apostolus non poterat limitare potestatem alterius, sicut Pontifex limitat potestatem inferiorum Sacerdotum.

Acceperunt omninò, & ideò unus Apostolus non poterat potestatem alterius extendere, limitare, suspendere &c. Cùm ergo Pontifex de facto extendat, limitet, suspendat, invalidet sententias inferiorum Sacerdotum, signum est, quòd non acceperint omnes universalem jurisdictionem, immo nullam jurisdictionem propriè dictam; sed voluerit Christus, ad majorem subordinationem, & perfectiorem Ecclesiasticam hierarchiam, ut omnes eam acciperent à Pontifice immediatè, vel mediatè per Episcopos, aut alios Superiores.

94. Primaria

Itaque primaria, sinè qua, quantumcum-

potestas absolvendi datur à Christo immediatè cuilibet Sacerdoti.

tumcumque aliquis sit Superior, nequit validè absolvere, datur à Christo immediatè cuilibet Sacerdoti in sua Ordinatione, eodem modo, quo datur potestas consecrandi corpus Christi verum: & ideò hanc potestatem non potest Pontifex auferre, limitare, suspendere &c. Quia tamen hæc potestas judiciaria est, non judicatur autem nisi subditus; liquet profectò, hanc potestatem non posse exire in actum, nisi Sacerdos per Ecclesiam accipiat subditos, cùm ex se illos non habeat.

95. Quomodo Pontifex possit sacramentaliter absolvi.

Si inferas; ergo Pontifex non potest sacramentaliter absolvi; quia nulli subditus, sed omnium est Superior. Resp. Neg. Conseq.

Ad probationem Respondent Aliqui; Sacerdotem, quando eligitur à Papa in Confessarium, accipere immediatè à Christo suam jurisdictionem, veluti ad electionem Cardinalium, Pontifex accipit à Christo immediatè supremam potestatem seu jurisdictionem in totam Ecclesiam.

Alii respondent; Pontificem seipsum posse subjicere in foro sacramentali, sicut potest alios fideles subjicere, adeòque dare suo Confessario jurisdictionem supra se, ita ut teneatur ei obedire non minùs, quàm alii Christiani. Probant à simili: quia Respublica eligens Principem, dat ei potestatem supra se, cui proinde postea tenetur in omnibus obedire.

96. Papa non potest ab aliquo excommunicari & quare.

Si dixeris; ergo potest Papa dare alicui potestatem, ad excommunicandum ipsum Papam: Respondent Neg. Conseq. disparitas; quòd potestas illa excommunicandi tota sit à Pontifice, per consequens & ipsa excommunicatio est totaliter juris humani: Papa autem est super omne jus humanum; adeòque posset pro libito se solvere, quotiescumque vellet; neque enim à se abdicare potest hanc superioritatem sive potestatem dispensandi, revocandi &c. jus humanum, nisi abdicando à se Pontificatum.

Potestas excommunicandi tota est à Pontifice.

Alioquin posset etiam alicui irrevocabiliter dare alias plures potestates, & sic paulatim dividere Pontificatum seu Pontificiam dignitatem, quæ immediatè est à Christo concessa, & ideò non subjacet ejus dispositioni seu divisioni.

at verò potestas absolvendi à peccatis principaliter à Deo.

At verò potestas absolvendi à peccatis in Sacramento Pœnitentiæ, saltem principaliter, est à Deo, & institutum est hoc Sacramentum pro omnibus, nemine excepto; ac proinde hoc ipso quòd Pontifex est capax hujus Sacramenti, quod est institutum per modum judicii, etiam capax esse debet, ut seipsum constituat subditum, quem possit Iudex, id est, Confessarius, solvere & ligare, seu obligare & coërcere. Unde æqualiter Pontifex obligatur ad Satisfactionem ex præcepto Confessarii, ac quilibet alius pœnitens.

97. Potestas dispensandi est jurisdictionis voluntariæ; absolvendi autem jurisdictionis quasi coërcitivæ.

Ex quo patet diversitas inter potestatem dispensandi, & absolvendi; licèt enim utraque sit potestas jurisdictionis, illa tamen jurisdictionis voluntariæ & merè favorabilis, & ideò non requirit distinctionem personalem, sed potest Pontifex vel alius Superior secum dispensare; hæc autem jurisdictionis quasi coërcitivæ, & quæ non exercetur nisi per propriam sententiam, quâ dicitur jus inter partes, & idcircò requirit distinctionem personalem, cùm nemo seipsum possit cogere, neque esse Iudex in propria causa, argum. leg. *Ille*, 13. ff. ad Senatusconſ. Trebell. ibi: *Sed & si ipse Prætor hæres institutus suspectam* (hæreditatem) *dicat, ipse se cogere non poterit: quia triplici officio fungi non potest, & suspectam dicentis, & coacti, & cogentis; sed in his omnibus casibus atque similibus principale auxilium implorandum est.* Nemo seipsum potest cogere, aut esse Iudex in propria causa.

Item leg. 10. ff. de jurisdict. *Qui jurisdictioni præest, neque sibi jus dicere debet, neque uxori, vel liberis suis* &c. Et leg. unic. Cod. Ne quis in sua causa &c. *Generali lege decernimus neminem sibi esse Iudicem, vel jus sibi dicere debere: in re enim propria iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententiæ.*

Conclusio.

Itaque vel Pontifex non est capax hujus Sacramenti, vel est capax subjectionis talis, qualis requiritur ad propriè dictam sententiam, sive illa subjectio proveniat à Deo immediatè, sive ab ipso Pontifice; elige quod vis, & non errabis in Fide aut bonis moribus. Ad propositum nostrum sufficit, quòd illa subjectio, & per consequens jurisdictio Confessarii, non conferatur immediatè à Deo in Ordinatione Sacerdotis per illa verba: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata* &c.

98. Objectio est Conc. Trid.

Dices; teste Trident. sess. 14. c. 5. *Dominus noster Jesus Christus è terris ascensurus ad cælos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam Præsides & Iudices.* Et hoc non aliis verbis, quàm præallegatis ex Ioan. 20. *Accipite Spiritum S.* &c; ergo per ipsa quilibet Sacerdos in sua Ordinatione relinquitur seu constituitur à Christo Præses & Iudex, ad quem omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint: ergo potestas quæ datur in Ordinatione est vera potestas jurisdictionis seu superioritatis; & Ecclesia solùm applicat materiam ùt Scotus suprà videtur indicare.

Responsio.

Respondeo; esse quæstionem de nomine, an videlicet ista potestas, quæ datur in consecratione Sacerdotis, debeat appellari jurisdictio, & an per illam præcisè Sacerdos constituatur Iudex. Equidem negari non potest, quod Trident. ait, Sacerdotes relictos Iudices à Christo, adeòque potestatem Ordinis quodammodò vocari posse jurisdictionem.

Rogas,

99. Potestas Ordinis vocari potest jurisdictio habitualis.

Rogas, quis sit ille modus? Respondeo; vocari potest jurisdictio habitualis, seu in habitu, quam Aliqui explicant exemplo Iudicis Chartularii, id est, Iudicis, cui olim concessa erat potestas judicandi omnium, volentium se illis subjicere, causas.

Differentia inter Sacerdotem & Chartularium Iudicem.

Sed differentia est, quòd Iudices Chartularii accipiebant completam suam jurisdictionem ab ipsis Imperatoribus, & unusquisque pro libito suo poterat se illis subjicere: contrarium autem contingit in hoc Sacramento, nam completam jurisdictionem non accipit Sacerdos immediatè à Christo, sed potiùs ab Ecclesia, cujus est eligere & constituere Iudices singulorum pœnitentium, hi autem nequeunt pro libito suo quemlibet eligere.

Iurisdictio habitualis explicatur exemplo Doctoris in jure.

Ideò melius Alii explicant jurisdictionem habitualem exemplo Doctoris in jure Canonico vel Civili, qui eo ipso accipit potestatem judiciariam, hoc est, fit aptus ad ferendam sententiam, si eligatur in Iudicem. Ita ergo quilibet Sacerdos in sua Ordinatione fit aptus ad ferendam sententiam, id est, ad absolvendum à peccatis, si eligatur seu constituatur ab Ecclesia Iudex; adeòque perfectam & completam jurisdictionem accipit immediatè ab Ecclesia, dum ab ea accipit subditos, quos non acceperat immediatè à Christo in sua Ordinatione.

100. Objectio ex Scoto.

Dices; dare subditos, tantùm est applicare materiam, ùt patet ex Scoto suprà, ibi: *Non enim tenetur saltem primum; scilicet quòd ex Ordine habeat materiam, sed oportet aliquem subditum sibi dari, in quem habeat jurisdictionem.* Ergo supponit Scotus, quòd ex Ordine habeat jurisdictionem: quamvis hæc non possit exire in actum, nisi per Ecclesiam applicetur materia, id est, dentur subditi.

Absolutio,

Respondeo; etiam Scotus ibidem supponit, per collationem Clavium in Ordine quemlibet Sacerdotem non constitui Iudicem cujuscumque pœnitentis, ibi: *Nocuisset autem, si per collationem clavium in Ordine, quilibet Sacerdos fuisset Iudex cuiuscumque pœnitentis* &c. scilicet Iudex completus seu in actu secundo. Et ideò

Potestas, quæ post Ordinem ab Ecclesia datur, est vera jurisdictio.

potestas, quæ post Ordinem datur ab Ecclesia, non debet appellari mera applicatio materiæ, sed vera collatio jurisdictionis seu jurisdictio in actu secundo.

101. Superior & subditus sunt correlativa.

Probatur; quia per illam fiunt aliqui subditi hujus Sacerdotis, & hic Sacerdos constituitur Superior, cùm antea talis non esset: Superior quippe & subditus sunt correlativa, ita ut implicet aliquem fieri subditum alicujus, nisi alius fiat ejus Superior. Neque ullus in rigore loquendo est Superior vel Iudex, qui non habet subditos. Ergo, in rigore loquendo, in Ordine non datur propria jurisdictio, cùm hæc essentialiter, ut sic loquar, respiciat subditum, qui tunc non datur.

Interim negare nolumus, Ecclesiam applicare materiam; sed dicimus, illam applicationem esse veram collationem potestatis superioritatis: qui enim vult, ut Paulus sit subditus Petri, etiam vult ut Petrus sit Superior Pauli. In quo apparet manifesta disparitas inter hoc Sacramentum, & alia Sacramenta, in quibus per applicationem materiæ non tribuitur ulla potestas aut jurisdictio; utputà in Eucharistia applicatio panis & vini, non est collatio alicujus potestatis; jam enim Sacerdos supponitur cum tota sua potestate, etsi talis materia non adsit: in hoc verò Sacramento nisi sit subditus, qui datur ab Ecclesia, non habetur tota potestas necessaria ad absolvendum, quia non habetur jurisdictio seu superioritas, quod Scotus expressè concedit, ùt liquet ex verbis suprà allegatis.

Differentia inter applicationem materiæ in hoc Sacramento & in aliis.

Unde materia hujus Sacramenti, non sunt subditi, sed peccata subditorum, materia, inquam, remota; proxima verò Confessio, Contritio & Satisfactio, ùt patet ex alibi dictis. Igitur nuda applicatio materiæ Absolutionis, Confessio est peccatorum, non autem datio subditorum.

Quæ sit materia hujus Sacramenti.

102. Potestas Ordinis est quodammodo potestas jurisdictionis.

Cæterùm libenter admittimus, utì suprà admisimus, potestatem Ordinis esse quodammodò potestatem jurisdictionis; immo esse potestatem principalem, per quam directè & immediatè remittuntur peccata; hæc enim remissio fit per Absolutionem, quæ est usus Clavis, & per ministrum ex divina institutione, non per aliquam institutionem humanam Ecclesiæ; quæ non potest instituere Sacramenta.

Ne tamen hæc potestas præjudicaret jurisdictioni Ecclesiæ, voluit Christus, ut ei indirectè subjiceretur; & ideò requisivit præter potestatem Ordinis, aliam potestatem, minùs quidem principalem, equidem veram potestatem jurisdictionis & superioritatis, communicandam per Ecclesiam, quâ deficiente, Absolutio foret non solùm illicita (quidquid in contrarium asserat Armachanus & pauci alii) sed etiam invalida.

103. An Sacerdos possit dicere: *Ego auctoritate Pontificis absolvo te* &c.

Quæris à me; an ergo Sacerdos possit dicere: *Ego auctoritate Pontificis absolvo te* &c. Resp. affir. si ly *Auctoritate Pontificis* commode intelligatur de auctoritate seu potestate minùs principali: quia tamen illa verba in magis obvio sensu significant causam principalem, qualis non est potestas jurisdictionis, communicata per Ecclesiam, hinc solet dicere: *Auctoritate Dei*, vel, *Christi*, qui immediatè confert principalem potestatem absolvendi, quæ, sicut dixi, est inchoata seu habitualis jurisdictio postea complenda per jurisdictionem seu superioritatem ordinariam vel delegatam, dum per Ecclesiam subjiciuntur certæ personæ, in quas Sacerdos possit in hoc Sacramento jus dicere.

Proinde in Ordinatione sua nequidem fit Sacerdos Superior

in Ordinatione non accipit actualem & completam jurisdictionem,

Superior seu accipit subditos indeterminatè, sed dumtaxat datur illi potestas absolvendi subditos, si quos habuerit, quod non videtur sufficere, ùt jam dicatur habere jurisdictionem actualem & completam: sic quippe omnes cives possent dici jam habere jurisdictionem, quia habent potestatem exercendi illam in subditos, si eis dati fuerint: quamquam in hoc exemplo non sit omnimoda paritas, ùt patet ex dictis.

104. Qui constituitur Parochus, hoc ipso accipit completam jurisdictionem.

Aliud est, quando confertur alicui officium, v. g. Parochi; hoc ipso enim accipit actualem & completam jurisdictionem super omnes illos indeterminatè, qui jam habitant, vel aliquando habitabunt in ejus Parochia; ac proinde dum aliqui de novo veniunt habitatum, non dicitur ab illis accipere jurisdictionem, quam priùs accepit ab illo, qui fecit ipsum Parochum; sed solummodò per illam positionem habitationis, seu novam habitationem, contrahitur illa indifferentia, seu determinatur jurisdictio, quæ antea erat indeterminata, ad has vel illas particulares personas.

Hæc sufficiant pro resolutione controversiæ, ex majori parte nominali, in qua secuti sumus modum loquendi Conciliorum Tridentini & Florentini, quæ, præter potestatem Ordinis, requirunt jurisdictionem ordinariam vel delegatam. Quid autem sit jurisdictio ordinaria & delegata, dixi in præambulo hujus Sectionis. Sequitur, ut investigemus, penes quos resideat hæc vel illa jurisdictio. Dico itaque:

CONCLUSIO IV.

Jurisdictio ordinaria in totam Ecclesiam competit Pontifici Romano, idque jure divino immediatè; Episcopis immediatè jure Ecclesiastico in suam Diœcesim; Parochis in suos parochianos; Legatis à latere & Nuntiis Apostolicis respectu populorum suæ legationis. Item Generalibus & Provincialibus Religionum, ac etiam Superioribus localibus respectivè in suos subditos.

105. De prima parte hujus Conclusionis inter Catholicos nulla est controversia. Et ideò sub brevitate eam transcurram, prætereundo controversiam, quæ est cùm hæreticis, & reservando eam Tractatui de Fide, ad quem propriè spectat.

Itaque si alicui officio annexa est jurisdictio spiritualis, qualis requiritur ad validè absolvendum, indubiè annexa est dignitati Pontificiæ: dictum quippe est Petro pro se & successoribus suis Matth. 16. v. 18. & 19. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo Claves regni Cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* Et Ioan. 21. v. 17. *Pasce oves meas.* Probatur 1. pars Conclus. ex Script. Matth. 16. & Ioan. 21.

Et quomodo pasceret, si non haberet completam & perfectam potestatem absolvendi à peccatis? Igitur ex vi officii sui debetur ei jurisdictio spiritualis, necessaria ad pascendum oves Christi. Cùmque Christus nullam ovem exceperit, nec nos excipiamus; ergo debetur Pontifici ex vi officii sui jurisdictio in totam Ecclesiam, sive in omnes oves Christi.

106. Probatio ex ratione.

Et quoniam in terris non habet se Superiorem, sed omnes sunt ejus subditi, à quo acciperet illam jurisdictionem, nisi immediatè à Christo vel Deo? Certè jurisdictio non datur nisi à Superiore, quique jure proprio eam habet; Christus autem numquam potestatem Pontificiam dedit Ecclesiæ, aut aliis hominibus, excepto Petro; ergo successor Petri non potest illam accipere ab Ecclesia vel Cardinalibus vel Conciliis; si ergo eam habeat, utì reverà habet, eam accipere debet, & de facto accipit, immediatè à Christo vel Deo, hoc ipso quòd legitimè electus est.

107. Probatur auctoritate Anacleti Papæ,

Ut proinde rectè dixerit Anacletus Papa, & refertur dist. 22. c. 2. *Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis; sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit: & eminentiam potestatis super universas Ecclesias ac totum Christiani populi gregem assecuta est: sicut ipse B. Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus* &c.

& Paschalis.

Hinc etiam cap. *Significasti.* 4. de Elect. (quod est Paschalis Papæ) appositè dicitur: *Aiunt in Conciliis statutum non inveniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia nulla præfixerunt: cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.*

Item ex Conc. Florent.

Accedat definitio Conc. Florent. sub hoc tenore verborum: *Item definimus sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro*

nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum & in sacris Canonibus continetur. Quid clariùs dici poterat? Ergo de veritate primæ partis nostræ Conclusionis non est relictus Catholicis dubitandi locus.

108. Sententia, quæ docet, Episcopos immediatè à Christo habere jurisdictionem, primum fundamentum; quia sunt successores Apostolorum ducimus.

Secunda pars disputabilis est; inveniuntur enim Aliqui, qui docent, jurisdictionem Episcoporum non esse proximè à Romano Pontifice, sed à Deo seu Christo Domino.

Fundantur primò, quia Apostoli habuerunt suam jurisdictionem immediatè à Christo; sed Episcopi sunt Apostolorum successores, ùt constat ex Anacleto Epist. 2. ad Episc. Italiæ (& ponitur dist. 21. cap. 2.) ibi: *In novo Testamento post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit Ordo; quia ipsi primò Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, Domino dicente ad eum:* Tu es Petrus &c. *Hic ergo ligandi atque solvendi potestatem primus accepit à Domino, primusq; ad Eidem populum virtute sux prædicationis adduxit. Cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumq; Principem eorum esse voluerunt: qui etiam jubente Domino in toto orbe dispersi Euangelium prædicaverunt. Ipsis quoque decedentibus, in locum eorum successerunt Episcopi: quorum Ordinatio prætaxato debet fieri ordine & modo: quos qui recipit, & verba eorum, Deum recipit: qui autem spernit eos, eum à quo missi sunt, & cujus legatione funguntur, spernit; & ipse indubitanter spernetur à Domino.*

Trident. Concinit Conc. Trident. sess. 23. c. 4. ibi: *Proinde sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere; & positos, sicut idem Apostolus ait* (Paulus Act. 20. v. 28.) *à Spiritu S. regere Ecclesiam Dei.* Ergo immediatè à Spiritu sancto accipiunt jurisdictionem necessariam ad regendam Ecclesiam Dei, adeòque completam potestatem absolvendi à peccatis.

109. Secundum fundamentum, antiquissimus usus Ecclesiæ.

Fundantur II. in antiquissimo usu Ecclesiæ; nam in principio Apostoli creabant Episcopos ineonsulto Petro, & postea fiebant per electionem Cleri aut populorum, & statim censebantur esse Episcopi, sine speciali recursu ad Pontificem; vel alium hominem; ergo signum est, potestatem illam dari immediatè à Deo, factâ designatione personæ per electionem, vel alium legitimum modum, sicut de summo Pontifice diximus.

Confirmatio. Confirmatur, quia Episcopus cùm fert leges, cùm absolvit à peccatis vel censuris, non potest dicere, se istâ facere potestate sibi à Papa concessâ; sed potest & debet dicere: *Ego potestate à Christo acceptâ* &c. ergo habet illam immediatè à Christo.

110. Responsio ad 2. fundamentum, post Apostolos semper fuisse creatos Episcopos per homines.

Respondeo ad secundum fundamentum; post Apostolos semper fuisse creatos Episcopos per homines, & non immediatè à Christo, & accepisse suam potestatem aliquo modo mediante summo Pontifice: licèt enim alii Apostoli, præter Petrum, potestate sibi à Christo concessâ plures Episcopatus erexerint, ùt de se Paulus testatur (constituit enim Titum Cretæ Episcopum, Timotheum Ephesi, Dionysium Athenis) & de Joanne Euangelistâ ait Hier. de Script. Eccles. *Totas Asiæ fundavit, rexitq; Ecclesias*: nihilominùs credendum, Episcopos, ab Apostolis creatos, habuisse successores interveniente Petri auctoritate mediatè, vel immediatè: nam ordo hierarchicus Episcoporum, Archiepiscoporum, & Patriarcharum à principio Ecclesiæ incœpit, idque ex humana institutione, ut patet, cùm nullum jus divinum de hoc extet; & quia in Ecclesia perpetuò erat duraturus, non sinè auctoritate Petri procul dubio institutus est, qui caput erat totius Ecclesiæ.

S. Hieronymus.

Ordo hierarchicus Episcoporum &c. institutus est à D. Petro.

Tunc ergo in Asia & aliis regionibus remotioribus per electionem aliquam usu & tacito consensu Romani Pontificis fiebant Episcopi & superiores Prælati, & fortasse Archiepiscopi confirmabant Episcopos in Oriente & regionibus remotis; Patriarchæ autem Archiepiscopos: ipsi verò Patriarchæ à principio fuerunt per Petrum constituti, & postea auctoritate Romanæ Ecclesiæ, vel modo aliquo, ab illa præscripto, constituebantur, ùt significat Anacletus suprà cap. *In novo.* ibi: *Quorum Ordinatio debet fieri ordine & modo prætaxato*, scilicet ab Ecclesia Romana; ut proinde semper potuerint Episcopi mediatè vel immediatè creari per Pontificem Romanum.

Licèt Episcopi aliquando facti sint per electionem Cleri, potestas tamen dabatur à Pontifice.

Et licèt per electionem vel postulationem Cleri aut populi fierent; potestas ipsa semper dabatur auctoritate capitis per se vel per alios operantis, quod usque hodie servatur in Ecclesia Catholica, semperque servatum fuisse credibile est, & ex annalibus Ecclesiæ probabile.

111. Episcopi possunt uti hâc formulâ *Auctoritate mihi à Christi Vicario concessâ*.

Ad confirmationem Respondeo; etsi non soleant, posse tamen Episcopos in actibus suæ ordinariæ jurisdictionis uti hâc aut simili formulâ: *Auctoritate mihi à Christi Vicario concessâ*; sicut ordinarii Iudices aut Gubernatores Regum dicere solent: *Præcipit Majestas Regia*, vel aliud æquivalens.

Quare communiter non utantur.

Quòd ergo talis formula loquendi non fit in usu, non est, quia Episcopus eâ uti non possit, aut quia jurisdictio Episcoporum immediatè à Deo detur (prout patet in Prælatis habentibus jurisdictionem Episcopalem sinè consecratione, qui etiam tali formulâ uti non solent, quorum tamen jurisdictio, ùt Omnes fatentur, non est immediatè ex jure divino) sed fortè ad distinctionem potestatis ordinariæ à delegata; potestas quippe delegata semper est veluti quid facti, & qui illâ utitur, se habet ad modum instrumenti

actu moti & pendentis ab influxu causæ principalis; undè congruum est, ut exprimat eum, à quo est talis potestas: ordinaria verò potestas ita datur, ut postea Prælatus suo jure utatur ad modum causæ principalis, & agentis per virtutem propriam ac intrinsecam. Cur autem omnes Confessarii, sive habeant potestatem ordinariam sive delegatam, in Absolutione dicant: *Auctoritate Christi*, vel, *Dei*, vide Concl. præced.

112. Episcopatus instituti sunt à Christo, etiam quò ad jurisdictionem.

Pro responsione ad primum fundamentum, Nota; probabiliùs Episcopatus institutos esse à Christo, non solùm quò ad dignitatem Ordinis, sed etiam quò ad munus Pastorale, seu quò ad jurisdictionem: hoc siquidem ostendit Traditio Ecclesiastica, & satis patet ex verbis Apostoli citatis: *In quo Spiritus sanctus vos posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei*; maximè cùm hoc fuerit planè conveniens ad perfectum Ecclesiæ regimen.

Quomodo id sit intelligendum.

Hoc autem dupliciter intelligi potest factum esse; Primò, ut quis in Episcopum eligatur aut designetur à Papa aut Aliis, & Deus immediatè sic designato conferat jurisdictionem, sicuti de Pontifice Romano diximus; & talem Episcopum, certum est habere jurisdictionem immediatè ex jure divino.

Secundò intelligi potest, ut Christus docuerit & præceperit Apostolis, præsertim Petro, modum regendi Monarchiam Ecclesiasticam, mediis Episcopis, tamquam Pastoribus ordinariis & Principibus sub Petro; & nihilominùs quòd commiserit Petro & institutionem muneris, cum tali jurisdictione, & collationem ejus, non tantùm designando personam, sed etiam ipsam potestatem impertiendo.

Porrò talis Episcopus non habebit potestatem jurisdictionis immediatè ex jure divino, sed ex jure humano; aliud quippe est, Deum hoc præcipere, & aliud per se facere: ita namque si Rex mittens Proregem in Indiam, illi præcipiat constituere in provinciis ordinarios Gubernatores; illi verò committat & modum potestatis, illis conferendæ, & officiorum distributionem, non dicentur postea Gubernatores habuisse officium immediatè à Rege, sed à Prorege, licèt ex Regis præcepto: ita ergo erit in præsenti, positâ prædictâ institutione.

113. Probatur Conclus. ex modo loquendi Canonum.

De cætero, quòd talis fuerit Episcopatuum institutio, adeòque vera sit nostra sententia; Probatur I. ex modo loquendi Canonum; ait enim Gregorius (& refertur cap. *Decreto* 11. 2. q. 6.) *Romana Ecclesia vices suas ita aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Ubi ponderanda sunt ista verba: *Vices suas impertivit*, per quæ non significatur, alios Episcopos solùm esse Vicarios Papæ, & non proprios Pastores & Principes, sed tantùm explicatur emanatio unius Principatûs ab alio.

Cap. 2. 11. q. 6.

Item Leo Papa I. Epist. 87. ad Episcopos Viennenses (& ponitur dist. 19. cap. *Ita Dominus* 7.) loquens de potestate Petri, inquit: *Sed hujus muneris Sacramentum* (id est sanctum munus prædicationis Euangelicæ) *ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret: ut ab ipso, quasi quodam capite, dona sua, velut in corpus omne diffunderet.* Ubi ly *Ab ipso*, non solùm intelligi de persona Petri, sed de ejus etiam successoribus cum proportione, ex ipso contextu constat. Cap. 7 dist. 19.

114. Probatur 2. ratione.

Probatur II. ratione; quia hic modus institutionis Episcopatuum est convenientior ad regimen Monarchicum, quale est regimen Ecclesiæ: præterea conducit ad majorem unionem & subordinationem membrorum, etiam principalium, cum suo capite, adeòque ad majorem Ecclesiæ pacem; ergo existimandum est, Christum ita instituisse: potissimùm cùm de institutione supremi capitis cum plenitudine potestatis, constet apertè ex Euangelio; de aliis verò Prælatis, institutis ex donatione Christi, nihil habeatur: & aliunde ex usu colligi possit mutationes & erectiones Episcopatuum ad Romanum Pontificem semper spectasse.

Mutationes & erectiones Episcopatuum semper spectarunt ad Romanum Pontificem. Cap. 10. dist. 63.

Prout sumitur ex cap. *Quanto* 10. dist. 63. (quod est Gregorii lib. 2. indict. 11. Epist. 30. seu cap. 69.) ubi in fine sic lego: *Et si nulla eos diversitas ab electionis unitate disterminat, siquidem in prædicto filio nostro Constantio omnium voluntates, atque consensum perdurare cognoscit, tunc eum à propriis Episcopis, sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ auctoritatis assensu, solatiante & auxiliante Domino, facias consecrari, quatenus hujusmodi servatâ consuetudine, & Apostolica Sedes proprium vigorem retineat, & à se concessa aliis sua jura non minuat.*

Cap. 42. 7. q. 1.

Item cap. 42. 7. q. 1. (quod est ejusdem Pontificis lib. 2. indict. 10. Epist. 25.) *Pastoralis officii cura nos admonet, destitutis Ecclesiis proprios constituere Sacerdotes, qui gregem Dominicum debeant Pastorali solicitudine gubernare* &c. Et idem Pontifex lib. 2. Epist. 11. sic scribit Ioan. Episcopo Vellitrano (ut refertur eâdem causâ & q. c. 44.) *Temporis qualitas admonet, Episcoporum Sedes, antiquitus certis civitatibus constitutas, ad alia, quæ securiora putamus, ejusdem Diœcesis loca transponere.* &c. Cap 44 7. q. 1.

115. Disparitas inter Pontificiam dignitatem, & officium Episcopi.

Ex quo patet manifesta disparitas inter Pontificiam dignitatem, & officium Episcopi; nam Pontificia dignitas habet certam & immutabilem potestatem ex vi suæ institutionis; quippe ex parte subditorum & territorii est universalis, extenditurque ad universum mundum, & omnes Christianos

nos baptizatos, & indirectè ad omnes homines. Ex parte etiam actionum solvendi & ligandi est universalis hoc sensu; quia Pontifex potest, quidquid homo quispiam potest, & in omnibus his habet immutabilitatem, quia nec augeri nec minui ab hominibus potest, & ideò origo ejus rectè refertur in Deum immediatè, cùm in hominibus nulla sit potestas tanta, à qua hæc celsitudo potestatis emanare possit: at verò munus Episcopale non habet certam qualitatem aut determinationem ex vi juris divini, neque in territorio, neque in personis subdendis huic vel illi Episcopo, neque in actibus regiminis, neque in materia illorum, ùt patet ex continuo Ecclesiæ usu, quæ hæc frequenter immutavit aut imminuit; ergo &c.

116. Objectio. Dices; Episcopus ex vi juris divini habet integram potestatem jurisdictionis, nisi à Papa, qui est Superior Ecclesiæ, limitetur, & sic potestati Episcopali ex jure divino est certus aliquis modus præscriptus.

Solvitur. Sed contra facit primò; quòd ea, quæ à Deo immediatè instituuntur, debeant esse immutabilia, ùt patet in institutione Sacrificii & Sacramentorum: Secundò; quòd hinc sequatur, Episcopum ex jure divino habere potestatem in totum mundum, & in omnes homines, nisi à Papa limitetur; item dispensare posse in Matrimonio rato, si hoc Papæ non reservetur; posse deserere suum Episcopatum, nisi jure humano prohibeatur, & similia, quæ videntur incredibilia.

Cap. 2. de Transl. Epis. Ait siquidem Innocent. III. cap. *Inter corporalia* 2. de Transl. Episcop. *Cùm fortius sit spirituale vinculum, quàm carnale, dubitari non debet, quin omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, suo tantùm judicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem etiam carnalis conjugii, quod est inter virum & fœminam suo tantum judicio reservavit, præcipiens, ut quos Deus conjunxit, homo non separet.*

Spirituale conjugium quod est inter Episcopum & Ecclesiam solus Deus solvit.

Unde tandem concluditur, jurisdictionem Episcoporum, licèt remotè sit ex jure divino, quatenus Deus præcepit Petro & Successoribus, erigere in Ecclesia Episcopatus, tamen immediate & absolutè esse ex jure humano.

Jurisdictio Episcoporū est remotè ex jure divino, proximè ex jure humano.

117. Episcopi succedunt Apostolis ùt Episcopi fuerunt, non autem ùt Apostoli. Quid ergo ad primum fundamentum opositæ sententiæ, suprà propositum? Respondeo: Episcopos succedere Apostolis ùt Episcopi fuerunt, non autem ut fuerunt Apostoli. Enimverò Apostoli omnes fuerunt immediatè à Christo facti Episcopi quoad consecrationem, & quoad hanc succedunt illis omnes Episcopi: fuerunt præterea Episcopi quasi universales totius Ecclesiæ ex immediata concessione Christi, & secundùm hanc rationem non habuerunt successores præter solum Petrum, qui altiori modo Pontificatum habuit.

Aliqui Apostoli habuerunt determinatas Sedes Episcopales per determinationem humanam. Aliqui etiam Apostoli (licèt non omnes) habuerunt determinatas Sedes Episcopales, & quoad hoc non habuerunt Episcopatum immediatè à Christo, sed per determinationem humanam: sic Iacobus Alphæi creatus est primus Episcopus Hierosolymorum à Petro, ùt testatur Chrysostomus Homil. 87. in Ioan. hisce verbis: *Si quis à me pereunctaretur, quomodo Iacobus S. dem Hierosol. acceperit: responderem ego, hunc totius orbis Magistrum præposuisse Petrum.* D. Chrysost.

Similiter ipse Petrus, primus Episcopus fuit Antiochiæ, quam Sedem non immediatè à Christo habuit, sed suâ auctoritate accepit, & eâdem postea reliquit. Quoad hos ergo Episcopatus succedunt Apostolis Episcopi, propriè quidem & in rigore solùm in Ecclesiis illis; quæ aliquem ex Apostolis habuerunt in primum Episcopum, in reliquis verò solùm per quamdam imitationem vel participationem, quam habent immediatè à Petro, & non à Christo.

118. Illa verba Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis* &c. tantùm sunt promissiva. Nec obstant illa verba Christi apud Matth. cap. 18. *Quæcumque alligaveritis* &c. cùm tantùm sint promissiva, ùt est communior expositio DD. modus autem, quo talis potestas judiciaria, & jurisdictionis coactivæ spiritualis, danda foret Pastoribus Ecclesiæ, ibi non declaratur: unde licèt Episcopi habeant per Petrum hanc potestatem, nihilominùs rectè in eos congruit illud: *Quæcumque alligaveritis* &c. cum participatione & distributione accommoda. Utì etiam hæc verba Christi Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10.

Consimiliter illa Apostoli ad Rom. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* &c. Et ista ad Hebr. 13. v. 17. *Obedite præpositis vestris & subjacete eis.* Ut omittam, hæc postrema testimonia intelligi posse, & debere, de quibusvis Superioribus & Magistratibus & Principibus sæcularibus, quos tamen certum est ex institutione humana suam habere potestatem, quâ acceptâ, qui illos spernit, Deum spernit, cujus sunt ministri. Rom. 13. Hebr. 13.

119. Objectio. Rursùm objicitur: munus Episcopale est de jure divino, ergo quidquid est intrinsecè annexum tali muneri, est de jure divino (ex hoc enim colligitur, Christum dedisse immediatè Apostolis jurisdictionem, quia dedit illis Apostolatum, cui est intrinsecè annexa jurisdictio) sed jurisdictio, necessaria ad absolvendum à peccatis, est intrinsecè conjuncta cum Episcopatu, quia non potest convenienter exerceri munus Pastorale sinè tali potestate; ergo &c.

Occurritur alicui reſponſioni.

Nec ſatisfacis, ſi dixeris, Epiſcopatum eſſe de jure divino quoad conſecrationem & poteſtatem Ordinis, non verò quoad Epiſcopatum ipſum, prout includit curam & gubernationem.

Act. 20.

Contra hoc enim facit primò, quod Paulus ait Act. 20. v. 28. *In quo vos poſuit Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei* &c. Nam verbum, *Regere*, apertè dicit Paſtorale munus, & actum juriſdictionis.

Secundò; quia Epiſcopalis conſecratio confert per ſeipſam Epiſcopalem dignitatem; ergo confert juriſdictionem, ſaltem in habitu ſeu in actu primo, licèt non conferat uſum, donec applicetur illi materia; ſicut in Ordinatione Sacerdotis datur poteſtas abſolvendi, quæ eſt juriſdictio in habitu.

120. Juriſdictio non eſt intrinſecè annexa Ordini Epiſcopali.

Reſpondeo; juriſdictionem non eſſe intrinſecè annexam Ordini Epiſcopali, nec habere inſtitutionem ex jure divino, eſtò ſit generale præceptum inſtituendi & conferendi illam; quo modo ſufficienter explicantur verba Pauli Act. 20. *In quo vos Spiritus ſanctus* &c. quia videlicet Epiſcopi conſtituti ſunt ad regendam Eccleſiam, ex præcepto & voluntate Spiritûs ſancti, & non ſinè ipſius inſpiratione & cooperatione, ſicut Reges dicuntur regnare per Deum.

Sunt tamen Epiſcopi conſtituti ex præcepto & voluntate S. Sancti,

Et idcirco non eſt apta comparatio, quæ fit inter dignitatem Apoſtolatûs, & Epiſcopatûs: nam illa, ùt diximus, fuit dignitas univerſalis juriſdictionis reſpectu totius Eccleſiæ, & ab ipſo jure divino determinata ad iſtum gradum perfectionis; hæc autem non.

Petrus, Iac. & Ioan. deſignarunt Iaco. Alphæi Epiſc. Hieroſolym. *Euſebius.*

Unde legimus apud Euſebium lib. 2. Hiſt. cap. 1. Petrum, Iacobum, & Ioannem, deſignaſſe Iacobum Alphæi Epiſcopum Hieroſolymorum, nuſpiam autem legimus deſignaſſe vel hunc, vel alium, Apoſtolum; ſed hi omnes deſignati leguntur à Chriſto Luc. 6. v. 13. *Et cum dies factus eſſet, vocavit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis (quos & Apoſtolos nominavit) Simonem* &c.

Apoſtoli deſignati ſunt à Chriſto Luc. 6.

121.

Quantùm ad juriſdictionem in habitu ſeu in actu primo; eſtò poteſtas, quæ datur præcisè per conſecrationem Sacerdotis, poſſit aliquo ſenſu dici juriſdictio in habitu ſeu in actu primo, ùt vidimus Concluſ. præced. quia videlicet Abſolutio in foro conſcientiæ eſſentialiter ſupponit conſecrationem ſeu Ordinationem (quamvis enim quis habeat beneficium Parochiale, adeòque poteſtatem juriſdictionis, non validè abſolvit, niſi conſecratus) & Abſolutio eſt actus dicendi jus, & ſic poteſtas Ordinis, ratione iſtius actûs, eſt aliquo modo juriſdictiva; hinc tamen non ſequitur, poteſtatem, quæ datur præcisè per conſecrationem in Epiſcopum, poſſe dici poteſtatem juriſdictionis; nam hæ poteſtates in Epiſcopo à ſe mutuo eſſentialiter non dependent: validè enim (quamvis illicitè) Epiſcopus ratione characteris ſeu poteſtatis Ordinis ſui, confirmat, aut ordinat aliquem, ſibi non ſubditum, ùt eſt certa & communis ſententia.

Poteſtas, quæ datur præcisè per Ordinationem Epiſcopalem, non poteſt dici poteſtas juriſdictionis.

Quare hæc poteſtas poteſt eſſe ſinè ulla juriſdictione, id eſt, ſinè Epiſcopatu, ùt clarè dicitur cap. *Inter corporalia* 2. de Tranſl. Epiſc. ibi: *Cum quis Epiſcopali præditus dignitate, nullius tamen Eccleſiæ poſſit eſſe Epiſcopus, quemadmodum de illo contingit, qui oneri Pontificali renuntiat, non honori.*

Poteſtas Ordinis Epiſcopalis poteſt eſſe ſinè ulla juriſdictione. cap. 2. de Tranſl. Epiſc.

Et è contrario juriſdictio Epiſcopalis poteſt eſſe & exerceri ſinè conſecratione; poteſt namque Epiſcopus electus & confirmatus, licèt nondum conſecratus, efficere ea, quæ juriſdictionis ſunt; v. g. ferre leges, ferre ſententiam in judicio, conferre Paſtoratus & ſimilia; argum. cap. 1. de Tranſl. Epiſc. ibi: *Licet enim dictus. L. nondum fuiſſet in Archiepiſcopum conſecratus, confirmationis tamen munus receperat, & Archiepiſcopalia (quantùm ei licuit) miniſtraverat.*

122. Juriſdictio Epiſcopalis poteſt eſſe & exerceri ſinè conſecratione.

Cap. 1. de Tranſl. Epiſc.

Et cap. *Tranſmiſſam* 15. de Elect. ibi: *Reſpondemus igitur, quod ex quo electionis tuæ confirmationem accepiſti, de talibus & conſimilibus (præter ea, quæ majoris inquiſitionis diſcuſſionem exigunt & miniſterium conſecrationis deſiderant) quod juſtum eſt, & Eccleſiaſtica convenit utilitati, ſtatuendi habeas liberam facultatem.*

Cap. 15 de Elect.

Ubi Gloſſa verb. *De talibus. Scilicet pertinentibus ad juriſdictionem, putà ſicut eſt judicare, excommunicare, corrigere, juramenta recipere à vaſſallis, confirmare, inveſtire, beneficia conferre & conſimilia, quæ conſiſtunt in juriſdictione. ſup. eodem* Noſti. *inf. de Tranſl. cap. 1. hæc omnia in confirmatione conſequitur electus.*

Immo conferre poteſt Indulgentias, ùt ſentit Doctor Angelicus 4. diſt. 20. q. 1. a. 4. quæſtiuncula 2. & Panormitanus in cap. *Accedentibus* de Exceſſ. Prælatorum n. 4. cum Aliis, quamvis hic actus videatur maximè ſpiritualis inter omnes, qui ſunt juriſdictionis.

Epiſcopus non conſecratus poteſt conferre Indulgentias.

Itaque juriſdictiò Epiſcopalis nullatenus dependet à poteſtate Ordinis, ſive à conſecratione Epiſcopali, vel è converſo; & ideo conſecratio minùs bene dicitur juriſdictio in habitu ſeu actu primo, cùm ordinariè collatio juriſdictionis Epiſcopalis præcedat conſecrationem: nam priùs Epiſcopus eligitur & confirmatur, quàm conſecretur; electus autem & confirmatus poteſt omnia, ùt patet ex juribus citatis, quæ conſiſtunt in juriſdictione, ſuppoſitâ applicatione materiæ, non per nudam approximationem, ſicuti lignum applicatur igni; ſed per hoc, quòd aliqui homines de novo fiant ſubditi tali Epiſcopo, adeòque per hoc, quod talis Epiſcopus accipiat novam ſuperioritatem (hæc enim ſunt correlativa ſubditus &

123. Concluſio.

tus & Superior, nec unum sinè altero fieri potest) quæ utique superioritas est potestas jurisdictionis; ergo potestas jurisdictionis Episcopalis est nova potestas & distincta à potestate Ordinis seu consecrationis Episcopalis.

124. Episcopus à Deo immediatè accipit potestatem Ordinis.

Igitur Episcopus à Deo immediatè accipit potestatem Ordinis seu consecrationis; quippe sicut Christus instituit, ut in Ecclesia essent Sacerdotes, sic etiam instituit, ut essent Episcopi, à quibus Sacerdotes ordinarentur, & Sacramentum Confirmationis administraretur.

Et licèt intercedat actio ministri, consecrantis alium in Episcopum; quia tamen ille solùm se gerit, ut minister applicans seu efficiens Sacramentum seu consecrationem; Christus verò est próximum & principale operans propriâ virtute; ideò Christus rectè dicitur immediatè conferre potestatem illam, quæ intimè annexa est characteri Episcopali, seu, potestatem illam esse juris divini, & non humani.

Hinc tamen non sequitur, quòd accipiat à Christo immediatè jurisdictionem Episcopalem, ùt patet ex dictis. A quo ergo? liquet profectò, quòd à Pontifice Romano, à quo accipit subditos.

125. An mortuo Pontifice extinguatur potestas Episcoporum.

Si inferas: ergo mortuo Pontificè, extinguitur potestas Episcoporum; sicuti mortuo capite, cætera membra moriuntur.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas; quòd membra physica dependeant in conservari à continuo influxu capitis physici; non sic autem membra mystica à continuo influxu capitis mystici, ùt per se clarum est tam in officiis & beneficiis Ecclesiasticis, ùt Præposituris, Decanatibus, Canonicatibus &c. quæ nemo dubitat esse juris humani, quàm in officiis sæcularibus, quæ à Principe sæculari conferuntur, ùt Magistratus & similia; quæ licèt dependeant in fieri à Principe, non sic tamen in conservari, ùt Principe Ecclesiastico vel Civili mortuo, ipsa quoque necessariò extinguantur.

126. An Papa sit causa possit auferre jurisdictionem ab Episcopo.

Dices; saltem Papa poterit sinè causa ab Episcopo auferre jurisdictionem. Esto, quid tum? Neque enim hoc est in perniciem seu destructionem Ecclesiæ; quia quamvis id non expediat, tamen expedit, ut factum teneat, ne, cùm alioquin ablatio jurisdictionis planè necessaria est, alii causentur ablationem invalidam, ob insufficientiam causæ.

Quare potiùs Ordo Episcopalis, quàm jurisdictio detur immediatè à Christo.

Quare autem potiùs Ordo Episcopalis detur immediatè à Christo, quàm jurisdictio Episcopalis: Ratio est; quia Ordo datur cum charactere & gratia, cujus causa principalis est solus Deus; jurisdictio autem est solùm aliqua potestas moralis, quæ non excedit potestatem humanam.

127. Et quoniam potestas Ordinis æqualis est in Papa, & cæteris Episcopis; hinc Papa Episcopos vocat fratres, vel etiam quia assumuntur ad onus Pontificis sustinendum. Nec mirum, cùm etiam Christus Apostolos suos vocaverit fratres Matth. 28. v. 10. *Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt*; estò etiam potestatem Ordinis ab eo immediatè accepissent.

Quare Papa Episcopos vocet fratres.

Matth. 28.

Quæ cùm ita sint; persistò in Conclusione, & dico; Episcopos ordinariam jurisdictionem absolvendi à peccatis, habere immediatè jure Ecclesiastico, ùti & Alii in Conclusione enumerati. Sanè quòd hi omnes habeant jurisdictionem ordinariam, quòd restat probandum, patet: quia omnes isti ex officio & munere suo sunt Pastores animarum, ad pascendum autem animas requiritur per se potestas absolvendi & ligandi, proportionate ad uniuscujusque regimen.

Episcopi habent potestatem ordinariam absolvendi à peccatis immediatè jure Ecclesiastico.

128. Parochi non habent potestatem ordinariam in foro externo, secùs Episcopi & alii Prælati, qui habent potestatem quasi Episcopalem, ùt Generales, Provinciales &c.

Hinc, quia Parochi regimen, solùm est pro foro interno, etiam solam habet potestatem ordinariam solvendi atque ligandi in foro interno, seu in Sacramento Pœnitentiæ; Episcopi autem & alii Prælati, qui habent potestatem quasi Episcopalem, ùt sunt Generales & Provinciales Religionum &c. cùm etiam debeant regere subditos suos in foro exteriori, consequenter etiam habent potestatem ordinariam ligandi & solvendi in eodem foro, putà condendi leges, dispensandi &c.

Et verò quia soli Pontifici competit regere universalem Ecclesiam, sive omnes fideles; aliis verò regere dumtaxat aliquam Provinciam vel Civitatem aut aliam Communitatem determinatam, eapropter solus Pontifex habet universalem potestatem absolvendi omnes fideles, Alii autem solùm respectivè absolvendi suos subditos.

129. An inter subditos Archiepiscopi, veniant subditi Suffraganeorum.

Si autem à me quæritur, an inter subditos Archiepiscopi, veniant subditi Suffraganeorum? Resp. affir. dum actu visitat, alias non; argum. cap. ultimi de Censibus in 6. ibi: *Potest etiam idem Archiepiscopus dum visitat, Confessiones subditorum Suffraganeorum audire ac absolvere confitentes, & ipsis pœnitentias injungere salutares.* Ubi dum tempus illud singulariter exprimitur, satis significatur: extra illud non posse absolvere.

Adde cap. 1. de Officio Legati ibi: *Sanè licèt idem Archiepiscopus metropolitico jure, audire non debeat causas de Episcopatibus vestris, nisi per appellationem deferantur ad eum: legationis tamen obtentu, universas, quæ per appellationem vel querimoniam perveniunt ad suam audientiam, audire potest & debet; sicut qui in Provincia suâ vices nostras gerere comprobatur.*

130. Archiepiscopi quâ tales non habent juris-

Ex quo textu patet, Archiepiscopum quâ talem non habere jurisdictionem universalem in Episcopatibus Suffraganeorum; sed solùm in certis casibus, à jure illi concessis,

dictionem universalem in Episcopatibus. Suffraganeorum secùs Legati,

in quibus non est Absolutio sacramentalis extra tempus visitationis.

Aliud est de Legatis, ùt liquidò constat ex eodem textu, & ex cap. 2. de officio Legati in 6. ibi: *Legatis, quibus in certis Provinciis committitur Legationis officium, ita ibidem evellant & dissipent, ædificent atque plantent: Provinciarum sibi commissarum ad instar Proconsulum cæterorumq; Præsidum, quibus certæ sunt decretæ Provinciæ moderandæ, ordinarios reputantes* &c. Ergo Legati habent potestatem universalem & ordinariam, tamquam gerentes vices Pontificis, nisi expressè aliquis casus excipiatur.

131. Potestas Archiepiscopi absolvendi tempore visitationis est ordinaria.

Interim potestatem Archiepiscopi, absolvendi tempore visitationis, esse ordinariam, & non tantùm delegatam, probatur; quia competit ei ratione proprii muneris, putà visitationis, cui hæc potestas annexa est per jus commune.

Solet etiam hìc disputari, quinam dicantur Dicœcesani aut Parochiani; item an Novitii veniant nomine Religiosorum. Resolutio erit:

CONCLUSIO V.

Dicœcesani & Parochiani censentur, qui in Dicœcesi vel Parochia habent domicilium aut quasi domicilium, id est, qui habitant cum animo isthic permanendi, saltem magnâ parte anni, vel certè in domo aut officina conducta. Inter Religiosos veniunt Novitii, quamvis etiam à Sacerdotibus sæcularibus, illimitatè expositis, possint absolvi.

132. Quis dicendus proprius Sacerdos,

Suppono, omnes enumeratos Concl. præced. tamquam ordinarios ministros hujus Sacramenti, posse & debere dici proprios Sacerdotes respectivè ad suos, adeòque subditos confitendo uni illorum in Paschate, satisfacere præcepto Ecclesiastico Confessionis annuæ.

Cap. 12. de Pœnit.

Hinc cap. *Omnis utriusque sexus*, 12. de Pœnit. & Remiss. non distinguitur proprius Sacerdos à communi, sed ab alieno ibi: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justâ de causâ sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio Sacerdote: cùm aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare.*

Scotus,

Plùs aliquid videtur velle Scotus 4. dist. 17. q. unicâ n. 26. nempe, per proprium Sacerdotem posse intelligi quemcumque Sacerdotem, habentem jurisdictionem ad immediatè absolvendum istum. *Possunt*, inquit Doctor, *fieri altercationes hodie inter ordinarios & commissarios de intellectu illius capituli: siquidem ordinarii & proximi & inferiores non altercantur contra Superiores, ut ipsi soli sint proprii, & non alii; non enim ita faciliter audent Curati resistere Episcopis, sicut pauperibus privilegiatis.*

Proprius Sacerdos in rigore significat solùm Parochum, sumitur tamen pro quòcumque habente jurisdictionem ad immediatè absolvendum,

Si tamen ponderaretur virtus vocabuli, Proprio Sacerdoti, *proprius, qui solus & non alius, vel proprius isti, quia isti & non alii; neutro modo obligatur aliquis ad confitendum proprio Sacerdoti: quia si multi ex æquo præsunt alicui Parochiano, iterque ex æquo absolvit: idem etiam ex æquo absolvit multos Parochianos. Igitur intelligitur pro habente jurisdictionem ad immediatè absolvendum istum.*

133. ordinariam vel delegatam.

Jurisdictionem, inquam, ordinariam vel commissariam, ùt patet ex contextu, & ita eum intelligit Scholium, præfixum huic loco, dicens: *Nomine* Sacerdotis proprii *quantùm ad cui facienda sit Confessio, intelligi omnem Sacerdotem habentem jurisdictionem ordinariam vel commissariam, sive hoc sit ex determinatione Ecclesiæ, sive non: est communis. Vide Suar. 4. tom. d. 25. sect. 2. & d. 26. sect. 1. & 2.* Ita Scholium.

Suarez.

Vidi Suarium, & disp. 26. nihil habet ad propositum; disp. autem 25. sect. 2. n. 1. citat pro illa sententia D. Bona. 4. dist. 17. 3. p. ejus, a. 1. q. 2. Richardum a. 3. q. 1. Palud. q. 3. a. 2. & Sylvest. verb. *Confessor* 1. q. 1. ipse verò tenet oppositum dicens: Sed hoc apertè repugnat illi textui, in quo proprius Sacerdos distinguitur ab alieno, etiamsi delegatam jurisdictionem habeat: neque in eodem textu admittenda est æquivocatio, quam Palud. gratis & sinè fundamento admittit; præsertim cùm juxta vocis, *Proprius*, proprietatem, non possit rectè illi accommodari, qui ex proprio officio non habet animarum curam, sed tantùm delegatam jurisdictionem. Hæc ille.

D. Bon. Richardus. Paludanus. Sylvester.

Suarez existimat non intelligi etiam, qui tantùm habet delegatam,

Quod me præcipuè moveret, ut intelligerem per *Proprium Sacerdotem*, illum tantum, qui in hoc foro habet jurisdictionem ordinariam, sive illa proxima sit & immediata, qualis est in Parocho, sive sit universalis & quasi remota, qualis est in Episcopo vel summo Pontifice; illud, inquam, unicum foret, quòd in illo textu proprio Sacerdoti adscribatur facultas, concedendi licentiam confitendi alieno Sacerdoti, ùt patet ex verbis suprà allegatis: jam autem certum est, non quemlibet Sacerdotem, qui habet jurisdictionem, ad immediatè absolvendum istum, posse concedere licentiam confitendi alieno Sacerdoti; ergo non quilibet Sacerdos, qui habet talem jurisdictionem, in rigore loquendo est proprius Sacerdos, estò satisfaciant fideles præcepto annuæ Confessionis illis confitendo; quoniam licentiam habent à proprio Sacerdote, scilicet Pontifice.

134. Ratio pro illa sententia.

Interim

135. Ex primitiva institutione Ecclesiæ non videntur fuisse distincti proprii Sacerdotes. Interim quæstio est de nomine. *Ex primitiva institutione Ecclesiæ*, inquit Scotus suprà, *non videntur fuisse distincti proprii Sacerdotes: quando enim Apostoli hinc & inde ibant, prædicando verbum Dei, nec fuit iste Sacerdos istius gentis, nec illius, & nec iste, nec ille: sed post sunt Diœceses distinctæ, & Parochiæ, & Sacerdotes in Parochus; & pro tunc tamen possunt & poterant dici proprii Sacerdotes quicumque habentes jurisdictionem ordinariam vel commissam; vel soli habentes jurisdictionem ordinariam contra Commissarios, vel strictissimè soli habentes immediatam jurisdictionem & proximam ordinariam.*

Voca Commissarios (quales sunt Religiosi Mendicantes) Sacerdotes proprios, voca alienos, parùm refert; dummodò concesseris, fideles, illis confitendo, satisfacere præcepto Ecclesiastico Confessionis, de quo plura Sect. seq.

136. Prima pars Concl. probatur ex cap. ult. de Parochiis. Venio ad Conclusionem, cujus prima pars colligitur ex cap. ult. de Parochiis, quod est Cœlestini Tertii, & ita sonat: *Significavit nobis Aconen. Episcopus, quòd cùm post recuperationem Acconensis Civitatis, ad habitandum in ea, se quamplurimi contulissent, qui ante generalem occupationem terræ sanctæ, in aliis civitatibus regni Hierosolymitani elegerant mansionem.* Et infrà: *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus prædictorum locorum Prælatos, ut sibi nullam in prædictos Aconen. habitatores jurisdictionem usurpent, nec ab eis temporalia exigant, quibus spiritualia non ministrant, districtione, quâ convenit, compellatis &c. dicto vero Aconen. tamquã Diœcesano suo cogantur de cæteris respondere.*

Unusquisque sortitur Parochiam, ubi habet domicilium vel quasi domicilium. Ergo in primis certùm est, unumquemque fidelium sortiri Parochiam, ubi habet domicilium, id est, ubi habitat animo perpetuo ibi manendi. Immo praxis totius Ecclesiæ probat, sufficere quasi domicilium; quilibet enim Parochus sinè ullo scrupulo passim absolvit, & communicat eos, qui habitant in suis Parochiis cum animo ibi manendi, saltem magnâ parte anni, seu ratione mercaturæ, seu ratione studiorum aut militiæ, seclusis privilegiis.

137. Probatio. Et quàmvis fortè nullum jus positivum scriptum extet, quo tribuatur Parochis talis facultas; equidem consuetudo videtur præscripsisse. Vide Glossam in Clement. 1. de Privilegiis verb. *Parochialis*, ubi sic ait: *Per hoc quoad scholares, mercenarios, & his similes intelligo Presbyterum, in cujus Parochia inhabitant.* Estque hodie communis sententia, paucis contradicentibus. Ratio; moralis necessitas accipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, & difficilis recursus ad Pastorem illius Parochiæ, in qua fortè habent fixum domicilium.

Limitatio. Dixi; *seclusis privilegiis*; quia si in Academia ex privilegio vel probata consuetudine, quæ illi æquivalet, assignetur studiosis proprius Confessarius, ille erit pro eo tempore proprius Sacerdos eorum. Et idem dico de militibus.

Addidi autem in Conclusione: *Cum animo ibidem permanendi* &c. quia, ùt habetur l. 20. ff. Ad Municipalem: *Domicilium re & facto transfertur, non nudâ contestatione.* Et eodem l. 5. sic scriptum habes: *Labeo judicat eum, qui pluribus locis ex æquo negotietur, nusquam domicilium habere; quosdam autem dicere refert pluribus locis eum incolam esse, aut domicilium habere, quod verius est.* 138. Quomodo domicilium transfertur. l. 20. §. 6. ff. ad municipalem.

Accedat lex 6. eodem n. 2. *Viris*, inquit, *prudentibus placuit, duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxit, ut non ideò minùs apud alteros se collocasse videatur.* Cur ergo non possit etiam habere in uno loco domicilium, & in altero loco quasi domicilium? Aliquis potest habere domicilium duobus locis.

Ex quo consectaneum est, talem alterutri Parocho posse confiteri, & satisfacere annuæ Confessioni & Communioni, cùm uterque proprius sit; quia jurisdictio non sequitur actualem habitationem; sed domicilium, aut quasi domicilium. Ita docet Navarr. in cap. *Placuit* n. 77. Si, inquit, non mutat domicilium, sed cumulat; ùt quia in utraque Parochia ex æquo habitat, putà quia in altera hyemat, in altera æstivat; tunc utriusque Parochiæ Parocho confiteri potest: quia uterque suus est. 139. Talis potest alterutri Parocho confiteri. Navarr.

Idem docet Suarius Disp. 26. Sect. 2. n. 5. quos sequitur Lugo disp. 19. n. 7. Qui, inquit, habent domicilium in duplici Parochia, possunt in utraque Sacramenta recipere, vel certè in illa, in qua tunc inveniuntur. Suarez. Lugo.

Confirmatur à simili ex cap. 2. de Sepult. in 6. ibi: *Cùm ab eo, qui duo habet domicilia, se collocans æqualiter in utroque, in loco tertio eligitur sepultura: domiciliorum Ecclesiæ habebunt inter se dividere Canonicam portionem.* Ergo in utraque poterat Sacramenta recipere; nam immediatè antè lego hæc verba: *Canonica portio dimissæ non debetur Ecclesiæ, sed illi dumtaxat, in qua ille officia consuevit audire divina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta.* Ita Bonif. VIII. Confirmatur à simili ex c. 2. de Sepul. in 6.

Nec obstat cap. 3. eodem quod sic incipit: *Is qui habet domicilium in civitate vel castro, quandoque ad villam ruralem se transfert recreationis causâ, vel ut rurales exerceat in eadem, si, non electâ sepulturâ, decedat ibidem, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua Parochiali, vel in ea potiùs, in qua Majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debebit.* 140. Objicitur cap. 3. eod.

Hoc, inquam, jus non obstat prædictæ sententiæ: quia, ùt notat Glossa ibidem, *Ex sola mora facta in loco, quis non censetur Parochianus illius loci: sed oportet quòd animo sit perpetuæ moræ, vel ad minùs per decem annos faciat ibi residentiam, nisi appareat de contraria voluntate, ut in scholaribus, qui licèt moram faciant in universitate, non tamen censentur domiciliarii illius loci.* Sed quasi domiciliarii, ùt suprà diximus, in ordine ad suscipienda Sacramenta à Parocho illius loci. Respondetur.

Quæris, quo jure? Respondeo eodem, si 141.

non

Quo jure scholares dicantur quasi domiciliati Universitatis, in qua studeant. l. 29 ff. de Judiciis.

non potiori, quo illi, qui manent in domo aut officina conducta; de quibus loquitur l. 19. §. 2. ff. de Judiciis. *Proinde & si merces vendidit certo loci, vel dispositi, vel comparavit: videtur, nisi alio loci ut defenderet, convenit, ibidem se defendere. Numquid dicimus, eum, qui à mercatore quid comparavit, scilicet advena, vel ei vendidit, quem scit indè confestim profecturum, non oportet ibi bona possidere, sed domicilium sequi ejus? At si quis ab eo, qui tabernam vel officinam certo loci conductam habuit, in ea causa est, ut illic convenatur: quod magis habet rationem. Nam ubi sic venit, ut confestim discedat quasi à viatore emptis &c. durissimum est, quotquot locis quis navigans, vel iter faciens delatus est, tot locis se defendi. At si quo constitit: non dico jure domicilii: sed tabernulam, pergulam, horreii, armarium, officinam conduxit, big, distraxit, defendere se eo loci debebit.*

Infero; ergo etiam eo loci poterit Sacramenta recipere, non jure domicilii, sed quasi domicilii. Probatur Consequentia à paritate rationis. Atque hæc satis de prima parte Conclusionis.

142. Probatur 2. pars Concl. ex Reg. 15. de Reg. Iuris in 6.

Pro secunda, Nota Reg. 15. de Reg. Iuris in 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari.* Quia ergo favorabile est Novitiis, quòd possint confiteri Superiori Religionis, vel alii ab eo deputato; & odiosum est, quòd teneantur confiteri; hinc inter Religiosos, dum quæritur de potestate confitendi, veniunt Novitii; secùs dum agitur de obligatione confitendi, nisi specialis ratio aliud postulet. Sicuti nomine Clericorum in favorabilibus veniunt Religiosi, secùs in odiosis.

Confirmatur à simili.

Sanè si studiosi possint confiteri Parocho illius loci, in quo pro tempore morantur, similiter mercatores, multò magis Novitii Superiori Religionis, in qua morantur animo perpetuo permanendi, nisi aliquid obstet. Et consimiliter, si studiosus aut mercator non obligetur (sicuti revera non obligatur) confiteri Parocho loci; sed potest confiteri Parocho domicilii; cur eâdem ratione non poterit Novitius confiteri Sacerdotibus sæcularibus, quibus alioquin, si non esset Novitius, posset confiteri?

143. Novitius subest jurisdictioni spirituali Prælati Religionis.

Quia, inquis, Novitius subest jurisdictioni spirituali Prælati Religionis, quamdiu manet in Religione; ita ut possit in votis ejus dispensare, ea commutare, possit eum punire pro delicto præterito vel futuro, prohibendo ne hoc vel illud faciat sub pœna excommunicationis &c.

Novitius gaudet privilegio fori.

Præterea; gaudet Novitius privilegio fori, id est, non potest conveniri coram Iudice sæculari; argum. l. 14. ff. de Quæst. *Statu liber in delicto repertus, sperandæ libertatis prærogativa, non ut servus, ob ambiguum conditionis, sed ut liber puniendus est.* Ergo pari ratione, Novitius, cujus est dubius status, non instar laici, coram Judice sæculari; sed instar Religiosi conveniendus est coram solo Prælato Religionis, & ab eo puniendus.

Item gaudet privilegio Canonis, id est, qui eum percutit, innodatur sententiâ excommunicationis, instar percutientis Clericum, cap. *Religioso.* 21. de Sentent. excommun. in 6. ibi: *Quamvis is, qui Religionem ingreditur, religiosus conferi cum effectu non possit, donec sit tacite vel expressè professus: si quis tamen violentas manus in eum injiciat, excommunicationis latæ à Canone vinculum non evadit.*

Item privilegio Canonis.

Respondeo; quidquid sit de his omnibus, quæ non spectant ad præsentem tractatum, ut vera forent, solùm probant, Novitios in favorabilibus censeri Religiosos, & in iis, quæ concernunt probationem vitæ religiosæ, quam intendunt profiteri. Ergo non possunt confiteri sæcularibus, illimitatè expositis, aut ab iis absolvi, seclusâ particulari prohibitione Superioris, Negatur Conseq. quia hoc odiosum est, sicut dixi; tollitur enim libertas Novitii, & aggravatur jugum Confessionis, neque necessarium est ad probationem statûs religiosi, nisi fortè accedat expressa prohibitio Prælati, quo casu putant Multi, esse illicitum Novitio, tali Sacerdoti confiteri, si velit manere in Religione; & per consequens Confessio contra præceptum foret invalida, non defectu jurisdictionis, de qua hic tractamus, sed defectu debitæ Contritionis; ut proinde valeat Absolutio, si Novitius procedat bonâ fide.

144. Novitii in favorabilibus censentur Religiosi.

Secùs in odiosis.

Immo Sanchez lib. 6. Sum. cap. 10. n. 7. verius existimat Novitios non astringi præceptis & statutis Religionis, & ejus Superiorum. Ducitur; quia nondum in Religiosorum contubernium & sodalitium admissi sunt, sed in probatione versantur, ad experiendum, an admittendi sint: sicut Catechumenus Ecclesiæ legibus non astringitur, donec perfectè per Baptismum in Ecclesiæ grémium admissus sit.

145. An Novitii astringantur præceptis & statutis Religionis? Sanchez.

Alii docent, Novitios, tametsi non teneantur Religionis statutis aut præceptis Regulæ ratione voti; quia revera nondum voverunt Regulam, adeòque verè non sunt partes communitatis Religiosorum; sed tantùm in via, ut ad eam communitatem per Professionem admittantur (sicut Catechumenus non est verum Ecclesiæ membrum, sed est in via, ut per Baptismum fiat) nihilominùs Superioris præcepto ligari & cogi posse; non quidem absolutè & simpliciter, quia liberè valent à Religione recedere; sed si in probatione permanere velint; tum quia eorum probatio id postulat; tum etiam, quia dum in probatione versantur, se Superiori subjiciunt & obligant, cùm aliter probari commodè & gubernari nequeant. Nam, ut habetur cap. *Recolentes* 3. de Statu Monachorum: *Dignum est, ut qui similem cum aliis vitam susceperunt, similem sentiant in legibus disciplinam.* Hæc ille.

Cap. 3. de statu Monach.

Utraque sententia est probabilis, neque altera

146.

Judicium auctoris.

altera earum repugnat nostræ Conclusioni, quæ intelligi potest, seclusâ speciali prohibitione Superioris: immo tametsi accederet specialis prohibitio, per illam, sicut dixi, non aufertur jurisdictio Sacerdotum sæcularium; adeòque possunt Novitium validè absolvere, nisi aliquid aliud obstet.

Si autem à me quæritur; num etiam Religiosi professi possint absolvi à Sacerdotibus sæcularibus, illimitatè expositis; vel si non omnes, an saltem Superiores & Sacerdotes? Respondeo;

CONCLUSIO VI.

Iure communi Episcopi & alii Superiores, nec non minores Prælati exempti, possunt sibi eligere Confessarium, etiam præter sui Superioris licentiam: fortè ex consuetudine idem possunt Parochi, & alii Sacerdotes sæculares; secùs Sacerdotes Regulares.

147. Probatur jus Concl. ex c. ult. de Pœnit. & Remiss.

PRima pars expressis verbis statuitur cap. ult. de Pœnit. & Remiss. *Ne*, (inquit Gregorius IX.) *pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum: Permittimus Episcopis & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut, etiam præter sui Superioris licentiam, providum & discretum sibi possint eligere Confessorem.*

An Cardinales possint eligere Confessarium.

Et quamvis hoc jus explicitè non loquatur de Cardinalibus; attamen possunt hi comprehendi sub ly *Alii Superiores*, licèt enim per se loquendo nullam habeant jurisdictionem in hoc foro; equidem aliunde sunt superiores Episcopis, & magis propinqui & vicini Pontifici. Saltem consuetudo præfatum jus ad ipsos extendit; & non solùm ad ipsos pro persona propria, verùm etiam pro tota ipsorum familia, quam potest vel ipsemet audire, si est capax, vel potest alium pro ea delegare. Ita docet Suarius Disp. 25. Sect. 2. n. 12.

Suarez.

148. Quis sit proprius Sacerdos familiæ Pontificis.

Quod magis verum est de familia Pontificis, cujus proprius Sacerdos est ipse Papa vel summus Pœnitentiarius ejus, vel quem ipsi designant. Intelligendum autem est de his, qui actu sunt Romæ, & actu sunt de familia ejus: nam si indè discedant, non utuntur hoc privilegio, sed communi jure, inquit prædictus Auctor.

Sed, salvo meliori; si Parochus potest absolvere suos parochianos extra proprium territorium, ut infra videbimus, cur Pœnitentiarius Pontificis, vel alius ab eo designatus, tamquam proprius Sacerdos, non poterit absolvere eos, qui sunt actu de familia, estò actu non sint Romæ? Aliud est, quando actu non sunt de familia; nam hoc solo titulo gaudent illo privilegio. Quidquid sit de hac re, consuetudo attendenda est & sequenda.

An Episcopi possint eximere suam familiam à cura Parochorum. Suarez. Soto.

Ast nunquid idem dicendum de familiis Episcoporum? Existimat Soto dist. 18. q. 4. a. 2. posse Episcopum, si velit, eximere familiam suam ab ordinaria Parochorum cura, & sibi reservare, vel alium proprium designare; quod inquit Suarez suprà n. 12. mihi maximè verisimile videtur; quia sunt Superiores, & possunt habere rationabilem causam, sicut possunt sibi reservare casus; tamen loquendo regulariter & ordinariè hoc non ita fit. Hæc ille. Sicut antea dixi, attendenda & observanda consuetudo, quæ est optima legum interpres.

149. Nomine Episcopi quis hic intelligatur.

Cæterùm nomine Episcopi in eo textu intelligo tam eum, qui est consecratus, jurisdictionem autem nondum habet; quàm eum, qui jurisdictionem habet, nondum verò est consecratus. Ratio; quia tam hic, quàm ille est verus Episcopus; in textu autem nihil aliud requiritur.

Et idem dicendum de Episcopo suspenso; quia ille solùm impeditur ab usu Ordinis vel jurisdictionis in ministerio vel officio proprio suæ potestatis; non privatur autem privilegiis omnibus, & gratiis Episcopis concessis: uti nec Episcopus verbaliter solùm depositus. Secùs Episcopus degradatus, qui licèt non privetur Ordine, privatur tamen omnibus privilegiis sibi concessis ratione Ordinis; & ideo nequit uti præfato privilegio. Ita Suarius Disp. 27. Sect. 2. n. 5.

Suarez.

150. Quinam intelliganter per minores Prælatos exemptos.

Quantùm ad minores Prælatos exemptos, quales sunt Generales, & Provinciales Religionum, immo Guardiani, Priores, Præpositi & Rectores Regularium, & si qui alii sint veri Prælati quocumque nomine appellentur; hi omnes vi juris communis posse eligere Confessarium extra Religionem, est communis sententia Doctorum, quam his verbis tradit Villalobos in Sum. tom 1. tract. 9. diff. 47. n. 4. Habent jurisdictionem ordinariam Prælati Religionum, ut sunt Generales & Provinciales, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, & Guardiani, Abbates & Priores, qui præsident toti Communitati, qui omnes sunt Ordinarii respectivè, & habent facultatem eligendi Confessarium ex concessione Greg. IX. quoniam omnes illi comprehenduntur sub nomine Prælati, & ita est in usu in Religionibus, uti dicit Sotus in 4. dist. 18. q. 4. a. 2. Sic Villalobos.

Possunt vi juris communis eligere Confessarium extra Ordinem. Villalobos.

Sotus.

Ut ut sit de illo usu, de quo mihi non

constat ; nunquam enim vidi aliquem Prælatum confitentem alicui Confessori extra Religionem ; certum est, privilegium istud, seu potiùs jus commune, non esse limitandum ad Confessarium intrà Religionem; cùm generaliter & illimitatè concedat electionem Confessarii, & aliundè sit favorabile, adeòque potiùs extendendum, quàm limitandum, nisi aliquid obstet.

151. Nisi obstet particularis constitutio alicujus Religionis. *Peregrinus.*

Quod addo : quia Peregrinus in Commentario ad Constit. Religionis Clericorum Regularium part. 1. cap. 9. lit. C. §. 1. existimat, Generales & Præpositos illius Religionis non posse confiteri extra Religionem, propter Decretum Capituli Generalis part. 1. c. 6. n. 1. sequentis tenoris : *Nemo nostrum sua peccata externo Sacerdoti confiteri queat, sed iis tantummodo nostratibus Confessariis, qui à Præposito domûs fuerint designati, non obstante quocumque privilegio, cui ex nunc totius Religionis nomine renunciamus ac cedimus*

Diana.

Videant aliæ Religiones an etiam simile Decretum habeant, & legant Dianam part. 3. tract. 2. resol. 1. ubi, non obstante præfato Decreto, prorsùs sustinendam putat contrariam sententiam, videlicet, Prælatos posse confiteri extra Religionem, idque, quia privilegium insertum in corpore juris, ùt est illud, de quo loquimur, reputatur jus commune. Unde in generali derogatione non comprehenditur sub nomine privilegii ; quia eò quòd insertum est in corpore juris, habetur pro jure & lege, ùt docet Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 9. diff. 51. n. 3. Ioan. de la Cruz de Statu Relig. lib. 2. c. 6. dub. 1. & Alii, quos vide apud Dian.

Quid sit necessarium ut aliqua Constitutio deroget illi privilegio.

Villalobos. Ioan. de la Cruz.

Quæris, ad quid ergo serviat præfatum Decretum? Respondet Diana, factum fuisse pro gaudere volentibus privilegio Bullæ Cruciatæ, & aliis licentiis, & indulgentiis confitendi cuicumque, etiam externo Sacerdoti, inscio Superiore ; non autem pro Generalibus & Præpositis habentibus hoc privilegium, clausum in corpore juris ; cùm igitur tale Decretum loquatur tantùm de privilegiis, non est extendendum ad jura Prælatorum, quorum mentionem non facit ; nam si hoc privilegium comprehendere voluisset, de illo expressam mentionem facere debuisset : & ideo quando in aliqua Religione Capitulum Generale voluit restringere aut limitare, ne Prælati utantur supradicto privilegio, specificè illis hoc prohibuit, & ita factum esse in Religione Cistercienſi notavit Hieronymus Llamas in Meth. p. 1. c. 5. §. 5. Hucusque Diana, satìs plausibiliter pro jure Prælatorum.

Llamas.

152. Aliqui excludunt ab hoc privilegio Provinciales Guardianos &c. sed perperam.

Et quamvis Nonnulli è numero eorum expungant Provinciales, Guardianos &c. causantes, eos solos Prælatos esse in ordine ad hoc privilegium, qui immediatè subjiciuntur Summo Pontifici ; equidem absque sufficienti fundamento, cùm reverà hi omnes Prælati sint ; utpote qui de jure, aut consuetudine legitimè præscriptâ valeant citare suos subditos, illisque reddere jus in foro externo, quod proprium est Prælatorum. Ubi ergo jus non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Objectio.

Consentio, inquis ; sed jus prælallegatum non distinguit : Negatur Subsumptum: nam ratio juris hæc est: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum*, quæ ratio solùm videtur habere locum in iis, qui immediatè subduntur Summo Pontifici, quia hujusmodi non possunt facilè illum adire: si verò habeant alium Superiorem, facilè possunt convenire illum, vel ab illo Confessorem postulare.

153. Solvitur.

Respondeo ; tam facilè aliquis Episcopus potest postulare Confessorem à Pontifice, quàm Provincialis à Generali, aut Guardianus à Provinciali ; & tam facilè aliquis Episcopus potest convenire Pontificem, quàm Provincialis Generalem, aut Guardianus Provincialem ; ergo si talis Episcopus propter periculum animæ, imminens ex dilatione pœnitentiæ (quoniam sinè maximo inconvenienti nequit soli Pontifici confiteri) potest sibi eligere Confessorem, quid ni etiam propter idem periculum Provincialis & Guardianus possint sibi eligere Confessorem tam intrà, quàm extra Religionem ? Ita planè sentio, nisi obstet specialis constitutio, derogans juri communi.

Confirmatur ex verbis textûs : *Vt etiam præter sui Superioris licentiam providum & discretum sibi possint eligere Confessorem.* Ergo supponit jus, minores Prælatos exemptos posse habere Superiorem, cujus licentia foret necessaria seclusò hoc privilegio.

154. Alia objectio diluitur. *Suarez.*

Nec dici potest (inquit Suarez Disp. 27. Sect. 2. n. 10.) illum Superiorem esse Summum Pontificem, tum quia ipse Pontifex est, qui hanc facultatem concedit ; unde repugnat, qui illâ utitur, eligere Confessorem sinè Summi Pontificis licentia ; tum etiam, quia loquitur de Superiore, tamquam de alio distincto.

Si inferas ; ergo etiam Parochus comprehenditur sub ly *Minoribus Prælatis exemptis.*

Parochus non comprehenditur sub minoribus Prælatis exemptis.

Respondeo cum Suario suprà, Neg. Conseq. Ratio disparitatis : quia Parochus nullo modo est exemptus : Prælati verò Religionum etiamsi inter se subordinationem habeant, omnes exempti sunt, vel potiùs totum corpus Religionis adæquatè est exemptum.

155. Parochus non est Prælatus.

Adde, Parochum non esse prælatum defectu jurisdictionis in foro externo ; cùm neque de

que de jure, neque ex consuetudine legitimè præscripta valeant citare suos subditos, illisque reddere jus in foro externo, quod, ùt suprà dixi; est proprium munus Prælatorum, per quod constituuntur, & per consequens distinguuntur à non Prælatis. Adeò ùt omnes illi, secundùm veriorem sententiam, qui habent jurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo, estò non habeant jurisdictionem in foro sacramentali, ùt dicuntur esse quidam Archipresbyteri, & in Curia Romana sunt plures, ùt Auditor Cameræ, & alii, gaudeant hoc privilegio, si verè exempti sint; tum quia ratio privilegii, etiam in his habet locum; tum denique, quia privilegia non sunt restringenda, nisi satis constet. Ita Suarius suprà n. 8.

Quod sit proprium munus Prælatorum.

Suarez.

Itaque de jure communi Parochus nequit eligere Confessarium; tum quia non est Prælatus, tum quia non est exemptus à jurisdictione Episcopi; sed veluti Pontifex est immediatus Pastor Episcopi (nam Archiepiscopus extra casum visitationis non habet jurisdictionem in subditos Episcopi, multò minùs in ipsum Episcopum) ita Episcopus est immediatus Pastor seu ordinarius Sacerdos Parochi; cui proinde, vel alteri de ejus licentia, debet confiteri, eo modo, quo Parochianus debet confiteri Parocho, vel alteri de ejus licentia.

Parochus nequit eligere Confessarium de jure communi.

156. Nihilominùs contrarium sentiunt Sylvester & Angelus cum Panormitano. Fundantur; quia cap. *Tuanos* 4. de Clerico ægrotante. dicitur, Parochus habere officium prælationis, ibi: *De Sacerdote, qui divino judicio lepræ morbo repercussus, in Parochiali Ecclesia prælationis officio fungitur.* Confirmatur ex illo principio, quia privilegia extendi debent.

156. Contrarium sentiunt Sylvester, Angelus & Panormitanus. *Cap. 4. de Clerico ægrotante.*

Respondeo ad confirmationem; privilegia non debent extendi, maximè quando sunt contra jus commune, ultra naturalem & civilem proprietatem verborum, nisi ad absurdum evitandum: jam autem Parochus simpliciter & absolutè nunquam in jure dicitur Prælatus.

Privilegia non debent extendi ultra proprietatem verborum.

157. Quin potiùs in Clement. *Dudum* de Sepulturis fit apertè distinctio inter Parochos & Prælatos ibi: *Ab olim siquidem inter Prælatos, & Rectores seu Sacerdotes ac Clericos Parochialium Ecclesiarum per diversos mundi Provincias constitutos ex una parte* &c. Ubi, ùt notat Glossa verb. *Prælati*, Rector Ecclesiæ, id est, Parochus, exprimitur post Prælatum; ergo ab eo distinguitur.

157. In Clem. *Dudum de Sepult. expressè distinguitur inter Prælatos & Parochos.*

Et alia Glossa in cap. *Decernimus* 2. de Judiciis, verb. *Ecclesiarum Prælati* ait: *Omnes Ecclesiarum Prælatos esse Judices ordinarios*, scilicet in foro externo seu contentioso; argumen. cap. 3. de Officio Judicis ordinarii, quod sic incipit: *Cùm ab Ecclesiarum Prælatis Ecclesiastica sententia in malefactores aliquos promulgatur* &c. Ubi Glossa verb. *Ecclesiastica sententia*. inquit: *Sic ergo Prælati isti possunt excommunicare* 16. q. 1. Alia causa est, *& sic sunt Judices ordinarii, argumen. inf. de Excess. Prælatorum.* Ad hæc. *& habent curam animarum sup. de Elect.* Cùm in cunctis §. Inferiora. *sic & Abbas potest excommunicare & habet jurisdictionem* &c. Constat autem Parochos quà tales, licèt habeant curam animarum, non tamen posse excommunicare suos Parochianos.

Omnes Prælati sunt Judices ordinarii, & possunt excommunicare.

Parochi quà tales non possunt excommunicare.

De Plebanis contrarium insinuatur cap. 3. mox citato, ibi: *Quapropter mandamus, quatenus si quando Plebanus sanctæ P. in Clericos vel laicos Parochianos suos; interdicti vel excommunicationis sententiam rationabiliter tulerit: ipsam facias inviolabiliter observari* &c. Ergo Plebanus iste erat verus Prælatus. Atque ut omnes Parochi essent veri Prælati, equidem quia non exempti, de jure communi scripto nequeunt sibi eligere Confessarium.

Contrarium insinuatur cap. 3. de Offic. Jud. ord. de Plebanis.

158. Dico; *De jure communi scripto*; quia putant Aliqui Parochos, immo & omnes alios Sacerdotes sæculares id posse ex consuetudine, vel melius ex tacito consensu Prælatorum, ad quos alioquin de jure spectat Absolutio. Melius, inquam, ex tacito consensu &c. quia obligatio confitendi proprio Sacerdoti est juris divini, quod nulla consuetudine revocari potest.

158. An Parochi & alii Sacerdotes ex consuetudine possint eligere Confessarium.

Unde scriptum habes cap. 2. de Pœnit. & Remiss. in 6. *Nullâ quoque potest consuetudine introduci, quòd aliquis præter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eam possit solvere vel ligare.* Ergo requiritur licentia Superioris, saltem tacita, id est, quòd Superior sciat, Parochos & alios Sacerdotes sæculares passim eligere sibi Confessarios, & non contradicat, cùm facilè posset contradicere, si vellet; argumen. Reg. 43. de Reg. Iuris in 6. *Qui tacet, consentire videtur.*

Potestas eligendi Confessarium absque licentia Superioris, non potest consuetudine introduci. *Cap. 2. de Pœnit. & remiss. in 6. Reg. 43. de Reg. Iuris 6.*

Quæ utique regula estò in multis casibus fallat, in hoc tamen locum habet: quia agitur de invalida Absolutione, quam Superior debet impedire, quando commodè potest; adeòque nisi impediat, censetur tacitè consentire in ejus valorem, favore Sacramenti & pœnitentis. Non quòd per illum consensum tollatur lex divina seu naturalis confitendi proprio Sacerdoti; sed quia per ipsum fit, ut Parochus v. g. non eligat Confessorem, præter sui Superioris licentiam.

159.

Ex quo patet diversitas inter hanc legem naturalem seu divinam, & legem humanam: nam lex humana consuetudine, seu potiùs tacito consensu Principis absolutè tollitur; at verò lex naturalis, vel divina in casu nostro, non tollitur absolutè tacito illo consensu Episcopi vel alterius Superioris; sed per illum consensum, ùt mox dixi, fit, ut subditus non confiteatur alieno, præter licentiam proprii Sacerdotis.

Lex humana abrogari potest consuetudine, secùs lex divina aut naturalis.

160. Facultas Parochorum eligendi Confessarium revocari potest ab Episcopo; uti & Sacerdotum à Parocho.

Hinc, quod bene notandum est, facultas ista Parochorum & aliorum Sacerdotum sæcularium continuè pendet à voluntate proprii Sacerdotis, ita ut, non obstante consuetudine, semper sit in ejus potestate illam revocare, si velit: aliàs talis consuetudo formaliter ac directè esset contra jus divinum, quandoquidem ex vi illius posset subditus Confessorem eligere, etiam proprio Sacerdote repugnante, quod foret valde onerosum Prælatis Ecclesiæ, & contra subjectionem illis debitam, multùmque contrarium convenienti regimini animarum; ùt notat Glossa in textum præallegatum verb. *Consuetudine.* dicens: *Est enim onerosa Ecclesiis: ideò non valet suprà* In antiquis *de Consuet. c. 2. & ex ea frangitur Ecclesiasticæ disciplinæ nervus suprà de Consuet.* Cùm Venerabilis. *etiam esset hoc contra obedientiam Principis præscribere: quod esse non potest suprà de Præscript. Cùm non liceat.*

Quia ergo consuetudo (si quæ est) ut Parochi eligant Confessorem, solùm ex consensu Episcoporum creditur manasse, & consuetudo, ut alii Sacerdotes eligant Confessorem, ex consensu Parochorum: procul dubio Episcopus in suo Episcopatu, & Parochus in sua Parochia possent hoc mutare, vel generatim pro omnibus vel specialiter pro aliquo, prout expedire censuerint.

161. An Sacerdotes sæculares ex consuetudine possint eligere Confessarium. *Lugo.*

Dixi signanter; *si quæ est*; quia censet Lugo disput. 19. n. 6. quòd non possit jam constare talis consuetudo; quia, inquit, hi omnes post Trident. non possunt eligere Confessarium, nisi approbatum ab Episcopo: qui si Regularis sit, jam habet aliunde jurisdictionem per privilegia sui Ordinis: si verò sit sæcularis, habebit jurisdictionem ab Episcopo, qui non solet communiter dare approbationem Sacerdoti sæculari, sinè licentia & jurisdictione ad absolvendum in sua Diœcesi: quare vix unquam poterit occurrere casus, quo Parochus vel Sacerdos eligant sibi Confessarium non habentem aliunde jurisdictionem. Hæc ille.

Ego autem dico, Episcopum sæpiùs dare approbationem Sacerdoti sæculari sinè jurisdictione ad absolvendum in sua diœcesi; quare sæpiùs poterit occurrere casus, quo Parochus vel Sacerdos eligant sibi Confessarium, non habentem aliunde jurisdictionem. Et ideo consequenter dico contra Eminentissimum, hodie posse constare de tali consuetudine, & constare in hac nostra diœcesi Mechlinienſi.

Suarez. Immo generaliter omnes Sacerdotes sæculares ex consuetudine posse eligere Confessorem docet Suarez Disp. 27. Sect. 3. n. 2. & 4. nam, inquit, quia illi solent frequenter confiteri, ideo onerosum erat Parochis, omnes audire, & ideo facilè in principio consenserunt, ut inter se invicem confiterentur, qui consensus non revocatus, consuetudine quasi continuatur, & ipsa consuetudo indicium est ejusdem consensûs. Hæc ille.

162. An etiam Regulares.

Rogat aliquis, an etiam constet de tali consuetudine inter Sacerdotes Regulares? Respondeo: hi non solent confiteri extra Ordinem suum, nisi de speciali licentia Prælatorum. Hinc Benedictus XI. Extravag. comm. de Privilegiis c. 1. *Electi igitur ab iisdem fratribus ad audiendas Confessiones & pœnitentias injungendus liberè auctoritate Apostolica absque licentia Diœcesanorum, vel aliorum Prælatorum inferiorum exemptorum, & non exemptorum, quibus subsunt, qui ad confitendum accedunt, audiant eos, peccata sua confiteri volentes (non Religiosos, qui secundum statuta suorum Ordinum propriis Prælatis confiteri debent, aut ab eis, ne confitearitur aliis, prohibentur) absolvant, ipsisq; pœnitentias salutares injungant.* &c.

Ubi supponit Papa, aliquibus Religiosis, per expressa statuta suorum Ordinum, prohibitam esse Confessionem extra Ordinem. Et quamvis per consuetudinem illis statutis posset derogari, tamen, sicut dixi, non constat de tali consuetudine, immo de consuetudine contraria, id est, semper confitendi intrà Ordinem juxta diversa privilegia, quibus prohibetur Religiosis confiteri extra Ordinem, nisi de expressa vel tacita licentia Superiorum, non obstante etiam Bullâ Cruciatæ, ùt Multi volunt, de quo infrà latiùs.

163. An Guardiani & similes Superiores possint dare licentiam confitendi extra Ordinem *Sixtus IV.*

Sed nunquid Guardiani, Priores, Præpositi & Rectores Regularium, possunt pro libito dare licentiam suis subditis, confitendi extra Ordinem?

Posset alicui videri quòd non, ex Bulla Sixti IV. 30. apud Rodriguez, quâ concedit Fratribus Ordinis Minorum confiteri posse sæcularibus, cùm fuerint extra conventum. Subscribo verba textûs: *Supplicari nobis humiliter fecistis, ut cùm in constitutionibus & privilegiis vestri Ordinis expressè caveatur, ne Fratres Ordinis ejusdem, præterquam suis Prælatis, & de eorum licentia Fratribus dicti Ordinis confiteantur, dignaremur concedere, ut aliquando alterius Ordinis Sacerdotibus, maximè necessitate exigente, possint confiteri. Nos ut cum majori animi quiete & conscientiæ pace, fratres vobis subditi Altissimo famulari possint, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut Fratres vestri, vel aliorum Prælatorum, & suorum, qui pro tempore erunt, licentiâ, solummodo tamen cùm itineraverint, vel fuerint extra conventus eorum prout eis conceditis, confiteri possint, & vos quomodocumque Sacerdotibus cujuscumque sæcularis seu regularis Ordinis confiteri valeatis tenore præsentium, auctoritate Apostolicâ concedimus & indulgemus. Datum Romæ, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 2. Augusti anno 1479. Pontificatûs nostri anno 9.*

Innocent. VII. Similem concessionem fecit Innocent. VII. Fratribus Prædicatoribus Bullâ unicâ apud Rodriguez ibi: *Nos igitur hujusmodi supplicationibus*

nibus inclinati, Fratribus hujusmodi, quos pro tempore (ut præfertur) itinerare, & per eorum Superiores mitti contigerit, ut si aliquem Presbyterum idoneum ex Professoribus dicti Ordinis habere non possint, quemcumque alium Presbyterum idoneum & discretum Religiosum vel sæcularem, in eorum Confessorem eligere valeant, qui Confessiones eorum audire, & eorum Confessionibus diligenter auditis, pro commissis eis debitam Absolutionem impendere, ac Pœnitentiam salutarem injungere liberè & licitè possit, nisi talia fuerint, propter quæ Sedes Apostolica sit meritò consulenda, auctoritate Apostolica de speciali gratia, tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Viterbii 16. Kal. Novem. Pontificatûs nostri Anno 1.

164. Aliquando in privilegiis conceditur Regularibus minùs, quàm quòd de jure communi illis competit.

Ad quid autem hæc privilegia, si Prælati Regularium, tamquam Ordinarii, possint pro libito, suam potestatem absolvendi subditum, delegare cuilibet Sacerdoti intrà vel extra Ordinem? Respondet Diana p. 3. tract. 2. resol. 2. cum Llamas in Meth. p. 1. c. 5. §. 5. quòd aliquando in privilegiis conceditur Regularibus minùs, quàm quòd de jure communi illis competit, & ideò in casu nostro plus possunt subditi à Prælatis Regularibus ex potestate ordinaria obtinere, quàm quòd in privilegiis summi Pontifices concesserunt, qui tamen cùm dictis privilegiis potestatem ordinariam Prælatis Regularium tollere minimè intenderunt.

Diana. Llamas.

Probatur totum hoc ex privilegiis, quæ affert Llamas ubi suprà, concedentibus Prælatis Regularium, eligere Confessorem, cum licentia sui Generalis, non obstante, quòd hoc competebat illis de de jure cap. fin. de Pœnit. & Remiss. ùt suprà probatum est, independenter à licentia Generalis; & tamen, ùt patet, per dicta privilegia hoc jus illis non fuit ablatum, quin si vellent, sinè Generalis licentia Confessarium eligere possint. Sic dicendum est in casu nostro, supradicta privilegia non tollere Prælatis Regularium potestatem ordinariam, quin possint, si velint, præbere licentiam subditis, non solùm itinerantibus, sed etiam in Monasterio existentibus eligere sæcularem vel Regularem Confessarium.

165. Miranda. Villalobos.

Et ideò Miranda in Manuali Prælatorum tom. 2. q. 32. a. 6. Concl. 1. Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 9. diff. 49. n. 11. & 12. & Alii adducunt supradicta privilegia Pontificum. Attamen non obstantibus dictis privilegiis, firmant, posse Prælatos supradictam licentiam potestate ordinariâ suis subditis præbere; quia proprias oves, ait Miranda ubi suprà, cui voluerint Pastori, aliàs idoneo, possunt committere. Et ideò ait Graffius in decis. p. 1. lib. 1. c. 23. n. 54. quòd Franciscanus de licentia sui Prælati confiteri possit Augustiniano, & credendum est illi sinè litteris, si dicat, habuisse licentiam.

Nec refert, quòd possit Prælatus indiscretè uti tali potestate; nam id est per accidens, & quomodocumque id faciat, factum tenebit. Verùm advertant Prælati hanc licentiam non præbere absque causa, nam si aliter facerent, non expediret: Confessionem tamen cùm tali licentia factam, validam & firmam esse puto. Hucusque Diana.

166. Minoritæ extra Conventum itinerantes possunt confiteri extra Ordinem. Portel.

Tantum addo, quod lego apud Portel verb. *Confessor Regularis.* n. 12. Minoritis & ferè omnibus aliis prohibitum est confiteri Clerico sæculari, vel Religioso alterius Ordinis. At si sint extra Conventum itinerantes, neque habent Confessorem Ordinis, & obliti sunt petere licentiam confitendi extraneo Confessori; poterunt id facere extra Conventum: quia quando licentia datur ad itinerandum, in illa includitur licentia confitendi Sacerdoti extraneo, attentâ fragilitate naturæ humanæ; & necessitate celebrandi: si tamen subditus ante egressum prævideat, tenetur petere talem licentiam. Hæc ille.

An debeant petere licentiam.

Ego autem non video necessitatem, seu obligationem petendi licentiam, cùm in privilegio ab Innocentio concesso nulla fiat mentio petitionis licentiæ confitendi, sed solius licentiæ itinerandi: quo ergo fundamento obligat ille Auctor Fratres itinerantes, cum debita licentia Superiorum, ad petitionem hujusmodi licentiæ?

167. An teneantur confiteri ante celebrationem Missæ.

Addit ibidem Portel, quòd oblatâ necessitate gravi celebrandi extra Conventum, si habeat peccatum mortale, & non habeat nisi Confessorem sæcularem, tenetur illi confiteri, & non poterit celebrare cum sola Contritione; quia hìc militat præceptum divinum & Ecclesiasticum generale confitendi, quod prævalet præcepto positivo Religionis, non confitendi extraneo. Ita præfatus Auctor.

Sed non placet; quia præceptum divinum & Ecclesiasticum generale confitendi, supponit copiam Confessoris, ùt clarè patet ex Trident. sess. 13. c. 7. ibi: *Modo non desit illis copia Confessoris.* Cur autem fieri non posset per positivum præceptum Religionis, ut Sacerdos, qui alioquin ex jure communi habet potestatem absolvendi, hìc & nunc nequeat validè absolvere? Quid aliud clamat reservatio peccatorum, quæ fit per positivum præceptum Religionis?

Trident.

168. Licentia aliquando data in nostra Provincia, confitendi in termino Sacerdoti non approbato, hodie est revocata.

Nonne licentia, aliquando data in Provincia nostra, confitendi in termino Sacerdoti non approbato, hodie revocata est? *Non possint* (inquiunt statuta Provincialia c. 7. §. 1. n. 1.) *confiteri Sacerdoti non approbato, nequidem in termino, revocatâ licentiâ circa hoc aliquando datâ.* Num ideò prohibitio confitendi simplici Sacerdoti, prævalet præcepto divino & Ecclesiastico generali confitendi ante celebrationem Missæ? Vel si hæc prohibitio præ-

valet (nam , illâ stante , potest Sacerdos in termino celebrare non præmissâ Confessione , quam ante revocationem licentiæ tenebatur præmittere) cur etiam præceptum positivum , seu prohibitio confitendi extraneo , non poterit prævalere ?

169. Illa revocatio non prævalet furi divino præmittendi Confessionem Communioni.

Quamquam nec hæc , nec illa prævaleat , sed utraque tantùm faciat , ut desit copia Confessoris , quæ aliàs non deesset ; eodem modo , quo lex excommunicationis , per quam privatur Sacerdos jurisdictione spirituali seu Ecclesiasticâ , necessariâ ad validè absolvendum. Hinc si occurrat necessitas celebrandi , & nullus alius adsit Sacerdos , præter hunc excommunicatum , potest Sacerdos celebrare cum sola Contritione , non præmissâ Confessione, quia deest copia Confessoris ; ergo similiter in nostro casu , supposito , quòd absolutè Religio prohibuerit confiteri extraneo.

Quippe vel ille extraneus suam jurisdictionem accepit ab Episcopo , à quo , ut suppono , Religio exempta est ; adeòque vi hujus jurisdictionis non potest absolvere Religiosum , contradicente Religione , cùm ab ea debeat accipere jurisdictionem : non est autem verisimile , quòd velit dare jurisdictionem , quando absolutè prohibet Confessionem ; vel habet jurisdictionem universalem à Pontifice ; quis autem dixerit Pontificem velle dare jurisdictionem contra expressam voluntatem Religionis , cùm ipse Religioni dederit privilegium , ne aliquis extraneo possit confiteri , sinè licentia Superiorum ?

170. Privilegia sæpè dantur ad sedandos scrupulos conscientiarum.

Cæterùm , ut ad primum propositum revertamur , quòd Superiores non possint dare illam licentiam nisi itinerantibus , sicut dixi , non satis probatur ex illis privilegiis , quæ sæpiùs dantur , ùt alibi ostendimus , ad sedandos scrupulos conscientiarum. Regulares , inquit Rodriguez to. 1 qq. Reg. q. 7. a. 1. à Sede Apostolica impetrarunt multa privilegia, quæ licèt nihil aliud concedant , quàm id , quod jure ipso communi poterant facere ; hæc tamen privilegia operantur , ùt facilius & clarius jus habeant , & sic provideatur eorum conscientiis timoratis , & litibus , quæ super eorum dubia oriri possunt , finis faciliùs detur , quod volunt summi Pontifices , maximè in casibus Regularium observari. Hæc ille.

Rodriguez.

Prælati Regularium possunt eligere Confessarium intrà & extra Ordinem,

toties quoties voluerint , etiam in præsentia Confessarii ordinarii.

Maneat itaque , Prælatos Regularium posse eligere sibi providum & discretum Confessorem intrà vel extra Ordinem , nisi obstet specialis constitutio Religionis , per quam eorum potestas restringatur. Idque non tantùm pro una vice , sed toties quoties voluerint , eundem vel diversum ; estò alioquin adesset , qui de jure ordinario posset & deberet absolvere. Quod etiam dicendum est de Episcopis. Ratio ; quia cap. ult. de Pœnit. & Remiss. in quo conceditur facultas eligendi Confessorem , loquitur generaliter ; ergo sinè ratione non debet limitari ad absentiam ordinarii Confessarii , vel ad unicam Confessionem.

171. Objectiones.

Prorsùs , inquis , non debet limitari sinè ratione ; verùm ratio limitandi in promptu est , utputà ; quia quando adest Confessarius ordinarius , nullum imminet periculum animarum , quod periculum est ratio illius privilegii. Deinde in singulari dicitur , ut possit eligere *discretum Confessorem* , non autem in plurali , *discretos Confessores*. Adde, similes facultates in jure ita solere intelligi , ut uno actu finiantur.

Solvuntur.

Respondeo ad ultimum : si aliquando in jure nonnulla similia rescripta intelligantur finiri uno actu , illud est , quia sunt odiosa ; secùs verò dicendum de gratiosis privilegiis ; nisi aliud evidenter constet aut ex verbis , aut ex materia subjecta.

Ad secundum ; idcircò in textu in singulari ponitur *Confessor* , quia electio semper in particulari fit circa unum Confessorem , non quia illa non possit sæpiùs fieri. Nam indubitatum est, si moriatur, vel impeditus sit Confessor , priùs electus , posse alium loco ipsius substitui ex vi ejusdem privilegii. Et aliunde, nisi privilegium ita intelligeretur , ferè nullius esset momenti , nec per illud consequeretur Pontifex , quod intendit : cùm rarò contingat , ut singulis vicibus , quando Episcopi vel alii Prælati indigent Confessione , adsit Confessor , primâ vice electus.

172. Cessante fine privilegii in casu particulari negativè , non cessat privilegium.

Ad primum Respondeo ; cessante fine, seu ratione legis in casu particulari , solùm negativè , non cessat ipsa lex , multò minùs privilegium. Nam , ùt Multi docent in materia de Legibus , dispensatio absolutè concessa , cui ab initio justa causa suberat , eâ cessante non desinit valere : argum. Reg. 16. de Reg. Iuris in 6. *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.* Cur ergo non valeat præfatum privilegium eligendi Confessorem, estò hìc & nunc non imminеat periculum animarum ex dilatione Pœnitentiæ ?

Sanè periculum illud ; quod natum est subesse, causa fuit sufficiens, concedendi absolutum privilegium , etiam pro illis casibus, in quibus hìc & nunc per accidens non subest tale periculum : hoc quippe expedit bono communi, tum ut scrupulis obvietur, tum etiam , ne beneficia , seu privilegia Principum , facilè valore suo destituantur.

173. Abbatissæ non possunt eligere Confessarium.

Atque hæc satis de privilegio concesso Episcopis , Abbatibus (non Abbatissis , cùm jurisdictionem Ecclesiasticam non habeant) & aliis Prælatis exemptis ; privilegio , inquam , eligendi sibi providum & discretum Confessorem , id est, qui sciat ligare & solvere , & qui diligenter investiget qualitatem criminis & personæ , juxta Glossam cap. ult.

ult. de Pœnit. & Remiss. verb. *Providum.*

Quæro autem ulteriùs ; an etiam cæteri fideles in aliquo casu habeant similem facultatem à jure , vel ab homine ? Responsio patebit ex dicendis Conclusione sequenti, quæ talis est:

CONCLUSIO VII.

Peregrini, si non peregrinentur in fraudem, possunt eligere quemlibet Confessarium publicè expositum. Similiter vagi , sed in loco, in quo sunt. Ignorantia proprii Sacerdotis, non dat jus, eligendi alienum.

174. Probatur 1. pars Concl. ex vivæ vocis oraculo Eug. 4.

QUantùm ad primam partem Conclusionis , pro ea assignari potest vivæ vocis Oraculum Eugenii IV. apud Rodrig. 4. sequentis tenoris: *Idem Eugenius declaravit, quod quando quis tempore Paschatis se reperit in aliena Diœcesi , semper ibi intelligatur adeptus incolatum , ut ibi confiteri & communicare valeat , quantumcumque ibi parvo tempore steterit.*

Quam declarationem intelligo (inquit Suarez Disp. 25. Sect. 2. n. 9.) esse extensionem , non limitationem : nam si de aliqua dubitari poterat , maximè de illa ; quia in eo tempore videtur esse maxima obligatio confitendi proprio Sacerdoti : si ergo tunc fieri potest alteri , etiam poterit quocumque alio tempore , maximè si aliqua necessitas vel specialis utilitas occurrat : non quidem de jure communi , quia peregrini manent semper subjecti Parocho , in cujus Diœcesi habitant ; sed de tacito consensu proprii Sacerdotis , quem colligimus ex communi praxi & consuetudine , maximè rationabili , & moraliter quasi necessaria , propter itineris occasiones & pericula.

175. Peregrini tenentur propriis legibus locorum.

Herculè si peregrini teneantur propriis legibus locorum , in quibus peregrinantur , ùt Plurimi docent , & videtur nobis verisimiliùs ; quid ni proprii Sacerdotes consentiant , ut in eisdem locis Sacramentum Pœnitentiæ recipiant ab iis , quibus in tali loco incumbit illud ministrare ? Interim , ùt notat Suarez suprà n. 8. si ibi fuerint Alii , habentes potestatem delegatam à Papa , securiùs erit illis confiteri ; quia est res magis certa.

Olim solebant fideles petere licentiam itinerandi à Parochis.

Quæ utique major securitas fortè fuit causa , cur olim solerent fideles facultatem petere à suis propriis Sacerdotibus ad agendum iter : in qua facultate censebatur dari licentia confitendi alteri in itinere ; nunc autem cessavit illa consuetudo , & tamen videmus passim & sinè scrupulo , etiam homines timoratos , confiteri Parocho loci , in quo peregrinantur , & Parochum sinè scrupulo eos absolvere , quam praxim condemnare non audeo ; cùm proprii Sacerdotes eam sciant , & non contradicant ; cùm tamen facilè possent contradicere.

176. Quid si Parochus nolit dare licentiam peregrino?

Quid ergo , inquis , si aliquis contradiceret ? Respondeo ; tunc recurrendum foret ad declarationem Eugenii ; vel tacitam licentiam Episcopi : nam & Pontifex , & Episcopus possunt , etiam contradicente Parocho , dare suis subditis licentiam alteri confitendi. Et quid ni Episcopus censeretur dare , ad evitandum periculum animarum , ubi Parochus irrationabiliter contradiceret ?

Qui peregrinatur in fraudem non potest alieno Sacerdoti confiteri.

Porrò rationabiliter contradicit , seu potiùs nunquam censetur consensisse , aut dedisse licentiam absolvendi peregrinos , qui peregrinantur in fraudem , id est , ad hoc præcisè , ut habeant occasionem alteri , & non proprio Sacerdoti confitendi : quippe jam illa non est necessitas , sed mera voluntas , & ideo non esset valida Confessio. Unde Ecclesia talem consuetudinem non habet.

177. Disparitas inter vagos & peregrinos.

Sed nunquid quæ peregrini , eadem est ratio vagi seu vagabundi ? Disparitas inter vagos & peregrinos est , quòd hi retineant proprium suum Parochum , scilicet loci , in quo habent domicilium ; unde & illi , & alteri ex ejus commissione possunt confiteri ubicumque fuerint : vagi autem , cùm nullibi domicilium aut quasi domicilium habeant , sortiuntur proprium Sacerdotem secundùm loca , in quibus de facto morantur , quocirca soli Parocho illius loci , ubi existunt , vel alteri ex ejus commissione possunt validè confiteri ; non autem Parocho alterius Parochiæ , in qua v. g. præcedenti die fuerunt.

Vagus soli Parocho illius loci, in quo existit, potest confiteri.

Oppositum docet Navarrus.

Est contra Navar. in cap. *Placuit* n. 79. 80. & 81. ubi sic ait : Secundo casui addo primò ; quòd vagabundus est , qui nullibi certum habet domicilium , ùt habet Glossa memorabilis in l. *Hæres absens* §. *Proinde.* versic. *At si quo.* ff. de Iudiciis. Secundò addo , talem vagabundum non solùm posse confiteri Parocho , in cujus Parochiam pervenerit : sed etiam cuilibet alii Sacerdoti , quem elegerit , secundùm Paludanum & Antoninum.

Quis sit vagabundus.

178. Probatur sententia Navarri.

Quod eâ ratione probatur ; quia cap. hoc, & cap. *Omnis.* de Pœnitent. & Remiss. cum similibus , de illo tantùm disponunt , qui alicui Parocho subest. Quod clarè colligitur in hoc cap. (*Placuit* de Pœnit. dist. 6.) ex illis verbis : *Cui proprius se commisit* ; & in cap. *Omnis.* ex illis verbis: *Proprio Sacerdoti* ; & ex illis : *Alieno Sacerdoti* ; ergo quoad alios , qui nulli jure committuntur , antiqua jura & antiqua consuetudo servanda est , ut scilicet confiteantur cui volunt.

Confirmatur.

Confirmatur ; quia quemadmodùm parochiani

rochiani tenentur confiteri Parocho, ita è contrario Parochus parochianorum suorum Confessiones audire tenetur. Cùm igitur nullus Parochus teneatur vagabundum audire, nisi qui velit: sic ille nulli tenebitur confiteri, nisi ei, quem eliget. Ita Navar.

179. Rejicitur sententia Navarri.

Sed hæc gratis dicuntur: quia nuspiam ostenditur vel à Deo, vel ab Ecclesia talis facultas data his hominibus, neque esset rationabilis; tum quia non magis illi merentur hoc privilegium, quàm alii habentes domicilia, aut quasi domicilia; tum etiam, quia esset illis valde nocivum: aliàs neque aliquis haberet ex officio propriam & particularem curam eorum, neque ipsi tenerentur alicui rationem reddere, quòd impleverint præceptum Confessionis. Ita Suarius suprà n. 7.

In vagis actualis habitatio succedit loco domicilii.

Qui propterea nobiscum docet, vagos ibi habere proprium Sacerdotem ubi vagantur, & in hujusmodi hominibus actualem habitationem succedere loco domicilii; quandoquidem aliud non habeant: & ideo ordinarium Parochum illorum esse illum, in cujus parochia habitant, & mutatâ habitatione mutari. Et sic habet consuetudo; estque optimum signum: quia ipse Parochus tenetur ex officio eis ministrare Sacramenta, si indigeant, eosque potest ad præceptum implendum compellere.

180. Responsio ad Confirmationem Navarri.

Ex quo patet responsio ad confirmationem Navarri: tantum enim nos habemus fundamentum affirmandi, Parochum teneri ex officio audire Confessionem vagabundi, quantum ipse habet, ad id negandum; immo majus fundamentum habemus, cùm alioquin valde malè esset provisum isti vagabundo, si nullus teneretur audire ipsius Confessionem, vel administrare alia Sacramenta, nisi qui volet.

Non favet Navarro Glos. in Clement. *Dudum*, de Sepult.

Nec favet Navarro Glossa, quam citat, in Clement. *Dudum.* de Sepulturis verb. *Impendant*, ùt patet inspicienti. Subscribo quod aliquo modo potest facere ad propositum. *Dicit finaliter Ioan. Mo. quòd isti non sunt Curati quod etiam secundum eum esset quoad Fratres Minores contra Constitutionem Exiit de verb. Signif. lib. 6. Sit ratio: quia nec ipsi adstricti sunt ad executionem, vel exercitium istorum actuum: nec fideles sunt adstricti, ut in his ad eos recurrant: & sic licèt ex privilegio hujus perpetuæ Constitutionis hoc possint, non per hoc sunt censendi Curati.* Hæc, inquam, Glossa non favet Navarro, nisi priùs probaverit, Parochum non teneri vagabundum audire. Quod cùm non probet, sequimur sententiam Suarii & Aliorum.

181. Respondetur ad rationem Navar.

Et respondemus ad rationem Navarri; vagabundos jure consuetudinario, si non scripto, commissos esse Parocho istius loci, in quo de facto morantur, ne sint omnino exleges; præsertim cùm ad assistendum Matrimonio ipsum adhibere debeant, & ipse teneatur ex officio assistere, ùt suo loco dicetur. Item tenetur ministrare Viaticum & Extremam Unctionem, quid ni etiam Sacramentum Pœnitentiæ?

Cap. 1. de Celebrat. Miss.

Cap. *Presbyter* 1. de Celebr. Miss. ita legimus: *Presbyter manè matutinali officio expleto, pensum servitutis suæ, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamq; persolvat &c. Deinde peractis Horis, & infirmis visitatis, si voluerit exeat ad opus rurale jejunus, ut iterùm necessitatibus peregrinorum & hospitum, sive diversorum commeantium, infirmorum atque defunctorum succurrere possit* (Missam celebrando) *usque ad statutam horam pro temporis qualitate.* Si Ecclesia sic providit peregrinis de celebratione Missæ, per consequens de administratione Eucharistiæ; putas quia liberum reliquit Parocho administrare vel non administrare peregrinis & vagabundis Sacramentum Pœnitentiæ? Non est credibile.

182. Conclus. nostræ non contrariatur Gabriel ùt perperam existimat Suarez.

Persisto itaque in Conclusione, cui non contrariatur Gabriel, ùt perperam existimat Suarez suprà, dicens: Et ob easdem rationes non placet, quod Gabriel ait in 4. dist. 17. q. 2. a. 3. dub. 2. hos (vagabundos) non habere alium Sacerdotem proprium, præter Episcopum Diœcesis, in qua versantur, & ab illo habere ex consuetudine facultatem eligendi Confessorem, quem voluerint.

Quid sentiat Gabriel de vagabundis.

Legi Gabrielem loco citato, & nihil simile reperio, signum, quòd Suarez propriis oculis eum non legerit. Quid ergo dicit Gabriel? Accipe verba ejus: Si laicus nullum habet domicilium, sed vagatur de loco ad locum; Curatus loci, in quo pro tempore fuit, est suus proprius Sacerdos. Hæc ille de vagabundis.

Quid de peregrinis.

De peregrinis autem subjungit: Peregrini (si cum licentia sui Curati peregrinantur) habent licentiam confitendi, & Sacramentum Eucharistiæ sumendi, quocumque loco se inveniunt. Si non habent licentiam, extra articulum necessitatis non possunt absolvi ab alieno.

183. Quid de mercatoribus & scholaribus.

De mercatoribus dicitur similiter, sicut de scholaribus, scilicet quod si alicubi morantur per annum vel majorem partem anni, præsertim ultra Pascha, in quo tenentur confiteri, & quando communiter in Paschate non declinant ad sui loci domum: quia tunc non videntur habere domicilium, ubi est eorum domus quoad Sacramenta percipienda: ideo tunc licitè confitentur Curato illi, ubi pro tunc existunt, & ab eo absolvuntur, & Eucharistiâ providentur. Si verò moram alicubi non trahunt, non possunt absolvi, nisi à Curato Parochiæ, in qua habent domicilium, nisi de licentia ejus vel Superioris. Ideo cautum est talibus, accipere licentiam generalem

ralem à Papa, Episcopo, vel suo Curato confitendi, & Sacramenta percipiendi à quocumque. Hucusque Gabriel.

Qui, sicut ad oculum patet, nihil omninò dicit ex his, quæ Suarez, tamquam ab eo dicta, nobis proponit, & prorsùs nobiscum convenit, quantùm ad vagabundos. Quòd autem contra nos docet de peregrinis, jam solutum est: & quia aliud non occurrit solvendum, pergo ad tertiam partem Conclusionis, in qua disputatur; an ignorantia proprii Sacerdotis, tribuat unicuique fidelium jus, eligendi Sacerdotem alienum.

184. An ignorantia proprii Sacerdotis tribuat jus confitendi alieno. *Negat* Suarez.

Negat Conclusio, quamquam sententia affirmans sit magis communis, quam sequitur Vasquez q. 93. a. 2. dub. 3. cum his tamen limitationibus; Prima, ùt proprius Sacerdos adeò sit ignarus, quòd potens non sit nec sufficiens ad hoc ministerium, ita ut propter scientiæ defectum esset nulla Confessio cum eo facta. Secunda, si nullus adsit, qui habeat jurisdictionem ex commissione: conceditur namque illa facultas in defectum proprii, aut habentis jurisdictionem, saltem ex commissione.

Sententia affirmans probatur ex c. fin. de Pœnit. dist. 6.

Sed quod fundamentum hujus sententiæ? Unicum sanè, desumptum ex Decreto Gratiani 9. q. 2. c. 2. & de Pœnit. dist. 6. cap. fin. sequentis tenoris: *Placuit ut deinceps nulli Sacerdotum, liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti, ad pœnitentiam suscipere, sine ejus consensu, cui prius se commisit, nisi pro ignorantia illius, cui pœnitens prius confessus est. Qui verò contra hæc statuta facere tentaverit, gradûs sui periculo subjacebit.* Ita Urbanus II.

Ubi videtur concedere cuilibet fideli facultatem eligendi Confessorem, si proprius Sacerdos sit ignorans. Quod indubiè potuit facere, cùm fuerit Summus Pontifex, qui est Sacerdos proprius omnium Christi fidelium, ùt patet ex ante dictis; ergo non solùm in casu ignorantiæ, sed etiam malitiæ aut alterius cujuscumque impedimenti, immo Parocho existente apprimè docto, sanctissimo, & nullatenus impedito, potuit alteri delegare potestatem absolvendi, toties quoties ab aliquo fideli eligeretur in Confessorem. An autem quod potuit facere, id ipsum fecerit, de hoc controvertitur inter DD.

185. Quod Aliqui perpetuam extendant ad casum, in quo timetur revelatio Confessionis. Item ad casum excommunicationis proprii Sacerdotis.

Cumque expresserit casum solius ignorantiæ, nescio, quâ auctoritate, præfatam concessionem Aliqui extendant ad casum malitiæ, v. g. quando timetur revelatio Confessionis, aut solicitatio ad peccandum, vel simile damnum. Item ad casum excommunicationis vel suspensionis proprii Sacerdotis. Neque enim in positivis valet semper argumentum à paritate, immo identitate rationis, nisi ad evitandum absurdum: siquidem non ratio, sed voluntas Legislatoris est anima legis.

Et quamvis ratio indicet, Legislatorem potuisse casum similem comprehendere; equidem, cùm Legislator non debeat velle omnia præcipere, quæ potest, immo cùm non semper expediat id fieri, non satìs significat, illum voluisse talem casum propter similem vel eandem rationem comprehendere; nisi aliàs voluntas Legislatoris foret irrationabilis & injusta.

Verba legis non semper possunt improprie accipi, aut extendi ad casum similem.

Profectò si verba legis semper possent sumi improprie, aut extendi ad casum similem, vix aliquid certi haberetur ex verbis legis; quia similitudo est valde ambigua, & valde latè patens, ùt proinde ex una lege infinitæ pullularent, quod est contra bonum commune, adeòque maximè repugnans voluntati Legislatoris: pluralitas namque legum parit contemptum.

186. Objectio.

Dices; nisi Pontifex comprehendat suâ lege casus similes, jam enumeratos, non est sufficienter provisum pœnitentibus, adeòque ad evitandum illud absurdum, verba Decreti extendenda sunt ultra naturalem & civilem significationem.

Dilutur.

Respondeo; ita provisum esse in istis casibus, sicuti dum proprius Sacerdos obiit, dum absens est, dum ex malitia non vult audire pœnitentem &c. quis propterea dixerit, in omnibus his casibus & similibus, quemlibet posse eligere Sacerdotem alienum vi præfatæ Constitutionis Urbani II?

187.

Enimverò tutum non erat, ob alia incommoda tam amplam licentiam concedere, ex qua oriretur confusio Ecclesiasticæ Hierarchiæ & jurisdictionis, cùm quilibet facilè posset prætexere vel malitiam proprii Sacerdotis, vel absentiam, vel similem aliquam causam. Sufficit ergo, quòd in his casibus pœnitens possit justificari Contritione Charitate perfectâ, & cùm illa sola, deficiente copiâ Confessoris, accedere ad Sacramentum Eucharistiæ, urgente necessitate.

Cur Pontifex potiùs exceperit casum ignorantiæ, quàm alterius impedimenti.

Cur autem Pontifex potiùs exceperit casum ignorantiæ, fortè quia ignorantia est impedimentum perpetuum, & satis rarum, ut propterea non sit nata oriri confusio notabilis jurisdictionum, qualis oriretur, ut dixi, si in omnibus istis casibus, & aliis similibus liceret eligere Confessorem alienum.

188. An sufficiat quælibet ignorantia Confessarii, etiam in præsentia delegati.

Porrò quemadmodùm non licet extendere privilegium ultra naturalem & civilem proprietatem verborum, nisi ad evitandum absurdum; pari ratione illicitum est, restringere privilegium ultra naturalem & civilem proprietatem verborum, nisi ad evitandum absurdum. Cùm ergo verba Urbani, suprà allegata, generaliter loquantur de ignorantia proprii Sacerdotis, quo fundamento Vasquez illam restringit ad talem & tantam ignorantiam, quæ est incompossibilis cum valida Absolutione?

Deinde cùm Pontifex nullam faciat mentionem Commissariorum, videri posset Vasquez sinè fundamento restringere hòc Decretum ad casum, in quo non adest Commissarius seu delegatus Pontificis vel Episcopi. Quod enim ait: Conceditur namque illa facultas in defectum proprii aut habentis jurisdictionem, saltem ex commissione; petitio principii est; hoc enim quæritur, adeòque probatum oportuit, non suppositum.

189. Probatur non sufficere, quando adest delegatus Parochi.

Probatur ergo; quia si adesset aliquis Sacerdos, qui haberet jurisdictionem delegatam à Paroeho, deberet pœnitens ei confiteri non obstante ignorantiâ proprii Sacerdotis; hic enim reputatur Vicarius Parochi, & consequenter habet locum proprii Sacerdotis. Quid enim si Parochus nondum sit ordinatus Sacerdos, & aliquem dignum coadjutorem sibi eligat? Parochiani tenentur, per se loquendo, illi confiteri. Ergo similiter si propter suam ignorantiam alteri digno delegaverit suam jurisdictionem absolvendi: non est enim verisimile, Parochum ignorantem per præfatam Constitutionem Urbani privari hoc jure.

Item quando adest delegatus Episcopi.

Et idem dicendum videtur, quando adest delegatus Episcopi; nam & ipse Episcopus proprius Sacerdos est, & ipsi committuntur diœcesani, non minùs quàm parochiani Parocho: sicut ergo mortuo Parocho, parochiani non possunt eligere quemlibet Sacerdotem, sed debent confiteri vel delegatis à Parocho, vel ipso Episcopo, aut ab eo delegatis; pari jure & ratione dum Parochus propter ignorantiam incapax est officii, tenentur parochiani confiteri vel delegatis ab eo, vel Episcopo, aut ab eo delegatis. Quæ namque disparitas? Neque enim cap. *Placuit*, specialiter loquitur de proprio Parocho, sed simpliciter de Sacerdote, cui alter commissus est.

190. Quid si aliquis habeat duos Parochos & unus tantùm sit ignorans.

Nonne si quispiam habeat duos Parochos, & unus eorum est ignorans, idcirco statim potest uti facultate eligendi Confessorem, estò alius Parochus sit sufficiens? Procul dubio si alium commodè potest adire, tenetur; ergo similiter si Episcopum potest commodè adire in casu proposito, tenetur eum adire & per consequens adire ejus Commissarios sive delegatos.

Objectio solvitur.

Si inferas; ergo tenetur petere licentiam à Parocho ignorante, & non habente coadjutorem idoneum. Respondetur Neg. Sequel. quia simpliciter & sinè tali onere datur subditis jus eligendi Confessorem in casu ignorantiæ proprii Sacerdotis; ergo si hic non delegaverit ex seipso jurisdictionem suam Sacerdotibus idoneis, non tenentur subditi ab eo petere hujusmodi delegationem.

191. Si rursùm inferas; ergo tenetur adire Pontificem, si commodè potest, vel delegatos ab ipso: nam & Pontifex proprius Sacerdos est, non minùs, quàm Episcopus.

Alia objectio.

Respondetur rursùm Neg. Sequelam: quia ipse Pontifex est, qui facultatem concedit eligendi Confessorem ob ignorantiam proprii Sacerdotis, quomodo ergo, ex vi illius concessionis, potest esse necessarius recursus ad Summum Pontificem? Adeòque nec ad ejus delegatos, cum nemo teneatur accedere ad Iudicem, qui alterius vices gerit, nisi quatenus per se tenebatur accedere ad ipsum principalem Iudicem; vel nisi hoc sit specialiter præceptum: de tali autem præcepto hìc non constat.

Responsio.

192. Quid si adsit Parochus alterius Ecclesiæ?

Hæc itaque restrictio: Si non adsit delegatus Pontificis, caret sufficienti fundamento; utì & ista, quam subjungo: Si aliquis adsit Sacerdos, habens aliàs jurisdictionem in hoc foro, quamvis non habeat in hunc parochianum, ille est eligendus; v. g. Parochus alterius Ecclesiæ potiùs, quàm simplex Sacerdos.

Sed cur hoc? Enimverò jurisdictio Sacerdotis, si non sit in ipsum pœnitentem, per se loquendo impertinens est ad hoc judicium: ergo nisi aliquo jure ponatur illa, tamquam conditio necessaria in Sacerdote eligendo, non est cur exigatur; hìc autem nullum est jus postulans talem conditionem, nam textus absolutè loquitur de altero Sacerdote, si vera est expositio, quam hucusque prosecuti sumus.

193. Cæterùm quamvis hæc expositio non careat probabilitate, possitque, ùt notat Suarez Disput. 27. Sect. 2. n. 21. securè ad praxim applicari; equidem cum ipso & Aliis existimo, juxta veriorem intelligentiam illius cap. *Placuit*, nullam facultatem concedi ipso jure ad eligendum Confessorem alienum, qui absolvat à peccatis, sive propter ignorantiam speculativam proprii Sacerdotis, sive propter ignorantiam practicam, id est, malitiam.

Explicatur cap. *Placuit*, de pœnitentia publica non sacramentali.

Moveor præcipuè ex illis verbis textûs: *Propter ignorantiam illius, cui pœnitens priùs confessus est.* Quid si enim aliunde comperta foret pœnitenti ignorantia Parochi, num equidem deberet priùs ei confiteri, antequam posset eligere alienum Confessarium? Non est verisimile, Pontificem id voluisse, & tamen verba sic sonant. Ergo non loquitur Pontifex de receptione ad Pœnitentiam sacramentalem.

De qua igitur? Arbitror de receptione ad pœnitentiam publicam, id est, loquitur de recursu ad secundum Sacerdotem, pro moderanda pœnitentia publica, à priori imposita, cui se pœnitens commiserat, ut ab ipso pro delicto publico acciperet pœnitentiam publicam.

Colli-

194. Probatio.

Colligitur ex illis verbis: *Cui prius se commisit*: nam ex illo relativo reciproco, *Se*, constat, non esse sermonem de sola commissione facta Pastoribus Ecclesiæ per divisionem jurisdictionum (quæ dudum anteà facta fuerat, ùt patet ex Dionysio Papa in cap. *Ecclesias* 13. q. 1. superiùs à nobis relato: neque per hanc divisionem parochianus se committit Parocho, sed ab Ecclesia committitur) sed de commissione & subjectione illa, quâ pœnitens se actu subdit Sacerdoti, cum voluntate illi confitendi, & recipiendi pœnitentiam, utique publicam pro peccatis publicis, prout tunc temporis moris erat. Atque illam impositam à priori Sacerdote, non vult Pontifex, ut secundus Sacerdos mutet, nisi propter ignorantiam prioris Sacerdotis, id est, nisi contineat manifestum errorem, cujus judicium non ipsi pœnitenti, sed alteri Confessori intelligitur esse commissum.

195. Quid in illo cap. prohibeatur.

Unde ex vi illius textûs non prohibetur Sacerdos audire Confessionem, priùs alteri factam; sed ita audire, & judicare de illa, ut mutet pœnitentiam publicam, ab alio injunctam, nisi manifestum errorem in illa perspiciat, quod necessarium fuit ad conservandum rigorem disciplinæ, ne alioquin singuli Confessarii ex timore, quòd postea recurreretur ad alium, imponerent pœnitentias minùs dignas.

Sermo igitur est in illo textu non de duobus Sacerdotibus, uno proprio, & altero alieno, neque enim his terminis utitur Pontifex; sed de duobus Sacerdotibus publicè expositis ab Episcopo, vel alio Superiore ad recipiendos pœnitentes & taxandas pœnitentias publicas, pro publicis delictis. Et quamvis liberum foret pœnitenti huic vel illi se committere, tamen postquam huic se commisisset, non erat liberum se committere alteri, nisi propter ignorantiam prioris.

196. Illud quod prohibetur antea erat licitum.

Equidem non est verisimile, ante hanc Constitutionem solitos fuisse fideles confiteri sacramentaliter alieno Sacerdoti, relicto proprio, cùm sit manifestè contra jus divinum; & tamen ait Pontifex: *Placuit, ut deinceps*; ergo quod hìc prohibetur, priùs erat licitum, scilicet adire alium Sacerdotem, in eadem Ecclesia jurisdictionem habentem, pro mutatione impositæ pœnitentiæ, quod Pontifex deinceps noluit fieri, nisi propter ignorantiam prioris Sacerdotis.

In illo capite nulla conceditur facultas eligendi Confessorem, qui jurisdictionem accipiat

Hæc videtur esse genuina explicatio illius textûs; juxta quam (inquit Suarez suprà n. 23.) per illam exceptionem: *Nisi pro ignorantia illius, cui pœnitens prius confessus est*, nulla facultas conceditur ad eligendum Confessorem, qui jurisdictionem habeat in pœnitentem, propter solam ignorantiam proprii Parochi: & per sese est ferè incredibile, hoc esse commissum jure communi omnibus pœnitentibus doctis & indoctis, bene & malè affectis erga suos Parochos: neque talis facultas videtur esse in usu in Ecclesia, vel unquam fuisse: & ideo fortasse Concilium Lateranense simpliciter & absque tali exceptione locutum est dicens (ùt refertur cap. *Omnis*. de Pœnit. & Remiss.) *Si quis alieno Sacerdoti voluerit justa de causa, sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio Sacerdote: cùm aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare.*

propter solam ignorantiam proprii Sacerdotis,

197. quia talis facultas esset ferè inutilis.

Quin immo, si solùm in casu ignorantiæ Parochi, quæ Confessionem redderet nullam, daretur ibi facultas pœnitenti eligendi Confessarium, esset ferè inutilis illa decisio: vix enim unquam talis ignorantia in Parocho reperitur, aut certè difficillimum est, eam probare, ùt tamen probari deberet, ad evadendam pœnam impositam in eo textu: quare provisum solùm fuisset necessitati pœnitentis in casu quodam metaphysico.

Confirmatur; quia vel pœnitens ille, cui providetur, est doctus, & potest supplere ignorantiam Parochi, adeòque non indiget alio Confessario; vel & ipse est ignorans, ac proinde nequit judicare de ignorantia Parochi sufficienti ad hoc, ut propter illam possit sibi eligere alium Confessarium. Ad quid ergo illa facultas?

198. Conceditur facultas mutandi publicam pœnitentiam illi Sacerdoti, quem pœnitens elegerit,

Quod ergo placuit Pontifici, hoc ipsum & tibi placeat, scilicet publicam pœnitentiam, propter ignorantiam Sacerdotis, qui eam imposuit, posse mutari ab alio Sacerdote, quem pœnitens elegerit, juxta superiùs dicta. Quia autem non solent ampliùs imponi pœnitentiæ publicæ, de facto hoc jus cessavit, & ideo hic sit finis præsentis Conclusionis. Finis autem Sectionis erit

CONCLUSIO VIII.

Ordinaria jurisdictio cessat cessante officio. Exerceri potest extra proprium territorium. Non acquiritur ratione delicti, commissi in tali loco.

199. Probatur 1. pars. Concluf ex c. 60. de Appell.

Hæc Conclusio quoad omnes suas partes est communis & verissima. Prima pars probatur argum. cap. 60. de Appell. *Cùm cessante causâ, cesset effectus*. Innoc. III. in

& cap. 26. de Jurejurando,

Conc. Gener. Later. cap. 36. Et cap. *Etsi Christus*, 26. de jurejurando, ibi: *Quia cessante causâ, cessat effectus.* Innoc. III. Abbati & Capitulo Castellionis.

Cessante fine inadæquato legis non cessat lex.

Intellige autem, cessante causâ adæquatâ: nam, ùt communiter docetur in Tract. de Legibus, cessante fine inadæquato legis, non necessariò tollitur obligatio, etiamsi Legislator non fuisset legem laturus, nisi motus etiam ab isto fine. Ratio; quia finis inadæquatus permanens, potest esse sufficiens pro justitia legis; & quamvis non tulisset legem, nisi etiam motus ab hoc fine, qui cessat; hinc tamen solum sequitur, finem qui remanet, non fuisse adæquatum motivum legis: interim fuit motivum sufficiens, propter quod Legislator non conditionatè, sed absolutè & simpliciter tulit legem, nisi aliud expressè constet de ipsius mente.

Officium est causa adæquata jurisdictionis.

Sic ergo impræsentiarùm, cùm officium sit causa adæquata jurisdictionis ordinariæ; definitur quippe (ùt patet ex præambulo hujus Sectionis) quæ alligatur alicui muneri seu officio, liquet profectò, cessante illo officio, cui alligatur, & ipsam jurisdictionem, quæ alligatur, necessariò cessare. Sin autem contingeret, unum & eundem Sacerdotem plura obtinere officia, per se seorsim sufficientia, seu habentia annexam jurisdictionem, estò cessaret unum ex illis, non ideò cessaret jurisdictio ordinaria, quia non cessat causa adæquata.

200. Objectio.

Dices; dispensatio seu privilegium absolutè concessum, cui ab initio justa causa suberat, eâ cessante, non desinit valere: ergo consimiliter jurisdictio ordinaria, cui ab initio justa causa suberat, utputà officium, seu cura animarum, eâ cessante, non desinit valere.

Antecedens probatur: quia cessante causâ, non cessat effectus perfectus & consummatus; sed effectus perfectus & consummatus dispensationis est relaxatio legis; ergo licèt cesset causa dispensationis, non tamen propterea cessat relaxatio legis: Reg. 73. de Reg. Iuris in 6. *Factum legitimè retractari non debet, licèt casus postea evenat, à quo non potuit inchoari.* Et leg. 85. ff. eodem tit. *Non est novum, ut, quæ semel utiliter constituta sunt, durent, licèt ille casus extiterit, à quo initium capere non potuerunt.*

Reg. 73. de Reg. Iur. in 6.

Lex 85. ff. eod.

Nonne sæpissimè ex causa aliqua temporali, v. g. propter præclara gesta parentum, conceditur legitimè perpetuum privilegium filiis, v. g. exemptio à tributis? Similiter austeritas alicujus Religionis frequenter fuit causa, quare Pontifex pro perpetuo concesserit privilegia. Ergo consimiliter licèt hodie cesset officium, sinè quo non poterat jurisdictio ordinaria capere initium, quid ni tamen sinè illo officio perseveret jurisdictio, semel concessa?

Respondeo; quia jurisdictio illa est accessorium officii: *Accessorium* autem *naturam sequi congruit principalis.* Reg. 42. de Reg. Iuris in 6. quod non habet locum in dispensatione & aliis privilegiis perpetuis.

201. Solutio.

Subinde cessant privilegia cessante causâ,

Quamquam etiam subinde privilegia cessent, cessante causâ, quando scilicet in casu particulari id exprimitur, prout fit in cap. *Abbate* 25. de Verb. signif. in fine: *Ita videlicet, ut tamdiu Monasterium ipsum hâc honoris debeat prærogativâ gaudere, donec illidem viguerit observantia regularis, ut idoneæ personæ inveniantur in illo, qui possint in Abbatem assumi.*

Cap. 25. de Verb. signif.

Sanchez.

Quidquid ergo sit de dispensatione, & aliis privilegiis (nam Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 30. n. 14. putat probabiliùs, cessante omnino causâ finali dispensationis, etiam ejus valorem cessare, & idem docet de privilegiis, & probat utrumque tum ex jure, tum ex ratione) certum del et esse, & reverà est apud omnes; jurisdictionem ordinariam cessare, cessante officio, cui annectitur, ne alioquin infinitos propemodum habeamus ministros ordinarios hujus Sacramenti; cùm Prælati Religionum sæpissimè defungantur suo officio, & novi substituantur, quod est contra bonum commune; utpotè repugnans manifestè Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & pariens confusionem jurisdictionum.

Cessante officio cessat jurisdictio ordinaria,

Itaque jurisdictio ordinaria non conceditur personæ, sicuti dispensatio vel aliud privilegium, sed ipsi officio; adeòque ad quemcumque transit officium, ad eundem transit jurisdictio ordinaria illi annexa. Noli ergo dubitare de veritate primæ partis Conclusionis, pro qua abundè sufficit praxis, & communis sensus Ecclesiæ.

quæ non conceditur personæ, sed ipsi officio,

202. Probatur 2. pars Concl.

Neque major est ratio dubitandi de veritate secundæ partis Conclusionis, quam similiter probat praxis & communis sensus Ecclesiæ. Ratio à priori; quia jurisdictio sacramentalis non est localis, sed personalis; adeoque sequitur personam, ubicumque fuerit; cur ergo eam non possit exercere ubicumque fuerit? Siquidem Absolutio sacramentalis est actus jurisdictionis voluntariæ, quæ in solos subditos volentes exercetur, idque sinè speciali solemnitate exteriori. Jam autem sola contentiosa jurisdictio, quæ scilicet habet contradictorem, & inter contendentes exercetur, redditurque in invitos; hæc, inquam, sola exerceri nequit à Judice extra proprium territorium, ne Judici alieni territorii injuriam inferat; cùm opus sit externâ cognitione causæ, sedente Iudice pro tribunali &c.

Iurisdictio sacramentalis non est localis, sed personalis, estque voluntaria,

Colligitur ex leg. 2. ff. de Officio Proconsulis ibi: *Omnes Proconsules statim quàm urbem egressi fuerint, habent jurisdictionem: sed non contentiosam; sed voluntariam; ut ecce manumitti*

l. 2. ff. de Offic. Proconsul.

apud

apud eos possunt tam liberi, quàm servi, & adoptiones fieri. Vide etiam Glossam in cap. *Novit.* 7. de Officio Legati verb. *Terminos.* ubi sic ait: *Videtur tamen quod possit absolvere aliquos, dum est extra Provinciam; quia ea, quæ spectant ad voluntariam jurisdictionem exequitur extra Provinciam.* Et ita communiter DD. in præfatum cap. teste Covarruvia l. 3. Variarum c. 20. nu. 8.

Jurisdictio voluntaria exercetur extra territorium.

Covarruvias.

203. Occurritur objectioni.

Nec obstat, quod dicitur in fine cap. 2. de Constit. in 6. *Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impunè.* Loquitur enim Pontifex de statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur: ergo de impositione legis, quæ est actus jurisdictionis quasi involuntariæ; quia imponitur lex etiam nolenti seu invito, non sic absolvitur aliquis à peccatis, aut cum aliquo dispensatur, sed ad instantiam partis.

c. 2. de Const. in 6.

Sicut dispensatio, in Absolutio exerceri potest extra territorium,

Sicut ergo dispensatio exerceri potest extra territorium dispensantis, ùt communiter docetur in Tract. de Leg. pariformiter Absolutio sacramentalis, de qua hic tractamus, poterit exerceri extra territorium absolventis, sive absolvat potestate ordinariâ sive delegatâ, nisi expresè sit restricta ad locum.

sed non nisi in subditum.

Et sicut dispensatio non potest exerceri, nisi in subditum, ita nec Absolutio sacramentalis: quia jurisdictio tantùm exercetur in subditos; argum. cap. 6. de Major. & obed. *Cum inferior Superiorem solvere nequeat vel ligare, sed Superior inferiorem luget regulariter & absolvat.* Et leg. ult. ff. de Iurisdict. *Extra territorium jus dicenti impune non paretur. Idem est si supra jurisdictionem suam velit jus dicere.* Quæ cum ita sint, de veritate secundæ partis Conclusionis haudquaquam est dubitandum.

c. 6 de Major. & obed.

l. ult. ff. de Iurisdict.

204. Probatur 3. pars Concl.

Sed quid dicam de tertia parte? Et hæc ipsa communis est & certa. Probatur autem: quia in hoc foro, quod est merè internum, idem debet esse Iudex omnium culparum, quoniam omnes simul debent remitti, quando sunt mortalia crimina; de quibus est sermo; quia propter illa primariò datur hæc jurisdictio, cùm quilibet Sacerdos à venialibus possit absolvere, ùt patebit ex Sectione sequenti; ergo non debuit hæc jurisdictio dividi prò varietate locorum.

Alioquin qui in hac Parochia per duos menses habitasset, & in alia per alios duos menses, deberet huic Pastori hæc peccata confiteri, & illi Parochò illa peccata, quod est contra communem usum & praxim fidelium, à qua non est recedendum in re tanti momenti.

205. Prælatus Religionis absolvit peccata sui subditi in seculo commissa.

Unde qui hodie profitetur aliquam Religionem, etiam peccata in sæculo commissa confitetur Prælato illius Religionis, & non Parocho loci, in quo peccata commissa fuerunt; estò etiam Prælatus non haberet universalem jurisdictionem, sed præcisè jurisdictionem respectivè in suos subditos; id est, Prælatus ordinariâ suâ jurisdictione ipsum absolvit directè ab omnibus peccatis, sive in Religione, sive in sæculo commissis.

Quid miramur? Iurisdictio namque hæc, prout suprà dixi, non tam localis est, quàm personalis, utpote solùm ordinata ad internam salutem & reconciliationem pœnitentis cum Deo; adeòque sequitur personam, non locum, in quo crimen committitur. At verò jurisdictio fori externi, seu judicium externum, cùm ordinetur ad externam gubernationem, & publicam punitionem, quæ fit ad aliorum exemplum, expedit planè, ut ibi exerceatur, id est, ut ibi puniatur delictum, ubi committitur.

206. Fortè absolutio censuræ petenda est à Superiore loci, in quo crimen commissum fuit *Antoninus.* c. Placuit. 6. q. 3.

Quapropter, quoniam censuræ spectant ad forum externum, fortè earum absolutio petenda est ab Episcopo vel alio Superiore loci, in quo crimen commissum fuit. Ita docet Antoninus 3. p. tit. 17. c. 4. ibi Quintus casus est ratione delicti, 6. q. 3. *Placuit.* quod Quidam dicunt esse verum tunc solùm, quando propter hoc est excommunicatus; quia si esset excommunicatus à Prælato loci illius, propter illud peccatum: sicut consuevit fieri in furtis, & hujusmodi, quorum ignorantur actores, mittendus esset talis ad excommunicatorem, absolvèndus ab eo. Hæc ille.

Idem docet Sylvester v. *Confessor* 1. q. 6. argum. cap. 1. de Raptoribus. sequentis tenoris: *De illis autem, qui de loco ad locum iter faciunt, & ibi rapinas & depræ dationes peragunt: Placuit, ut ab illius loci Prælato excommunicentur: nec ante ex parochia illa exeant, quàm digne, quæ perpetrarunt, emendent: quorum excommunicatio proprio Episcopo significanda est, ne eos recipiat, antequam illuc redeant, ubi rapinam fecerint, & omnia plenè emendent.* Ita Conc. Meldense c. 2.

Sylvester. c. 1. de Raptoribus.

Et verò nihil aliud probat cap. *Placuit.* quod allegat Antoninus. *Placuit* (inquit Conc. apud Compendium c. 5.) *pro communi utilitate & instante necessitate, ut nullus Episcoporum graviter ferat, si ejus parochianum pro depræ dationis causa alter Episcopus excommunicaverit.* 207.

Hinc Glossa in cap. *Placuit.* 16. q. 1. verb. *Sepeliat. Sed quid si parochianus alicujus deliquit in alterius Episcopatu vel territorio? Videtur quod confitebitur Sacerdoti Parochiæ illius, in cujus territorio deliquit: quia ratione criminis factus est de foro suo. Item aliâ ratione, quia per Confessionem pœna æterna commutatur in pœnam temporalem, sed pœnam temporalem nunquam extraneus Iudex potest remittere. Dic, quod proprius Sacerdos est Iudex illius criminis quoad unam pœnam: & ille ubi deliquit quoad aliam pœnam.* Quasi diceret; proprius Sacerdos est Iudex illius criminis quoad Absolutionem à culpa seu remissionem pœnæ æternæ; & ille ubi deliquit quoad pœnam temporalem fori externi.

Glossa in cap. Placuit.

208. Absolutio sacramentalis non competit judici loci, in quo crimen commissum fuit.

Porrò impræsentiarùm tantùm quærimus de Absolutione à culpa in foro sacramentali, quam competere Iudici illius loci in quo crimen commissum fuit, nec jus positivum, nec ratio probat. Ideoque sinè aliqua restrictione vel distinctione loci, dico generaliter cum Conc. Later. cap. *Omnis utriusque* 12. de Pœnit & Remiss. omnia peccata esse confitenda proprio Sacerdoti, vel alieno de ejus licentia. Hæc autem licentia potest esse particularis seu in casu particulari, vel etiam generalis pro omni casu, & solet appellari jurisdictio delegata, & qui illam habet, solet vocari minister delegatus, de quo instituitur

SECTIO SECVNDA.

De Ministro Delegato.

1. Iurisdictio fori sacramentalis est delegabilis, ex Florent. & Trident.

IUrisdictionem hujus fori esse delegabilem, patet novissimè ex Conc. Florent. in Decreto Eugenii ibi: *Minister hujus Sacramenti* (Pœnitentiæ) *est Sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione Superioris.* Et Conc. Trident. sess. 14. c. 7. ibi: *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti Absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

Quæ sit propriè jurisdictio subdelegata.

Ubi jurisdictionem, quam nos vocamus *delegatam*, Conc. vocat, *subdelegatam*, eò quòd subordinetur potestati ordinariæ; etsi specialiter subdelegata dici soleat, quam communicat delegatus, habens potestatem subdelegandi, de qua in fine hujus Sectionis. Et verò licèt Concilia tacerent, praxis tamen communis nimis altè clamaret.

Si autem à me quæritur, quis, cui possit delegare hanc jurisdictionem? Resp. citiùs & dico:

CONCLUSIO I.

Quilibet Ordinarius, cuilibet Sacerdoti, à se distincto, aliunde non impedito, validè pro suis subditis delegat jurisdictionem in hoc foro; invalidè sibi-ipsi immediatè, etiam in futurum, cùm officio defungetur.

2. Probatur 1. pars Concl. ex c. 15. de Offic. Iud. ord.

ESt communis. Probatur prima pars ex cap. *Inter cætera* 15. de Offic. Iud. ord. ibi: *Unde præcipimus tam in Cathedralibus, quàm in aliis Conventualibus Ecclesiis, viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coadiutores & cooperatores habere, non solum in prædicationis officio, verùm etiam in audiendis Confessionibus & pœnitentiis injungendis, ac cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum.* Ita Innoc. III. in Conc. Gener. Later. c. 10. Et verò quis illos viros ordinaret, nisi Pontifex vel Episcopus?

Item cap. *Cùm Episcopus* 7. de Offic. Ord. in 6. de Episcopo sic loquitur Bonif. VIII. *Cùm Episcopus in tota sua diœcesi jurisdictionem ordinariam noscatur habere, dubium non existit, quin in quolibet loco ipsius diœcesis non exempto, per se vel per alium possit pro tribunali sedere: causas ad Ecclesiasticum forum spectantes audire: personas Ecclesiasticas (cùm earum excessus exegerint) capere, ac carceri deputare; nec non & cætera quæ ad ipsius spectant officium, liberè exercere;* scilicet per se vel per alium; ergo per se, vel per alium audire Confessiones, cùm hæc auditio spectet ad ipsius officium. Item c. 7. de Offic. Ord. in 6.

Et universaliter Conc. Generale Later. sub Innoc. III. cap. 21. statuit, fideles posse confiteri alieno Sacerdoti de licentia proprii, cap. *Omnis utriusque* 12. de Pœnit. & Remiss. ibi: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa, sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio Sacerdote* &c. Ergo quilibet proprius Sacerdos potest concedere licentiam confitendi alieno, per consequens ei delegare seu committere jurisdictionem absolvendi. 3. cap. 12. de Pœnit. & Remiss.

Accedat jus civile leg. 5. ff. de jurisd. *More Majorum ita comparatum est, ut is demùm jurisdictionem mandare possit, qui eam suo jure, non alieno beneficio haberet.* Cùmque jus non distinguat, sed generaliter loquatur de eo, qui jurisdictionem habet suo jure; sequitur, quòd omnes, qui jurisdictionem habent suo jure, possint eam alteri mandare, quoniam non est major ratio de uno, quàm de alio. & l. 5. ff. de Iurisdict.

Porrò æqualis ratio de omnibus est: quia delegatio est unus ex propriis actibus jurisdictionis ordinariæ; siquidem non est cogendus Pastor semper per seipsum officium exequi, cùm hoc moraliter sit impossibile; ergo oportuit, ut vices suas alteri posset delegare; committere, inquam, ea, quæ jurisdictionis existunt; argum. c. *Aqua.* 9. de Consec. Eccl. 4. Probatur ex ratione. Cap. 9. de Consecr. Eccles.

Eccl. ibi: *Licèt Episcopus committere valeat, quæ jurisdictionis existunt: quæ Ordinis tamen Episcopalis existunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare.* Quippe cùm jurisdictio non detur per aliquam internam consecrationem, vel physicam facultatem; sed dumtaxat per moralem concessionem vel deputationem, meritò potest is, qui jurisdictionem habet quasi propriam, alteri eam committere.

5. Nemo potest suam jurisdictionem delegare nisi respectu sibi subditorum.

Et quoniam nemo habet propriam jurisdictionem, nisi respectu sibi subditorum; pari ratione nequit eam alteri delegare, nisi respectu sibi subditorum, ne alioquin confundantur omnia jura cùm destructione Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & usurpatione alieni juris. Hinc scriptum est: *Nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur.* Reg. 79. de Reg. Iuris in 6. Et leg. 54. ff. eodem tit. *Nemo plus juris ad alium transferre potest, quàm ipse haberet.*

Reg. 79. de Reg. juris in 6. l. 54. ff. ad.

Si ergo quis per seipsum non potest absolvere, defectu jurisdictionis alienos subditos, quomodo poterit alteri dare jurisdictionē eos absolvendi? *Qui facit per alium,* inquit Reg. 72. de Reg. Iuris in 6. *est perinde, acsi faciat per seipsum.* Ergo si per seipsum non potest, nec per alium poterit. Et si per seipsum potest ordinariâ potestate, etiam poterit per alium potestate delegatâ. Consonat Reg. 67. *Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.* Et Reg. 68. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.* de Reg. Iuris in 6. Intellige de his, quæ sunt meræ jurisdictionis, & in quibus contrarium jure positivo non est dispositum; prout in præsenti non est dispositum.

Reg. 72. de Reg. Iuris in 6.

Reg. 67. & 68. ibid.

6. Minister ordinarius cuilibet alteri Sacerdoti, alioquin non impedito, valide delegat suam jurisdictionem;

Itaque minister ordinarius cuilibet Sacerdoti, à se distincto, aliunde non impedito, validè delegat suam jurisdictionem in hoc foro, ùt ait Conclusio. Cuilibet, inquam, quia non est major ratio de uno, quàm de alio, cùm omnes sint capaces jurisdictionis, non solùm in actu primo, sed etiam in actu secundo, si reliqua adsint: id est, nisi aliunde aliquis impediatur ab exercitio jurisdictionis; sive propter ignorantiam, sive propter censuram Ecclesiasticam, sive defectu approbationis &c.

facta ei aliunde sit impeditus.

Liquet profectò, quòd pro illo tempore, quo quis nequit validè absolvere, etiam invalidè eidem pro eodem tempore delegetur jurisdictio in hoc foro; quia, ùt supponitur, non potest habere suum effectum; ergo invalide, hoc est, frustraneè conceditur. Dico, *Pro eodem tempore*; quia pro tempore, quo habebit necessariam scientiam, quo erit liber à censura, quo erit approbatus ab Ordinario, valere poterit, quoniam pro tali tempore Sacerdos poterit validè absolvere.

7. An delegans respiciat tempus dumtaxat præsens, an verò etiam futurum,

An autem delegans respiciat tempus dumtaxat præsens, an verò etiam futurum, quis nobis edisseret? Ipse scit, quia pendet ab ipsius voluntate. Interim si absolutè & indefinitè quoad tempus deleget, existimo delegare pro toto illo tempore, quo ipse est capax delegationis activæ, id est, quo ipse manet Ordinarius; argum. leg. 12. ff. de Rebus dubiis: *Quotiens in actionibus aut in exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum est, id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat, quàm pereat.* Et cap. *Abbate.* 25. de verb. signif. ibi: *Profectò sic intelligenda sunt illa verba, ut res, de qua agitur, valere possit potius, quàm perire.*

gans respiciat solum tempus præsens, an verò etiam futurum.

l. 12. ff. de Rebus dubiis

cap. 25. de verb. signif.

Igitur verba delegantis indefinitè quoad tempus jurisdictionem in hoc foro, ita accipienda sunt, ut tametsi Petrus v. g. hodie foret incapax jurisdictionis, equidem valeat delegatio pro die crastina, quâ petrus erit capax jurisdictionis; cum hac tamen limitatione, si hodie delegans, cras potens sit delegare. Alioquin si hodie delegans, cras desinit esse Ordinarius, estò Petrus cras foret capax jurisdictionis delegatæ, equidem non valet delegatio; ùt patebit ex dicendis pro ultima parte Conclusionis, quæ docet, neminem sibiipsi validè delegare jurisdictionem in hoc foro, etiam in futurum, cùm officio defungetur.

8. Probatur ultima pars Concl. ex communi usu. Quid sit dare legare.

Probatur autem efficacissimè ex communi usu & praxi Ecclesiæ, quæ distinguit inter delegantem & delegatum, adstipulante ætymologiâ nominis: nam delegare idem est, quod committere aliquid, nullus autem potest sibiipsi aliquid committere, maximè quando illud, quod committitur, sibi-ipsi competit ex officio.

Occurritur objectioni.

Nec obstat, quòd Legislator teneatur, ùt Multi docent, propriis legibus quoad vim directivam; similiter quod possit secum dispensare, sibi-ipsi privilegium concedere contra seu præter jus &c. hæc, inquam, non obstant: nam disparitas est, quòd per legem ponatur aliqua obligatio, quæ antea non inerat; per dispensationem tollatur aliqua obligatio, quæ antea inerat; per privilegium concedatur aliquis specialis favor &c. At verò per illam delegationem nihil ponitur aut conceditur, quod delegatus antea non habebat, idque perfectiùs, utpote ex officio.

9. Alia objectio,

Dices; jam habebit facultatem absolvendi seu jurisdictionem, etiam pro tempore futuro, quando officio defungetur: quia delegatio morte concedentis non cessat. Hinc Superiores Regularium simul habent potestatem ordinariam & delegatam; nec frustrà, quia expirante superioritate, ratione cujus habebant potestatem ordinariam, utuntur potestate delegatâ. Ergo similiter in casu præsenti.

Respondeo Neg. Conseq. Do disparitatem: quia Superiores Regularium tamquam membra

Responsio: Superiores

Regularium habent potestatem delegatam non à seipsis, sed à Papa.

membra Religionis accipiunt potestatem delegatam non à seipsis, sed à Summo Pontifice, & ita non mirùm, si postea, dum officio defunguntur, eâ utantur; nam delegatio Pontificis facta communitati Religionis, ab initio fuit valida, & non expirat morte concedentis, ut postea latiùs dicetur. Porrò quod hic quæritur, est; an Superior sibiipsi possit delegare potestatem pro tempore futuro, quando defungetur suo officio, idque sibiipsi immediatè, quæ est quæstio toto cœlo diversa.

10. Prælatus potest sibiipsi mediatè delegare jurisdictionem.

Dico; *Idque sibiipsi immediatè*; quia si Prælatus daret toti communitati potestatem delegatam, ipse postea, depositus ab officio, tamquam membrum communitatis, posset uti illâ potestate. Ratio, quia tunc Prælatus non dat sibiipsi illam potestatem, sed alteri capaci, scilicet communitati, quæ ab ipso Prælato indubiè distinguitur.

Item, si Prælatus alicui subdito deleget jurisdictionem, cum potestate subdelegandi, hic posset Prælato eam subdelegare, & Prælatus, dum officio defungeretur, posset uti illâ potestate subdelegatâ, quàm accepit non à seipso, sed à suo subdito, à se distincto, eo tempore, quo erat capax illius potestatis: jam enim ostendimus, has potestates, ordinariam, & delegatam, esse compossibiles in eodem subjecto, & delegatam posse permanere, desinente ordinaria.

11. Cur Prælatus non possit sibiipsi immediatè delegare jurisdictionem in hoc foro;

Tota ergo quæstio est, & satis difficilis, attentâ solâ ratione; cur Prælatus, sicut secum potest dispensare, sibiipsi potest concedere privilegia præter & contra jus, cur, inquàm, pari ratione non possit sibiipsi immediatè delegare jurisdictionem in hoc foro, ut illâ utatur, cùm officio defungetur.

sicut potest sibiipsi dare licentiam aliquid accipiendi.

Nonne Prælatus, sicut aliis potest dare licentiam accipiendi, v. g. vestem vel breviarium ab amico, ita & sibiipsi? Nonne, si sibi acceperit vestem vel breviarium ab amico, poterit illud, finitâ Prælaturâ, retinere, sicut possent alii subditi, quibus ipse dedisset licentiam similem? Poterit indubiè; quia, cùm ipse esset tunc administrator rerum communium, ad eum pertinebat dividere & applicare singulis, quæ prudenter judicabat illis applicanda. Sicut ergo poterat aliis applicare vestem aut breviarium ad eorum usum, sic poterat sibi, qui erat unus ex illis, qui debebant participare bona communia. Ergo sicut alii, finitâ Prælaturâ, sinè nova licentia possunt uti illâ veste vel breviario, sibi applicato, quid ni etiam ipse Prælatus? Cur ergo similiter non poterit sibiipsi, sicut aliis, concedere licentiam absolvendi à peccatis reservatis, licentiam emendi, vendendi, donandi aliquid, pro tempore, quo non erit Prælatus?

12. Respondet Lugo disp. 19. n. 44. quia ipse nunc non est capax accipiendi talem commissionem; potest enim ipse nunc absolvere vel per se, vel per alios, quibus committat illud officium: non potest tamen committere illud, nisi iis, qui sunt capaces talis commissionis accipiendæ. Unde non posset nunc dare eam facultatem homini non baptizato, vel non Clerico, qui futurus esset Clericus tempore, quo jam ipse non esset Prælatus: nunc autem ipse Prælatus non est capax accipiendi delegationem vel commissionem à seipso, quia inter delegantem seu committentem, & delegatum seu commissarium debet dari distinctio: quare ipse non potest tunc accipere illam facultatem, postea verò non potest etiam; quia jam expiravit potestas in dante. Hæc ille.

Responsio Lugonis.

Accedit; quòd aliàs Prælatus regularis posset paulò ante finem suæ Prælaturæ concedere sibi omnes facultates & licentias, quibus verisimiliter credit, quòd postea indigebit; atque ita facere se quasi exemptum à successore pro tempore sequenti, quod certè videtur non posse admitti, sinè magno præjudicio disciplinæ regularis.

Alia ratio.

13. Contra quam arguit Auctor.

Verùm enimverò hæ rationes haud manifestè convincunt; siquidem non magis potest facere exemptum subditum, à Superiore succedente, quàm seipsum, & tamen potest illas facultates subdito concedere, sed dependenter à revocatione Prælati successoris; & ideò non sequitur illa exemptio; quia videlicet Prælatus successor potest omnes illas facultates revocare, quamdiu non sunt mandatæ executioni, & ideò non præjudicant disciplinæ regulari.

Responsio Lugonis videtur petere principium.

Quantùm ad primam rationem, hæc alicui posset videri petitio principii: nam quæritur, quare potiùs requiratur personalis distinctio inter delegantem & delegatum, quàm inter dispensantem & dispensatum; quippe solus ille actus jurisdictionis requirit distinctionem personalem inter eum, qui jurisdictionem exercet, & eum, circa quem jurisdictio exercetur, qui requirit coactionem, vel propriam sententiam, per quam dicitur jus inter partes; talis porrò actus non est delegatio magis, quàm dispensatio.

14. Filiusfamilias potest aliquando seipsum emancipare l. 3 ff. de Adopt.

Sicut ergo filiusfamilias, si præsideat familiæ, potest seipsum emancipare l. 3. ff. de Adop. *Si Consul vel Præses filiumfamilias sit, posse eum apud semetipsum vel emancipari, vel in adoptionem dari constat.* Et sicut Tutor potest seipsum per contractum obligare, quasi sibiipsi, emendo v. g. rem pupilli à semetipso, duplicem quasi sustinens personam, pupilli & tutoris. Et veluti pauper rem alienam potest sibiipsi applicare, & quasi restituere.

Eadem persona potest vices habere rei & actoris.

Et ceu eadem persona vices potest habere actoris & rei, cap. *Ex litteris* 3. de Probat. ibi: *Ad quod scire debes, quòd judicium finium regundorum*

Cap. 3. de Probat.

dorum tale est, ut in eo utraque persona vices duorum habeat, videlicet actoris & rei; cur, argumento à simili, non possit eadem persona vices duorum habere, videlicet delegantis & delegati?

15. Etymologia nominis in multis casibus fallit.

Nec obstat etymologia nominis, de qua suprà; quia illa in multis casibus fallit. Et præterea, non videtur, quare delegare magis significet, alteri physicè distincto aliquid committere, quàm emere significet, aliquid ab altero physicè distincto accipere; & dispensare, alteri physicè distincto aliquid concedere; & restituere, alteri physicè distincto aliquid dare; sin autem in his posterioribus exemplis sufficiat moralis distinctio, cur non etiam in delegante & delegato?

Idem potest obtineri pluribus titulis ad majorem firmitatem.

Nam quod suprà pro disparitate adferebatur, videlicet, per illam delegationem nihil ponitur aut conceditur, quod delegatus anteà non habebat, idque meliùs, utpote ex officio, non videtur satisfacere difficultati; siquidem, ùt ibidem replicavi, certùm est, idem posse obtineri pluribus titulis ad majorem firmitatem, ut nimirùm uno deficiente, ipsa res non deficiat, quæ duplici titulo possidebatur. Patet in casu proposito: quia Prælatus, non obstante quòd habeat jurisdictionem ordinariam, potest delegatam recipere à Pontifice. Quare igitur, quod potest recipere à Pontifice, non potest recipere à seipso?

16. An debeat esse distinctio personalis inter dantem & recipientem.

Cap. fin. de Institut.

Quia, inquis, inter dantem & recipientem debet esse distinctio personalis; argum. cap. fin. de Institut. ubi Innoc. III. scribit in hæc verba Episcopo Trecen. & Archidiac. Parisienſi: *Illud nolumus vos ignorare, quòd postquam M. fuit Abbas effectus, Custodiam de jure non potuit obtinere: quia cum ratione Abbatiæ ad ipsum pertineat donatio tam Custodiæ, quàm aliarum Dignitatum, ac etiam Præbendarum in Ecclesia Patiaven. Custodiam ipsam recipere non potuit à seipso: cùm inter dantem & recipientem debeat esse distinctio personalis; sed nec ab alio, cùm jus conferendi alius non haberet.*

17. Nullus potest seipsum ad personatum alicujus Ecclesiæ præsentare.

Respondetur; hunc textum commodè esse intelligendum, scilicet in casibus odiosis, utì est collatio Dignitatum. Hinc idem Pontifex Rothomag. Archiepisc. (& ponitur cap. 26. de Iure patronatûs) *Per nostras*, inquit, *postulasti litteras edoceri, utrum Clericus ad vacantem Ecclesiam, in qua jus obtinet Patronatûs, seipsum (si est idoneus) valeat præsentare. Cùm igitur nullus se ingerere debeat Ecclesiasticæ Prælationis officiis: Respondemus, quòd nullus se potest ad Personatum alicujus Ecclesiæ præsentare: quantumcumque idoneus sit, & quibuscumque studiis & meritis adjuvetur.*

Id ergo speciale est in hoc casu, quoniam pernicioſi exempli ac sapiens ambitionem. Porrò in nostro casu, delegatio jurisdictionis, cùm continuè pendeat à revocatione Prælati successoris, non est, dicet aliquis, pernicioſi exempli, neque sapit ambitionem magis, quàm dispensatio; concessio Indulgentiæ &c.

18. An delegatio jurisdictionis sacramentalis in casu proposito sit pernicioſi exempli ac sapiens ambitionem.

Respondeo: licèt potestas delegata absolvendi à peccatis, non sit propriè Ecclesiasticæ Prælationis officium, proximè tamen ad illud accedit, & si non proximè, saltem remotè sapit ambitionem, sibiipsi illam conferre, utpote per quam constituatur legitimus Iudex in hoc foro, & alii ejus subditi, quod non habet locum in dispensatione, concessione Indulgentiarum, & similibus.

Et dato, quòd neque ex ratione, neque ex jure scripto efficaciter Conclusio probaretur, sufficit praxis communis, à qua non est recedendum, cum periculo invalidè administrandi hoc Sacramentum.

Sed nunquid, interrogat quispiam, hodie aliquibus est delegata potestas absolvendi à peccatis? Satìs multis, atque in primis:

CONCLUSIO II.

Pontifex delegavit Religiosis Mendicantibus, ab Episcopo approbatis, jurisdictionem absolvendi quoscumque fideles, absque alia licentia Episcopi vel Parochi. Per Confessionem, eis factam, impletur præceptum annuum.

19. Probatur Conclusio ex universali praxi Ecclesiæ.

HÆc Conclusio, tametsi ex nullo jure scripto posset probari, equidem plus quàm meridiana est ex universali praxi Ecclesiæ, à qua non potest recedi sinè scandalo fidelium, qui usque in hodiernum diem confessi sunt in Paschate Religiosis Mendicantibus, ab Episcopo approbatis, post Concil. Tridentinum, independenter ab alia licentia Episcopi vel Parochi. Longior sim, si velim omnia privilegia de hac re concessa exscribere, contentus ero illis, quæ inserta sunt juri communi & paucis aliis, reliqua videri possunt apud August. à Virgine Maria in libello, quem inscribit: *Privilegia omnium Religiosorum.* verb. *Confessio personarum sæcularium.*

Item ex privilegiis insertis juri communi, Extravag. Inter cunctas. de Privilegiis.

Primum itaque privilegium, insertum juri communi, concessit Benedictus II. an. 1304. Extravag. *Inter cunctas* de Privilegiis ibi: *Electi ab iisdem Fratribus* (Prædicatoribus & Minoribus) *ad audiendas Confessiones, & pœnitentias iniungendas, liberè auctoritate Apostolicâ absque licentia Diœcesanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum exemptorum & non exemptorum, quibus subsunt, qui ad confitendum accedunt, audiant eos peccata sua confiteri volentes (non Religiosos, qui secundùm statuta suorum Ordinum propriis*

Prælatis, confiteri debent, aut ab eis, ne confiteantur aliis, prohibentur) absolvant, ipsisq; pœnitentias salutares iniungant, intrà sibi destignatos terminos, ad huiusmodi exercendum officium constitutos.

20. *Extravag. Vas electionis de Hæreticis.*

Secundum privilegium est Ioannis XXII. a. 1321. Extravag. *Vas electionis* de Hæreticis inter communes ibi: *Fide digna relatio ad nostrum perduxit auditum, quòd ipse* (Magister Ioannes de Poliaco) *in quibusdam articulis tangentibus Pœnitentiæ Sacramentum non sobriè, sed perperàm sapiebat, infrascriptos articulos, periculosos continentes errores, docens publicè in suis Prædicationibus, & in scholis.*

Primò siquidem astruens, quòd confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi Confessiones, tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterùm confiteri proprio Sacerdoti. Secundò, quòd stante Omnis utriusque sexûs *edicto in Conc. Gener. Rom. Pontifex non potest facere, quòd parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicit esse parochialem Curatum, immo nec Deus posset hoc facere: quia (ut dicebat) implicat contradictionem. Tertiò, quòd Papa non potest dare potestatem generalem audiendi Confessionem, immò nec Deus, quin confessus habenti licentiam, teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti, quem dicit esse (ut præmittitur) proprius Curatus.*

Et infrà: *Ideoq; ne per assertionem, prædicationem, & doctrinam huiusmodi in errorem (quod absit) animæ simplicium prolabantur, omnes articulos, & quemlibet eorum tamquam falsos & erroneos, & à doctrina sacra devios auctoritate Apostolicâ condemnamus & reprobamus de Fratrum nostrorum consilio prædictorum, doctrinam contrariam veram, & contrarium esse Catholicum asserentes: scilicet, quòd illi, qui prædictis Fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quàm si ea aliàs confessi fuissent eorum proprio Sacerdoti iuxta Concil. Gener.*

Optanteq; veritatis vias notas esse fidelibus cunctis, & prædictis erroribus præcludere aditum, ne subintrent errores, felicis recordationis Alex. IV. & Clementis IV. Rom. Pontificum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo, universis & singulis districtius inhibemus, ne quisquam præmissos articulos per nos (ut præmittitur) damnatos & reprobatos, & contenta in eis vel aliquo ipsorum, utpote à Catholicis mentibus respuenda, tenere audeat, seu defensare quomodolibet, vel docere. Quid clariùs dici poterat?

21. Qui confitentur Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi Confessiones satisfaciunt præcepto Concil. Generalis.

Si enim illi, qui prædictis Fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quàm si ea aliàs confessi fuissent eorum proprio Sacerdoti juxta Concil. Gener. ergo illi, qui prædictis Fratribus confitentur, satisfaciunt præcepto Concil. Generalis, sicuti satisfacerent si aliàs confiterentur eorum proprio Sacerdoti.

Probatur Conseq. quia prædicti Fratres, estò non forent proprii Sacerdotes, sed alieni; attamen licentiam habent audiendi Confessiones à proprio Sacerdote. Alioquin, ùt dicitur in prædicto Concil. Gener. non possent absolvere vel ligare: possunt autem absolvere, aliàs tenerentur illi, qui prædictis Fratribus confitentur, eadem peccata iterùm confiteri, quod erroneum est.

22. Tales Fratres sunt Religiosi Mendicantes.

Itaque qui confitentur prædictis Fratribus, habentibus potestatem generalem à Pontifice, audiendi Confessiones quocumque tempore, quales sunt Religiosi Mendicantes, ùt patet ex eorum privilegiis (in quorum nullo excipitur tempus Paschale vel annua Confessio) vel invalidè absolvuntur in Paschate, & iterum tenentur eadem peccata confiteri proprio Sacerdoti, id est, proprio Curato, quod non, ut patet ex Bulla Ioannis XXII. jam allegata; vel validè absolvuntur (ideòque non tenentur eadem peccata iterùm confiteri proprio Curato, ùt ibidem docet Ioannes XXII) & manifestissimum est (meo judicio) jam satisfecisse præcepto annuæ Confessionis, quo non præcipitur, nisi valida Confessio seu Absolutio: supponit quippe Concil. Absolutionem esse invalidam, quæ non fit proprio Sacerdoti, vel alieno de ejus licentia; si ergo hæc valida est, sequitur evidentissimè eam factam fuisse proprio Sacerdoti, vel alieno de ejus licentia. Cur ergo per eam non satisfeciissent Decreto Concil. Gener. quo tantùm præcipitur, ut omnis utriusque sexûs fidelis semel saltem in anno confiteatur proprio Sacerdoti, aut alteri de ejus licentia?

23. Objicitur Extravag. Martini V.

Solùm obstare videntur duæ Extravagantes, una Mart. V. & incipit: *Ad uberes*, quam citat Adrianus de Sacram. Confessionis q. 5. dicens: Contra hoc & in confirmationem principalis est, quòd Mart. V. in quadam Constitutione sua apud veterem urbem edita specialiter ordinat: *Volumus autem, quòd ii, qui Fratribus confitebuntur, suis propriis parochialibus Sacerdotibus, semel saltem in anno confiteri, prout Generale Concilium statuit, nihilominus teneantur, quòdq; idem Fratres eos ad hoc diligenter & efficaciter, secundùm datam eis à Domino gratiam, exhortentur.*

Sed cùm hæc Extravagans non sit relata inter communes, videtur esse minoris auctoritatis, quàm ut possit obligare fideles contra jus commune, & receptam hodie consuetudinem.

24. Responsio Soti.

Sotus 4. dist. 18. q. 4. a. 3. §. *In contrarium*, sic respondet: Extravagans hæc in primis non præcipit hominem eadem iterum confiteri, à quibus semel absolutus est: quare solùm potuit præcipere, ut homo se repræsentet proprio Sacerdoti, dicens, se jam esse absolutum. Nam dicere, quòd saltem in Paschate teneatur homo confiteri proprio Sacerdoti, si aliquod habet mortale, non video quomodo intelligatur: quoniam annualis

nualis Confessio non obligat in Paschate, sed in quolibet tempore anni; quare qui confitetur Fratribus sub Natali Domini, non tenetur iterum usque ad integrum annum amplius confiteri, nisi ratione sumendæ Eucharistiæ in Paschate; tunc autem si quis peccatum habuerit mortale, etiam potest Fratribus Religiosis confiteri, postquam ille casus non est exceptus in Extravag. *Vas electionis*. neque in Clement. *Dudum*.

Neque verò Glossam Adriani ejusdem Extravag. Martini, quæ illam intelligit, quando Fratres ad Episcopos neglexerint habere recursum, satis intelligo: quoniam quousque se præsentent, nullam habent facultatem audiendi Confessiones: & tamen Martinus videtur intelligere, postquam habent auctoritatem. Quare citiùs dixerim, illam Extravag. in hac parte non esse receptam: quia derogat Extravag. *Vas electionis*, & *Dudum*. Hucusque Sotus.

25. Objicitur alia Extravag. Sixti IV.

Qui eodem modo respondet ad aliam Extravag. Sixti IV. quæ relata est inter communes & incipit: *Vices illius*. de Treug. & pace, ubi sic ait Pontifex: *Mendicantes desistant prædicare, quòd parochiani, non sint obligati, saltem in Paschate, proprio confiteri Sacerdoti: quia de jure tenetur parochianus saltè in Paschate proprio confiteri Sacerdoti.*

Responsio Soti.

Respondet, inquam, Sotus suprà, se illa verba non intelligere: quia nullum est tale præceptum confitendi in Paschate, sed semel in anno. Item cùm continuò subjungat: *Per hoc tamen ipsi Fratres Mendicantes non censeantur exclusi, quò minus secundum juris communis & privilegiorum eisdem concessorum dispositionem, Confessiones audire & pœnitentias injungere valeant*, ratas habet concessiones, illis factas, ad implendum præceptum de semel in anno. Hæc ille.

Herincx.

Noluit itaque (inquit Herincx part. 4. tract. 4. disp. 7. n. 7.) Pontifex ad servandam pacem, quam ibi componit, publicè prædicari, saltem adeò crudè, illud quod præmissum est, eò quòd in istis terminis id minùs rectè sonaret, etsi alioquin à parte rei non inhibeat Fratribus, in Paschate Confessiones parochianorum audire, juxta privilegiorum suorum tenorem.

Sed hoc est (dicet aliquis) quod quæritur; nam potuit Pontifex velle derogare eorum privilegiis, quoad Confessionem Paschalem seu annuam, salvis tamen eisdem manentibus, quoad alias Confessiones.

26. Responsio Auctoris.

Hinc magis peremptoriè respondetur (quidquid sit de tempore istorum Pontificum) clarè constare ex concessionibus generalibus postea factis, accedente communi praxi, fideles nunc posse omni tempore, etiam in articulo mortis, & tempore Paschali Fratribus confiteri, absque ulla obligatione, eadem vel distincta peccata confitendi Parocho, eodem vel sequentibus annis.

Primum

Quæris à me, quæ sint istæ concessiones?

privilegium Mendicantium audiendi Confessiones fidelium.

Prima erit Pauli III. Bulla: *Cùm inter cunctas* 7. apud Rodrig. ibi: *Nec non illis ex vobis, qui Presbyteri fuerint, quorumcumque utriusque sexûs Christi fidelium ad vos undecumque accedentium Confessiones audiendi, & Confessionibus diligenter auditis ipsos & eorum singulos ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus & delictis, quantumcumque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & à quibusvis ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi) absolvendi, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem injungendi, nec non vota quæcumque per eos pro tempore emissa (ultra marinis, visitationis liminum B. Petri & Pauli Apostolorum de urbe, ac S. Iacobi in Compostella, nec non Religionis & Castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi: ac Missas ante diem, circa tamen diurnam lucem; & etiam infra horam post meridiem, quando & quoties stante legitimo impedimento, moderno & pro tempore existenti Præposito vestro prædicto id necessarium, vel alias in Domino expedire visum fuerit, celebrandi. Et post, seu ante illarum celebrationem, aut alias Christi fidelibus ipsis Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica Sacramenta sinè alicujus præjudicio ministrandi: Diœcesanorum locorum Rectorum parochialium & aliarum Ecclesiarum, aut quorumvis aliorum licentia desuper minimè requisita, ac horas Canonicas diurnas pariter & nocturnas secundum usum Romanæ Ecclesiæ novitèr editum dicendi & recitandi; ita quod ad alium usum observandum, seu Officium dicendum minimè teneamini, plenam & liberam facultatem auctoritatis Apostolicæ beneplacito concedimus ... Non obstantibus quibusvis Constitutionibus & ordinationibus ac prohibitionibus & literis Apostolicis, etiam per Sixtum IV. in Capitulo* Etsi Dominici *& alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem prædictam, etiam consistorialiter editis & factis, quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserterentur præsentibus, pro expressis habentes ad hujusmodi effectum, pro hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, & derogatum esse decernimus, cæterisq; contrariis quibuscumque.*

Ecce amplissimum privilegium, concessum Societati Iesu, per consequens omnibus communicantibus cum ipsa in privilegiis. In quo utique privilegio nullum tempus excipitur, nullus locus, nullus Christi fidelis; ergo nec nos excipiamus, sed generaliter asseramus cum Pontifice, Confessorem Regularem omni tempore, etiam Paschali, & omni loco posse audire Confessiones quorumcumque utriusque sexûs Christi fidelium.

27. Secundum privilegium.

Simile privilegium concessit FF. Ord. Minorum, Paulus IV. Bulla: *Cùm sicut expon.* 3. apud Rodrig. ibi: *Nos igitur hujusmodi cavillationibus & molestiis ac controversiis de cætero obviare, ac in eis, quæ dubia sunt, vel esse possunt, pro conservanda pace & tranquillitate quorumcumque, præcipuè Religiosarum personarum, sub jugo regularis obser-*

observantiæ positarum, mentem nostram declarare volentes, quod de cætero tam dictorum, quàm aliorum, quarumcumque provinciarum, civitatum & diœcesum per totum orbem, omnium utriusque sexûs fidelium, pro tempore dicti Ordinis Fratres à suis Superioribus, ut moris est, deputati Confessores, Confessiones, etiam infirmorum ubilibet, etiam extra domos & habitacula eorumdem Fratrum, audire, eosq; in cessibus, & censuris, quibus eis per privilegia Sedis Apostolicæ hujusmodi hactenus concessum est, posse absolvere, & ipsi hactenus absolvere consueverunt, absolvere, & pœnitentiam salutarem injungere, ac omni tempore præterquam in die Resurrectionis Dominicæ Sacramentum Eucharistiæ tam illis, quàm aliis quibuscumq; personis licite ministrare possint, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium indulgemus ac decernimus & declaramus.

Et verò sicuti hìc Pontifex excipit diem Resurrectionis Dominicæ ab administratione Eucharistiæ, cur non eundem excepisset ab administratione Sacramenti Pœnitentiæ, si censuisset fideles non posse satisfacere præcepto annuæ vel Paschalis Confessionis apud Fratres Minores? Cùm ergo non fecerit, & exceptio firmet regulam in contrarium, signum est, voluisse prædictis Fratribus concedere licentiam audiendi Confessiones, etiam tempore Paschali.

28. Tertium privilegium. Accedat tertium privilegium generale, concessum Fratribus Minimis per Julium II. Bulla: *Dudum ad sacrum Ordinem Minimorum* 10. apud Cherubinum, ubi §. 34. sic lego: *Nec non Confessiones quarumcumque personarum tam Religiosarum, quàm Ecclesiasticarum, & secularium, ubilibet audire, & illis auditis, personas ipsas, & earum quamlibet, juxta formam & tenorem privilegii per præfatum Sixtum prædecessorem Ordini Minimorum hujusmodi, ac illius personis & Fratribus dudum concessi, & confirmati, absolvere, ac pœnitentiam salutarem illis injungere valeant.*

Limitatio privilegii. Hoc tamen limitandum est, nisi religiosæ personæ per speciale statutum prohibeantur extra Ordinem confiteri invitis Prælatis, aut sinè illorum licentia, ut patet ex Extravag. *Inter cunctas*, suprà allegata, & ex variis privilegiis & declarationibus factis tum Ordini nostro, tum diversis aliis. Porrò ut limitemus hæc generalia privilegia ad Confessionem extra tempus Paschale; aut extra articulum mortis, nullum prorsus habemus sufficiens fundamentum.

Quin immo Paulus IV. Bullâ citatâ expresse loquitur etiam de Confessionibus infirmorum. Et Congregatio Cardinalium an. 1587. sic declaravit de articulo mortis, præcipiens, ut circa sæcularium Confessiones à Fratribus Mendicantibus audiendas, servetur decisio Congregationum sacri Concilii Trident. corripianturque Ordinarii, qui in articulo mortis id prohibent fieri, vel in licentiis concessis excipiunt.

Præterea Clemens VIII. Bulla; *Significatum fuit nobis* 22. Sept. an. 1592. contra aliquos Germaniæ Episcopos decrevit, licere sæcularibus liberè Missas diebus festis audire in Ecclesiis Mendicantium, & eorumdem Confessoribus posse peccata cõfiteri quolibet tempore, dummodo Eucharistiæ Sacramentum die Paschatis ab eorum Parocho sumant. Ita Rodrig. in suo Bullario fol. 546. 29. Decretum Clement.

Consimiliter Innoc. X. Bullâ; *Exponi nobis* an. 1645. die 7. Februarii (quam de verbo ad verbum refert Pontius in suo cursu Theologico disp. 46. n. 121.) ob controversiam exortam inter Archiepiscopum Burdigalensem, & Regulares, declaravit, posse fideles peccata sua Regularibus licitè confiteri quovis tempore, etiam Paschali. Hæc sunt verba Innoc. *Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Regulares civitatis Burdigalensis, quod aliàs à venerabilibus Fratribus nostris S. R. Ecclesiæ Card. Conc. Trident. Interpretum emanavit Decretum tenoris subsequentis: Die 9. Iulii an. 1644. Sacra Congreg. Eminentiss. Card. Conc. Trident. Interpretum post maturam discussionem censuit, Archiepiscopum Burdig. non posse prohibere Regularibus, habentibus privilegia Apostolica, ut à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in albis inclusivè administrare non valeant Sacramentum Confessionis &c. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, iidem exponentes præmissa; quò firmius subsistant, Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent; idcirco nos &c. decretum præinsertum Apostolicâ auctoritate tenore præsentium, confirmamus & approbamus, illiq; inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus &c.* Item Innoc. X.

30. Prima objectio solvitur. Chassaing. Et si opponas, quòd dictus Archiepiscopus non fuerit auditus. Respondet Bruno Chassaing de Privil. Regularium Tract. 5. cap. 1. Propos. 3. credibile prorsus esse illum fuisse auditum; cùm ad hoc per appellationem fuerit provocatus: quòd si verè non fuerit auditus, nonne ipsi imputandum est, quòd causa ceciderit, cùm per ipsum steterit? Adde, quòd vix probabile sit, ipsum habuisse rationes novas S. Congregationi & Pontifici incognitas, & non aliàs sæpè discussas.

Secunda objectio solvitur. Si rursùm objicias, quòd hoc Decretum nullum effectum pariat, cum non constet Regulares habere privilegia. Respondet idem Auctor; ridiculum fore tantorum Iudicum incusare Decretum, imò temerarium; malè enim statuissent circa querelam Regularium, quâ conquerebantur, se molestari à dicto Archiepiscopo, in possessione privilegii, audiendi Confessiones sæcularium tempore Paschali, si de præfato privilegio eis non probè constaret. Cùm ergo de S. Congregat. Iudicum & Pontificis probitate nefas sit dubitare, Decretum hoc meliori sensu ac mente interpretandum est, alioquin puerile & ineptum esset, quod etiam cogitare nefas est.

Cùm

Cùm ergo constet ex illo, Regulares habere privilegia Apostolica, dicat quis, si potest, quinam sint illi, qui ea possideant; si ii non sunt, ad quorum instantiam Decretum datum est. Hæc ille.

31. Bulla Leonis 10. Omitto Bullam Leonis X. quæ incipit: *Dum intrà* 22. apud Cherubinum, ubi §. 6. sic ait Pontifex: *Nec non Superiores eorumdem Fratrum, Fratres, quos ad audiendas Confessiones subditorum eorumdem Prælatorum tempore elegerint, eosdem Prælatis personaliter exhibere ac præsentare (si eos sibi exhiberi & præsentari petierint) alioquin eorum Vicariis (dummodo ad Prælatos ultra duas dietas accedere non cogantur) omninò teneantur. Possintque illi per eosdem Episcopos & Prælatos super sufficienti litteratura, & aliqua saltem hujusmodi Sacramenti peritia dumtaxat examinari. Talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebitè recusatis confitentes, constitutioni, quæ incipit*: Omnis utriusque sexûs, *quoad Confessionem dumtaxat satisfecisse censeantur.*

Rejicitur quædam Glossa in cap. omnis. Ex quo manifestè rejicitur Glossa quædam in cap. *Omnis utriusque*, verbo: *Alieno Sacerdoti*. ibi: *Sed ecce si Prædicatores & Fratres Minores, vel alii Religiosi, non habentes populum, habent privilegium, ut alienos parochianos possint recipere ad pœnitentiam, nunquid sufficit privilegium, ut parochianum alterius possint recipere ad pœnitentiam sinè licentia proprii Sacerdotis? Dicat, quòd non sufficit privilegium, sinè licentia proprii Sacerdotis: privilegium enim æquiparat eos illis, qui à populo sunt electi, vel illis, qui ab Episcopis populo præficiuntur, & dat eis solam executionem; & ita necessaria est adhuc licentia proprii Sacerdotis, ut hic dicitur..... Nec Papa per talem indulgentiam intendit præjudicare proprio Sacerdoti.*

32. Pontifex & Episcopus possunt audire Confessionem, de qua loquitur cap. Omnis. sinè licentia parochi. Hæc, inquam, Glossa Bernardi de Bothono manifestè reprobatur ex illo privilegio Leonis, & aliis jam allegatis, ut proinde non sit ampliùs dubitandum de hac veritate, nisi contrarium à Sede Apostolica declaretur.

Alioquin dicamus Pontificem per se non posse audire Confessionem, de qua loquitur præfatum caput, nisi de licentia Parochi; similiter Episcopum; quod est contra omnem rationem: non enim Superior dependet in usu suæ jurisdictionis ab inferiori; sed è contra; & mirùm profectò foret, quòd Parochus, qui omnem suam potestatem habet immediatè ab Episcopo vel Pontifice, plus posset in hoc Sacramento, quàm ipse Episcopus vel Pontifex.

Etiam per alium, à se delegatum. Quòd si Pontifex vel Episcopus per se potest audire, sinè licentia Parochi, quidni etiam per alium, à se ad illud munus delegatum? Noli dubitare, si non vis errare. *Dudum* (inquit Alex. IV. Bulla: *Cùm olim* 24. apud Rodrig.) *in quibusdam nostris litteris determinando expressimus, quod vos* (Fratres Minores) *de licentia vel commissione aut concessione Legatorum Sedis Apostolicæ, vel Ordinariorum locorum liberè potestis prædicare populis, audire Confessiones, aut pœnitentias injungere Sacerdotum parochialium assensu minimè requisito.*

33. Neque hoc præjudicat proprio Sacerdoti. Neque per talem indulgentiam Pontifex præjudicat propriis Sacerdotibus; quia ipsi non privantur jurisdictione suâ: & aliunde semper habuerunt eam Superiori subordinatam, adeòque si Superior utatur jure suo, illud non est in injuriam & præjudicium inferioris.

D. Thomas. Deinde, ùt loquitur Doct. Angel. 4. dist. 17. q. 3. a. 3. q. 5: *præjudicium non fit alicui, nisi subtrahatur, quod est in favorem ipsius indultum. Jurisdictionis autem potestas non est commissa alicui homini in favorem suum, sed in utilitatem plebis, & ad honorem Dei: & ideo si superioribus Prælatis expedire videatur ad salutem plebis, & ad honorem Dei promovendum, quod aliis, quæ sunt jurisdictionis, committant, in nullo fit præjudicium inferioribus Prælatis, nisi illis, qui quærunt, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi: & qui gregi præsunt, non ut eos pascant, sed ut ab eis pascantur.* Hæc ille.

34. Herculè per hujusmodi privilegia potiùs Parochi juvantur, & eorum onus levius fit, nec impediuntur, quò minùs possint gubernare gregem suum, quia exteriùs possunt curam adhibere, ut bene vivant; quod sufficit, ut ibidem notat D. Tho. dicens: *Quòd Rector Ecclesiæ debet vultum pecoris sui agnoscere dupliciter. Uno modo per solicitam exterioris conversationis considerationem, quâ invigilare debet super gregem sibi commissum: & in hac cognitione non oportet, quòd credat subdito, sed certitudinem facti in quantum potest, inquirat.*

Rector Ecclesiæ debet vultum pecoris sui dupliciter agnoscere, ex D. Thomâ.

Alio modo per Confessionis manifestationem: & quantùm ad hanc cognitionem non potest majorem certitudinem accipere, quàm ut subdito credat, quia hoc est ad subveniendum conscientiæ ipsius: unde in foro Confessionis creditur homini & pro se, & contra se, non autem in foro exterioris judicii: & ideo ad hanc cognitionem sufficit, quòd credat subdito dicenti, se alteri absolvere valenti, confessum fuisse, & sic patet quod talis cognitio pecoris, per privilegium alicui indultum de Confessione audienda, non impeditur.

Sed potiùs per tale privilegium redditur Parochus securus, quantùm pertinet ad forum Pœnitentiæ; quia superior Pastor jam illam curam suscepit. Unde si delegatus perperàm administrat Sacramentum, non immediatè Pastori, sed deleganti imputabitur; ut proinde magis favorabile, quàm præjudiciosum seu odiosum dici debeat, nullumque justæ querelæ locum tribuat.

35. Cap. Omnis solum determinat tempus Confessionis. Quantùm ad cap. *Omnis utriusque sexûs*, in eo Ecclesia solùm determinat tempus Confessionis, alioquin jure divino faciendæ proprio Sacerdoti, vel alteri de ejus licentia; id est, Sacerdoti habenti jurisdictionem ordinariam vel delegatam. *Neque enim* (utor verbis Trident. sess. 14. c. 5.) *per Lateranense Conc. Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium & institutum esse in-*

tellexerat, sed ut præceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur.

Vel ergo pœnitens, qui Confitetur Confessori Regularium, non implet præceptum divinum Confessionis, quod evidenter falsum est, supposito quòd validè absolvat, vel etiam implet præceptum Ecclesiasticum annuæ Confessionis.

36. Quoties Pontifex absolutè dat potestatem audiendi Confessiones, non est necessaria licentia Parochi.

Ex dictis infertur, quoties Pontifex (& idem est proportionaliter de Episcopo) absolutè & expressè dat facultatem alicui ad audiendas Confessiones, id sufficere ad jurisdictionem exercendam, nullâ exspectatâ inferioris Sacerdotis proprii licentiâ, tametsi expressè non addatur: *Sine licentia Parochi*, dummodo etiam contrarium non exprimatur. Est communis doctrina Theologorum, teste Suario Disp. 26. Sect. 1. n. 9. Ratio à priori; quia in Superiore est potestas & voluntas.

A posteriori confirmatur; quia alioquin hujusmodi privilegium nullius esset momenti, quia ipsa licentia Parochi per se sola sufficit; argum. cap. 30. de Privilegiis sequentis tenoris: *In his, quæ ad cultum divinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna esset potiùs interpretatio facienda. Unde mirari compellimur, quòd cùm Fratribus Prædicat. & Minor. duximus indulgendum, ut ubicumque fuerint sinè parochialis juris præjudicio, cum Altari valeant Viatico celebrare: quidam nimis strictè interpretando indulgentiam nostram, nituntur asserere, quòd per eam prædicti Fratres prater Prælatorum assensum facere hoc non possint: propter quod eos celebrare juxta indulgentiam Apostolicam non permittunt. Cùm autem nihil eis conferret memorata indulgentia, sine qua id Prælatis annuentibus liceret eisdem: Fraternitati tuæ mandamus, quatenus interpretatione hujusmodi reprobatâ, dum tamen ab aliis, quæ jure parochiali proveniunt, prorsùs abstineant, datam eis sic licentiam celebrandi auctoritate nostrâ non differas publicare: ita quod dicti Fratres aliquam ex indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consecuti.* Ita Honorius III. Qui indubiè idem dixisset de privilegio audiendi Confessiones, quod facere dignoscitur ad salutem animarum, adeòque in eo non maligna, sed benigna potiùs est facienda interpretatio.

Cap. 30. de Privil.

37. Responsio Adversariorum.

Respondent Adversarii; hoc privilegium posse ad hoc conferre, ut Regulares possint absolvere à casibus reservatis Pontifici vel Episcopo, quod non possent facere per solam Parochi facultatem.

Rejicitur.

Facultas simpliciter concessa, non extenditur ad casus reservatos.

Sed contra facit; quòd facultas, simpliciter & absolutè concessa à Pontifice vel Episcopo, si nihil aliud exprimatur, non extendatur ad casus reservatos, ut expressè statuitur cap. 2. de Pœnit. & remiss. in 6. ibi: *Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere Confessorem: ille quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitus potestatem: Cùm in generali concessione illa non veniant, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus.*

Cap. 2. de Pœnit. & remiss.

Occurritur alteri responsioni.

Nec dixeritis; ad hoc conferet privilegium Pontificis, ut Regulares possint audire Confessiones sinè licentia Parochi extra tempus Paschale. Respondetur enim; non est vestrum determinare tempora vel momenta, quæ Pontifex potuit in sua potestate, sed sicut simpliciter & purè dixit & scripsit, ita simpliciter & purè sinè Glossa debetis intelligere, & cum sancta operatione observare usque in finem.

38. Plus communiter datur per privilegium, quàm de jure competat.

Nolite ergo Parochi prohibere parochianos vestros, quò minùs confiteantur Religiosis, habentibus privilegium ad audiendas Confessiones; quia hæc facultas est quasi relativa, & si uni datur ad audiendas Confessiones, alteri datur consequenter ad confitendum, nisi aliquid obstet. Et plus datur per privilegium, communiter loquendo, quàm de jure communi competat, quoniam privilegium est constitutio Principis specialem favorem concedens.

Quod itaque dicitur, privilegium interpretandum esse sinè præjudicio alterius, intelligendum venit de præjudicio extrinseco, secùs de intrinseco, incluso in ipso privilegio; quamquam hoc privilegium, de quo disputamus, non sit in præjudicium Parochorum, ut suprà ostendimus, sed in maximum sublevamen.

39. An Regularis debeat petere licentiam ut audiat Confessiones in Ecclesiis parochialibus Portel.

Interim notat Portel verb *Confessor Regularis* n. 8. ut Regularis audiat Confessiones in Ecclesiis Parochorum, debet petere licentiam; sed quidquid sit de peccato in non petenda ibi licentia, credo, inquit, quòd Confessio valida erit. Et ego credo sufficere, ad evitandum omne peccatum, licentiam probabiliter præsumptam: probabiliter autem præsumitur, nisi Parochus expressè contradicat, aut aliquando in simili casu contradixerit. Immo nullam licentiam requiri, ex tenore privilegiorum deducitur; quàmvis omnibus auctor sim, ut illis non utantur contradicente Parocho (cùm multa liceant quæ non expediunt) nisi non usus in damnum Ecclesiæ vel animarum, & in magnum Regularis Instituti præjudicium verteretur.

Plura de hac materia poterit, qui volet, legere apud alios Theologos & Canonistas, ego his contentus transeo à Sacerdotibus Regularibus approbatis ab Episcopis, ad quoslibet simplices Sacerdotes, simplices, inquam, id est, non approbatos ab Episcopis; & quæro, quam potestatem illi habeant in hoc foro. Resolutio erit.

CON-

CONCLVSIO III.

Jurisdictionem accipit ab Ecclesia quivis Sacerdos (dummodo excommunicatus vitandus, aut suspensus non sit) in venialia & mortalia ante confessa.

40. Quo jure quilibet Sacerdos possit absolvere à venialibus.

QUemlibet Sacerdotem validè absolvere à peccatis venialibus, & mortalibus ante confessis, nullus est qui dubitet, propter communem praxim & consuetudinem totius Ecclesiæ, Prælatis scientibus & non contradicentibus, cùm tamen facilè possent contradicere. Sola difficultas est, quo jure ipsis competat talis Absolutio, utrùm divino, an verò solo jure Ecclesiastico; cùm enim nulla sit necessitas confitendi peccata venialia, ùt suo loco ostendimus, neque Ecclesia possit peccata venialia reservare, existimat Vasq. q. 93. a. 1. dub. 6. n. 7. cum Aliis, quos citat, jure divino omnem Sacerdotem esse proprium ad Absolutionem à venialibus. *Vasquez.*

& mortalibus ante confessis.

Porrò de mortalibus ante Confessis & absolutis, res (inquit n. 10.) obscura est, & quæ nec auctoritate, nec ratione plane definiri possit. Interim magis inclinatur in sententiam Ruardi, qui arbitratur, etiam Absolutionem horum peccatorum competere omnibus Sacerdotibus jure divino, idque, quia utraque ratio allegata pro Absolutione à venialibus, etiam militat pro Absolutione ab his mortalibus.

Et aliunde ratio in oppositum, putà; quia peccata mortalia ex genere suo sunt materia necessaria, adeòque postulant non tantùm materiam subditam, sed etiam quòd ea assignetur à Superiore, nihil (inquit Vasquez suprà) probat: nam tantùm requiritur, quòd assignetur materia Sacerdotibus, circa quam operari possint Absolutionem à mortalibus, in quantum illa sunt necessaria materia Confessionis; sic enim subjicienda sunt proprio Sacerdoti, quem Ecclesia assignaverit, sed cùm jam semel absoluta, liberè possint in Confessione non explicari, eâdem ratione videtur liberè competere ex Ordinatione sua cuicumque Sacerdoti ab illis impendere Absolutionem. Hæc ille. Et, meo judicio, magis consequenter.

41. Videtur probabilius, quod solo jure Eccles.

Cæterùm probabilius nobis videtur, quod dicitur in Conclusione, videlicet, utramque potestatem absolvendi, competere simplicibus Sacerdotibus ex voluntate Ecclesiæ seu Pontificis, licèt nullo jure scripto; consuetudine tamen sufficienter promulgatâ & acceptatâ. Ratio nostra est; quia non est recurrendum ad jus divinum absque necessitate; atqui hìc nulla est necessitas; ergo &c.

Major probatur; quia Deus solet operari per causas secundas, quantùm commodè potest, & nisi contrarium expressè declaret; sed commodè potest hanc jurisdictionem concedere simplicibus Sacerdotibus per Ecclesiam, & nusquam declaravit contrarium; ergo &c.

Minor quoad secundam partem (nam prima pars est evidens) probatur; quia si usquam declaravit contrarium, non nisi Ioan. 20. v. 22. & 23. illis verbis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Sed ibi loquitur etiam de mortalibus nunquam confessis; ergo simplices Sacerdotes habent jure divino jurisdictionem absolvendi etiam peccata mortalia nunquam confessa, vel non habent jure divino jurisdictionem absolvendi peccata venialia & mortalia ante confessa: sed non habent jurisdictionem jure divino immediatè absolvendi mortalia nunquam confessa, ut suprà diffusiùs probavimus; ergo nec jurisdictionem absolvendi peccata venialia & mortalia ante confessa. 42. Oppositum non restè probatur ex Ioan. 20.

Si ergo ab his absolvant, sicuti reverâ absolvunt; & Absolutio sit actus jurisdictionis ordinariæ vel delegatæ, ut latiùs in præcedentibus ostendimus; sequitur, quòd jurisdictionem accipiant ab Ecclesia. An jurisdictio, quam habent simplices Sacerdotes sit ordinaria.

Vocetur Ordinaria, quia annexa officio Sacerdotali statuto consuetudinario, idque perpetuo; sicuti ab aliquibus jurisdictio Mendicantium in hoc foro vocatur Ordinaria, cùm à jure illam habeant in perpetuum; vocetur delegata, quia non annectitur alicui officio curato, ut sic loquar, id est, cùm cura animarum, seu externo regimine extra Sacramentum, quæstio est de nomine; quæ parùm curanda, ubi constat de re. Res autem hæc est, quòd sicut Ecclesia dat eis illam potestatem, ita quoque eandem possit auferre; quâ sublatâ, non solùm illicitè, sed etiam invalidè absolverent à venialibus, & mortalibus ante confessis.

Et ideo additur in Conclus. *Dummodo excommunicatus vitandus, aut suspensus non sit*; quia videlicet per has censuras, juxta communem sententiam, tollitur omnis jurisdictio spiritualis, argum. cap. 4. 24. q. 1. *Audivimus, quòd Henricus, Ravennas dictus Archiepiscopus, visus sit te excommunicare. Verùm quia excommunicatus, te excommunicare non potuit, Apostolicâ auctoritate te tuosq; absolvendo (id est, absolutos esse ostendendo, id est, non ligatos.* Ita Glossa ibi verb. *Absolvendo*) *Mandamus exinde nunquam curare.* Ita Alex. II. Valeriano Episcopo Martyri. 43. Aufertur per excommunicationem & suspensionem. c. 4. 24 q. 1.

Martyri. Et verò cur non potuit excommunicare, nisi defectu jurisdictionis?

Cap. 1. de Offic. Vicar. in 6.

Hinc Innoc. IV. cap. 1. de Offic. Vic. in 6. *Ea tamen, quæ ipsi gerendo hujusmodi vices agunt, eo taliter excommunicato manente (si jurisdictionem tantùm recipiunt ab eodem) non possunt obtinere vigorem.* Cujus ratio est; quia per excommunicationem suspenditur seu tollitur principalis jurisdictio in eo, qui excommunicatur; ergo non potest derivari ad eum, qui illius vices gerit.

Cap. 10. de Offic. deleg. in 6.

Atque ob eandem causam Bonif. VIII. cap. 10. de Offic. Deleg. in 6. *Si is* (inquit) *cui causa (licet proprio nomine non expressa) à Sede fuerat Apostolica delegata, subdelegaverit non in totum vices suas alicui: à subdelegato hujusmodi, si delegatum ipsum excommunicari, aut de medio tolli contingat, impedimento tali durante ad Sedem ipsam (ne Absolutionem vel Successorem expectando illius, præjudicari litigantibus, vel causa plus debito prorogari valeat) voluimus appellari.* Sanè excommunicatus cùm sit suo modo ab Ecclesia separatus, indignus est, ut in illa jus dicat, aut alium actum similis jurisdictionis exerceat.

44. Per suspensionem intellige suspensionem ab officio.

Consimilis autem est ratio de suspenso, intellige ab officio, per quod intelligitur omnis potestas spiritualis, ad aliquem spirituale actum exercendum, sive sit Ordinis sive jurisdictionis, sive etiam administratio Ecclesiastica.

Porrò Absolutionem sacramentalem esse actum Ordinis, immo & jurisdictionis, nemo ambigit; ergo Sacerdos suspensus ab officio invalidè absolvit, utpote privatus jurisdictione spirituali in actu, seu quoad usum.

de quâ loquitur c. 10 de Sent. & re judicata in 6.

De hac suspensione sic ait Innoc. IV. in Conc. Lugdunensi (& refertur cap. 1. de Sentent. & re judicata in 6.) *Si quis Judex Ecclesiasticus, ordinarius aut etiam delegatus, famæ suæ prodigus, & proprii persecutor honoris, contra conscientiam & contra justitiam in gravamen partis alterius in judicio quidquam fecerit per gratiam, vel per sordes: ab executione officii per annum noverit se suspensum, ad æstimationem litis parti, quam læserit, nihilominus condemnandus.*

Cùm enim pœna debeat respondere culpæ, & hæc suspensio feratur contra Iudicem, qui contra conscientiam & contra justitiam in gravamen alterius partis aliquid in judicio fecerit, manifestum videtur, illam suspensionem primò & per se ferri de officio judicandi, seu de jurisdictione exercenda. Nec obstat; quòd acta ejus, durante suspensione, non dicantur invalida: quia de eo nulla poterat esse dubitatio.

45. An sit distinctio inter suspensionem ab officio & à jurisdictione.

Interim Glossa in cap. *Audivimus.* suprà allegatum verb. *Quia excommunicatus*, videtur distinguere inter suspensionem ab officio, & suspensionem à jurisdictione, ibi: *Dico, referre, an sit suspensus ab officio vel jurisdictione; nam si ab officio tantùm, ea non poterit, quæ officii sui sunt exercere, putà, celebrare, & similia; sed ea poterit, quæ jurisdictionis sunt, ut dare præbendam & excommunicare..... E contra etiamsi suspenderetur à jurisdictione, & non ab officio: quæ posset ea, quæ essent officii, non autem, quæ sunt jurisdictionis. Si autem ab utroque, tunc neutrum, extra de concess. præbendæ. Quia.* Hæc Glossa.

Sed, ùt benè notat Suarez de Cens. Disp. 26. Sect. 1. n. 6. hujus opinionis nullum adfert fundamentum, nec textum, quo satis ostendat, hunc esse modum loquendi, aut sensum in jure usitatum. Unde existimat hic Auctor, suspensionem ab officio, absolutè prolatam, privare omni usu Ordinis & jurisdictionis ac muneris Ecclesiastici, quantùm persona est capax. Et de tali suspensione intelligitur nostra Conclusio, quæ sic intellecta, nullam habet difficultatem. *Suarez.*

Rogas, quæ necessitas illius particulæ: *Vitandus*? Resp. necessitas oritur ex Concil. Basilien. sess. 20. in fine, ubi sic legitur. *Ad vitanda scandala & multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, statuit etiam, quòd nemo deinceps à Communione alicujus in Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra, seu tratextu cujuscumque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à jure generaliter promulgata, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerit in, vel contra personam, collegium, universitatem, Ecclesiam aut locum certum, aut certam, à Iudice publicata, vel denuntiata specialiter & expressè; aut si aliquem ita notoriè excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nullâ possit tergiversatione celari, aut aliquo modo juris suffragio excusari.* Vel, ùt legitur ab Antonino, juxta Conc. Constantiense, quæ lectio hodie recepta videtur ab Ecclesia: *salvo, si quem, pro sacrilega manuum injectione in Clericum, sententiam latam à Canone, adeò notoriè constiterit incidisse, quòd factum non possit aliquâ tergiversatione celari, neque aliquo suffragio excusari.* 46. Quare in Conc. ad datur ly *Vitandus*,

Propter hanc itaque Constitutionem seu Extravagantem, ut communiter appellatur, oportuit addere in Conclus. ly *Vitandus*; quoniam non vitandus validè absolvit, quando ad hoc fuerit requisitus. Sin autem, juxta Extravagantem mox allegatam, vitari debeat, estò peccata venialia non sint materia necessaria, utì etiam mortalia ante confessa & absoluta, equidem invalidè absolvit, defectu jurisdictionis; prout etiam invalidè absolveret, defectu doloris seu Contritionis in pœnitente. Quamquam enim multis aliis modis peccata venialia expiari possint, nihilominus ut expientur Absolutione sacramentali, necessariò requiruntur Contritio, Confessio & Satisfactio; & aliunde quia Absolu- 47. Sacerdos excommunicatus vitandus invalidè absolvit à venialibus; secùs non vitandus.

Absolutio venialium non minùs est actus judicialis, quàm Absolutio mortalium, insuper requiritur in absolvente jurisdictio.

Quid si enim Christus reliquisset Confessionem mortalium liberam, sicuti reliquit Confessionem venialium, putas, quia propterea sinè jurisdictione fuisset valida Absolutio mortalium, aut idcirco Ecclesia non posset reservare Absolutionem peccatorum mortalium? Id putare, non est sapientis.

48. Ad validam Absolutionem venialium requiritur jurisdictio.

Ergo consimiliter, tametsi Confessio venialium libera sit, equidem ad validam Absolutionem requiritur jurisdictio, & Ecclesia posset, si vellet, reservare peccata venialia, id est, facere per subtractionem jurisdictionis, ut pœnitens per hoc Sacramentum non possit recipere eorum remissionem. Quia tamen hæc reservatio ferè esset inutilis, ut patet, hinc Ecclesia non solet in speciali reservare peccata venialia, ùt infrà latiùs dicetur.

Dico; *In speciali*, quia secundùm Conclusionem nostram in generali reservat, si ita velimus loqui, quando excommunicat Sacerdotem, aut suspendit ipsum à jurisdictione, id est, facit per subtractionem jurisdictionis, ut Absolutio non valeat; quidquid suprà dicat Vasquez n. 8. ibi: Quamvis aliquis prohiberi meritò possit lege aliquâ aut præcepto, ne etiam circa venialia administret Sacramentum, sicut de facto prohibitus est excommunicatus; quia interdicitur ei omnis Sacramenti administratio, tamen si de facto absolvat à venialibus, Absolutio est rata. Hæc ille. Cùm tamen in Tractatu de Excom. dub. 4. n. 3. generaliter doceat, nullam esse Absolutionem, quam aliquis, etiam bonâ fide, accipit ab excommunicato vitando: quia, inquit, est impedimentum ex parte Confessoris, quod bonâ fide pœnitentis suppleri nequit.

Sententia Vasquez excommunicatum valide absolvere à venialibus.

49. Et verò, quod aliud hìc impedimentum, nisi defectus jurisdictionis? Fateor, non sic potest Superior reservare peccatum veniale, ut peccator maneat obligatus ipsi confiteri: sed quid tum? De hoc non quæritur; & quæstio est de nomine, an hoc requiratur ad reservationem alicujus peccati; an verò sufficiat, quòd sit obligatio confitendi peccatum reservanti, ex hypothesi, quòd pœnitens velit per Absolutionem Sacramentalem accipere ejus remissionem.

Sacerdos tametsi non possit cogere ad Confessionem venialium potest tamen cogere ad satisfactionem.

Hoc de re certum est: Sacerdos tametsi non possit cogere ad Confessionem venialium, potest tamen cogere ad satisfactionem, etiam, secundùm Aliquos, sub mortali, si ipsa secundùm se gravis sit. Potest ligare pœnitentem, negando indispositò Sacramentalem Absolutionem. Cur ergo non posset Ecclesia auferre jurisdictionem, quam habent simplices Sacerdotes, absolvendi à peccatis venialibus & mortalibus ante confessis, estò non possit cogere ad eorum Confessionem? Non video ullam rationem, nisi aliunde ostendatur, hanc jurisdictionem ipsis competere immediatè ex jure divino. Quod cùm non ostendant Adversarii, persisto in Conclusione. Et pro fine

50. An Absolutio peccati mortalis ante confessi sit conditionata.

Quæro; an Absolutio peccati mortalis ante confessi sit conditionata, ita quòd foret invalida, casu quo peccatum illud mortale non fuisset antè confessum & absolutum?

Lugo.

Card. Lugo disput. 18. n. 48. existimat Absolutionem, fore invalidam, tametsi non sit conditionata. Quod sic explicat: Potest, inquit, Pontifex Sacerdoti simplici dicere: *Ego volo tibi dare facultatem absolvendi à peccato mortali Petrum: sed nolo tibi eam dare nunc; sed cras, postquam ego eum primâ vice absolvero.* Nam sicut ipse Pontifex, postquàm primâ vice absolvit Petrum, potest iterùm & sæpiùs absolverè eum ab eodem peccato, si sæpiùs illud confiteatur; sic potest communicare alteri similem facultatem ei, quam ipse habet. Potest autem communicare hanc facultatem quando voluerit; & potest velle communicare, quando jam pœnitens absolutus sit primâ vice, & non priùs; in hac enim voluntate communicandi facultatem tali tempore, & non priùs, non videtur esse ulla contradictio. Hæc ille.

51. Non repugnat Pontificem dare potestatem absolvendi peccatum mortale priùs confessum & non aliter.

Prorsus non videtur esse ulla contradictio. Sed quæro; quando Pontifex iterùm & sæpiùs absolvit Petrum ab eodem peccato, si primâ vice non fuerit absolutus, defectu verbi gratiâ Contritionis; an secundâ vice non absolvatur directè, ex hypothesi, quòd jam omnia requisita adsint?

Absolvitur, inquis, directè, & quid mirum, cùm primâ vice potuerit ipsum absolvere directè? At verò in nostro casu, cùm simplex Sacerdos non possit primâ vice absolvere directè, non mireris si dixero, nec secundâ vice directè absolvere, si primâ vice non fuerit directè absolutus; nam sub illa dumtaxat conditione potest secundâ vice absolvere, si primâ vice fuerit absolutus.

Quomodo ergo non est conditionata? Nonne si Sacerdos expressis verbis diceret: *Si prius es absolutus, ego te absolvo*; Absolutio foret conditionata; sicut Baptismus est conditionatus, qui hâc formâ confertur: *Si non es baptizatus, ego te baptizo* &c. & Absolutio est conditionata sub hac forma expressa: *Si es dispositus, ego te absolvo?*

52. Tali casu non fore Absolutionem conditionatam, docet Lugo exemplo voti.

Respondet Lugo suprà; illam conditionem non tenere se ex parte Absolutionis proferendæ, sed ex parte ipsius concessionis. Ad quod declarandum n. 49. affert exemplum in actu vovendi: pone, inquit, aliquem, qui à Pontifice prohibitus esset, facere ullum votum; immo fuisset redditus inhabilis ab eodem Pontifice ad vovendum validè: posset hic petere ab eodem facultatem vovendi Castitatem v. g. quam jam iterùm voverat olim ante prohibitionem: & Pontifex posset concedere eam facultatem, si verè jam eam iterùm voviſſet; quo posito conditio non se teneret ex parte voti, sed ex parte concessionis: non enim concedit facultatem solùm ad votum conditionale, sed ad votum absolutum Castitatis: sed tamen non concedit licentiam absolutè, sed sub conditione, si jam iterùm Castitatem vovit: quâ conditione stante, fit nunc votum novum absolutum; ac per consequens ejus sensus est: *Volo me obligare denuò, etiamsi obligatus non essem*, alioquin non esset votum absolutum simpliciter: sed tamen licentia Pontificis ad hoc votum absolutum, & cum illo sensu absoluto faciendum, non fuit absoluta, sed conditionalis, si jam iterùm Castitatem voverat: nec in hac concessione est aliqua contradictio. Hucusque Lugo.

53. Contra quem arguit Auctor.

Quin immò, videtur esse maxima contradictio; nam est licentia conditionalis ad votum absolutum, repugnans ipsi conditioni. Nam Pontifex dicit: *Do licentiam ut voveas Castitatem, si jam eam iterùm vovisti*: vovens autem dicit: *Voveo*, seu, *volo me obligare denuò, tametsi iam eam iterùm non vovissem*, quæ voluntas directè excludit conditionem, cùm solùm habeat licentiam se obligandi seu vovendi Castitatem, si jam eam iterùm voviſſet; quomodo ergo potest velle se obligare efficaciter, tametsi jam non esset obligatus, cùm sciat se hoc non posse facere? Sicuti si Pontifex daret alicui licentiam vovendi quidpiam sub illa conditione: *Si es legitimè natus*, ipse autem diceret: *Volo me obligare, tametsi non essem legitimè natus*, quis non videt, talem directè operari contra suam licentiam, adeòque non posse efficaciter id velle?

Ergo similiter in casu nostro, Pontifex dat licentiam simplicibus Sacerdotibus absolvendi peccata mortalia, anteà absoluta; concessio, inquit Lugo, est conditionalis, Absolutio tamen, ad quam datur licentia, non debet esse conditionalis, sed absoluta, cujus sensus sit, remittere illa peccata, etiamsi priùs remissa non fuissent: nam ad hanc Absolutionem absolutam dari potuit licentia sub conditione; in quo nulla apparet contradictio. Hæc ille.

Respondeo; apparet manifestissima contradictio in eo, quòd licentia absolvendi, etiamsi peccata priùs remissa non fuissent, concedatur sub hac conditione: *Si peccata priùs remissa fuerint*; cùm ista licentia expressè excludat illam conditionem, ùt patet.

54. Ostenditur contradictio in eo, quòd detur licentia absolvendi etiamsi peccata priùs remissa non fuissent, sub conditione, si priùs remissa fuerint.

Et sanè, quomodo potest quis velle absolvere efficaciter peccata, etiamsi priùs remissa non fuerint, cùm sciat se non habere potestatem, nisi absolvendi peccata, quæ priùs remissa fuerunt? Hæc de quæstione nominis sufficiant: appelletur Absolutio conditionalis, appelletur absoluta, parùm refert ad praxim, dummodò reverà non remittat peccata, priùs non remissa per Absolutionem, quantùmvis pœnitens & absolvens bonâ fide putarent, ea esse remissa.

55. Tali casu Absolutio non remittit peccata, quæ antea non fuerunt remissa.

Quòd autem non remittat, videtur probari à simili; quia Absolutio simplicis Sacerdotis non remittit directè peccata mortalia, quantumcumque pœnitens & Sacerdos bonâ fide putarent esse venialia. Prout etiam Sacerdos approbatus non remittit peccata reservata, estò ipse & pœnitens putarent non esse reservata, nisi habeat potestatem absolvendi à reservatis.

Et hæc quidem de potestate simplicis Sacerdotis extra articulum mortis. Quam autem habeat in articulo mortis, edissero Conclusione sequenti, quæ talis est:

CONCLVSIO IV.

Quilibet Sacerdos, etiam hæreticus, suspensus, excommunicatus aut degradatus vitandus, in articulo seu periculo mortis, jure dumtaxat Ecclesiastico, potest absolvere ab omnibus peccatis & censuris, Sacramento obstantibus, & casibus reservatis à jure vel homine, præsertim in absentia Ordinarii; quid ni etiam in præsentia?

56. An hic periculum & articulus mortis debeant distingui.

NOnnulli Auctores distinguunt hìc inter periculum & articulum mortis, dicentes, articulum mortis significare non quodcumque periculum, sed dumtaxat periculum proximum, quando videlicet mors est moraliter certa & inevitabilis; periculum autem, quando est probabile dubium, eò quòd contingat sæpè in talibus circumstantiis

stantiis mors, putà in actuali bello, longa & periculosa navigatione, &c.

Cap. 22. de Sent. Excom. in 6. Alii autem confundunt hìc periculum cum articulo mortis, argum. cap. *Eos qui*. 22. de Sentent. Excom. in 6. ibi: *Eos qui à sententia Canonis vel hominis (cùm ad illum, à quo aliàs de jure fuerant absolvendi nequeunt, propter imminentis mortis articulum aut aliud impedimentum legitimum pro Absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolvuntur: si cessante postea periculo* (id est, articulo mortis) *vel impedimento* &c.

Cap. 29. 17. q. 4. Similiter 17. q. 4. cap. 29. *Si quis suadente diabolo*, positâ reservatione excommunicationis, excipitur periculum mortis ibi: *Nisi mortis urgente periculo*, cujus exceptionis fit mentio in cap. *Non dubium*. 5. de Sentent. Excom. ibique appellatur articulus mortis: *Nec nisi in articulo mortis sinè Rom. Pontifice Absolutionis possint beneficium impetrare.*

Cap. 5. de sent. Excom.

57. Expenduntur jura, quæ videntur probare partem negativam. Sed, ut verum fatear, hæc jura, quibus communiter utuntur DD. & ego usus fui Disput. 4. Sect. 9. Conclus. 5. non omnino convincunt; nemo quippe dubitat, quin articulus mortis possit vocari periculum mortis, ùt fit in primo jure; similiter quin mortis urgens periculum possit confundi cum articulo mortis, quod facit secundum jus: sed quod quæritur est, an quodlibet periculum mortis, etiam non urgens, soleat ab Ecclesia vocari articulus mortis, quod non puto satìs efficaciter probari ex juribus jam citatis.

Quæ est communior, & tuta in praxi. Interim, quia communiùs sic docent Theologi, sciente & non contradicente Ecclesiâ, & quia favores convenit ampliari, quamquam in rigore significationis illæ voces sint diversæ, in præsenti tamen casu videntur posse confundi; præsertim cùm ratio seu motivum Ecclesiæ, scilicet, ne aliquis pereat, militet tam in articulo, quàm in periculo mortis: nam si pœnitens expectare deberet usque ad articulum mortis, rariùs posset uti illâ facultate; cùm tunc rariùs sit opportunitas confitendi, vel ratione nimiæ infirmitatis, vel ratione absentiæ Confessarii &c.

58. An sit periculum mortis, quando quis inchoat periculosam navigationem. Arriaga. Unde sicut ob periculum illud mortis, etiam ante extremum articulum, obligatur homo confiteri; ita in illo periculo fruitur eo privilegio seu facultate, ab Ecclesia pro isto articulo concessa. Ego tamen putarem, inquit Arriaga Disput. 39. n. 9. quando quis navigationem, etiam maximè periculosam inchoat, si habet secum Sacerdotes, à quibus subortâ fortè tempestate possit absolvi, non debere judicari periculum mortis; nisi dum incipit tempestas, vel si ipse Sacerdos incipiat ægrotare; tunc enim poterit ab eo absolvi ab omnibus casibus reservatis &c. pro ipso verò Sacerdote, si solus sit, tum periculum incipit, quando navigationem inchoat, quia ipse sibi Absolutionem dare non potest; quòd si sit alius cum ipso, debebit de eo, utì de laico immediatè ante, discurri.

Respondetur ad objectionem. Si objicias; potest fortè in ipsa navigatione Sacerdos repentè mori, quando non erit commoditas alium quærendi. Respondet; ex eo capite aliquid esse difficultatis; quia tamen talis mors repentina, est valde extraordinaria, non putarem, inquit, ex ejus præcisè timore posse judicari initium ejus navigationis articulum mortis, ut eâdem causâ possit navigaturus confiteri cuilibet. Hæc ille.

59. Quid dicendum de eo, qui pugnam incipit. Et continuò adjungit: Non est eodem modo discurrendum de eo, qui pugnam incipit; nam licèt apud se Sacerdotem habeat, periculum tamen jam censetur incipere ab ipso pugnæ initio: non enim potest Sacerdotem habere præsentem ad omnem partem, ad quam se miles vertit; deinde ictus supervenientes auferunt vitam repentè, antequam in ipso extremo articulo possit cogitare de Confessione, idemque periculum est circa ipsum Sacerdotem. In navigatione non habet id locum; quia tempestas non evertit in momento navim, sed semper dat locum Confessioni, saltem in genere, si multæ sint in navi personæ, & unus tantùm Confessarius. Hactenus præfatus Auctor.

60. Sententia Auctoris. Et quidem non adeo malè; si cum aliquibus Auctoribus, de quibus infrà, docuisset, istud privilegium seu facultatem Ecclesiæ præcisè concessam fuisse, ad succurrendum absolutæ necessitati: sed cum n. 14. doceat nobiscum, Ecclesiam per suam facultatem etiam voluisse tollere difficultatem hujus Sacramenti, & efficere Confessionem quàm potest suavem; atque aliundè fieri possit, ut ille, qui incipit navigationem periculosam, tametsi secum habeat Sacerdotem, difficillimè tamen ei confiteretur subortâ tempestate; hinc consequenter videtur, etiam tali casu debere judicari periculum mortis, quando navigationem inchoat; & ideo tunc posse eligere quemlibet Confessarium, cùm teneatur confiteri, nisi velit confiteri, dum tempestas incipit, illi Sacerdoti, quem secum habet. Ita ego sentio, salvo meliori.

Breviter ergo; quoties peccator propter articulum vel periculum mortis tenetur confiteri, toties Ecclesia concedit cuilibet Sacerdoti potestatem absolvendi ab omnibus peccatis.

61. Vbi Ecclesia. Quæris à me, ubì Ecclesia concedat illam potestatem? Respondeo in Concil. Trident. sess.

concedat cuilibet Sacerdoti potestatem absolvendi in articulo mortis. *Trident.*

sess. 14. c. 7. hisce verbis: *Verumtamen piè admodum, ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.* Quæ verba sicuti generalia sunt, & nullum excipiunt Sacerdotem, nullum pœnitentem, nullum peccatum, nullam censuram, ita generaliter arbitror intelligenda, nisi aliquid obstet.

Probatio Conclus.

Et ideo dixi in Conclusione: *Quilibet Sacerdos, etiam hæreticus, suspensus,* &c. quia nihil obstat, quin de omnibus illis possit intelligi Concilium; quin immo, cùm Sacramentum hoc sit difficillimum, & in talibus circumstantiis maximè necessarium, ne propter verecundiam detegendi peccata huic aut illi, aliquis pereat, planè conveniens est suavi dispositioni Dei & Ecclesiæ, ut de omnibus illis hæc Constitutio intelligatur.

62. Objectio.

Dices; hæreticus non est capax jurisdictionis Ecclesiasticæ, quia caret vera Fide, quæ est ejus fundamentum, teste Apostolo

1. Cor. 3.

1. Corinth. 3. v. 11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si autem Christus,* inquit

D. Augus.

D. Augustin. lib. de Fide & operibus cap. 16. *procul dubio Fides Christi.*

Matth. 16.

Quocirca Matth. 16. præmittitur confessio Fidei promissioni Papatûs v. 16. *Respondens Simon Petrus dixit: Tues Christus Filius Dei vivi.* Sequitur v. 18. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo Claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Ergo potestas solvendi peccata, præsupponit confessionem veræ Fidei.

S. Cyprian.

Hinc Cyprianus lib. 4. Epist. 2. ad Antonianum (& refertur 7. q. 1. c. 6.) *Qui,* inquit, *nec unitatem spiritus, nec conjunctionem pacis observat, & se ab Ecclesiæ vinculo, atque à Sacerdotum collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem* &c. Et idem lib. 1. Epist. 6. (ut refertur 24. q. 1. c. 31.) *Didicimus omnes omnino hæreticos & schismaticos nihil habere potestatis ac juris.* Transeo alios Patres, qui similiter loquuntur.

63. Explicantur verba Apostoli 1. Cor 3. *Fundamentum* &c.

Respondeo; Apostolum intelligendum non de fundamento jurisdictionis aut dignitatis Ecclesiasticæ, sed de primario fundamento totius Ecclesiæ ac Iustificationis omniumque bonorum operum, ut patet ex contextu totius capitis.

S. Augus.

Unde D. August. suprà sic probat, quod dixerat: *Per fidem quippe habitat Christus in cordibus nostris, sicut idem Apostolus dicit. Porrò fides Christi, illa utique, quam definivit Apostolus,* (ad Ephes. 3.) *quæ per dilectionem operatur. Non enim fides illa dæmonum, cùm & ipsi credant & contremiscant, & Filium Dei confiteantur Iesum, potest accipi in fundamentum. Quare? Nisi quia non est fides, quæ operatur per dilectionem, sed quæ exprimitur per timorem. Fides itaque Christi, fides gratiæ Christianæ, id est, ea fides, quæ per dilectionem operatur, posita in fundamento, neminem perire permittit.*

64. Charitas non est necessarium fundamentum Ecclesiasticæ jurisdictionis Tridentij

Putas autem, quia hæc fides est necessarium fundamentum Ecclesiasticæ jurisdictionis? Contrarium novissimè definitum est à Concil. Trident. sess. 14. can. 10. *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere* &c. *anathema sit.* Ergo dictum Apostoli, juxta expositionem August. planè impertinens est ad propositum.

Quantùm ad factum Christi; nonne & ipse Ioan. 21. interrogavit Petrum non semel, sed tertiò dicens: *Simon Ioannis diligis me plus his? Simon Ioannis diligis me? Simon Ioannis amas me?* antequam dixit ei: *Pasce oves meas?* Ergo Pontifex hoc ipso, quòd non diligit Christum, caret omni jurisdictione Ecclesiasticâ, quis Catholicus audeat affirmare?

Ioan. 21.

est tamen necessaria, ut quis convenienter fungatur suo munere.

Voluit ergo Christus his præviis interrogationibus ostendere, quomodo fides, quæ per dilectionem operatur, sit necessaria, ut Pontifex, & quicumque alius, in dignitate Ecclesiastica constitutus, convenienter & dignè possit fungi munere suo & Ecclesiasticâ jurisdictione.

65.

Et verò, si ille qui non habet charitatem, nequit dignè fungi munere suo, quantò magis qui non habet fidem? Et ideo dignus est, qui privetur suo officio & jurisdictione, sicuti de facto privantur per sententiam excommunicationis hæretici externi. Nec aliud voluit Cyprianus suprà; & alii Patres commode hoc sensu possunt explicari.

Hæretici nihil habent potestatis Ecclesiasticæ in quantum tales sunt.

Didicimus itaque, omnes omnino hæreticos & schismaticos nihil habere potestatis aut juris, in quantum tales sunt. Cæteroquin in quantum sunt veri Sacerdotes, id est, retinent characterem sacerdotalem impressum per sacram Ordinationem, sicuti validè consecrant, validè ordinant; non est ratio, quare etiam non possint validè absolvere à peccatis, si cætera adsint, id est, si adsit jurisdictio; hanc autem non posse adesse, hactenus non est probatum, neque probari potest: habet quippe fundamentum sufficiens, scilicet characterem sacerdotalem; alioquin etiam hæreticus merè internus invalidè absolveret, quod nullatenus est admittendum.

Quare hæreticus externus invalidè absolvat,

Quòd itaque hæreticus externus invalidè absolvat, non est præcisè propter hæresim, sed propter excommunicationem, quâ privatur omni jurisdictione spirituali; si ergo

propter

propter excommunicationem Sacerdos non sit incapax jurisdictionis Ecclesiasticæ, quin hic & nunc, ita volente Ecclesiâ, possit validè absolvere, de quo nemo potest dubitare (cùm de facto omnes excommunicati tolerati validè absolvant, dum à fidelibus ad hoc requiruntur) neque incapax erit præcisè propter hæresim.

66. Hæreticus in articulo mortis, habet jurisdictionem activam. *Vasquez.*

Potuit ergo & voluit Ecclesia hæreticum esse legitimum judicem in articulo mortis, non tantùm per assignationem materiæ, ut videtur velle Vasq. q. 93. a. 1. dub. 4. n. 4. sed etiam per collationem jurisdictionis activæ, nisi Vasquez ostenderit, cum esse incapacem ejusmodi jurisdictionis, quod hactenus non fecit, nec facilè quisquam faciet.

Idem est iuno excommunicatum. tulpati &c.

Quæ autem hæretici, similis est ratio excommunicati, suspensi, degradati &c. Quippe cùm excommunicatio, suspensio &c. & omnes effectus harum censurarum seu pœnarum, sint juris Ecclesiastici, potuit Ecclesia pro illo articulo vel tollere illam excommunicationem, suspensionem &c. vel saltem impedire istum effectum, puta ablationem jurisdictionis; sicut de facto impedivit in aliquibus per Extravag. *Ad evitanda.* non solùm pro articulo mortis, sed etiam extra illum articulum.

67. An liceat in articulo mortis confiteri hæretico &c.

Cæterùm an liceat in articulo mortis confiteri hæretico, excommunicato, suspenso &c. videre poterit Lector Disp. 1. Sect. 8. Concluſ. 5. Haùd dubium, quin liceat aliquo casu, v.g. quando vel debeo mori absque Sacramento, vel debeo Sacramentum ab eis recipere; nisi forte illa receptio esset protestatio falsæ Religionis; qualis fuisset sumptio Eucharistiæ ex manu Episcopi Ariani, quem Rex Leovigildus miserat ad filium suum Hermenigildum, ut per hoc ad gratiam suam redire mereretur.

Et ideo vir Deo deditus, Ariano Episcopo venienti exprobravit, ùt debuit, ejusque à se perfidiam dignis increpationibus repulit, eligens magìs mori, quàm fœdari, implicitè protestando hæresim Arianam: quamquam & de morte instante, quam perfidus pater, ad se reverso Episcopo, continuò per apparitores suos intulit, ei minimè constaret, adeòque nesciebat, se esse in periculo seu articulo mortis. Præterquam, quòd Sacramentum Eucharistiæ non sit tam necessarium ad salutem, quàm Sacramentum Pœnitentiæ.

68. Non licet si Confessio foret protestatio falsæ Religionis.

Interim, si etiam similes occurrerent circumstantiæ impræsentiarùm, id est, si contingeret, ut illa Confessio foret protestatio falsæ Religionis, potiùs mors esset eligenda, & non dubitarem, quin Deus suâ gratia talem excitaret ad veram Contritionem justificativam seu remissivam peccatorum absque reali susceptione Sacramenti.

Sed hic casus quasi metaphysicus; nam si apertè talis pœnitens protestaretur, se hæresi illius Sacerdotis nullatenus velle consentire, sed petere in ea necessitate Absolutionem in remedium animæ suæ, ne fortè defectu perfectæ Contritionis in æternum damnaretur, jam tolleretur omnis protestatio falsæ Religionis, & vera occasio scandali, ut proinde scandalum, si fortè aliquod adhuc sequeretur, tamquam acceptum, minimè curari deberet.

69. An sit obligatio confitendi secùs, sâ hâc protestatione & scandalo.

Sed nunquid teneor in articulo mortis, deficiente alio Confessore, confiteri hæretico, excommunicato &c. Respondeo: plane teneris, nisi protestatio falsæ Religionis aut scandalum, de quo jam diximus, vel periculum perversionis te excuset; aut certè perversa voluntas non proferendi formam cum debita intentione, juxta institutionem Christi. Patet; quia urget, ut suppono, præceptum divinum, & commodè potes illud implere; ergo teneris. Et aliundè debes providere saluti animæ tuæ, licèt alius suâ pravâ voluntate peccaturus sit. Dico; *suâ pravâ voluntate*; quia potest & debet se disponere ad gratiam per Contritionem Charitate perfectam aut aliud medium, & ita dignè ministrare Sacramentum; si non faciat, ipse viderit.

Exceptiones per se claræ sunt, nec indigent probatione. Et quàmvis periculum scandali rarissimum sit, ut statim dixi, tamen periculum perversionis ab hæretico, potest esse frequens, similiter voluntas non proferendi formam cum debita intentione, & ideo posset sæpiùs excusari infirmus à Confessione, facienda hæretico.

70. etiam cum hæresim, quâ Confessarius laborat.

Alioquin his cessantibus, putant aliqui, infirmum debere confiteri hæretico, etiam illam hæresim, quâ ipse Confessarius laborat. Ratio, quia Absolutio est valida, ergo censetur habere copiam Confessarii. Antec. probatur: quia valor Absolutionis non regulatur à judicio, quod Confessarius facit de malitia aut gravitate peccatorum, quæ audivit & intellexit; neque enim dicit explicitè vel implicitè: *Ego te absolvo à peccatis, quæ judicavi esse peccata, aut, judicavi esse mortalia vel venialia*; sed, *Ego te absolvo à peccatis, quæ mihi confessus es.* Habet ergo intentionem solvendi omnia vincula, dependentia ex processu & Confessione sibi facta, etsi ex privato errore putet, aliquod non esse vinculum; v. g. in casu proposito non esse hæresim, quam pœnitens ut talem confitetur.

Veluti Calvinista baptizans, quàmvis ex privato errore putet illa verba: *Ego te baptizo* &c. solum esse concionatoria, & non operatoria: quia tamen intentione magìs universali & efficaci intendit baptizare, juxta Christi institutionem, habet etiam intentio-

nem proferendi illa verba juxta eandem institutionem, & per consequens proferendi verba operatoria. Si ergo Sacerdos hæreticus, non obstante eo errore, potest absolvere, & de facto absolvit directè ab illo peccato, nescio, cur pœnitens in periculo mortis non teneatur ei confiteri eundem errorem.

71. Saltem tenetur alia peccata confiteri.

Ut ut sit de hac difficultate, quæ non pertinet ad præsentem Tractatum, & ideò paucis verbis eam attigi, saltem alia peccata, nisi aliquid ex dictis obstet, tenebitur ei confiteri, cùm saltem ab illis directè possit absolvi, & absolvetur, ùt suppono. Quâ jurisdictione? Sicut dixi, jurisdictione delegatâ, seu concessâ ab Ecclesia, non autem immediatè concessâ à Deo, cùm illius concessionis nullum extet vestigium in Scriptura, Conciliis, aut SS. Patribus.

Quâ jurisdictione tunc hæreticus absolvat,

Quin immo putat Suarez disp. 26. sect. 4. n. 6. concessionem Ecclesiæ insinuari à Concil. Trident. sess. 14. c. 7. ibi: *Ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis* &c. Ubi, inquit, significat hanc Traditionem ortam esse ab ipsa Ecclesia, & ad summum esse Apostolicam. Omnia etiam antiqua Decreta, in quibus reservantur peccata cum hac exceptione (præterquam in articulo mortis) indicant esse Ecclesiæ concessionem. Hæc ille.

72. Aliqua in Ecclesia custodiuntur, quæ tamen sunt immediatè à Deo concessa. D. August.

Sed facilè responderi posset ad primum, aliqua in Ecclesia custodiri, quæ tamen sunt immediatè à Deo concessa; v. g. Baptismus parvulorum, de quo Aug. lib. 4. de Baptismo cap. 23. *Quod traditum tenet universitas Ecclesiæ, cùm parvuli infantes baptizantur, qui certe nondum possint corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem, quod latro potuit, quia etiam flendo & vagiendo cùm in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt, & tamen nullus Christianorum dixerit, eos inaniter baptizari.*

Et illicò cap. 24. subjungit: *Et si quisquam in hac re auctoritatem divinam quærat, quamquàm quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur* &c. Ergo Trident. istis verbis: *In eadem Ecclesia Dei semper custoditum fuit*, estò significet ad summùm Traditionem Apostolicam, non propterea satìs significat rem istam institutam esse ab Ecclesia: nam Traditio Apostolica potest esse de re immediatè à Christo institutâ, ut patet ex Baptismo parvulorum.

73. Quare ad omnes casus reservatos addatur illa particula: *Præterquam in articulo mortis.*

Ad secundum respondetur: ex illa exceptione potiùs colligi contrarium; si enim non esset juris divini, sed dumtaxat juris Ecclesiastici, aliquando esset reservatio etiam pro illo articulo: cùm ergo generaliter ad omnes casus reservatos illa particula addatur, signum est, Pontificem non posse aliter reservare; additur autem, ut omnes sciant suam potestatem, ne fortè, propter ignorantiam Sacerdotis, aliquis pereat. Deinde, ut significetur, Ecclesiam non habere potestatem pro tali articulo reservandi peccata.

74. Conjectura Suarii,

Nec magìs urget optima conjectura Suarii suprà: Est, inquit, etiam optima conjectura; quia si hoc esset de jure divino, omnes Sacerdotes essent pares in illo articulo, neque posset unus privari tali jurisdictione, etiamsi esset copia alterius: neque tunc necessarium esset, expositum non exposito præferre; quia ad jurisdictionem divini juris non esset necessaria hominum approbatio, & ab hominibus instituta.

ad quam respondet Auctor.

Respondeo; fortè non est necessaria approbatio, sed omnes in illo articulo sunt pares, ut ostendam in ultima parte Conclusionis. Deinde, omnes homines sunt ministri Baptismi jure divino, & tamen etiam in articulo mortis unus debet alteri præferri, ùt constat ex dictis suo loco.

Fateor; reponis; attamen valet Baptismus aliter collatus, non sic valet Absolutio.

Respondeo; unde constat, quòd non valeat? Nam hoc à multis negatur, ut statim videbimus.

75. Probatio Conclus.

Optimè ergo probatur nostra Conclusio argumento negativo (quamquam & positivum dici posset) quo Conclusione præcedenti probavimus, jurisdictionem absolvendi de peccata venialia non esse immediatè à Deo; scilicet, quia non est recurrendum ad Deum absque necessitate: hìc nulla est necessitas; ergo &c.

Minor probatur; quia nescitur ubi Deus illam potestatem concesserit: nam illa verba Ioan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata* &c. æqualiter concernunt Confessionem in articulo mortis, & extra articulum mortis, æqualiter mortalia ac venialia peccata, immo magìs mortalia.

Objectio solvitur.

Si dixeris; non invenitur aliquod initium hujus consuetudinis seu concessionis. Respondetur; inde ad summum sequitur, esse Traditionem Apostolicam quæ licèt possit esse de re, à Christo immediatè institutâ, ut suprà ostendimus, tamen etiam potest esse de re, immediatè ab Ecclesia seu Apostolis institutâ, ùt patet in jejunio quadragesimali, & similibus.

76. Cur magìs potestas baptizandi sit immediatè juris divini, quàm jurisdictio absolvendi in articulo mortis.

Si autem à me quæritur; cur magìs potestas baptizandi sit immediatè juris divini, quàm jurisdictio absolvendi in articulo mortis.

Respondeo I. quia est major necessitas Baptismi, maximè pro parvulis, & major utilitas, scilicet remissio omnis culpæ & pœnæ; & ideò noluit Christus, ut Ecclesia posset aliquem impedire à collatione valida hujus Sacramenti.

Secundò; jurisdictio debet procedere à Superioribus

perioribus ad inferiores, ut servetur debitus ordo & subjectio, ne facilè turbetur seu confundatur Ecclesiastica Hierarchia, quæ est ùt castrorum acies ordinata. Sicut ergo ob hanc causam, noluit Christus immediatè conferre jurisdictionem omnibus Sacerdotibus extra articulum mortis, sed illius concessionem reliquit voluntati Ecclesiæ; pari ratione noluit eam concedere in articulo mortis, sed reliquit eam voluntati Ecclesiæ.

77. Christus non defecit in necessariis. Neque ideò defecit in necessariis, ut Adversarii volunt; nam misit Spiritum sanctum, ut doceret Ecclesiam suam omnem veritatem; ut assisteret Pontifici, ne erraret perniciosè in Ecclesiæ gubernatione; ac proinde, ut concederet omnibus Sacerdotibus in articulo mortis jurisdictionem absolvendi ab omnibus peccatis, ne occasione reservationis aliquis pereat.

Unde non est verisimile, Summum Pontificem ullo unquàm tempore revocaturum hanc delegationem (inferior Pontifice tollere aut limitare eam non potest; ùt clarùm est) quia esset intolerabilis error, quem nunquam Spiritus S. in sua Ecclesia permittet.

78. Utrùm in articulo mortis omnes habeant æqualem potestatem absolvendi. Restat præcipua difficultas; putà, utrùm in articulo mortis sit delegata potestas absolvendi omnibus Sacerdotibus, etiam in præsentia proprii Parochi, aut alterius Superioris, qui habet ordinariam facultatem absolvendi. Pars affirmativa (quam docent Navar. Rodrig. Henriquez, Vegà, Villalobos, & plures alii, quos refert & sequitur Diana part. 1. tract. de Absol: ab hæresi resol. 5.) fundatur in generalitate verborum Concilii Trident. *Atque ideò omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibuscunque peccatis & censuris absolvere possunt.* In quibus verbis nulla fit mentio absentiæ vel præsentiæ Ministri ordinarii; ergo etiam in præsentia ejus possunt absolvere.

Diana. Navarr. Rodriguez. Henriquez. Pyo Valdebl. Sententia æstimant, probatur ex Trident.

Favet etiam ratio Trident: *Ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat*; nam occasio pereundi non solùm oritur ex inopia Confessoris, sed etiam ex difficultate, quam homines sæpiùs sentiunt in adeundo Superiorem, vel in confitendo huic aut illi, ita ut aliquando mallent damnari, quàm Confessario ordinario aut delegato præsenti confiteri. Voluit autem Ecclesia omnem difficultatem amovere in eo articulo, ut cum maxima possibili facilitate homo reconciliet se Deo, ne occasione difficultatis hujus Sacramenti aliquis pereat. Igitur Confessario ordinario, vel aliàs delegato, præsente, non cessat omnis finis legis, adeòque nec ipsa lex.

79. Voluit Trident. succurrere etiam libertati conscientiæ. Et sanè, quid opus erat tollere reservationem in absentia Prælati? nam tali casu unusquisque potest indirectè absolvere à reservatis, etiam seclusâ constitutione Trident. indirecta autem Absolutio liberat à damnatione æterna. Voluit ergo Trident. succurrere non tantùm absolutæ necessitati, sed etiam libertati conscientiæ; & ideò dedit omnibus Sacerdotibus pro tali articulo plenam jurisdictionem absolvendi ab omnibus peccatis tam reservatis, quàm non reservatis, tam in absentia, quàm in præsentia Superioris, aut alterius habentis jurisdictionem delegatam extra illum articulum.

Occurritur objectioni. Nec obstat, quòd expressè loquatur de solis casibus reservatis, ùt patet ex contextu: quia qui potest, quod majus est, etiam potest, quod minus est in eodem genere; si ergo simplex Sacerdos potest absolvere à casibus reservatis, qui, secundùm Trident. ibidem, sunt atrociora & graviora crimina, quid ni etiam à casibus non reservatis, qui sunt leviora, & non adeò enormia crimina? Nulla potest esse ratio disparitatis, nisi voluntas Ecclesiæ, quæ irrationabilis foret, & ideò meritò negatur.

80. Sententia Arriagæ, omnes Sacerdotes posse absolvere in præsentia Ordinarii à reservatis, secùs à non reservatis. Unde miror Arriagam disp. 39. n. 8. concedere omnibus Sacerdotibus, etiam excommunicatis, degradatis &c. potestatem absolvendi à reservatis in articulo mortis, etiam in præsentia Ordinarii, ùt docet n. 10. & tamen n. 18. negare potestatem absolvendi à non reservatis in præsentia Ordinarii vel delegati extra illum articulum.

Miror, inquam, quia nullam adfert rationem disparitatis præter Tridentinum, quod expressè solùm loquitur de peccatis reservatis, & consuetudinem Religiosorum, qui non audent confiteri sinè licentia Superioris, nisi ei, qui est assignatus Confessarius: signum ergo est, eos supponere se non habere potestatem eligendi, quem velint; si autem in Ecclesia Dei fuisset semper ea licentia, certè non potuisset illa ignorari à Religiosis, qui maximè docti sunt, & noverunt optimè, quid sit juris in hoc puncto. Trident. autem ibi, id, quod dicit licere omnibus in eo articulo mortis, supponit fuisse semper in Ecclesia observatum. Hæc ille.

81. Rejicitur. Sed quæro ego; Religiosi solent in articulo mortis, sine licentia Superiorum, confiteri ei, qui non est assignatus Confessarius, peccata reservata? Ostendat nobis Arriaga illam consuetudinem, & ego ostendam illi consuetudinem confitendi peccata non reservata.

Apud FF. Minores Provinciæ Germ. Infer. non sic assignantur Confessarii singulis Fratribus, quin omnes alii Confessarii approbati, validè eos absolvant ab omnibus peccatis, exceptis reservatis, etiam extra articulum mortis, quantò magis in articulo mortis? Quid sit in aliis Religionibus, nescio. Hoc scio, nullam me videre rationem, quare potiùs, sine licentia Superioris, possint eligere Confessarium, qui eos absolvat à reservatis,

servatis, quã qui absolvat eos à non reservatis.

Alioquin, electus solùm haberet potestatem absolvendi à reservatis, & non reservata deberet infirmus confiteri ordinario Confessario; immo eligendo significaret, se habere peccata reservata, quæ primâ fronte apparent absurda.

82. Consuetudo Religiosorum non probat sententiam Arriagæ.

Itaque ex consuetudine Religiosorum, qui parùm curant, an huic vel illi confiteantur, immo ordinariè malunt confiteri ordinario, quàm extraordinario Confessario, estò hic eis offeratur, nihil colligi potest pro una vel altera parte.

Neque Conc. Trident.

Quantùm ad Trident. si nihil ibi constituat, quod non fuit semper in Ecclesia observatum, profectò in Ecclesia nunquam observatum fuit, quòd aliquis Confessarius absolveret à peccatis reservatis, qui non posset absolvere à peccatis non reservatis; si ergo ibi dat licentiam simplici Sacerdoti absolvendi à peccatis reservatis in præsentia Ordinarii, dico, etiam dare licentiam absolvendi à peccatis non reservatis.

Probabile est, quemlibet Sacerdotem posse absolvere ab omnibus peccatis in articulo mortis, etiam præsente Ordinario.

Igitur consequenter loquendo, vel quilibet Sacerdos potest absolvere ab omnibus peccatis in articulo mortis tam reservatis, quàm non reservatis in præsentia Ordinarii, aut alterius, qui extra illum articulum potest absolvere; quæ sententia est probabilis, & mihi placet, quia in favorem animarum, quæ alioquin aliquando periclitarentur & in æternum perirent; vel nequit absolvere à reservatis, ùt docet Sanchez in Sum. lib. 2. c. 13. n. 7. & alii quàm plures quos citat, & qui citantur à Diana suprà.

83. Oppositum docet Sanchez, & alii plures.

Prædicta concessio, inquit Sanchez, cuilibet Sacerdoti pro articulo mortis facta, intelligenda est, quando deëst copia Superioris potentis absolvere & proprii Sacerdotis, seu alterius Sacerdotis expositi ad audiendas Confessiones; secùs si adsit Superior, cui reservatur: & si ipse absit, debet quoque abesse Sacerdos expositus, ut possit simplex.

Probatur ex Conc. Trident.

Ducor; quia Trident. eo cap. 7. ait esse custoditum semper in Ecclesia, ut quilibet Sacerdos in eo articulo absolvere possit. Quare jus novum non condidit, sed consuetudinem approbavit. At ea consuetudo solùm obtinuit, ut quilibet Sacerdos tunc absolvere possit, quando non est prædictus recursus, ùt constat ex Conc. Carthag. 3. can. 32. & refertur cap. *Presbyter* 26. q. 6. Et Extravag. *Inter cunctas. §. Incendiarii.* de Privil. Et Extravag. 1. §. *Decernimus.* de Sent. excom. Item, quia Trident. dicit, id esse indultum ratione necessitatis, ne æger absque Confessione decedat, quæ in hoc casu cessat omninò.

Carthag. 3.

Extravag. Inter cunctas de Privil.

Extravag. 1. de Sentent. Excom.

Tandem, quia cap. *Eos qui.* de Sent. excom. in 6. deciditur, ut absolutus ratione imminentis necessitatis articuli mortis à censura reservata, teneatur cessante impedimento se præsentare Superiori, cui reservata erat. Si ergo cùm potest, tenetur se Superiori præsentare, & ante Absolutionem adest Superior, non poterit ab inferiori absolvi. Hactenus Sanchez.

Et ex cap. Eos qui. de Sent. Excom. in 6.

Respondet Arriaga; ab excommunicatione, de qua agitur in cap. *Eos qui*, similiter in Extravag. allegatis, non benè desumi argumentum, ad peccata reservata; primò, quia cùm illa sit ordinariè nota, non est ulla difficultas pœnitenti, se manifestandi Superiori; secùs est in peccatis reservatis, quæ sunt occulta. 84. Responsio Arriagæ ad cap. Eos qui.

Secunda differentia est clara; nam absolutio à censura non est ad salutem necessaria; in ordine autem ad hoc, ut sepeliatur ille in loco sacro; & pro eo fiant Sacra, & aliæ orationes Ecclesiæ, potest etiam post mortem obtineri licentia. Hæc ille sup. n. 15.

Sed contra: Tridentinum eodem modo loquitur de peccatis & censuris: *A quibuscùmque*, inquit, *peccatis & censuris absolvere possint.* Si ergo non possunt absolvere à censuris in præsentia Ordinarii, neque à peccatis. 85. Contra ratio-cinatur pleniùs.

Deinde absolutio à censuris debet præcedere Absolutionem à peccatis; ergo si non potest absolvere à censura, nec à peccato, cui annexa est censura. Secundò.

Respondetur ad primum; diversitatem petendam esse ex materia subjecta; porrò nullibi jus disponit, ut absolutus in articulo mortis à peccatis reservatis, debeat, cessante periculo, se sistere legitimo Confessario; sicuti id disponit de absolutione à censura reservata. 86. Responsio 1.

Aliter respondetur: à Concil. Trident. omnis omninò tollitur reservatio; atqui si maneret ea obligatio, se sistendi, nullo prorsùs modo esset reservatio ablata; utì nemo unquam dixit, quando Religiosis iter facientibus datur licentia, ut si in via habuerint casum reservatum, possint absolvi, cum obligatione tamen se sistendi, nemo, inquam, dixit, eo casu omnem omninò ablatam esse reservationem. In quo enim, quæso, præcipua essentia reservationis consistit, nisi in ea obligatione se sistendi? Alia responsio.

Sed hæc responsio non placet: nam etiam Trident. tollit reservationem censuræ, quia loquitur generaliter de omnibus peccatis reservatis cum & sinè censura, & tamen absolutus à censura reservata in articulo mortis, tenetur cessante periculo se sistere Superiori. 87. Quæ non placet Auctori.

Sufficiat ergo Lectori prima responsio; nam illa obligatio sistendi se, non est annexa ex natura rei illi absolutioni, nisi ergo imponatur à Superiore, non est à nobis imponenda, neque ullus omninò textus est, aut ratio, unde possit colligi, eam à Superiore esse impositam; ergo &c. Alioquin parvus, immo

vix

vix ullus favor fieret moribundis per illam Absolutionem ; cùm Multorum , & valdè probabilis , sit sententia , in casu necessitatis posse quempiam absolvi indirectè à reservatis , ea non confitendo. In hoc ergo solùm fieret favor , quòd ea confitendo certiùs absolveretur , interim cum onere duobus illud peccatum revelandi.

88. Rejicitur quædam doctrina Hurtadi.

Quod autem ait Hurtadus Disp. 11. de Pœnit. diffic. 13. (ubi , teste Arriagâ suprà, oppositum docet) facultatem absolvendi ab excommunicatione reservata , quæ conceditur in cap. *Eos qui.* extensam esse à DD. ad Absolutionem ab aliis casibus reservatis,adeòque subire eandem legem , non videtur satis fundatum , ad imponendam tam gravem obligationem : quippe Trident. asserit , id semper in Ecclesia custoditum fuisse , cùm tamen illud caput vix habeat trecentos annos antiquitatis : est enim Bonifacii VIII. qui sedit anno Christi 1294. usque ad 1302. porrò sess. 14. Concil. Trident. celebrata fuit anno 1551. Ergo non est verisimile , de illo cap. Cnucil. fuisse locutum. Quare hæc sententia Hurtadi , tamquam minus habens , ab aliis DD. communiter rejicitur.

89. Sacerdos in articulo mortis potest absolvere à censuris, etiam in præsentia ordinarii, pro foro interno tantùm.

Ad illud, quod secundo loco suprà objiciebatur , videlicet , absolutionem à censura debere præcedere Absolutionem à peccato , si non ut Absolutio à peccatis valeat , saltem ut liceat : ad hoc, inquam , Respondeo ; Sacerdotem tali casu vel non posse absolvere à peccato , cui annexa est excommunicatio, in præsentia Ordinarii , vel etiam posse absolvere ab excommunicatione , non quidem in foro externo , ita ut pœnitens , transactâ necessitate , non teneatur se sistere Superiori, & satisfacere parti ; sed in foro interno , sive in quantùm necessarium est ad Sacramentum ritè ministrandum & suscipiendum.

Probatio.

Et ideo addidi in Conclusione ly *Sacramento obstantibus* , quia licèt Concil. generaliter loquatur , tamen ex fine & ratione satis intelligitur hæc limitatio : ut enim occasione reservationis nemo pereat , sufficit quòd validè & licitè possit suscipere Sacramentum , reliquis omnibus salvis manentibus ; ergo Sacerdos non habet potestatem absolvendi à censuris , nisi in quantum hæc necessaria est , ut validè & licitè ministret Sacramentum , & pœnitens per Sacramentum accipiat remissionem peccatorum: ad hunc autem effectum non est necessaria absolutio censuræ in foro externo. Neque est necessarium, ut absolvatur sinè onere comparendi postea , & satisfaciendi Superiori , & aliis, quorum interest , de quo plura proprio loco. Hæc sufficiant impræsentiarùm pro explicatione illorum jurium , quæ Sanchez adfert contra nostram sententiam.

Subscribo verba singulorum ut clariùs veritas innotescat. Extravag. *Inter cunctas.* de Privil . sic inquit Bened. II. *Observent solicitè dicti Fratres , ne ad Confessiones recipiant criminosos criminibus , pro quibus solemnis pœnitentia est indicenda. Modo eodem excommunicatos respuant , & Clericos , qui propter delictum irregularitatem aliquam incurrerunt &c. Incendiarios etiam , eosq; qui tam enormibus sunt irretiti peccatis , quod ea rationabilis consuetudo , præscripta canonicè , in Episcopatibus aliquibus reservavit Episcopis .similiter non admittant &c. Quod si forsan, antequam ab eo, qui potestatem habet , absolvi possint, mors talium confiteri volentium verisimiliter timeatur , etiam in prædictis casibus sæpefati Fratres eos confiteri volentes audiant , ipsisq; beneficium absolutionis impendant , sed subeant juramentum , quod liberati , se suis Episcopis & excommunicatoribus præsentabunt : excommunicantium super his , pro quibus ab eis excommunicati erant , & Episcoporum pro peccato hujusmodi parituri mandatis.*

90. Recitantur verba Extravag. *Inter cunctas.*

Si dixeris ; in his verbis loquitur Pontifex , non solùm de censuris reservatis, sed etiam de peccatis reservatis absque censura. Respondeo ; ut loqueretur , haùd equidem de omnibus peccatis , sed de aliquibus tantùm , quæ ibidem specificat dicens : *Quam consuetudinem (ex causa , quæ juste ad id animum nostrum movit) solummodo circa voluntarie homicidas , falsarios , Ecclesiarum immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ violatores & sortilegos approbamus.*

91. An Pontifex in illis loquatur etiam de peccatis reservatis.

Si inferas ; ergo saltem ab his peccatis non poterit simplex Sacerdos absolvere in præsentia Ordinarii , eodem modo , quo non potest absolvere à censuris. Respon. conc. totum ; nisi placeat , hanc Extravag. etiam quoad hoc punctum esse revocatam per Clementem. V. in Concil. Vienn. (& refertur Clement. *Dudum.* de Sepulturis) ubi sic lego : *Dudum à Bonifacio Papa VIII. prædecessore nostro infrà scripta edita Decretali , Bened. Papa II. prædecessor noster aliam* (quæ incipiebat: *Inter cunctas,* inquit Glossa ibi , verb. *Aliam.*) *illius revocatoriam promulgavit : quæ quia (ut probavit effectus) nedum pacis ab auctore ipsius speratæ fructum non attulit , quin immo discordiæ , pro qua sedanda processerat , fomentum non modicum ministravit : nos eam omnino cassantes &c.*

An illa Extravag. quoad hoc punctum sit revocata.

Quantùm ad Extravag. 1. de Sent. excom. hæc manifestè loquitur de solis censuris ibi : *Decernimus etiam , ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam pro prædictis vel aliquo prædictorum , absque speciali mandato nostræ Absolutionis beneficium valeat obtinere : nisi forsan ad nes habere accessum non posset in mortis articulo constitutus.* Ita Bonif. VIII.

92. Extravag 1. de Sent. excom. loqui. tur manifestè de solis censuris.

Similiter manifestum est , eundem Pontificem cap. *Eos qui.* 22. de Sent. excom. in 6. loqui dumtaxat de Sententia excom. *Eos* , inquit , *qui à sententia canonis vel hominis*

Uti etiam c. *Eos qui.*

(cùm ad illum, à quo aliàs de jure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum aut aliud impedimentum legitimum pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolvuntur: si cessante posteà periculo vel impedimento hujusmodi, se illi, à quo his cessantibus absolvi debebant, quàm citò commodè poterunt, contempserint præsentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, & satisfacturi prout justitia suadebit: Decernimus (ne sic censuræ illudant Ecclesiasticæ) in eandem sententiam recidere ipso jure.

93. Quid in eò statuatur.

Ubi non decernitur, neminem posse absolvi à sententia Canonis vel hominis in articulo mortis à simplici Sacerdote, quando potest haberi recursus ad illum, à quo aliàs de jure fuerat absolvendus; sed non sic posse absolvi, etiam quando non potest haberi recursus, quin extra mortis articulum constitutus, debeat se illi præsentare, quod hæc Conclusio non negat, & alia suo loco in terminis affirmabit. Tenetur ergo se præsentare Superiori, sive in ipso articulo mortis, sive cessante mortis articulo, non ut denuò Absolutionem obtineat, sed ut obediat ejus mandatis, & satisfaciat parti.

94. Objectio.

Dices; cùm equidem debeat recurrere ad Superiorem, & possit recurrere in ipso articulo mortis, cur non teneatur? Non enim (ùt suprà dicebat Sanchez) Trident. quidquam indulget, nisi quod est necessarium ad salutem, & quod custoditum semper fuit in Ecclesia; non est autem necessarium ad salutem, neque custoditum semper fuit in Ecclesia, quòd præsente Ordinario, simplex Sacerdos absolveret à censura reservata, etiam in articulo mortis, ùt patet ex cap. *Presbyter*, suprà allegato, sequentis tenoris: *Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo ultima necessitas cogat.*

Solvitur.

Respondeo; loquitur Concilium de reconciliatione publica seu pro foro externo, ùt patet ex secunda parte ejusdem cap. quæ talis est: *Cujuscumque autem pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod universam commoverit Ecclesiam, ante apsidam* (id est, ante atrium Ecclesiæ) *manus ei imponatur.*

95. Reconciliatio aliquando distingui tur ab Absolutione sacramentali. Concil. Toled. 11.

Equidem reconciliationem aliquando distingui ab Absolutione sacramentali, de qua hìc tractamus, evidenter colligitur ex Concil. Toletano 11. can. 12. ubi sic loquitur: *Qui pœnitentiam in mortis agit periculo, non diutinè à reconciliationis gratia differendus est. Sed si præcinctu mortis urgeatur periculo, pœnitentiâ per manûs impositionem acceptâ, statim ei reconciliatio adhibenda est, ne priùs ab humanis rebus æger abscedat, quàm donum reconciliationis accipiat.*

Unde juxta Leonis (Epist. 89. aliàs 91.) *edictum, his, qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiæ Dei, nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire. De his autem, qui acceptâ pœnitentiâ, antequam reconcilientur, ab hac vita recesserint, placuit nobis, ut & memoria talium in Ecclesiis commendetur, & oblatio pro eorum delicto à Presbyteris recipiatur.*

Cap. 4. 26. q. 6.

Atque de eadem reconciliatione intelligo illud Evaristi Papæ (& refertur 26. q. 6. cap. 4.) *Presbyteri de occultis peccatis jussione Episcopi pœnitentes reconcilient: & sicut suprà præmisimus, infirmantes absolvant & communicent.* Ubi expressè distinguitur reconciliatio ab Absolutione & Communione. Unde Glossa verb. *Jussione*, inquit: *Si intelligas hoc de excommunicato planum est: vel intelligas de illo, cui Episcopus pœnitentiam injunxerit. Nam absente Episcopo sinè mandato ejus potest reconciliare, si necessitas fuerit, ut infrà ea. c. ultimo, vel intelligas hoc jussione generali.*

96. Presbyter nihil debet agere absque Episcopi propriâ licentia. Cap. 41. 18. q. 1.

De qua utique jussione scriptum habes 16. q. 1. cap. 41. *Cunctis fidelibus & summopere omnibus Presbyteris & Diaconis & reliquis Clericis attendendum est, ut nihil absque Episcopi proprii licentia agant: non utique Missas sinè ejus jussu quispiam Presbyterorum in sua Parochia agat, non baptizet, nec quidquam absque ejus permissu faciat.*

Hæc licentia habetur in articulo mortis, tam pro publicâ reconciliatione.

Cæterùm hæc licentia, immo & jussio censetur haberi in articulo mortis, non tantùm pro Absolutione sacramentali & Communione, sed etiam pro reconciliatione publica, absente Episcopo. Immo præsente Episcopo pro Absolutione sacramentali, si non licentia Episcopi præsentis, saltem Pontificis Romani ex Conc. Trident. suprà allegato. Ut omittam dicto cap. 4. 26. q. 6. non fieri mentionem periculi vel articuli mortis, sed solius infirmitatis, in qua certum est non quemlibet Sacerdotem esse validum ministrum hujus Sacramenti.

97. Explicatur Conc. Carthag. 2. de reconciliatione examinata.

Item de reconciliatione externa intelligo Concil. Carthag. 2. cap. 4. (& refertur 26. q. 6. c. 5.) *Aurelius Episcopus dixit: si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari devinis Altaribus petierit, si Episcopus absens fuerit, debet utique Presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem ejus præcepto reconciliare.*

Notandum quoque; in his juribus non fieri specialem mentionem casuum reservatorum, sed simpliciter peccatorum: constat autem Presbyterum inconsulto Episcopo, non solùm in articulo mortis, sed etiam extra illum posse absolvere à peccatis non reservatis. Signum ergo est, quòd non loquantur de speciali recursu necessario pro Absolutione sacramentali.

98. Aliqui doctores

Quin immo, aliqui Auctores oppositæ sententiæ concedunt, posse inferiores Sacer-

dotes

ent, infe-riores Sacerdotes posse absolvere infirmum periclitantem à casibus Episcopo reservatis, absque speciali licentia.

dotes absolvere infirmum periclitantem à casibus Episcopo reservatis, nec obligari Confessarium ad petendum illam facultatem ab Episcopo, licèt possit, nec etiam infirmum ad petendam eam per litteras aut nuncium. Ita cum Aliis, quos refert, docet Sanchez suprà n. 14. Ad quid ergo illa jura?

Quia, inquis, sicut facultas absolvendi in illo articulo pro foro externo, intelligitur cum illa limitatione; *Quando Prælatus adiri non potest*; sic etiam facultas absolvendi in illo articulo pro foro interno, habet eandem limitationem; quando scilicet Superior non adest: cùm hoc tamen discrimine, quòd faciliùs censetur adesse ad petendam facultatem pro foro externo, quàm ad petendam pro foro interno, in quo non obligatur ægrotus ad petendum per Confessarium vel alium nuncium, aut manifestandum se per litteras, sicut tenetur in foro externo, cùm jam supponatur notorium ejus impedimentum & delictum. Ita Lugo disp. 18. n. 27.

Respondeo; potuit Ecclesia concedere facultatem absolvendi in illo articulo pro foro interno absque illa limitatione; *Quando Superior non adest*, estò dedisset facultatem pro foro externo cum illa limitatione; unde ergo constat Lugoni, quòd non dederit; cùm Tridentinum absolutè loquatur, & antiqua jura non loquantur de foro interno?

99. Quare potius sit data potestas absolvendi in articulo mortis pro foro interno, quàm externo.

Ratio autem disparitatis est; quòd nulla communiter possit esse causa, quare pœnitens, ex hypothesi, quòd crimen sit publicum & deductum ad forum externum, nolit petere reconciliationem ab Episcopo; sæpiùs autem possit esse aliqua causa, quare nolit Ordinario manifestare sua peccata merè interna sive occulta, habentia censuram reservatam, aut etiam reservata absque censura. Ne ergo talis pereat, meritò voluit Ecclesia, ut quilibet posset eum sacramentaliter absolvere à suis peccatis in articulo mortis, & consequenter à censuris, in quantum possunt impedire illam Absolutionem.

100. Quæ fuerit antiqua consuetudo Ecclesiæ de qua meminit Trident. sess. 14. c. 7.

Igitur quæ fuerit antiqua consuetudo Ecclesiæ, quantùm ad Absolutionem sacramentalem à peccatis merè internis seu occultis, non satis constat ex juribus prælegatis. Credendum ergo est, eam fuisse, quam explicat Trident. suprà his verbis, absque ulla restrictione, aut limitatione absentiæ, aut præsentiæ Superioris: *Verumtamen piè admodum, ne hâc ipsâ occasione* (putà occasione reservationis) *aliquis pereat* (vel defectu legitimi aliàs Confessarii, vel propter difficultatem, quæ sæpè esse potest, aperiendi conscientiam Superiori ob pudorem, aut similem metum) *in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit* (id est, usus receptus in Ecclesia Dei, & consuetudo, quæ est optima legum interpres, semper fuit) *ut nulla sit reservatio in articulo mortis* (id est, ut peccata reservata extra articulum mortis, in articulo mortis ita sint, quantùm ad validam Absolutionem sacramentalem, ac si nunquam fuissent reservata) *atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibuscùmque peccatis & censuris absolvere possunt*; id est, quia Ecclesia antiquitùs, propter periculum damnationis, noluit peccata in articulo mortis esse reservata, ideo propter idem periculum vult sacra Synodus, ut omnes Sacerdotes, nemine excepto, quoslibet pœnitentes absque ullo discrimine, à quibuscùmque peccatis & censuris, reservatis & non reservatis, in quantum impediunt Absolutionem sacramentalem, possint absolvere.

101. Objicitur Declaratio Greg. XIII. ex Molinâ.

Dices cum Molina Tract. 3. de Iustitia & Iure. Disput. 63. n. 2. Gregorius XIII. declaravit, in mortis periculo seu articulo, in præsentia ejus, qui absolvere potest à reservatis, præstò illo existente ad absolvendum, aut ad facultatem concedendam ad absolvendum à reservatis, non posse ab illis absolvere eum, qui potestatem ad absolvendum ab eis extra mortis periculum non habet.

Itemque simplicem Sacerdotem, quin & approbatum ab Ordinario, qui, seclusò mortis periculo, jurisdictionem non habeat ad absolvendum eum, qui in mortis periculo est constitutus, non posse eum absolvere à peccatis suis lethalibus, si præstò sit alius legitimus illius Confessarius, qui eum à suis peccatis absolvat. Et sanè contrarium esset stultitia, cederetque in detrimentum spirituale absolvendi, qui tunc confiteretur minùs idoneo ministro, minusque perito ac experto, & ad id apto.

102. Respondetur non constare authenticè de ea.

Resp. non constat authenticè de illa Declaratione Gregorii. Atque ut declarasset, id fecit tamquam particularis Doctor, non ut Pontifex.

Opinio Navarri immeritò vocatur stultitia.

Et immeritò stultitia vocatur, quod docet Navar. lib. 5. Consil. tit. de Pœnit. & remiss. in prima quidem editione cons. 15. n. 2. & 3. in 2. verò cons. 23. n. 2. & 3. ubi sic ait (retractans sententiam oppositam, quam docuerat in Manuali cap. 27. n. 272.) Nunc verò, altiùs re inspectâ, videntur contra istam limitationem facere verba præfati Concilii Trident. scilicet; *In articulo mortis nullam esse reservationem*, & paulò inferiùs, *Quòd omnes* &c. Moveor etiam, quòd nullus classicus Auctor posuit hanc limitationem, usque ad Silvestrum, qui obscurè loquitur; Innocentius verò non loquitur de articulo mortis, sed de aliis impedimentis, non tam privilegiatis: & verba Concil. Trident. non

solùm sunt generalia, sed etiam universalia, ibi: *Omnes Sacerdotes*, & ibi: *Quoscumque pœnitentes*, & ibi: *Quibusvis peccatis*, & ita generaliter & universaliter sunt intelligenda.

Propter quæ puto, Conclusionem prædictam tenendam esse, sinè præfata limitatione, post Concil. Trident. quod determinat, quòd in articulo mortis nulla est reservatio: quæ Conclusio favorabilis est animarum saluti; quàmvis crederem consultè facturum, qui præsente Parocho vel Superiore, faceret se potiùs ab eo absolvi, quàm ab aliis. Ita Navar.

Quis dicatur hic simplex Sacerdos.

Et alii viri doctissimi, post declarationem Gregorii, supponentes, simplicem Sacerdotem aliundè esse sufficientem, ad procurandum bonum spirituale absolvendi. Non enim ideo quis dicitur hìc simplex Sacerdos, quia est inexpertus, minusque peritus, aut minùs idoneus minister; sed quia non habet jurisdictionem; jam autem multi sunt, qui non habent jurisdictionem, & tamen magìs periti sunt, & idonei ministri, quàm illi, qui habent jurisdictionem:

103. Ordinarius præsens, qui non vult absolvere, censetur absens.

De cætero, quia opposita doctrina satìs communis est, & indiget multis limitationibus; placuit eas paucis verbis hìc proponere. Atque in primis, secundùm Omnes, Ordinarius præsens, qui non vult absolvere, censetur absens. Secundò, tunc censetur Ordinarius præsens, quando licèt ipse in propria persona absit, adest tamen ejus delegatus, id est, tunc, secundùm illam sententiam, non potest absolvere in articulo mortis simplex Sacerdos (per quem intelligo omnem illum, qui non habet jurisdictionem extra articulum mortis) quando adest aliquis, qui habet jurisdictionem ordinariam vel delegatam extra articulum mortis; & paratus est infirmum absolvere.

Censetur Ordinarius præsens, quando adest ejus delegatus.

Sicut enim per Confessionem, factam delegato, etiam in præsentia Ordinarii, satisfit præcepto annuæ Confessionis, ùt superiùs diximus, ita etiam præcepto confitendi in articulo mortis, sive præcepto divino semel confitendi peccata in hac vita; ac proindè potest ei infirmus confiteri, etiam in præsentia Ordinarii: per consequens tenetur, secundùm illam sententiam, nisi velit confiteri Ordinario, qui cùm in casu supponatur absens, sequitur, quòd teneatur confiteri delegato præsenti.

104. Ordo servandus in absentia tam Ordinarii, quàm delegati, ex Sanchez.

Porrò in absentia tam Ordinarii, quàm delegati, putant Aliqui hunc servandum ordinem, ut non possit absolvere Sacerdos non expositus nec approbatus; si adsit alius approbatus, v. g. alius Parochus, qui hìc jurisdictionem non habeat; item si adsit simplex Sacerdos toleratus, non possit absolvere excommunicatus non toleratus, quia Sacerdos non toleratus, jam eo ipso caret jurisdictione, & fit Sacerdos simplex, & aliundè habet prohibitionem positivam. Ita Sanchez suprà n. 10.

Addit autem, Sacerdotem quemcumque Catholicum esse præferendum hæretico vel schismatico, & inter Catholicos, irregularem præferendum excommunicato vitando; suspensum autem vel interdictum, præferendum irregulari; & degradatum postponendum aliis Catholicis, quocumque alio vinculo impeditis. Vide præfatum Auctorem.

105. Sed non placet Lugoni tamquam nimìs scrupulosus.

Sed hic ordo non placet Lugoni, tamquam nimìs scrupulosus, maximè cum ea necessitate, quâ à suis Auctoribus adstruitur, ut absolutio aliter data non valeat, ex defectu jurisdictionis: incredibile enim est, inquit ille disp. 18. n. 37. Ecclesiam voluisse dare in eo articulo facultatem, nisi observaretur ille ordo, quem ne doctissimi quidem homines sciunt, nec nisi cum magno studio & attentione agnoscere possunt; quomodo infirmus, aut moribundus, ad eam subtilitatem speculandã, obligari prudenter poterat?

Ipse autem putat, quemlibet indifferenter posse absolvere in absentia Ordinarii.

Dicendum ergo est, Ecclesiam, positâ necessitate, quòd scilicet periculum sit mortis, & proprii Confessarii copia non sit, omnibus aliis indifferenter facultatem concedere: nam omnes ibi enumerati, si verè jurisdictione carent, Sacerdotes simplices sunt: nec refert, quòd hic Sacerdos, alibi fortè expositus sit, vel jurisdictionem habeat: nam hìc & nunc est simplex Sacerdos, & verba Tridentini universalia sunt, ut in casu necessitatis omnis Sacerdos possit absolvere. Hæc ille.

106. Opinio Autoris.

Verùmtamen, cùm Trident. nullam faciat mentionem proprii Sacerdotis, si hic debeat præferri, dum præsens est; quia tunc nulla est necessitas confitendi simplici Sacerdoti: cur non etiam simplex Sacerdos toleratus debeat præferri Sacerdoti non tolerato, cùm etiam tunc nulla sit necessitas confitendi Sacerdoti non tolerato; & aliundè non tolerato, specialiter sit prohibitum ab Ecclesia, ministrare hoc Sacramentum?

Objectio.

Si dixeris; quia jure divino tenetur confiteri proprio Sacerdoti, non autem simplici Sacerdoti tolerato.

Solvitur.

Resp. non sic tenetur confiteri proprio Sacerdoti, quin de licentia ejus possit confiteri alieno. Unde potest confiteri delegato Pontificis in præsentia Parochi. Si ergo Ecclesia, secundùm Lugonem, noluit dare jurisdictionem simplici Sacerdoti in præsentia Parochi, tametsi universaliter loquatur; unde constat, quòd voluerit eam dare Sacerdoti non tolerato, in præsentia simplicis Sacerdotis tolerati, cùm specialiter prohibeat non tolerato, extra casum necessitatis ministrare hoc Sacramentum?

107.

Nec contra hoc (inquit Dicastillo disp. 10. n. 404.)

Responsio Dicast. ad quoddam argumen. Lugonis.

n. 404.) urget argumentum Card. Lugonis disp. 18. n. 39. & 40. ubi videtur dicere, præferendum esse excommunicatum; quia ille est proprius Sacerdos, cui tenetur confiteri ex præcepto Christi, adeòque non est necessitas dandi facultatem simplici Sacerdoti; ideòque Ecclesiam, non conferre jurisdictionem simplici Sacerdoti. Hoc, inquam, argumentum non urget; falsum enim est, quòd tunc adsit alius, qui non sit simplex Sacerdos. Nam uterque est simplex Sacerdos. Simplex enim Sacerdos à non simplici in re nostra tantùm differt in eo, quòd simplex caret alioquin jurisdictione extra articulum necessitatis, alter verò non: atqui in nostro casu excommunicatus non toleratus æquè caret jurisdictione, quia est is effectus excommunicationis. Et ex alio capite habet, quòd sit vitandus; ergo illum superat simplex Sacerdos, alioquin sufficiens & capax ex aliis capitibus, ut supponimus. Hæc ille.

108. Quid docet Lugo.

Sed (quidquid sit de re ipsa) perperàm videtur citare Card. Lug. ut jam ostendo. Docet Eminent. n. 38. si pœnitens habeat aliqua reservata, & aliqua non reservata, tametsi Parochus præsens non habeat potestatem in reservata, nihilominùs eum præferendum esse simplici Sacerdoti, quia ipse est proprius Sacerdos respectu non reservatorum, quæ pœnitens tenetur jure divino confiteri; cùm autem aliundè non possit dimidiare Confessionem, debet eidem confiteri reservata, cùm in illo articulo habeat jurisdictionem ad absolvendum etiam ab illis.

Objectio.

Contra hanc autem doctrinam sic objicit sibi ipsi n. 39. Dices: ergo similiter, si quis confitetur in mortis articulo peccata venialia & mortalia, debet præferre Sacerdotem simplicem non excommunicatum alteri Sacerdoti, etiam exposito, qui sit excommunicatus vitandus. Probatur sequela: quia Sacerdos simplex habet ad minus jurisdictionem in ordine ad peccata venialia: excommunicatus autem vitandus privatus est omni jurisdictione ab Ecclesia. Ergo &c.

109. Responsio.

Respondet n. 40. Neg. Seq. & rationem disparitatis assignat, quòd in primo casu sit obligatio confitendi non reservata proprio Sacerdoti: at verò in posteriori casu non sit obligatio confitendi simplici Sacerdoti venialia; non ergo (inquit) frustrà dabitur facultas excommunicato absolvendi, quia jam pœnitens invenitur sinè copia Confessarii in ordine ad peccata omnia & singula, quæ tenetur confiteri. Ergo non est, cur magis Ecclesia det facultatem Sacerdoti non excommunicato, quàm excommunicato, cùm neutri debeat pœnitens venialia confiteri. Hæc ille.

Ergo videtur dicere, præferendum esse excommunicatum; negatur Consequentia. Sed videtur dicere, utrumque habere æqualem potestatem, adeoque pœnitentem posse eligere, quem maluerit. Quod judico probabile, potuit enim Ecclesia pro illo articulo suspendere effectum illum excommunicationis, sicuti suspendit eum in excommunicato tolerato, non solùm pro illo articulo, sed etiam pro semper ad requisitionem pœnitentis: an autem fecerit, hoc est quod quæritur; & fecisse, contendit Card. nec contrarium probat Dicastillo, nec facilè probabit.

Pœnitens in articulo mortis potest eligere, vel excommunicatum, vel simplicem Sacerdotem.

Unde placet quoad hoc sententia Lugonis, quamquam hæc occurrentia rarissima sit hoc tempore, cùm ordinariè adsit infirmo, aut adesse commodè possit, qui habet potestatem ordinariam vel delegatam absque aliquo impedimento excommunicationis &c. ut proinde hæc quæstio magis sit speculativa, quàm practica.

110. Utrùm simplex Sacerdos, qui cœpit audire Confessionem in articulo mortis, superveniente Ordinario, teneatur eam abrumpere.

Uti & ista: Utrùm simplex Sacerdos, qui cœpit audire Confessionem in articulo mortis, superveniente Ordinario, teneatur Confessionem abrumpere, saltem si pœnitens habeat excommunicationem reservatam? Enimverò, cùm ratione hujusmodi excommunicationis, etsi alioquin absolutus, debeat cessante impedimento se præsentare Superiori, videtur quòd statim, superveniente Superiore, debeat se præsentare (quæ enim ratio differendi hujusmodi præsentationem?) non ut absolvatur; ad hanc enim Absolutionem acquisivit simplex Sacerdos jus per inceptionem Confessionis, sed ut pareat mandatis, si adhuc parendum est, & satisfaciat, si nondum satisfecit. Unde si ante Confessionem paruit & satisfecit, poterit tali casu simplex Sacerdos absolvere tam à censura, quàm à peccatis.

Proinde illa comparitio non est aliquod gravamen indebitum pœnitentis, cùm non cogatur peccata repetere, nec confiteri habenti jurisdictionem incertam & pendentem ex futuro eventu; siquidem in hoc casu conceditur, posse talem Sacerdotem simpliciter absolvere à peccatis & censuris, & tantùm cogitur Superiori præsenti nunc eam censuram declarare, quam equidem postea, obtentâ absolutione, deberet declarare, ut supponitur.

111. Quod tali casu possit simplex Sacerdos absolvere, probatur ex cap. 19 de Offic. deleg. & cap. 20. eod.

Quòd autem tali casu simplex Sacerdos possit absolvere sacramentaliter à peccatis, & in quantum necesse est ad hanc Absolutionem, etiam absolvere à censuris, probatur argum. cap. *Relatum* 19. de Offic. deleg. ibi: *Si lis fuerit ante prædecessoris nostri obitum contestata, mandatum morte mandatoris nullatenus expiravit.* Et cap. *Gratum* 20. eodem ibi: *Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd cùm in casu*

priori citatione factâ, negotium sit quasi cœptum: & maximè si delegatus non sit certus de obitu delegantis, potest & debet in causa procedi: tenebitque, quod justitiâ fuerit prævia definitum.

Ergo similiter in casu nostro, cùm negotium sit quasi cœptum, jurisdictio simplicis Sacerdotis, quam ab Ecclesia acceperat in absentia Superioris, non expirat per adventum Superioris, sed potest in causa procedi, tenebitque, quod justitiâ fuerit prævia definitum. Alioquin grave onus imponeretur infirmo, scilicet confitendi secundò eadem peccata, cùm aliquando vix semel possit confiteri propter verecundiam. Unde non est verisimile, quòd Ecclesia ita voluerit limitare suam jurisdictionem, ut Confessione jam inceptâ, infirmus advenienti Superiori iterum deberet eadem peccata confiteri.

112. Idem dicendum de hæretico, excommunicato & similibus. Dicastillo.

Quapropter non approbo, quod docet Dicastillo disp. 10. n. 425. hæreticum, excommunicatum, & hujusmodi impeditos positivè ab Ecclesia ab audiendis Confessionibus, etiam inceptâ Confessione, si alius superveniat non impeditus, debere cessare, & consequenter infirmum debere alteri de novo omnia sua peccata, etiam jam semel confessa, iterum confiteri.

Probatur ex ratione.

Ratio mea est; quia non constat Ecclesiam magis limitasse pro articulo mortis jurisdictionem hæretici, excommunicati &c. quàm simplicis Sacerdotis; licèt enim sit positivè impeditus, tamen non pro articulo mortis, saltem quando est necessitas: sicut erat dum incèpit audire Confessionem, immo semper manet aliqua necessitas, etiam supervenientе legitimo Confessore, propter nimiam difficultatem, quam patitur pœnitens ex iterata Confessione eorumdem peccatorum; cùm tamen Ecclesia voluerit Confessionem in extrema hora reddere facillimam, quantùm recta ratio permittit. Sicut ergo permittit, passim Confessionem fieri excommunicato non vitando, quidni justè & rationabiliter permiserit, eam fieri in articulo mortis excommunicato vitando, independenter à futuro eventu superventuri Sacerdotis, aliundè non impediti? Ego non video rationem dubitandi.

Satisfit argumento in contrarium.

Nam quod ait Dicastillo: cessat jurisdictio in aliis negotiis eo ipso, quòd simile tale impedimentum supervenit ex parte Judicis, ergo potiòri ratione in hoc negotio; hoc, inquam, argumentum apud me nullius est momenti: quippe, ut omittam, Antecedens non esse omninò certum, negatur Consequentia; quia in hoc negotio agitur de æterna salute, & onus secundò confitendi eadem peccata distinctis Confessariis, nimis difficile est, ut debeat imponi in tali negotio.

113. An infirmus teneatur peccata oblita confiteri legitimo Confessario præsenti. Dicastillo.

Sed nunquid peccata oblita teneretur æger confiteri legitimo Confessario jam præsenti? Respondent Multi affirmativè; quia est nova Confessio, & à priori independens. Dicastillo suprà n. 428. Quamvis, inquit, in praxi sequenda sit illa sententia; nihilominus si ratione præcisè aganus, oppositum conforme videtur principiis generalibus circa casus reservatos.

Probatur sententia negativa.

Quæris quæ sint illa principia? Casus reservatus omissus in Confessione, factâ tempore Jubilæi, definit esse reservatus, adeòque potest absolvi extra Jubilæum ab eodem Confessario, qui de per se non habet potestatem absolvendi à reservatis, idque quia hæc secunda Absolutio est quasi appendix prioris. Ergo similiter hic. Unde non sic est nova Confessio & independens à priori, ut nec expressè, nec virtualiter pertinuerit, aut debuerit pertinere ad partem materiæ præcedentis Confessionis; nam si illa peccata memoriæ occurrissent, Absolutio non minùs directè fuisset illorum, quàm aliorum.

114. Confirmatur.

Confirmatur; quia si pœnitens fuisset invalidè absolutus defectu doloris, posset rursus absolvi ab eodem simplici Confessario, jam præsente legitimo Confessario; quia dum Absolutio validè non est præstita, non censetur finita, idem enim est actu non fieri, & non fieri validè: sicut licentia à Parocho obtenta, assistendi alicui Matrimonio, non finitur eo Matrimonio irrito existente; & generaliter potestas delegata non extinguitur primo actu, quando delegatus inutiliter absque sua culpa per errorem pronuntiavit sententiam.

Id autem contingit in nostro casu: quamvis enim absolutè dici non possit inutiliter pronuntiasse sententiam, cùm validè absolverit directè à peccatis auditis, & indirectè ab aliis; tamen Absolutione directâ comparatione aliorum peccatorum inutiliter absolvit, quantùm ad implendum præceptum confitendi illa, quæ omninò tenetur iterum confiteri: ergo jurisdictio semel habita circa omnia, inutiliter circa illa exercita fuit. Ideo debet computari Absolutio circa prædicta quasi appendix, aut quasi complementum præcedentis judicii, aut præcedentis actûs jurisdictionis. Ita Dicastillo n. 43. Satis plausibiliter, &, meo judicio, probabiliter. Cur ergo contraria sententia practicanda? Respondeo; quia alioquin exponitur Sacramentum periculo nullitatis absque ulla necessitate.

115. An in eodem casu teneatur Superiori præsenti confiteri aliquod peccatum veniale. Zambranus.

Si inferas; ergo etiam in praxi sequenda sententia Zambrani de casibus articuli mortis c. 4. ubi docet, post Absolutionem impensam à simplici Sacerdote in casu suprà posito, scilicet superveniente legitimo Confessario post inceptam Confessionem ante Absolutionem, teneri pœnitentem rursum confiteri legitimo Confessario aliquod peccatum

catum veniale: quia est satìs probabile, ùt ipse putat, cessare jurisdictionem illius simplicis Sacerdotis, quando legitimus Confessarius advenit; sicut probabile est, expirare licentiam audiendi Confessiones ad tempus collatam, tempore transacto, etiam quoad Confessiones cœptas, antequam tempus esset transactum.

Respondeo nihilominus Neg. Conseq. Ratio disparitatis; quia longè probabilior est, & communior sententia, non cessare jurisdictionem illius simplicis Sacerdotis in articulo mortis, quidquid sit de licentia audiendi Confessiones ad certum tempus, de qua infrà. At verò communior sententia est, semel datâ Absolutione in articulo mortis, expirare jurisdictionem simplicis Sacerdotis; & ideo in hoc casu non censetur Ecclesia supplere jurisdictionem; secùs in alio casu, ùt patebit ex dicendis Conclusione sequenti, in ordine

CONCLUSIO V.

Existente titulo colorato, cum errore communi, Ecclesia supplet defectum in singulis actibus: peccat tamen, ita scienter absolvens; utì & pœnitens, ab illo Absolutionem petens, quando adest alius Confessarius, vel deest justa confitendi causa. Censetur eadem Ecclesia supplere defectum jurisdictionis, ex communi DD. opinione probabilis; neque peccat ita absolvens, aut pœnitens, petens ab illo Absolutionem, estò adsit alius Confessarius, & desit justa causa confitendi.

116. Quis sit titulus coloratus.

PRima pars Conclusionis docet, quod certius est, relinquens disputationi illud, quod magìs incertum est, ùt patebit ex dicendis. Itaque titulus coloratus est, quando à Superiore legitimo collata est jurisdictio incapaci; v. g. si Episcopus conferat beneficium parochiale excommunicato occulto, quæ collatio à parte rei est nulla. Interim communiter existimatur verus Parochus, quæritur, an talis validè absolvat sacramentaliter à peccatis?

Et communis responsio est affirmativa; argumento leg. 3. ff. de Offic. Prætorum. ubi sic scriptum habes: *Barbarius Philippus cùm servus fugitivus esset, Romæ Præturam petiit, & Prætor designatus est; sed nihil ei servitutem obstetisse ait Pomponius, quasi Prætor non fuerit. Atquin verum est, Præturâ eum functum, & tamen videamus si servus* (adeoque à parte rei incapax Præturæ) *quamdiu latuit, dignitate prætoriâ functus sit: quid dicemus? quæ edixit, quæ decrevit, nullius fore momenti? An fore propter utilitatem eorum, qui apud eum egerunt vel lege, vel quo alio jure? Et verum puto nihil eorum reprobari: hoc enim humanius est, cùm etiam potuit Populus Romanus servo decernere hanc potestatem, sed & si sciisset servum esse, liberum effecisset. Quod jus multo magis in Imperatore observandum est.* Ita Ulpianus lib. 38. ad Sabinum. Probatur 1. pars Conclus. ex l. 3. ff de Offic. Prætorum.

Concordat lex 2. Cod. de Sent. & interloc. *Si arbiter* (id est, secundùm Gloss. *Iudex delegatus*) *datus à Magistratibus, cùm sententiam dixit, in libertate* (id est, secundùm Gloss. *possessione libertatis sive tamquam liber*) *morabatur, quamvis postea in servitutem depulsus sit* (id est, secundùm Gloss. *inventus servus & à Domino vindicatus*) *sententia tamen ab eo dicta habet rei judicatæ auctoritatem.* 117. & leg. 2. Cod de Sent. & interloc.

Item Novella 44. cap. 1. in fine ibi: *Et nulli omninò alteri in statione existenti licentiam esse, ut aut delegetur, aut cùm dimittuntur, interesit: nisi tabellioni, qui auctoritatem habet, aut qui ab eo ad hoc statutus est. Si verò præter hoc fiat, & alter delegetur: tunc subjacet pœnæ tabellio, qui auctoritatem habet à nobis dudùm definitam: ipsis tamen documentis* (à delegato factis) *propter utilitatem contrahentium non infirmandis.* Item ex Novella 44. cap. 1.

Accedat jus Canonicum c. 1. 3. q. 7. ibi: *Verumtamen si servus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam dixit, quamvis postea in servitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta rei judicatæ firmitatem tenet.* Quod ex Synodo Romana, inquit Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 22. n. 1. desumptum est. 118. Et cap. 1. 3. q. 7. Sanchez

Ego autem, quàmvis existimem priora verba illius cap. scilicet: *Infàmis persona nec procurator esse potest, nec cognitor*, desumpta esse ex Synodo Romana, de istis tamen: *Verumtamen* &c. valde dubito, & puto magis esse verba Gratiani, cum Glossa verb. *Verumtamen*. Alioquin cur diverso charactere imprimuntur? Ut ut sit, *Sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum, Principum constitutionibus adjuvantur.* Ita Lucius III. Paduano Episcopo, & refertur cap. 1. de Novi operis nunciat. An illud cap. sit desumptum ex Synodo Rom. c. 1. de no. op. nunt.

Intellige, nisi Canonibus contradicant, ùt notat Glossa ibi verb. *Adiuvantur*. dicens: *Et ita in causa Ecclesiastica leges possumus allegare, ut etiam si Canones deficiant, possit judicari secundùm leges.* Et post pauca: *Dicas, quod legibus utendum est in Ecclesiasticis causis, nisi Canonibus contradicant, quia tunc non.* In causa Ecclesiastica possumus legem allegare.

Igitur

119. Existente titulo colorato, cum communi errore, valet Absolutio sacramentalis.

Igitur tametsi Canones nihil disponerent de hac controversia, cùm tamen etiam non contradicant legibus jam allegatis, his utimur & secundùm eas judicamus, Ecclesiam existente titulo colorato, cum communi errore, supplere defectum in singulis actibus, id est, in singulis Absolutionibus sacramentalibus, propter utilitatem eorum, qui apud tales Iudices egerunt, id est, apud tales Confessarios confessi fuerunt sua peccata, ne postea, cognito defectu jurisdictionis, cum maximo suo incommodo iteratò debeant eadem peccata confiteri.

Est sententia communis.

Ita communiter Theologi, sciente, & non contradicente Ecclesiâ, cujus est supplere jurisdictionem seu defectum jurisdictionis. *Qui* autem *tacet* (quando debet & potest commodè contradicere) *consentire videtur*, Reg. 43. de Reg. Iuris. in 6. Porrò Ecclesiam posse contradicere, nemo est, qui non videat. Quòd etiam deberet contradicere, liquet profectò, quia esset error perniciosus, vergens in dispendium multarum animarum, & irreverentiam Sacramenti, ùt perspicuè manifestum est. Putas verò, Ecclesiam posse perniciosè errare? Noli putare, si tu ipse non vis errare.

Reg. 43 de Reg. Iuris in 6.

Sicut ergo humaniùs est (ùti loquitur lex *Barbarius* suprà) ut nihil eorum, quæ Iudex coloratus seu putativus agit in foro externo, reprobetur; cùm Respublica possit tali Iudici decernere hanc potestatem, & bonum commune id postulet, ita etiam humaniùs est, ut nihil eorum, quæ Iudex coloratus seu putativus agit in foro interno sacramentali, reprobetur; cùm Ecclesia possit tali Iudici decernere hanc potestatem.

120. A quo talis Iudex habeat suam potestatem.

Si ergo quæris à me, à quo talis Iudex habeat suam potestatem? Respondeo citò, non ab ipso pœnitente, sed ab Ecclesia, seu à titulo colorato, vel jure communi; adeoque si est titulus Iudicis ordinarii, habebit jurisdictionem ordinariam, si Iudicis delegati, delegatam. Neque enim hæc doctrina solùm Iudicem ordinarium concernit, sed etiam delegatum, ùt patet ex leg. 2. Cod. de Sent. & interloc. Novella 44. & jure Canonico suprà allegatis, in quibus juribus expressè agitur de Iudice delegato.

An hæc doctrina concernat Iudicem delegatum ad unam solam causam.

Nec mirùm, cùm utrobique sit eadem ratio, scilicet utilitas boni communis, maximè si est delegatus ad universitatem causarum. Immo tametsi foret delegatus ad unam tantùm aut alteram causam, ùt docet Sanchez suprà n. 16. & probat: quia si servus, qui testis esse nequit, communi errore putatus liber, adhibeatur in uno testamento, valet testamentum, quamvis vertatur causa unius, leg. 1. Cod. de Testam. ibi: *Testes, servi an liberi fuerint, non in hac causa tractari oportet; cum eo tempore, quo testamentum signabatur, omnium consensu liberorum loco habiti sint.* Ubi Gloss. verb. *Omnium*, ait: *Error communis hoc facit per l. Barbarius.* Proinde dispositum in illa lege, *Barbarius*, clarè intelligit, etiam dum agitur de causa unius.

l. 1. C. de Test.

121.

Enimverò licèt unius tantùm interfit, equidem agitur de utilitate publica, quia interest Reip. cuilibet justitiam ministrari. Et dum Superior delegat causam, in ipsa delegatione versatur jus publicum, & utilitas publica: quia committit jure publico; argum. leg. 3. Cod. de Iurisdict. omnium judicum. *Privatorum consensus Iudicem non facit eum, qui nulli præest judicio; nec quod is statuit, rei judicatæ continet auctoritatem.*

Perinde est sive delegatio sit invalida ob occultum vitium delegati, sive ob vitium subsequens.

Ergo similiter in casu nostro, tametsi alicui fuisset delegata potestas ad unam tantummodò Absolutionem sacramentalem, valida erit ob communem errorem, idque sive delegatio invalida sit ob occultum vitium seu impedimentum delegati, sive vitium rescripti seu ipsius commissionis. Quæ enim ratio disparitatis? Quippe omnia requisita concurrunt, nempe auctoritas legitimi Superioris, conferentis titulum (si tamen hæc requisita sit, de quo infrà) & communis error: nec est major ratio, quando error est vitii personæ, vel vitii commissionis; cùm utrumque vitium possit esse publicum, & occultum, & utrumque possit probabiliter vel crassè ignorari.

122. Non sufficit error solius Principis, Sanchez.

Et ideo docet hanc sententiam Sanchez suprà n. 19. Eo semper salvo, ut vitium probabiliter à communitate ignoretur. Neque enim sufficit ignorantia seu error solius Principis, concedentis titulum, existimantisque illum, cui concedit, esse habilem; aut solà ignorantia ejus, qui v. g. in casu proposito, tali Ordinario, vel Delegato, bonâ fide confiteretur; sed oportet sit error communis: quia leges non considerant, quæ rarò, & in singulari contingunt, sed quæ frequenter accidunt; argum. leg. 5. ff. de ll. *Nam ad ea potius debet aptari jus, quæ & frequenter & facilè, quàm quæ perrarò evenunt.*

aut sesina pœnitentis.

l. 5. ff. de leg.

Quare Glossa, dictâ leg. *Barbarius*, verb. *Reprobari*, inquit: *Circa factum error communis facit jus.* Quam utique Glossam omnes DD. sequuntur. Idque quia ex errore particulari non sequuntur inconvenientia & scandala, quibus jus occurrere voluit, & sibi imputare debet, qui sic errat, si sententia lata rescindatur, aut ab initio sit invalida.

debet esse error communis.

123. Et probabilis.

Hinc etiam oportet errorem esse probabilem; quia error crassus & supinus, scientiæ æquiparatur; argum. cap. 2. de Constit. in 6. ibi: *Ut animarum periculis obvietur: sententiis, per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, legari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.* V. g. alicui delegatur potestas absolvendi in eo loco,

loco, in quo publicè damnatus est, vel denuntiatus de aliquo impedimento, ob quod est incapax illius potestatis.

Si tamen tantùm temporis spatium intercessisset, ut jam illa damnatio, vel denuntiatio, ab hominum memoria lapsa sit, & ita communiter ignoretur, valet Absolutio. Item si in alio loco ita distanti denuntiatio facta fuisset, ut verisimiliter non potuerit venire in notitiam hujus loci; argument. leg. *Barbarius* suprà: nam verisimile est, servitutem illam, ob quam Barbarius Judex esse non poterat, in suo domicilio notoriam fuisse. Sufficit ergo quòd sit communis error probabilis in eo loco, ubi sententia Absolutionis profertur.

124. Responsio ad aliquam objectionem ex cap. 54. de Elect.

Ex quo Aliqui respondent ad id, quod objicitur communi doctrinæ ex cap *Dudum.* 54. de Elect. ibi: *In suæ quoque salutis, & multarum animarum dispendium, prædictas parochiales Ecclesias retinebat, cùm earum cura, quâ jam privatus fuerat ipso jure, ad eum nullatenus pertineret: & sic per ipsum eadem animæ damnabiliter sunt deceptæ.*

Ubi Glossa verb. *Deceptæ.* sic inquit: *Quia cùm desierit esse Prælatus ipsorum, nihil potestatis habebat in eis: unde non poterat illas animas solvere vel ligare infrà de Pœnit. & remiss.* Omnis utriusque & d. Pœnit. dist. 6. Placuit. *Sed nunquid valebit illis Absolutio illius talis Prælati, sive pœnitentia per illum imposita? Non videtur, quia nullam potestatem habet ligandi vel solvendi, sicut non valet sententia à non suo Iudice lata, infrà de Iud.* At si Clericus. *Et sic, peribant. In isto casu non credo quòd perirent: non quia ille hoc posset, sed propter fidem, quam habebant de Sacramento, cùm crederent illum adhuc esse suum Prælatum, & ita in sola fide salvantur, infrà de Baptis. & ejus effectu.* Debitum. *Et infrà de Presbyt. non bapt.* Apostolicam. *& de Consecrat. dist. 4. Baptismi vicem.* Hucusque Glossa.

Sed commodè intelligenda, ut fides Sacramenti idem sit, quòd Contritio Charitate perfecta, vel formalis amor Dei propter se super omnia, ùt in Disput. 2. de Baptismo latiùs explicavimus. Vide Sect. 3. Concluf. 3. & Sect. 4. Concluf. 7. Interim videtur Glossa fuisse in illa sententia, quòd Absolutiones illius Prælati, qui tamen habebat titulum coloratum, fuerint invalidæ. Quod si verùm est, tunc respondet Sanchez suprà n. 14. impedimentum illius Prælati notorium fuisse, adeòque defectu communis erroris probabilis & justi, gesta per eum fuisse invalida.

Sanchez.

125. Impugnatur.

Sed contrà facit, quod in eodem cap. dicitur: *Verùm procurator eorum, qui elegerant ipsum, etsi pluralitatem beneficiorum hujusmodi coram nobis profiteretur in jure, per concessionem tamen Rothomagensis Archiepiscopi nobis exhibitam, eundem electum nisus est multipliciter excusare.* Ergo impedimentum illius Prælati non erat tam notorium, ut non potuerit populus istud probabiliter & justè ignorare, estò Pontifex interrogatus, pro contraria parte resolverit.

Aliter ergo respondet Sanchez suprà cum Abbate eo cap. *Dudum.* verè illas animas deceptas non esse; ille enim Prælatus validè absolvebat, quàmvis ex parte ipsius Prælati, qui verus non erat, deceptæ sint, idque damnabiliter; quoniam ipse graviter peccabat absolvendo, ùt infrà dicetur. Alia responsio.

Pro quo adverto ego, verba allegata contra nos, non esse verba Pontificis, sed adversæ partis; quæ illum Prælatum apud Pontificem accusabat, adeòque minoris auctoritatis, ut propter ista debeamus deferere communem sententiam; cùm ex textu præfati capitis non constet, Pontificem illam doctrinam approbasse, quàmvis, sicut dixi, pro adversa parte dixerit sententiam.

126. Non est hîc distinguendum inter excommunicationem & alia impedimenta.

Persto itaque in Conclusione: neque distinguendum existimo inter excommunicationem & alia impedimenta, ubi enim jus non distinguit, nec nos distinguere debemus absque sufficienti ratione: nulla autem ratio est, quare minùs valeat Absolutio occulti excommunicati, quàm cujusvis alterius legitimè alioquin impediti. Perinde ergo est ex quo impedimento oriatur incapacitas absolvendi, dummodò talis sit, quòd ab Ecclesia possit auferri.

Debet esse tale impedimentum, quod Ecclesia potest auferre.

Alioquin, si habens titulum coloratum Parochi cum errore communi, non sit Sacerdos, invalidè absolvit; quia Ecclesia non potest hunc defectum supplere, cùm non possit solâ suâ voluntate illi dare characterem sacerdotalem, qui tamen omninò ex jure divino necessarius est ad validam Absolutionem. Similiter si aliquis Parochus careat usu rationis, nihil proderit communis error, quo sanæ mentis existimatur, quia id impedimentum juris naturalis est, quod Ecclesia non potest tollere magis, quàm impedimentum juris divini.

127. Impedimentum excommunicationis sua stulit Ecclesia per Extrav. *Ad evitanda.*

Porrò impedimentum excommunicationis, certum est, quod Ecclesia possit tollere, & de facto sustulit per Extravagant. *Ad evitanda,* per quam conceditur communicatio cum omnibus excommunicatis, qui publicè non sunt denuntiati & non

sunt notorii percussores Clericorum, adeòque hujusmodi excommunicati, etiam publici, non privantur usu jurisdictionis, aut saltem Ecclesia supplet defectum in singulis actibus; aliàs non consuleretur timoratis conscientiis (qui fuit finis illius Decreti) immo scandali & ruinæ major occasio daretur.

sed tantùm in favorem alterum fidelium.

Sic tamen, ut per illam licentiam nullatenus, per se loquendo, velit favere excommunicatis, ut expressis verbis declaratur in fine prædictæ Extravagantis ibi: *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos seu prohibitos, non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.* Et ideo peccant, qui non requisiti, ingerunt se audiendis Confessionibus, & aliis actibus communicationis.

128. Habens titulum coloratum graviter peccat absolvendo extra necessitatem.

Ergo consimiliter in casu Conclusionis, habens titulum coloratum cum errore communi, scienter absolvens extra casum necessitatis, graviter peccat, estò Absolutio valeat; quia Ecclesia supplet defectum non in gratiam Prælati seu Confessarii putativi, sed in gratiam ipsius pœnitentis, qui bona fide confitetur, ne cum magno suo incommodo iteratò debeat confiteri eadem peccata. Cæterùm absolvens usurpat potestatem, quam à parte rei non habet, sed erroneè creditur habere, nam ita absolvit ac si in actu primo, ut sic loquar, haberet potestatem absolvendi eandem, quam alii veri Prælati seu Confessarii; & ita usurpat jus alienum in materia gravi, quæ usurpatio indubiè est peccatum grave.

129. Peccat pœnitens qui absque justa causa petit Absolutionem à tali Judice,

Et per consequens, ut habet alia pars Conclusionis, peccat pœnitens, qui scienter à tali Confessario putativo seu colorato petit Absolutionem, quando adest legitimus Confessarius, vel deest justa causa confitendi; peccat, inquam, inducendo alterum ad peccatum. Ac proinde Absolutio non valet haud defectu jurisdictionis, sed defectu debitæ Contritionis. Quamquam non Pauci inveniantur, quos citat Sanchez suprà n. 40. qui existiment, tali casu etiam deficere jurisdictionem; argum. leg. *Barbarius* suprà ibi: *Quamdiu latuit.* Et cap. *Infamis.* ibi: *Si servus dum putaretur liber.*

An tali casu deficiat jurisdictio,

Sed Respondeo cum Sanchio suprà n. 47. favorem illum esse propter ignorantiam & errorem communem, non autem hujus vel illius privati.

Et consimiliter intelligit præfatus Auctor, quòd legitur cap. *Consuetudo* 8. dist. 8. *Propter quod, relicto errore sequamur veritatem.* Dic, inquit Sanchez, opinionem particularem cedere veritati, quoad retinendam jurisdictionem; secùs quando opinio & error esset communis.

130. Objectio.

Sed contrà, inquis, in illo cap. agitur de consuetudine non unius hominis in particulari, sed plurium; sic enim incipit: *Consuetudo quæ apud quosdam obrepserat, impedire non debet, quo minus veritas prævaleat & vincat.*

Quando consuetudo debeat cedere veritati.

Respondeo; estò loquatur de consuetudine etiam totius communitatis, equidem debet cedere veritati, quando veritas sit omnibus manifesta; secùs quando uni tantùm aut alteri innotescit. Sic quippe lego apud D. Augustinum lib. 3. de Baptismo cap. 6. & ponitur eadem dist. cap. 4. *Veritate manifestatâ cedat consuetudo veritati. Planè respondeo, quis dubitet veritati manifestatæ debere consuetudinem cedere?* Ubi Glossa verb. *Manifestata. Per doctrinam*, inquit, *& revelationem*, scilicet communem, quantùm ad præsens propositum.. D. Aug.

131. An sufficiat solus error communis absque titulo colorato.

Sed cùm hæc satìs constent, dubitatur tamen à Multis, an sufficiat solus error communis, absque titulo colorato seu putativo; v. g. aliquis sinè titulo & auctoritate legitimi Superioris intrusit seipsum in officium Parochi, & jam ab omnibus habetur pro vero Parocho, quæritur, an validè absolvat suos parochianos.

Sententiam affirmativam non reputat Sanchez probabilem.

Sanchez suprà n. 49. sententiam affirmativam non reputat probabilem. Fundatur in Iure Canonico & Civili, cap. *Infamis*, & leg. *Barbarius* suprà allegatis, ubi non solùm ponderatur communis error, sed etiam auctoritas Superioris delegantis potestatem, & populi Romani potentis conferre Prætoris munus.

Citat Sanchez pro se Glossi. fin. in c. *Nihil* de Elect.

Hanc sententiam, inquit Sanchez, clarè videtur tenere Glossa fin. cap. *Nihil* de Elect. ponderat enim, ut acta Prælati falsi valeant, fuisse in quasi possessione Prælaturæ, de licentia Pontificis. Hæc sunt verba Glossæ: *Sed pone, quòd talis Prælatus, tempore confirmationis suæ, reperitur minus idoneus, & sic repellitur, nunquid ea, quæ medio tempore fecit, sunt cassanda? Videtur quod sic &c. Sed contrarium verum est in hoc casu: quia fuit in quieta administratione & in quasi possessione Prælationis de licentia Papæ, & pro Prælato habitus est. Unde omnia, quæ fecit medio tempore, rata sunt, quæ poterat facere.*

132. Responsio Auctoris qui cum Aliis putat oppositam sententiam esse probabilem.

Respon. ponderat quidem quasi possessionem Prælaturæ de licentia Pontificis, quia certius est, tali casu acta intermedia valere, sed nullo verbo indicat illam quasi possessionem esse omnimodè necessariam, ita ut opposita sententia sit improbabilis. Proinde cum Aliis multis, quos citat Sanchez n. 48. existimo probabile communem errorem cum possessione aut quasi possessione officii sufficere; argum. cap. *Querelam*

Probatur ex c. 24. de Elect.

tam 24. de Elect. ibi : *Cùm nobis constiterit, quòd populus in quasi possessione præsentandi Clericum existebat, quando ipsum Presbyterum ad illam elegit.*

Et c. 19. de Jure patron.

Et cap. *Consultationibus* 19. de Iure patronatûs ibi : *Si aliquis Clericus ab ordinario Iudice in Ecclesia fuerit constitutus ad præsentationem illius, qui ejusdem Ecclesiæ credebatur esse patronus, & postea jus patronatus alius evicerit in judicio, institutus non debet ab ipsa propter hoc removeri, si tempore præsentationis suæ, ille, qui eum præsentavit, jus patronatûs Ecclesiæ possidebat.* Ergo ut Parochus v. g. validè absolvat, sufficit communis error cum possessione aut quasi possessione illius officii, estò à legitimo Superiore non fuerit institutus.

133. Probatur ex inconvenientiis quæ alioquin sequerentur.

Sanè eadem inconvenientia sequuntur ex invaliditate actuum hujusmodi Parochi, eadem, inquam, omninò, quæ proveniunt ex invaliditate actuum Parochi colorati seu putativi, instituti à vero Superiore. Cur ergo magis Ecclesia suppleat defectum jurisdictionis unius, quàm alterius?

Favet etiam jus Cæsareum Novel. 44. c. 1.

Fateor; cap. *Infamis.* & leg. *Barbarius*, explicitè nihil disponitur de Iudice intruso (ut sic loquar) à seipso vel illegitimo Superiore: neque ignoro, in politivis non semper esse argumentandum à paritate rationis; attamen cùm bonum commune præponderet bono particulari, & plurimùm interfit bono communi, ut acta hujusmodi Iudiicis valeant; arbitror, Ecclesiam, tamquam piam matrem, velle succurrere filiis suis in tali necessitate, supplendo jurisdictionem, sicut supplere potest, ne cum maximo suo incommodo, debeant iteratò confiteri sua peccata: favetque jus Cæsareum Novella suprà allegata, à quo acta tabellionis, delegati ab eo, qui delegare non poterat, ob publicam contrahentium utilitatem sustinentur.

134. Responsio Sanchez.

Respondet Sanchez suprà n. 54. illum delegatum habuisse auctoritatem à vero tabellione, habente potestatem, quàmvis enim ipsi interdictum sit, ne deleget, valet tamen delegatio. Ad alia autem jura respondet, illa procedere, quando jus non resistit possessioni, quia scilicet non requiritur decretum Superioris, quale non requirunt quasi possessiones juris eligendi & præsentandi.

Præterea advertit Sanchez, disparem esse rationem in Notario seu tabellione; nam hic jurisdictionem non habet, sed est testis jure approbatus: unde non mirum, si titulus in eo non requiratur; secùs in aliis officiis jurisdictionem habentibus.

135. Sed contra; nulla est ratio, quare potiùs requiratur titulus in officiis jurisdictionem habentibus, quàm in teste jure approbato. Deinde; nos non prætendimus in præallegatis juribus expressè esse decisam nostram sententiam, sed ex illis colligimus probabiliter mentem Ecclesiæ, seu voluntatem supplendi jurisdictionem pro foro sacramentali, tum propter reverentiam Sacramenti alioquin invalidi; tum, sicut dixi, propter utilitatem confitentium, cùm enim possit supplere, si velit, & bonum commune postulet, ut suppleat, prudenter judicamus, velle supplere.

Contra quam arguit Auctor.

Quod magis verum est, quando ab initio officii adfuit titulus collatus à legitimo Superiore, is tamen cessavit ob delictum, vel ob occultam Superioris revocationem; quia tunc saltem retinet possessionem, quâ privari non potest, nisi cognitâ causâ; argum. cap. *Licèt Episcopus* 28. de Præbendis in 6. ibi : *Illum tamen, cui contulerit* (beneficium) *non debebit, te non vocato* (*cùm tibi forsan jus possit competere retinendi*) *in possessionem ipsius inducere corporalem.*

Quid si titulus, ab initio à Superiore collatus, cessavit ob aliam quam causam?

136. Quid si ipsò facto ob crimen foret privatus beneficio & possessione?

Idemque dicendum existimat Sanchez suprà n. 56. quando ipso facto ob crimen esset privatus beneficio & possessione: nam, inquit, dum non est notoria privatio, retinetque possessionem facti, valent omnia gesta per illum. Cur ergo similiter non valeant gesta per illum, qui à principio habuit possessionem facti absque titulo? Nulla est ratio potiùs illi subveniendi, quàm isti; nec est efficax ratio dicendi, piam matrem Ecclesiam potiùs voluisse illi subvenire, quàm isti. Plura de hac controversia, præsertim extra Sacramentum, vide apud Sanchez suprà per totam disputationem. Impræsentiarùm quæ dicta sunt, cuilibet sufficere debent, ut practicare audeat, quod prima pars Conclusionis præscribit.

137. Probatur 2ª pars Conclus. ex communi praxi.

Accedo ad secundam partem, quæ optimè probatur ex communi praxi, sciente & non contradicente Ecclesiâ. Enimverò passim docetur in scholis, & imprimitur ab Auctoribus non contemnendis, Sacerdotem, qui habet opinionem probabilem de jurisdictione, posse Absolutionem conferre, estò in negotio Sacramentorum in iis, quæ pertinent ad illorum valorem, nisi urgente necessitate, non liceat sequi opinionem probabilem, quando potest haberi certa & secura. Ergo Omnes illi supponunt, tamquam moraliter certum, Ecclesiam tali casu supplere jurisdictionem. Et hoc præcipuè fundamento, etiam maximè timorati Confessarii, absque ullo scrupulo, non unus aut alter, sed omnes, ut sic dicam, utuntur tali jurisdictione extra articulum mortis.

138. Alia probatio.

Dico: *Præcipuè*; quia etiam fundantur in eo, quòd ordinariè pœnitens confiteatur aliqua peccata venialia, vel mortalia aliàs confessa, quæ certò moraliter possunt validè absolvere, ut proinde non exponatur Sacramentum periculo nullitatis, estò aliqua peccata directè non absolverentur.

Tertium fundamentum.

Adde tertium fundamentum; quòd tanta sit varietas opinionum circa jurisdictionem, præsertim pro peccatis reservatis, ut moraliter sit impossibile, semper absolvere cum jurisdictione absolutè certa; adeòque planè necessarium est ad serenandas conscientias tum Confessariorum, tum pœnitentium, ut possint Confessarii absolvere cum jurisdictione tantùm probabili.

139. Communis DD. opinio constituit errorem communem, secùs opinio unius aut alterius.

Et sanè nescio, cur plurium Doctorum error, ab Ecclesia toleratus, non debeat haberi communis. Ex quo patet, quare dixerim in Conclusione: *Ex communi DD. opinione probabilis*; nam privata opinio unius aut alterius Doctoris non constituit errorem communem, ac proinde Ecclesia non censetur tali casu supplere jurisdictionem, cùm non debeat omnibus omninò incommodis subvenire; sed illis tantùm, quæ concernunt bonum commune, & huic notabiliter officiunt.

Cæteroquin, etiam in tali casu posset habere locum secundum fundamentum, suprà allegatum, scilicet quòd ordinariè pœnitentes confiteantur aliquod peccatum veniale, in quod Confessarius certam habet jurisdictionem. Certam, inquam, saltem moraliter: nam quod Aliqui docent, simplicem Sacerdotem non posse validè absolvere à venialibus, si pœnitens habeat aliquod mortale, cujus non recordatur tunc, habet tamen dolorem sufficientem, communiter rejicitur à DD. & per consequens rejicienda illa opinio, quæ diceret, Sacerdotem invalidè absolvere eum, qui confiteretur venialia & mortalia, quando solùm probabilem haberet jurisdictionem absolvendi à mortalibus.

140. An sit illicitum absolvere à mortalibus & venialibus, quando jurisdictio absolvendi à mortalibus tantùm est probabilis.

Itaque propter illam opinionem, vix aut ne vix quidem probabilem (nam Omnes admittunt, Confessarium non habentem jurisdictionem in reservata, validè absolvere à non reservatis, estò pœnitens habeat peccata reservata) propter illam, inquam, opinionem vix probabilem, contraria opinio non definit esse moraliter certa, adeòque tali casu Sacramentum non exponitur morali periculo nullitatis; ergo ex hac parte non est illicitum sic absolvere.

Ratio Dicastillonis pro parte affirmativa.

An autem sit illicitum absolvere, quia pœnitens fortè privatur gratiâ quâ directè remittuntur omnia ejus peccata, est alia quæstio. Dicastillo disput. 10. n. 216. putat, non satisfieri juri pœnitentis, & obligationi, quam habet Confessarius, nisi pœnitens, monitus de hac re, sit contentus. Quia, inquit, ignarum pœnitentem privat jure, quod habet ad directam Absolutionem, & curandum, ut directè absolvatur, etiam ab illo peccato, & acquirendi gratiam directè remissivam illius.

141. ad quam respondet Auctor.

Respondetur; probabiliter hæc omnia accipit, quòd autem habeat jus, ut hæc omnia certissimè accipiat, unde probatur? Sive enim directè absolvatur, sive indirectè, non propterea accipiet plùs gratiæ sanctificantis, estque eadem gratia, quæ remittit peccata directè & indirectè. In quo ergo fit injuria vel læditur charitas pœnitentis, cùm accipiat eandem gratiam æquè intensam per indirectam Absolutionem, quam accepisset per directam? An fortè, quia iteratò debeat confiteri peccata, solùm indirectè absoluta? Sed probabile est directè fuisse absoluta, adeòque stante illâ probabilitate, non tenetur iteratò confiteri.

142. Objectio.

Si dixeris; potest fieri, quòd probabilitas illa evanescat, & jam certò constet Confessarium non habuisse veram jurisdictionem seu potestatem absolvendi illa peccata.

Solvitur.

Respondetur; illum casum esse rarissimum, & ideo non attendendum; saltem illud periculum non sufficere ad gravem obligationem, sive charitatis, sive justitiæ, planè existimo. Et ideo dico, Sacerdotem absque gravi peccato, etiam invito pœnitente, tali casu posse absolvere, quia quod parum est in moralibus, pro nihilo reputatur: aut certè non reputatur pro gravi nocumento, ut propterea sub mortali peccato contra charitatem vel justitiam Confessarius debeat illud evitare. Immo fortè nec sub veniali, quandoquidem, ut mox diximus, quod parum est, pro nihilo reputetur.

Auctor dócet tali casu Sacerdotem posse absolvere, saltem absque gravi peccato.

Fortè etiam sine veniali.

143.

Quod bene advertendum est in hac materia, ubi ferè nihil invenitur ex omni parte beatum, id est, cui non ab Aliquibus contradicitur. Nam & Aliqui negant, Ecclesiam supplere jurisdictionem in foro interno, estò concurrat communis error, cum titulo colorato, & sic de aliis, quæ communiter supponuntur ùt moraliter certa, quam moralem certitudinem, ùt suprà dixi, non potest tollere unius aut alterius opinio non satis fundata; præsertim accedente consuetudine legitimè præscriptâ Confessariorum etiam maximè timoratorum, qui sinè scrupulo passim utuntur jurisdictione probabili, sciente & non contradicente, immo approbante Ecclesiâ per suos Censores, qui libros approbant, in quibus hæc sententia tamquam tuta in praxi, & non peccaminosa, defenditur, saltem extra articulum mortis.

Probatur ex consuetudine Confessariorum.

Quo-

Hæc doctrina intelligitur de Absolutione extra articulum mortis.

Quomodo intelligitur Conclusio, dum ait: *Neque peccat ita absolvens, aut pœnitens petens ab illo Absolutionem, esto adsit alius Confessarius, & desit justa causa confitendi.* Intelligitur, inquam, saltem extra articulum mortis; hoc enim ad minùs probat consuetudo & praxis tam Confessariorum, quàm pœnitentium, & communis doctrina Theologorum.

144. An posset intelligi de Absolutione in articulo mortis.

Porrò de articulo mortis ita discurrit Lugo disp. 19. n. 31. *Si Confessio fiat in mortis articulo*, & dubium sit de potestate Confessarii circa aliquod peccatum reservatum sinè censura, licite posset Confessarius amplecti opinionem probabilem, dantem illi jurisdictionem circa illud peccatum: quia nec tunc videtur exponere pœnitentem ulli periculo. Nam licèt illa opinio esset falsa; adhuc Confessarius absolvit directè ab illis peccatis mortalibus non reservatis; quæ pœnitens confitetur, & facit Sacramentum validum; quo pœnitens justificatur: illud autem peccatum reservatum habebit se, sicut illa, quorum pœnitens inculpabiliter est oblitus; idem enim est non recordari alicujus peccati vel ignorare obligationem confitendi illud alteri Confessario; quam obligationem tunc pœnitens inculpabiliter ignorat.

Affirmat Lugo quando est peccatum reservatum sine censura.

Unde si per multos annos oblitus esset illius peccati, vel ignorasset ejus reservationem, nemo unquam obligat illum ad repetendas Confessiones, & confitenda iterum omnia peccata, quæ toto illo tempore confessus est suo ordinario Confessario; sed solùm ad confitendum illud peccatum reservatum. Et hæc est praxis omnium fidelium, & totius Ecclesiæ. Supponunt ergo, Confessiones illas fuisse validas quoad alia peccata. Similiter ergo in articulo mortis valida erit Confessio quoad alia peccata, licèt reverà Confessarius non posset absolvere directè ab illo peccato reservato; atque ideo nulli periculo suæ salutis exponitur ex hac parte pœnitens à Confessario. Hactenus Eminent.

145. Quid si peccatum reservatum habeat annexam censuram?

Major difficultas est, quando peccatum reservatum habet annexam censuram, cùm Plures doceant, excommunicatum durante excommunicatione, quàmvis invincibiliter illam ignoret, non posse recipere validum Sacramentum.

Aut dubitatur de potestate absolvendi à mortalibus?

Atque eadem vel similis difficultas esse posset (inquit Lugo sup. n. 32.) quando in eodem mortis periculo Confessarius non solùm dubitaret de potestate sua in ordine ad aliquod peccatum reservatum; sed simpliciter & absolutè de potestate absolvendi à mortalibus, eò quòd dubitaret, an esset approbatus, vel an accepisset jurisdictionem à potente eam dare: tunc enim non est ita certum, quòd possit Sacerdos simplex absolvere directè à venialibus eum, qui habet simul peccata mortalia. Hæc ille.

Videretur ergo Sacerdos in illo articulo alicui periculo exponere pœnitentem per talem Absolutionem; cùm tamen ab illo articulo debeat procul abesse omne periculum, propter extremam necessitatem seu periculum æternæ damnationis, casu quo Absolutio non valeat.

146. Docet Lugo, per principia intrinseca non esse licitum absolvere; secùs per extrinseca. Quæ sint illa principia extrinseca,

Et ideo Lugo suprà n. 33. Si, inquit, per principia intrinseca judicandum esset, non videtur licitum infirmum in iis casibus absolvere cum sola probabilitate jurisdictionis. Per principia tamen extrinseca non videtur condemnandus, qui ita absolveret.

Rogas, quæ sint illa principia extrinseca? Auctores illius sententiæ (prosequitur Eminent.) loquuntur de Absolutione cum jurisdictione dubia, non distinguendo inter Absolutionem à peccatis, vel à censuris.

Deinde quod attinet ad secundum casum, de habente probabilitatem tantùm circa totam potestatem absolvendi à mortalibus; ita videtur expressè loqui Tho. Sanchez lib. 2. in Decalog. c. 13. n. 15. ubi dicit, omninò validam & certam esse Absolutionem simplicis Sacerdotis à venialibus in eo, qui habet mortalia, quæ tunc indirectè remittentur. *Sanchez.*

Item P. Suarez dictâ Disp. 31. Sect. 3. n. 10. dicit esse falsum & improbabile, quòd Confessio facta simplici Sacerdoti de venialibus ab eo, qui habet mortale, cujus non recordatur, non sit valida, nec afferat gratiam sanctificantem homini, aliàs bene dispositio. *Suarez.*

Quare prædictam doctrinam ii procul dubio intelligunt, etiam quando infirmus absolvitur ab aliquo, habente solùm jurisdictionem probabilem circa mortalia: & praxis ac usus communis, quo maximè movetur Suarez, id confirmat: nec distinguunt de articulo mortis & Confessione ordinariâ, sed in utroque casu absolvunt cum jurisdictione probabili. Hactenus Lugo.

147. An extra articulum mortis liceat absolvere ab excommunicatione cum jurisdictione probabili,

Et sanè, ùt bene advertit idem Auctor, si ratio in contrarium adducta aliquid probaret, nequidem extra articulum mortis liceret absolvere ab excommunicatione cum jurisdictione probabili, nisi admonendo pœnitentem, ut faciat se absolvi ante mortem ab alio, habente jurisdictionem certam circa illam censuram, alioquin exponitur periculo nunquam recipiendi validum Sacramentum, etiam in articulo mortis. Et tamen, inquit, usus omnium planè Confessariorum hoc habet, ut amplectantur sententias probabiles circa Absolutionem à censuris virtute Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi, vel alterius facultatis, & ita absolvunt, non imponentes, quòd ante mortem faciant se iterùm absolvi ab alio, qui habet certam potestatem.

Fatendum ergo est, vel excommunicatio- 148.

Vel excommunicatio non impedit effectum Absolutionis, vel Ecclesia tunc confert jurisdictionem.

nem non impedire effectum Absolutionis sacramentalis, ùt communis sententia docet, vel certè Ecclesiam tunc conferre jurisdictionem ad absolvendum verè à censura: quia in hoc casu non solùm intervenit error opinionis probabilis, qui certè non est communis omnium, sed eorum qui tenent illam opinionem (& tamen propter illum dicitur communiter Ecclesia dare jurisdictionem) sed intervenit error communis omnium: omnes enim Confessarii hodie habent hunc usum absolvendi, saltem extra mortis periculum, cum probabilitate circa potestatem absolvendi à censura & casu reservato.

Cùm ergo ex hoc usu communi omnium sequatur manifestum periculum omnium pœnitentium, qui existimantes se jam absolutos, non curant ampliùs de absolutione ab illa censura, & remanerent incapaces Absolutionis sacramentalis; fatendum est, Ecclesiam propter hunc errorem communem, ad impedienda illa damna, conferre jurisdictionem, vel certè sententias illas, in quibus illud periculum fundatur, non esse veras. Hucusque Lugo.

149. Objectio ex Bas. Pontio.

Sed dicet Aliquis cum Basil. Pontio lib. 5. de Matrim. c. 20. n. 7. Videtur esse longè diversa ratio inter formale dubium ratione probabilitatis opinionum, & inter communem errorem. Nam cùm aliquis existimatur Parochus communi sensu v. g. nulli dubium occurrit. Quare non est, cur cogatur aliam partem eligere, cùm de ea nulla contingat dubitatio.

Responsio.

Resp. in nostro casu nullum est formale dubium, sed moralis certitudo, ùt patet ex dictis; unde non est cur cogatur vel Confessarius, vel pœnitens aliam partem eligere, nam communi sensu talis existimatur legitimus Confessarius.

150. Nulla est diversa ratio inter errorem communem, & communem sententiam DD.

Nulla ergo est diversa ratio inter errorem communem, quo aliquis existimatur Parochus, qui non tollitur per hoc, quòd Aliqui pauci dubitent; & inter communem sententiam Doctorum, estò pauci Aliqui contradicant. Sicut ergo talis Parochus validè absolvit, immo & licitè, quando titulus ejus communi DD. consensu est probabilis; pari utique ratione quilibet Confessarius, qui communi sensu existimatur talis, validè absolvit & licitè, quando communi DD. consensu ejus titulus seu jurisdictio est probabilis, Ecclesiâ supplente jurisdictionem in singulis actibus, & probabilitate communi excusante à peccato; præsertim accedente consuetudine toleratâ ab Ecclesia, & legitimè præscriptâ, per quam acquiritur jurisdictio, non tantùm actualis, ut sic loquar, sed etiam habitualis, ùt jam jam edissero.

CONCLUSIO VI.

Acquiritur jurisdictio per consuetudinem absolvendi toleratam; secùs per ratihabitionem aut consensum solùm præsumptum de futuro.

151. Probatur 1. pars Concl. ex cap. 13. de foro competen. Et cap. 4. de Arbitr.

PRima pars probatur argum. cap. *Cùm contingat.* 13. de foro competenti ibi: *Nisi forte hi, quibus delinquentes ipsi deserviunt, ex indulgentia, vel consuetudine speciali, jurisdictionem hujusmodi valeant sibi vendicare.* Et cap. *Dilecti.* 4. de Arbitris ibi: *Quia tamen juxta consuetudinem approbatam, quæ pro lege servatur in partibus Gallicanis, fœminæ præcellentes in subditos suos ordinariam jurisdictionem habere noscuntur.* Item cap. Conquestus 8. 9. q. 3. ibi: *Primates enim vel Patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris Episcopis, nisi quantùm sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitùs contulit, definimus.* Ita Nicol. Papa Rodulpho Bituricensi Archiepiscopo. Item cap. 8. 9. q. 3.

Igitur in foro externo acquiritur jurisdictio consuetudine. Quid ni etiam in foro sacramentali? Non video rationem disparitatis. Licèt enim jurisdictio fori sacramentalis sit juris divini, id est, jure divino requiratur ad validam Absolutionem, adeoque consuetudo non possit præscribere contra eam, ita ut propter consuetudinem validè quis absolvat absque jurisdictione; equidem jurisdictio illa confertur ab Ecclesia: nulla autem est ratio, quare Ecclesia per consuetudinem non possit illam conferre, sicut potest instituere & abrogare leges.

152. Explicatur cap. 2. de Pœnit. & remiss. in 6

Ex quo patet responsio seu explicatio ejus, quod dicitur cap. 2. de Pœnit. & remiss. in 6. *Nullâ potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui Superioris licentiam Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare.* Ubi Glossa verb. *Consuetudine*, inquit: *Est enim onerosa Ecclesiis: ideo non valet suprà in antiq. de consuet. cap. 2. & ex ea frangitur Ecclesiastica disciplinæ nervus suprà de consuet.* Cùm venerabilis. *etiam esset hoc contra obedientiam Principis præscribere: quod esse non potest suprà de Præscript. Cum non liceat.* Jam autem consuetudo absolvendi cum licentia sui Superioris neque est onerosa Ecclesiis, neque ex ea frangitur Ecclesiasticæ disciplinæ nervus; neque hoc esset contra obedientiam Principis præscribere, ùt per se manifestum est.

Conclusio loquitur de consuetudine absolvendi cum

Ergo hoc jus non opponitur Conclusioni, quæ solùm loquitur de consuetudine absolvendi cum licentia sui Superioris, ùt patenter significatur per ly *Toleratam*, à quo enim tolerata

licentia Superioris.

tolerata, nisi à Superiore, cujus est contradicere seu non tolerare? Qui proinde, non contradicendo, quando debet, & commodè potest contradicere, censetur dare licentiam, juxta Reg. juris 43. de Reg. juris in 6. *Qui tacet consentire videtur.*

153. Quomodo intelligenda Reg. 43 de Reg. Iuris in 6. Canisius.

Quæ utique Regula, estò nudè inspecta defendi non possit, ùt bene notat Henricus Canisius Iurisconf. in suo Comment. in illam Regulam, sanè negari non potest, quando qui tacet, debet, & potest commodè loqui.

Ut huic Regulæ locus sit (inquit præfatus Auctor) necesse est in tacente & conjecturam aliquam concurrere, quæ consensum suadeat: veluti est inter conjunctos; argum. leg. 16. ff. de S. C. Macedon. *Si filiusfamilias, absente patre, quasi ex mandato ejus, pecuniam acceperit, cavisset: & ad patrem litteras emisit, ut eam pecuniam in provinciam solveret: debet pater si actum filii sui improbat, continuò testationem inte ponere contrariæ voluntatis, alioquin censetur consentire.* Et leg. 2. ff. ad Municip. ibi: *Consensisse autem pater decurionatui filii videtur, si præsens nominationi non contradixit.*

L. 16. ff. ad S. C. Maced.

L. 2. ff. de Municip.

Adde cap. unicum de Desponſ. impub. in 6. ibi: *Porrò ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii si expressè consenserint, vel tacitè, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur,* quia censentur consensisse.

Cap. un. ad Desponſ. impub.

154. Quando Episcopus videns subditum suum ubique licentia audire Confessiones, censetur consentire.

Et non censebitur consentire Episcopus, qui videt subditum suum audire Confessiones, quem tamen probè novit non habere expressam licentiam, si absque scandalo, aut alio notabili incommodo possit contradicere? Non est dubitandum de tacito consensu, cùm ex officio suo debeat contradicere, adeoque nisi velit consentire, peccet non impediendo peccatum subditi, quod commodè potest impedire: peccatum autem non præsumitur, argum. leg. *Meritò* 51. ff. Pro socio. ibi: *Sanè plerumque credendum est, eum, qui partis dominus est, jure potius suo re uti, quàm furti consilium inire.* Ergo præsumi potest & debet consensus.

L. 51. ff. Pro socio.

155. Consensus Principis propriè tribuit subdito jurisdictionem, non autem consuetudo.

Atque hic consensus est, qui propriè & in rigore tribuit subdito jurisdictionem, non autem consuetudo; sed hæc est solùm conditio aliqua, quâ positâ Superior censetur consentire seu concedere jurisdictionem, ita exigente bono publico, sive est signum illius consensûs.

Consuetudo est signum illius consensûs.

Sicu i consuetudo majoris partis populi, licèt vi suâ nequeat legem abolere aut instituere; est tamen conditio, quâ positâ tacito consensu Principis lex tollitur, vel etiam instituitur; sive est signum hujusmodi consensûs. Enimverò consuetudo nihil aliud est, quàm frequentia actionum, vel omissionum, liberè eodem modo factarum: porrò videmus plures actus vel omissiones à communitate frequentari, ex quibus tamen nulla oritur obligatio legis; idque defectu consensûs Legislatoris.

Quid sit consuetudo.

156. Objectio.

Si dixeris; hoc provenit ex defectu consensûs ipsius communitatis, quæ non frequentat illos actus cum animo inducendi legem.

Diluitur.

Respondeo; minùs principaliter indè oriri, principaliùs verò ex defectu consensûs Legislatoris; quòd indè probatur: quia si Legislator expressè vel implicitè contradiceret, quantumcumque communitas frequentaret actum, etiam animo se obligandi, nunquam induceretur obligatio legis.

Lex essentialiter est actus voluntatis Legislatoris.

Ratio; quia lex essentialiter est actus voluntatis Legislatoris, eo ergo deficiente, necessariò deficit lex, quantumcumque actus aliquis à populo frequentetur; & eo habito, quocumque animo communitas frequentet aliquem actum seu longo, seu parvo tempore, inducitur obligatio legis.

157. Duplex est voluntas Legislatoris, alia expressa in jure Cap. ult. de Consuet. & leg. 32. ff. de Leg.

Porrò duplex est voluntas Legislatoris, alia expressa in jure communi cap. ult. de Consuetudine ibi: *Licet longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas: non tamen est usquæ adeo valitura, ut vel juri possitivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis & legitimè sit præscripta.* Et leg. *De quibus* 32. ff. de Leg. ibi: *Inveterata consuetudo pro lege non immeritò custoditur, & hoc est jus, quod dicitur moribus custoditum.* Et vocari potest consensus legalis seu juridicus, quia non datur personaliter à Principe, sed per ipsum jus.

Alia est voluntas seu consensus personalis.

Alia est voluntas seu consensus personalis, qui datur à persona Principis, vel expresse consentientis, vel antecedenter dando licentiam ad introducendam consuetudinem, vel consequenter aut concomitanter approbando illam, aut expresse, aut videndo & non impediendo, cùm facilè posset impedire.

Consuetudo est signum istius voluntatis vel conditio sine qua non.

Causa ergo magis principalis inducens obligationem est voluntas Principis, vel expressa in jure seu juridica, vel rationabiliter præsumpta seu tacita; ipsa verò consuetudo vel est signum illius voluntatis, vel conditio potiùs, sine qua talis voluntas non obtinetur. Ita communiter DD. de consuetudine instituente vel abrogante legem.

158. Consuetudo est signum seu conditio sine qua non obtinetur voluntas Ordinarii, à qua essentialiter dependet jurisdictio delegata.

Consimiliter discurro ego de consuetudine, per quam acquiritur jurisdictio in foro sacramentali, & dico, ùt suprà dixi, eam dumtaxat esse signum seu conditionem, sine qua non obtinetur voluntas Ordinarii, à qua essentialiter dependet jurisdictio delegata, ita ut voluntate Ordinarii deficiente, etiam consuetudo immemorabilis nequeat dare jurisdictionem; ea autem existente & præsente, etiam unicus actus posset dare, dummodo sit sufficiens signum externum istius voluntatis, quæ principaliter dat.

Unde

Hinc semper potest eam revocare.

Unde hæc jurisdictio talis est, ut semper dependeat à voluntate proprii Sacerdotis, ita ut non obstante consuetudine, semper sit in ejus potestate eam revocare, si velit; nec possit revocari, nisi ex arbitrio illius Sacerdotis, vel ejus Superioris, ex cujus arbitrio seu voluntate emanavit.

Proinde si verum est, consuetudine introductum esse, ut quilibet Sacerdos absolvere possit à peccatis venialibus, item à mortalibus in articulo mortis: quia illa consuetudo vel ab Apostolis, vel à Summis Pontificibus originem duxit, aut confirmata est, ideo sinè illorum consensu revocari non potest ab inferioribus Prælatis. Et si verum est, Parochos ex consuetudine posse sibi eligere Confessorem, cùm verisimilè sit, illam ex consensu Episcoporum emanasse, consequenter Episcopi in suo Episcopatu possent eam mutare, vel generatim pro omnibus; vel specialiter pro aliquo, prout expedire censuerint.

159. Quomodo jurisdictio spiritualis tam fori externi, quàm interni acquiri possit consuetudine,

Igitur admittimus, jurisdictionem spiritualem tam fori externi, quàm interni, seu sacramentalis, acquiri consuetudine, sed non sinè adminiculo juris communis, quo hoc declaratur ad majorem Ecclesiæ pacem, vel taciti consensûs seu voluntatis Superiorum; qui cùm non sit in jure expressus, quantùm attinet ad forum sacramentale, necessè est, ut ipsâmet consuetudine, & circumstantiis ejus sufficienter significetur.

Sed nunquid sufficienter significatur, quando administratur Sacramentum ignorante Ordinario, qui, si sciret, libenter concederet jurisdictionem; aut vidente Ordinario, qui sinè scandalo non potest contradicere, & ideo tacet?

160. An confessiones invalidæ possint introducere consuetudinem,

In primis existimo, confessiones invalidas, defectu jurisdictionis, non posse introducere consuetudinem, de qua loquitur cap. ult. de consuet. ibi: *Nisi fuerit rationabilis & legitimè præscripta.*

Quæ sit consuetudo rationabilis.

Ratio patet; quia consuetudo rationabilis in ordine ad instituendam vel abrogandam legem dicitur, quæ non pugnat cum lege naturali aut divina, & aliquâ nititur ratione judicio prudentis, tali nimirùm, propter quam Princeps non solùm validè, sed etiam licitè posset legem suam revocare, aut novam legem instituere. Sed confessio invalida defectu jurisdictionis, pugnat cum lege divina, ergo consuetudo tic confitendi seu absolvendi non est rationabilis; ergo per illam non potest introduci, & per consequens non potest dari jurisdictio, adminiculo juris communis; sed necessè est, ut accedat particularis consensus Ordinarii expressus vel tacitus; v. g. si postea innotescat Superiori à longo tempore (aliàs sufficiente) fuisse hujusmodi consuetudinem, & cum ea scientia tacet, & patitur subditos ulteriùs pergere, cùm posset resistere.

Igitur nunquam in rigore loquendo acquiritur hæc jurisdictio consuetudine, sed tacito consensu Superioris, id est, origo ejus fuit facultas tacita vel expressa Ordinarii, quæ per consuetudinem conservata est, & ipsa facultas videtur fuisse causa talis consuetudinis. Unde in Conclusione per ly *Consuetudine*, intellige tacitum consensum Superioris, præteritum quidem in primo actu, præsentem autem in ipsa consuetudine seu frequentia actuum.

Nunquam in rigore loquendo acquiritur jurisdictio sacramentalis consuetudine.

161. An sufficiat consensus præsumptus de futuro ad delegandam jurisdictionem,

Quantùm ad consensum præsumptum de futuro, id est, qui poneretur, si Superior interrogaretur, de facto autem nullo modo est, ipsum non sufficere ad delegandam jurisdictionem, est communis sententia, & secunda pars nostræ Conclusionis, quæ probatur: quia futurum ùt sic nihil ponit in esse de præsenti, & conditionalis nihil ponit in esse, quamdiu conditio posita non est. Unde non valet Matrimonium sub conditione: *Si Papa dispenset*, quamdiu dispensatio non est posita, estò Papa certò certiùs dispensaret, si sciret Matrimonium sub tali conditione contractum.

An sufficiat consensus præsumptus de præterito vel præsenti,

Sicuti ergo ratihabitio seu consensus præsumptus de futuro non sufficit ad validam dispensationem; multò minùs ad collationem seu delegationem jurisdictionis sacramentalis. Et veluti ad validam dispensationem sufficit consensus præsumptus de præterito, vel præsenti, signo externo manifestatus; pari ratione idem consensus sufficiet ad collationem seu delegationem jurisdictionis sacramentalis.

162. Sacramentum Pœnitentiæ semel invalidum non quit fieri validum.

Enimverò Sacramentum Pœnitentiæ, ùt alibi docuimus, & diffusiùs explicavimus, semel invalidum, tractu temporis vel quacumque aliâ ratione nequit fieri validum; ergo simpliciter nequit esse suspensum & dependens à conditione seu consensu de futuro: igitur ut sit validum, jam tunc, quando datur Absolutio, debet esse jurisdictio, nec sufficit illam dari post judicium jam absolutum, quoniam sinè jurisdictione nequit esse validum.

Occurritur objectioni.

Nec dixeris; adest jurisdictio, quando rationabiliter præsumo consensum de futuro: quia hoc nullo jure aut ratione probatur. Et si verum foret, jam non esset solùm consensus de futuro, sed de præterito vel præsenti. Quòd autem verum non sit, patet: quia neque ex Iure Canonico, neque ex Iure Civili colligitur facta generalis licentia absolvendi eo casu, quo præsumitur fore contentus Ordinarius, si interrogaretur. Sed neque rationi consentanea est, cùm aliqui nimis faciles forent in præsumendo hujusmodi consensum, ubi & quando eum præsumere non deberent.

Ad evi-

163. Quid si aliquis Episcopus declaraſſet, ſe velle dare jurisdictionem, quandocumque rationabiliter præſumeretur ejus conſenſus.

Ad evitandos itaque abuſus planè expedebat, non concedere illam licentiam generalem. Interim ſi aliquis Epiſcopus vel Parochus eam conceſſiſſet, id eſt, ſi declaraſſet ſe velle dare jurisdictionem, quandocumque eſſent tales circumſtantiæ, ex quibus rationabiliter præſumi poſſet, eum fore contentum, tunc durante tali Epiſcopo vel Parocho, valeret ea præſumpta voluntas, non ùt præſumpta de futuro; ſed ùt præſumpta, ſeu potiùs, ùt expreſſa de præterito vel præſenti.

Ad delegandam jurisdictionem non ſufficit voluntas merè interna.

Dico; *Ut expreſſa*; quia non ſufficit ad delegandam jurisdictionem (utì nec ad validam diſpenſationem) voluntas merè interna; ſicut enim forma hujus Sacramenti debet eſſe ſenſibilis, ita quoque poteſtas ſeu jurisdictio; non eſt autem ſenſibilis, ſi ſolùm fundetur in voluntate merè interna Superioris.

164. Delegatio jurisdictionis eſt actus fori externi.

Deinde delegatio jurisdictionis eſt actus fori externi, & communicationis cum hominibus; non communicamus autem actibus internis, & forum externum non judicat de internis; ergo delegatio jurisdictionis debet eſſe externa, ergo voluntas merè interna Superioris ſeu futura, ſeu præſens, ſeu præterita, quâ concederet jurisdictionem, concedit, vel conceſſit, planè inutilis eſt ad hunc effectum, eſtò etiam per revelationem divinam Sacerdos eam cognoſceret.

Eodem modo, quo talis voluntas, etiam ſic extraordinariè cognita, eſt inſufficiens ad diſpenſationem, ad donationem, ad obligationem legis & ſimiles actus communicationis humanæ, quæ non fit, niſi per ſignum ſenſibile. Atque hæc eſt communis ſententia DD. à qua non licet recedere, maximè in adminiſtratione hujus Sacramenti, cujus valor pendet ab illa delegatione, ùt in caſu ſupponitur.

165. Quomodo intelligenda Reg. 10. de Reg. Iuris in 6. *Canſius.*

Nec obſtat Reg. 10. de Reg. Iuris in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.* Eſt quippe accipienda, ùt notat Henr. Caniſius in præfatam Regulam, ſi nomine ratum habentis negotium geſtum ſit; alioquin, ùt habet Reg. 9. eodem, *Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.*

Ubi præfatus Auctor: Ratum, inquit, habere dicimur, cùm approbamus, quod noſtro nomine geſtum eſt; argum. leg. 12. ff. Ratam rem haberi &c. ibi: *Rem haberi ratam, hoc eſt, comprobare agnoſcere &c., quod actum eſt à falſo Procuratore.* Iam autem miniſter delegatus in hoc Sacramento non abſolvit nomine delegantis, ſed nomine proprio; ergo impertinens eſt ratihabitio Ordinarii, ſubſequens Abſolutionem.

Et quamvis obtinuerit, ùt ibidem notat Caniſius, quod jacturam rei meæ, vel alterius, me ratum habere poſſe, etiam quod meo nomine geſtum non eſt, ùt in ſpecie L. 1. C. de Rei vindic. & alibi; tamen id obtinuiſſe in foro ſacramentali, ex nullo jure probatur.

166. Alia explicatio.

Præterea accipienda Reg. præallegata de actibus, qui priùs invalidi, poſtea per jus poſſunt fieri validi, tales non ſunt Abſolutiones ſacramentales, ſed contractus humani, de quibus præcipuè loquitur.

Tertia explicatio.

Denique agitur hic de illis actibus, qui quidem ab initio ſubſtantialiter valent; tamen poſſent poſtea ob defectum alicujus conditionis accidentalis irritari. Porrò Abſolutio ſacramentalis vel ab initio valida eſt vel numquam, & ſemel valida, nullo umquam tempore invalidari poteſt.

In materia fori ſacramentalis obtinet Reg. 29 & 18. de Reg. Iuris in 6.

Unde potiùs in hac materia obtinet Reg. Iuris 29. ff. de diverſ. Reg. Iuris. *Quod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere.* Et Reg. 18. de Reg. Iuris in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.*

167. Objectio ſolvitur.

Plane, inquis, ſolo tractu temporis; ſecùs ſi accedat ratihabitio. Reſp. ratihabitionem in hoc caſu non obtinere, ùt patet ex dictis; tum quia hoc Sacramentum non poteſt pendere à conditione de futuro, ùt alibi expendimus; tum quia nemo ratum habere poteſt, quod ejus nomine non eſt geſtum, ùt ſuprà oſtendimus ex Reg. 9. Iuris, quæ deſumpta eſt ex c. penul. de Sent. excom. in 6. ſequentis tenoris: *Cùm quis abſque tuo mandato manus injecit in Clericum tuo nomine violentas, ſi hoc ratum habueris, excommunicationem latam à Canone incunctanter incurris: Cum ratihabitio retrotrahatur, & mandato debeat comparari. Si verò injectio eadem tuo nomine non ſit facta: tunc licet pecces, ratam habendo eandem, non tamen propter hoc excommunicationis ullius vinculo innodaris: Cùm quis ratum habere nequeat, quòd ejus nomine non eſt geſtum.* Ita Bonif. VIII. *cap penult. de Sent. excom. in 6.*

168. Alia objectio.

Dices, ut Religioſus non peccet contra votum paupertatis, vel ut aliquis excuſetur à peccato furti, accipiendo rem alienam, ſufficit conſenſus præſumptus, id eſt, quòd prudenter judicem Superiori vel domino gratum eſſe, quòd accipiam talem rem. Ergo ſimiliter in caſu noſtro, ut licitè & valide abſolvam, ſufficit, quòd præſumam Ordinario gratum eſſe, quòd abſolvam ſubditum ſuum in his vel illis circumſtantiis.

Solutio.

Reſpon. Nèg. Conſeq. Do diſparitatem; quia voluntas illa præſumpta in caſu Antecedentis ſufficit, ut Religioſus illam rem non accipiat nomine proprio, & tamquam propriam, ſed nomine alterius ſeu Prælati, cui ſtatim ſubordinetur tamquam res communis. Quocirca illa licentia præſumpta non eſt vera diſpenſatio in voto paupertatis, ùt planum eſt, ſed ſolùm moralis mutatio ex parte materiæ; nam res, quæ ſinè tali licentia accipitur ùt propria, exuit cum illa hoc vitium, quia jam ſumitur nomine

Licentia Religioſi præſumpta accipiendi aliquam rem non eſt diſpenſatio in voto paupertatis.

Prælati, ad hoc autem non requiritur positiva voluntas Superioris, quâ acceptet illam rem, sed sufficit ut positivè non sit invitus.

169. Qui accipit rem alienam de præsumpta licentia domini non est fur. l. 46. ff. de Furtis.

Et idem dicendum est de illo, qui accipit rem alienam de licentia præsumpta veri domini; argum. leg. 46. ff. de Furtis §. 7. *Rectè dictum est, qui putavit se domini voluntate rem attingere, non esse furem; quid enim dolo facit, qui putat dominum consensurum fuisse, sive falsò id, sive verè putet? Is ergo solus fur est, qui attrectavit, quod invito domino se facere scivit.* Itaque per illam præsumptam voluntatem destruitur objectum furti, quod est res aliena, rationabiliter invito domino.

At verò per præsumptam voluntatem, sicuti non dispensatur, non confertur beneficium, non instituitur ordinarius minister hujus Sacramenti &c. ita neque delegatus; sed requiritur positiva voluntas instituentis seu delegantis, ne alioquin maxima confusio oriatur inter ministros Ecclesiæ, & Ecclesiastica Hierarchia, quæ debet esse ùt castrorum acies ordinata, fiat castrorum acies confusissima seu inordinatissima.

170. Evertuntur fundamenta Adversariorum.

Quæ cùm ita sint, noli dubitare de veritate Conclusionis, tametsi Aliqui contradicant, sed absque solido fundamento. Nam quod dicunt; Absolutionem à principio fuisse validam, & proinde validam permanere, etiamsi ratihabitio postea non succedat, est manifesta petitio principii; & indè sequitur, subditum validè confiteri alieno Sacerdoti, etiam contra voluntatem proprii, quod repugnat cap. *Omnis utriusque* 12. de Pœnit. & remiss.

Respondent; illam Confessionem fore validam, cum obligatione tamen iterum confitendi eadem peccata proprio Sacerdoti; ideòque, qui sub hac spe confitetur, teneri ad habendum propositum confitendi iteratò eadem peccata proprio Sacerdoti, si nolit priorem Absolutionem ratam habere.

Quid operetur præsumptus consensus merè internus.

Sed quis non videt, hæc gratis dici absque fundamento in jure, aut ratione? Nam spes vel præsumptio futuri, aut etiam præsentis consensûs, quamdiu hic consensus non est manifestatus aliquo signo externo, non ponit in Superiore consensum vel voluntatem humano modo, sed solùm ponit in me & in aliis opinionem seu fiduciam de tali voluntate futura vel præsenti: mea autem opinio vel fiducia non dat mihi jurisdictionem, etiam sub illa conditione, alioquin idem esset delegans & delegatus; cùm tamen, ex alibi dictis, debeat esse distinctio personalis inter delegantem & delegatum.

171. Quæ sint signa externa voluntatis Ordinarii.

Consulo ergo omnibus, & præcipio non ego, sed Dominus, ne absolvant quempiam, antequam aliquo signo externo cognoverint voluntatem Ordinarii. Quæ autem signa sufficiant, pendet ex variis circumstantiis & judicio prudentis. Optimum signum est proprium & explicitum verbum, aut littera clara & expressa: aliquando tamen possunt sufficere verba generalia ministrandi Sacramenta, aut exercendi hoc vel illud munus loco alterius, quando tale munus habet annexum hoc ministerium secundùm communem usum: subinde etiam hæc delegatio fieri potest tacito consensu, quando ita conjungitur alicui facto vel interrogationi præteritæ, ut secundùm prudentem existimationem censeatur sufficere.

Ex his colligitur, si Parochus fortè me non vidit, quando incepi audire Confessionem; superveniat tamen, & antequam detur Absolutio, per taciturnitatem, cum cæteris requisitis, factum meum approbet, totum quod præcesserit approbationem, invalidum fuisse. Sed nunquid ideo Confessio sic facta repetenda? Respondeo; non magis repetenda, quàm dum Confessio facta fuit absque debito dolore, de qua repetitione longè & latè egimus Sect. 4. Concluf. 4. ad quam remitto Lectorem, quia est planè eadem ratio, & resolutio utriusque casûs.

Cæterùm caveat Confessarius, ne ante obtentam facultatem incipiat audire Confessionem, nisi habeat saltem probabilem spem, eam obtinendi ante Absolutionem, alioquin exponit pœnitentem periculo gravissimi oneris, putà iteratæ Confessionis, quæ aliquibus gravior videtur ipsâ morte. Quis autem non videat, graviter adversari charitati, hujusmodi onus imponere absque justa causa?

172. Sacerdos non incipiat audire Confessionem ante obtentam facultatem, nisi probabiliter speret eam obtinere ante Absolutionem, aut pœnitens copetentiâ.

Sin verò tum Confessarius, tum pœnitens, scientes hujusmodi defectum jurisdictionis, volunt alter confiteri, & alter audire, cum intentione petendi, & obtinendi jurisdictionem à Superiore, ante Absolutionem, non solùm periculosum non est, sed maximè etiam expediens in aliquibus casibus, qui sæpè possunt occurrere; v. g. quando quis confitetur peccata reservata non habenti jurisdictionem, sæpè expedit propter periculum revelandi pœnitentem, ut facultas absolvendi petatur post factam Confessionem, & impositam pœnitentiam, ut post obtentam facultatem, tantùm restet Absolutio, ad quam accedendo pœnitens, supplici illo affectu, quo illam accipit & expetit, illo, inquam, actu externo censetur moraliter de novo repetere Confessionem priùs factam, eamque Confessarius excipere ad Sacramentum.

Si autem à me quæritur; an ille, cui jurisdictio delegatur, debeat habere notitiam hujus delegationis, ita ut aliter Absolutio non valeat? Responsio erit

CON-

CONCLUSIO VII.

Ut valeat Absolutio debet præcedere aliqua notitia delegationis.

173. Probatio Conclus.

PAtet; quia debet præcedere aliqua acceptatio, acceptationem autem debet præcedere notitia, quia nihil volitum nisi cognitum.

Sed dicet Aliquis; hoc est quod quæritur, an debeat præcedere aliqua acceptatio, adeòque non suppositum, sed probatum oportuit; nam constanter ab Adversariis negatur.

Scio quòd negetur, & ideo probandum assumo, & sic probo: ut valeat donatio, requiritur acceptatio; atqui delegatio jurisdictionis est quædam donatio; ergo ut valeat, & per consequens, ut valeat Absolutio, requiritur acceptatio delegationis per ipsum delegatum, vel per alium ejus nomine.

174. Quo tempore privilegium sortiatur suum effectum. Synchez. cap. 1. de Concess. præb. n. 6.

Immo generaliter docet Sanchez lib. 3. de Matrim. Disp. 36. privilegium tantùm sortiri suum effectum à tempore, quo certior de illo fit is, cui conceditur. Et probat 1. ex Iure Canonico cap. 1. de Concess. præbendæ in 6. ibi: *Ex parte verò tua extitit replicatum, quòd hæc de illis privilegiis & indulgentiis (æquitate suadente) debent intelligi, quæ vim suam habent, mox cùm ad illos, quibus conceduntur, perveniunt.* Ergo non antequam perveniant.

Ita colligitur ex Glossa ibidem verb. *Vim suam habent. Privilegium enim*, inquit, *datum alicui vim suam habet, cùm pervenerit ad illum, cui conceditur. Ad quod facit lex dicens*: quòd si scripsi servo meo, ut in libertate moretur: non statim liber est: sed tunc cùm littera ad ipsum pervenerit *ff. de acquir. poss.* Qui absenti servo *in principio.*

Et licèt id non videatur probare, inquit Sanchez, quia est allegatio partis adversæ: at cùm Pontifex in fine illius textûs pro parte illa rescribat, videtur ejus fundamentum approbare. Et licèt non sit necesse, ut Pontifex approbet omnia fundamenta illius partis, pro qua rescribit; interim in præfato jure approbasse, videtur colligi ex fine cap. sequentis tenoris: *Nos itaque tam tuis, quàm præfati D. rationibus plenius intellectis: quia sæpè dictam Præposituram ad te novimus pertinere, ipsam tibi (habito Fratrum nostrorum consilio) adjudicare curavimus: ipsi D. super ea perpetuum silentium imponentes.*

175. Probat II. ex cap. 17. de Præbend. in 6. quod sic incipit: *Si tibi absenti per tuum Episcopum conferatur beneficium, licèt per collationem hujusmodi (donec eam ratam habueris) jus in ipso beneficio, ut tuum dici valeat, non acquiras* &c. Ergo antequam ratum habeas collationem beneficii, invalidè de eo disponis, & eo uteris tamquam tuo. *Cap. 17. de Præb. in 6.*

Probat III. ex Iure Civili C. de Consul. leg. fin. *Sancimus, viros excelsos patricios, quos in hujusmodi dignitatis apicem Augusta Majestas retulerit, illico ab imperialibus codicillis præstitis* (id est, juxta Glossi. *præsentatis sibi litteris suæ electionis*) *patres-familiis effici, ac potestate liberari paternâ.* Ergo ante præsentationem litterarum, per consequens notitiam electionis, non efficiebantur patres-familias, nec potestate liberabantur paternâ. *Cod. de Cons. l. fin.*

Probat IV. ex lege 38. ff. de acquir. poss. in principio. *Qui absenti servo scribit, ut in libertate moretur, non eam mentem habet, ut statim velit servi possessionem dimittere, sed magis destinationem suam in id tempus conferre, quo servus certior factus fuerit.* Et credam ego, qui absenti scribit, ut pœnitentem absolvat, eam mentem habere, ut Absolutio valeat ante illud tempus, quo Sacerdos certior factus fuerit? *l. 38. ff. de acq. poss.*

176. Ante notitiam delegationis non potest Sacerdos licitè absolvere.

Equidem ante notitiam delegationis non potest Sacerdos licitè absolvere; non videtur autem esse mens delegantis, ut priùs actus possit fieri validè, quàm licitè; tum quia non censetur velle dare occasionem pravi usûs, tum quia jurisdictio non conceditur nisi propter usum honestum, vel qui moraliter & regulariter, possit esse honestus, qualis, ut patet, non est usus jurisdictionis in casu proposito, antequam Sacerdos certior factus sit de voluntate delegantis; quia tot occurrunt frequenter impedimenta, ut moraliter & probabiliter non possit quis conjecturare, jurisdictionem jam esse concessam, sinè qua tamen cognitione, non potest licitè absolvere, eùm exponat se periculo invalidè absolvendi.

177. An quis possit validè contrahere matrimonium in gradibus prohibitis, antequam sciat dispensationem obtentam. Vasquez.

Atque hâc ratione Vasquez 1. 2. disput. 156. n. 32. docet: Si quis Matrimonium contraheret in gradibus prohibitis, antequam sciret dispensationem obtentam fuisse, non solùm peccaret, sed etiam nullum efficeret Matrimonium: quia privilegium illud vim habet dispensationis, & non censetur concessum, ut validum fiat Matrimonium, quando malâ conscientiâ & non licitè contrahitur. Nam cùm concedatur privatæ personæ, ut licitè contra legem communem operetur, nondum censetur ei prodesse, quousque habeat notitiam illius, ex eo enim tempore solùm tutâ conscientiâ poterit ille contra legem communem operari, & uti

dispensatione & privilegio. Hæc ille, & Alii cum ipso.

178. Sententia affirmans. Quàmvis non desint, qui oppositum doceant, putà, Matrimonium hujusmodi fore validum, quia scilicet verè impedimentum per talem dispensationem sublatum est; potest quippe Princeps velle, idque licitè, tollere impedimentum ante notitiam privilegiati; per accidens enim est, quòd sequatur indè periculum peccati, ex perverso nimirùm usu istius privilegii, quem Princeps non intendit: neque enim in illo usu dispensare potest, cùm non possit facere, ut quis licitè se exponat periculo peccati, interim censetur velle facere totum, quod potest facere sinè peccato, id est, dispensare in lege sua irritante actum. Hæc Illi.

An sufficiat notitia dispensationis per Procuratorem. Qui tamen requirunt notitiam aliquam dispensationis, notitiam, inquam, privilegiati, saltem per alium, putà suum Procuratorem. Quæ per consequens, secundum hanc sententiam, etiam sufficeret ad validam Absolutionem; secùs in sententia Vasquezii.

179. Requiri aliquam notitiam delegationis probatur ex Authent. Quibus modis naturales efficiantur sui. Collat. 7. cap. 11. in principio: *Generaliter autem in omnibus, qui per prædictos modos deducuntur ad legitimum jus, tunc hoc volumus obtinere, dum & filii hoc ratum habuerint.* Ubi probatur legitimationem non prodesse absenti, donec ad ejus notitiam pervenerit. Ergo nec delegatio jurisdictionis proderit absenti, donec ad ejus notitiam pervenerit.

Responsio Arriagæ. Respondet Arriaga Disp. 39. n. 37. duplicem posse esse jurisdictionem alicui concessam; unam, quæ indigeat per se acceptatione ejus, cui datur; sicut cùm mihi datur pallium, jus in illud non acquiritur, nisi ego acceptem donationem: eodem modo antequam quis acceptet Episcopatum, Papatum, beneficium, non judicatur, & verò nec re ipsâ est Episcopus, Papa &c. Pro hujusmodi, inquit, jurisdictione concedo libenter, omninò requiri aliquam notitiam, & hoc solùm probant textus, quos Sanchez pro sua sententia adducit.

180. Ostenditur variis exemplis, ad aliquod privilegium non esse necessariam notitiam ejus, cui conceditur. Altera est jurisdictio, privilegium & gratia &c. quæ potest fieri etiam invito, & in hac ego non video, quare debeat esse necessaria ad valorem actûs notitia ejus, cui fit; & verò positivè videtur contrarium evidentissimè ostendi: etenim gentilis, qui nihil scit sibi à Deo datam potestatem validè baptizandi, si tamen re ipsâ baptizet, volens facere quantùm potest, & quantùm in se est, in omnium planè sententia validè baptizat.

Idem esset, si Sacerdotium conferretur infanti, & in ea ætate ita esset ei concessum, ut tamen ipse nihil omnino sciret, profectò si postea vellet, quantùm in se est, consecrare, & proferret verba supra debitam materiam, nemo negabit, eum validè consecraturum.

Idem est in voti relaxatione aut dispensatione: nam estò ego non velim acceptare, si tamen Pontifex relaxet illud votum, eo ipso ego non obligabor; potero quidem novum votum emittere, unde nova in me oriatur obligatio, at vi antiqui nullo modo obligabor. Similia multa exempla possum adducere pro ea veritate.

Quo posito dico, jurisdictionem ad absolvendum à peccatis talem esse, ut planè necessaria non sit ulla acceptatio ex parte Sacerdotis, sed conferri etiam possit invito; unde dico consequenter, non esse necessariam illius notitiam: etenim si Pontifex dicat: *Ego omnem peccatorum reservationem aufero*, profectò velim nolim habeo ego potestatem absolvendi à reservatis omnibus, à quibus anteà non poteram; eodem modo si dicat: *Do omnibus Sacerdotibus potestatem absolvendi, sicut de facto eam dedit Ecclesia pro venialibus*, haud dubiè omnes eam habebunt velint nolint, uti eam habent omnes Sacerdotes circa venialia, licèt non dubium, multos ex illis eam ignorare. Non est ergo cur ea notitia sit ad valorem actûs necessaria. Hactenus Arriaga.

181. & per consequens neque ad jurisdictionem ad absolvendum à peccatis.

Sed contrà Primò: quid si aliquis in infantia ordinaretur Episcopus, putas quòd non validè consecraret Sacerdotes, si postea, ignorans se Episcopum consecratum, vellet facere quantùm in se est, & proferret verba supra debitam materiam? Et tamen, secundùm Arriagam, antequam quis acceptet Episcopatum, non est verus Episcopus, defectu utique jurisdictionis, ad quam requiritur acceptatio; ergo non valet argumentum à potestate Ordinis Sacerdotalis, ad potestatem delegatam jurisdictionis.

182. Contra arguitur primò.

Quantùm ad potestatem baptizandi, quam habet gentilis, eam optimè novit Ecclesia, & ab Ecclesia acceptata fuit, quando acceptatum fuit Sacramentum Baptismi, quæ notitia & acceptatio sufficit ad illam potestatem; sicuti quando privilegium aliquod conceditur Communitati, non est necessarium; quòd omnes in particulari illud sciant & acceptent, sed sufficit quòd Prælatus nomine omnium, vel ipsa Communitas acceptet. Veluti dum una Religio acceptat aliquod privilegium, hoc ipso aliæ omnes eodem gaudent per communicationem privilegiorum, estò ipsæ nihil sciant de hoc privilegio; quippe acceptando communicationem privilegiorum, implicitè acceptarunt omnia privilegia concessa & concedenda.

183. Arguitur 2. Ut omnes Religiosi acquirant privilegium sufficit, quòd Prælatus nomine omnium vel ipsa Communitas acceptet.

Consimiliter dico, si Ecclesia generaliter statueret, ut omnes Sacerdotes absolverent, sicut

sicut à peccatis venialibus, ita etiam à mortalibus, hoc ipso, quod illud statutum foret sufficienter promulgatum & acceptatum à Communitate Sacerdotum, omnes in particulari haberent illam potestatem, estò aliqui nihil scirent de illo statuto.

184. Objectio. Dices cum Arriaga suprà n. 39. in præsenti casu non facilè ostendi potest, cur non sit verum illud; sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita particulare ad particulare, seu, sicut se habet notitia in genere ad acceptationem in genere, ita notitia hujus ad acceptationem hujus. Ergo acceptatio totius Ordinis impertinens est, ut hic vel ille in particulari habeat tale privilegium.

Solutio. Respondeo; acceptatio totius Ordinis vel nihil operatur, vel operatur in omnibus ejus membris, cùm totus Ordo nihil aliud sit, quàm omnia ejus membra; vel ergo per illam acceptationem Ordo non acquirit aliquod privilegium, vel omnes in particulari acquirunt. Sicut se ergo habet notitia in genere ad acceptationem in genere, ita notitia hujus ad acceptationem hujus, id est, ut hic in propria persona acceptet, etiam in propria persona debet cognoscere; sed probandum est, quòd requiratur acceptatio in propria persona, per consequens cognitio.

Sufficit ad acquirendam jurisdictionem delegatam notitia in genere, & per consequens acceptatio in genere. Dico ergo, sufficere ad acquirendam jurisdictionem delegatam notitia in genere, & per consequens acceptatio in genere; sicuti ad obligationem legis non requiritur notitia uniuscujusque in particulari, sed sufficit notitia in genere, sive notitia Communitatis.

185. Non repugnat dispensationem voti fieri me invito. Venio ad dispensationem seu relaxationem voti, & dico; absolutè quidem non repugnare, dispensationem seu relaxationem voti fieri me invito; hæc enim nihil aliud est, quàm condonatio juris, quod Deus acceperat ex meo voto: sicut ergò si primò Deus non acceptasset votum, nulla fuisset orta obligatio ex tali voto, ita non mirum, si condonando jus suum, sive, ùt sic loquar, annihilando suam acceptationem, velit nolit vovens liberetur ab obligatione voti.

Legislator potest tollere legem invitâ Communitate. Patet in simili: Legislator potest, etiam absque ullo signo sensibili, revocare legem pro tota Communitate, ipsâ nihil prorsus sciente; immo contradicente, quia sicut absque Legislatoris voluntate non potest induci obligatio, ita neque potest obligatio perseverare, quia *Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur* cap. 1. de Reg. Juris. præsertim cùm per illam revocationem nihil novi acquiratur Communitati; sed solùm restituatur illi, quod ex natura rei secluså lege illi conveniebat, scilicet libertas ab onere legis.

Cap. 1. de Reg. Juris.

186. Per dispensationem voti nihil novi acquiritur, Et consimiliter per dispensationem seu relaxationem voti nihil novi acquiritur Communitati, sed solùm restituitur, quod ex natura rei secluso voto inerat, scilicet libertas ab obligatione voti. Item per ablationem reservationis peccatorum nihil novi confertur Confessario, sed solùm restituitur, quod priùs secluså reservatione infuit, scilicet jurisdictio absolvendi ab illis peccatis. Quid ergo miramur, si hoc possit fieri absque notitia & acceptatione Confessarii?

At verò delegatio jurisdictionis est concessio ejus, quod anteà nunquam infuit, & ideo requirit notitiam & acceptationem Sacerdotis, ut primò illam jurisdictionem acquirat, notitiam, inquam, & acceptationem per se, vel per alium, explicitam vel implicitam, distinctam vel confusam.

Præterea, estò dispensare possit Pontifex me invito, nonne censetur communiter sic dispensare? Nonne solet invitis conferre privilegia, gratias &c.? Clarùm est, quòd non, juxta Reg. juris. 69. ff. de diversis Reg. juris. *Invito beneficium non datur.* Nec expedit bono communi, ut detur; abundè quippe satisfit necessitatibus subditorum, quando volenti & acceptanti conceditur, nisi fortè per accidens in particulari casu plùs aliquid requireretur.

Arriagà.

Fatetur Arriaga suprà, posse delegantem ita concedere eam facultatem, ut nolit eam valere, nisi postquam Confessarius eam scierit, id verò de facto ita fieri, non video, inquit, unde possit probari.

188. Non est mens delegantis jurisdictionem, ut priùs actus possit fieri validè, quàm licitè. Vasquez, Suarez. Sed quid mirum si non videas, qui claudis oculos? Aperi oculos, & videbis, quid dicat Vasquez suprà cum Suario lib. 8. de ll. c. 25. n. 25. & 26. videlicet, non esse mentem concedentis privilegium, per consequens delegantis jurisdictionem, ut priùs actus possit fieri validè, quàm licitè. Cùm ergo licitè non possit fieri absque scientia seu notitia delegantis, ùt fatetur ipse Arriaga suprà, neque poterit fieri validè secundùm præfatos Auctores.

Non valet Matrimonium contractum ex dispensatione, ante notitiam ejus & acceptationem, saltem per Procuratorem, Et licèt Aliqui sint, qui contrarium censeant, ùt superiùs insinuavi, ferè tamen Omnes docent, non valere; v. g. Matrimonium, contractum in virtute dispensationis Pontificiæ, ante notitiam ejus & acceptationem, saltem per Procuratorem, cùm ante hujusmodi acceptationem Pontifex non censeatur velle dispensare; quàmvis enim acceptatio non sit de essentia dispensationis, est nihilominus de decentia (ut sic dicam) quia non expedit Principem relaxare jura, nisi ad supplicationem & instantiam indigentium, & ideo ordinario jure non aliter fit. Ita Suarez suprà n. 24. Ergo consimiliter, dicet aliquis, tametsi acceptatio non sit de essentia delegationis, est nihilominus de decentia, quia per se non expedit, ita delegare jurisdictionem, ut priùs actus possit fieri validè, quàm licitè, & ideo ordinario jure taliter non fit delegatio.

Vasquez.

Delegatio jurisdictionis est concessio ejus, quod antea numquam infuit.

187. Pontifex non solet dispensare cum invitis, aut nolentibus privilegia concedere. *Reg 69 ff. de diversit Reg. Jur.*

novi acquiritur,

ùti nec per ablationem reservationis.

189. Objicitur l. 2. ff. de Judiciis. Sed contrà; leg. 2. §. 1. ff. de Iudiciis, ignorans habet exercitium jurisdictionis prorogatæ. Hæc sunt verba legis: *Convenire autem utrùm inter privatos sufficiat, an verò etiam ipsius Prætoris consensus necessarius est? Lex Iulia judiciorum ait:* Quò minùs inter privatos conveniat. *Sufficit ergo privatorum consensus. Proinde si privati consentiant, Prætor autem ignoret consentire, & putet suam jurisdictionem: an legi satisfactum sit, videndum est; & puto posse defendi ejus esse jurisdictionem.*

Responsio. Respondeo; jurisdictionem prorogatam eandem esse in substantia cum jurisdictione principali, & ideo sufficere scientiam circa jurisdictionem principalem, juxta Reg. juris 42. de Reg. juris in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Quæ Regula non habet locum in nostro casu, ut patet.

190. Alia objectio ex Authent. de Nuptiis Coll. 4. c. 2. Objicitur etiam Authent. de Nuptiis coll. 4. c. 2. ubi comparatur voluntas Principis, voluntati testatoris, ibi: *Disponat itaque unusquisque super suis, ut dignum est: & sit lex, eius voluntas: sicut & antiquissima nobis lex & prima penè Reipublicæ Romanorum* &c. Porrò per voluntatem testatoris acquiritur legatum ignoranti, leg. *Cùm Pater.* 77. ff. de Legat. 2. ibi: *Surdo & muto, qui legatum accipit, ut cùm moritur, restituat, rectè mandatur. Nam & ignorantes adstringuntur fidei commisso, quibus ignorantibus emolumentum ex testamento quæritur.*

l. 77. ff. de Legat.

l. 41. ff. Si certum petatur. Et leg. *Ejus qui in Provincia.* 41. §. fin. ff. Si certum petatur, ubi libertas, per testatorem concessa, acquiritur ignoranti, ibi: *Quòd si proponatur, cohæredes ejus id ignorasse, quòd fortè ipsi quoque ex necessariis fuerint: potest adhuc idem responderi. Quo quidem casu illud eventurum, ut, si suæ conditionis cohæredes iste servus habeat, invicem bonâ fide servire videantur.*

191. Solutio. Respondeo; non esse necessarium, æquiparationem fieri in omnibus: quod enim in omnibus est simile, non simile, sed idem omnino dicitur. Æquiparatio autem in hoc tenet, quòd utraque voluntas servanda est tamquam lex; voluntas Principis tamquam lex generalis, testatoris autem, tamquam lex privata. Cæterùm favore ultimæ voluntatis specialiter statutum est, ut legatum acquiratur ignoranti, & favore liberationis deportati ordinatum est, ut libertas per testatorem concessa, ignoranti obveniat: in quo est disparitas inter voluntatem Principis, & voluntatem testatoris.

Quòd legatum vel libertas per testamentum acquiratur ignoranti, juris positivi est. Iuris ergo positivi est, quòd legatum, vel libertas per testamentum acquiratur ignoranti, quod non est extendendum ad privilegia, quandoquidem illa possint revocari ante acceptationem; legatum autem non, defectu voluntatis testatoris: unde etiam hæ Constitutiones non extenduntur ad alias donationes inter vivos, ac proinde nec ad delegationem jurisdictionis, de qua impræsentiarùm tractamus, cùm indubiè possit ante acceptationem revocari.

Et verò ut nulla requireretur acceptatio ad validam delegationem jurisdictionis, & per consequens ad validam Absolutionem, num ideo Conclusio falsa? Non puto, nisi dixeris, absque ullo signo sensibili validè posse delegari hanc jurisdictionem. Alioquin si requiritur signum sensibile (sicut reverà requiritur, cùm sit actus communicationis humanæ) ad quid nisi in ordine ad notitiam delegati? Vel ergo ut valeat Absolutio, debet præcedere aliqua notitia delegationis, vel nullum debet præcedere signum sensibile delegationis, sed sufficit mera interna voluntas delegantis; quod an sit probabile, tu videris.

192. Ad delegationem jurisdictionis requiritur signum sensibile.

Quid igitur, si quis oblitus fuerit delegationis sibi factæ, absolvit interim, & vult facere totum quod potest? Vel errat in titulo, quo eam habet; estò reverà eam habeat, sed alio titulo?

193. An qui oblitus foret delegationis sibi factæ posset validè absolvere. Affirmat Lugo & probat exemplo morali.

Respondet Lugo disp. 19. n. 18. Absolutionem esse validam. Probat exemplo morali; nam si dones, inquit, domum tuam Petro, quam putabas te possidere titulo emptionis, & postea invenias titulum illum fuisse falsum, & venditionem fuisse invalidam; sed tamen aliunde invenis pertinuisse ad te titulo legati, quem titulum priùs ignoraveras, reverà donatio tua valida fuit; quia habuisti animum donandi, & transferendi totum jus, quod habebas.

Similiter ergo Confessarius, qui habet animum absolvendi in quantum potest, & meliori modo quo potest, validè absolvit; licèt ipse ignoret verum titulum suæ potestatis, si tamen reverà habet illam ex aliquo vero titulo. Hæc ille. Existimans doctrinam Sanchez, suprà relatam, formaliter loquendo veram esse, hoc est, si aliquis putet se non habere jurisdictionem, actum non esse validum: quia non videtur habere intentionem validè absolvendi, qui putat se non posse validè absolvere.

194. Potest quis validè contrahere Matrimonium, tametsi putet subesse impedimentum dirimens.

Sed contrà: qui putat se non posse validè absolvere, potest tamen velle facere totum, quod potest; sicuti qui putat se non posse validè contrahere Matrimonium, propter impedimentum aliquod dirimens, potest nihilominùs velle contrahere quantùm potest, dicendo: *Valeat quantùm valere potest,* & tali casu quid ni Matrimonium valeret, si reverà nullum subesset impedimentum? Licèt enim speculativè erret, ut sic dicam, & absolutè ignoret valorem Matrimonii, equidem scit posse fieri, ut nullum subsit impedimentum, & per consequens fieri posse, ut valeat; adeòque ille error speculativus non impedit valorem contractûs, cùm adsit verus practicus consensus conditionalis; & cùm conditio subsistat, quid ni valeat contractus?

Similiter ergo in præsenti, tametsi Sacerdos putet se nullam habere jurisdictionem, & ideo

ideo non possit absolutè velle absolvere, tamen quia scit fieri posse, ut habeat jurisdictionem, potest velle facere totum quod potest, adeoque velle absolvere, casu quo habeat jurisdictionem; cur ergo non valeat Absolutio, si conditio subsistat? Non enim est error practicus, sed tantùm speculativus, qui non impedit valorem actuum humanorum.

195. Error intitulo non invalidat Absolutionem. Ex quo patet verum esse, quod suprà ait Eminent. errorem in titulo non invalidare Absolutionem, si tamen reverà habeat jurisdictionem ex aliquo vero titulo, & velit facere totum, quod potest.

Obiectio. Si inferas; ergo ut Absolutio valeat, non requiritur aliqua notitia delegationis, quod est oppositum nostræ Conclusionis.

Solvitur. Negatur Conseq. quia illum verum titulum non potest habere, nisi habuerit aliquam notitiam explicitam vel implicitam, confusam vel distinctam, per se vel saltem per alium, estò hìc & nunc illum titulum ignoret. Manet ergo Conclusio vera; videlicet, ut valeat Absolutio, debet delegatus habere vel aliquando habuisse notitiam delegationis, per se quidem, quando ipsimet in propria persona facta est; per alium autem, quando suo Procuratori facta est, aut Communitati, cujus ipse est membrum.

An delegatio semel facta sit perpetua. Quia autem aliquis dubitare posset, an delegatio semel facta, sive à Pontifice, sive ab Episcopo, aut Parocho, sit perpetua, hinc pro resolutione subscribo sequentem Conclusionem.

CONCLUSIO VIII.

Confessione nondum inchoatâ, expirat delegatio tempore & revocatione; secùs morte delegantis: si fuerit inchoata, nequidem expirat tempore aut revocatione.

196. Distinctio inter privilegium contentiosum, ambitiosum & merè gratiosum. PRæmitto distinctionem inter privilegium contentiosum, quod conceditur ad lites; ambitiosum, quo datur potestas disponendi de officiis, vel beneficiis Ecclesiasticis, aut aliàs committitur potestas regiminis externi; & privilegium merè gratiosum.

Distinctio inter privilegium conventionale, remunerativum & merè gratuitum. Præmitto secundò distinctionem inter privilegium conventionale, quod datur ex justitia per contractum onerosum seu lucrativum; privilegium remunerativum, quod datum est ex gratitudine, intuitu præteriti vel futuri laboris; & privilegium gratis omnino subdito concessum.

Delegatio Præmitto tertiò; delegationem, de qua loquitur Conclusio, esse privilegium merè gratiosum, utpote concessum in merum favorem animarum; est quippe concessio potestatis absolvendi à peccatis. Atque hæc solet fieri omninò gratis, quàmvis subinde etiam fiat ex gratitudine intuitu præteriti vel futuri laboris, ut factam putamus Ordinibus Mendicantibus.

potestatis absolvendi, solet fieri omnino gratis.

Præmitto quartò; hanc delegationem, uti & alias gratias dupliciter posse fieri, primò absolutè; secundò cum limitatione, ut ad beneplacitum concedentis, donec seu quamdiu voluerit, aut donec revocaverit, vel ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, aut alterius dignitatis. Subinde etiam ad certum aliquod tempus, putà ad mensem, ad annum &c.

197. Hæc delegatio fieri potest vel absolutè vel cum aliqua limitatione, ut ad beneplacitum concedentis, aut ad certum aliquod tempus, vel ad certum pœnitentem aut peccatum.

Præmitto V. potestatem absolvendi aliquando concedi Confessario generaliter absque limitatione alicujus pœnitentis aut peccati; aliquando cum designatione certi pœnitentis aut casûs. Subinde etiam conceditur potestas delegata ipsi pœnitenti, ut sic loquar, id est, datur facultas pœnitenti, ut possit eligere Confessarium, quo casu non ipse pœnitens dat jurisdictionem Confessario, quem eligit, sed designatione seu electione factâ per pœnitentem, ille qui facultatem eligendi Confessorem concessit, jurisdictionem illi præbet.

Aliquando fit ipsi pœnitenti.

Et quidem per priorem facultatem fit directè favor Sacerdoti; ex eaque redundat in pœnitentem facultas confitendi tali Confessori: per posteriorem autem directè fit favor & gratia ipsi pœnitenti; ex eaque redundat in Confessorem potestas absolvendi hunc pœnitentem. His præmissis.

198. Probatur 1 pars Conclus. Prima pars Conclusionis est certa, quoniam gratia vel facultas non excedit voluntatem concedentis, nec voluntas operatur ampliùs, quàm per verba explicetur: si ergo delegatio tantùm facta fuerit usque ad certum tempus, v. g. mensem vel annum, eo finito, extinguitur; quia pro toto sequenti tempore facta non est.

Sicuti si delegatio facta fuisset ad actum limitatum, v. g. ad unam Absolutionem, vel ad materiam determinatam, v. g. ad peccatum fornicationis aut adulterii, vel ad determinatas personas, v. g. Petrum & Paulum, ultra illum actum, ultra illa peccata, ultra illas personas non extenditur propter rationem factam, quæ eodem modo locum habet in determinato tempore.

199. Quando cesset delegatio, facta absque temporis limitatione. Sin autem delegatio facta fuerit indefinitè absque temporis limitatione, procul dubio tamdiu durat jurisdictio delegata, quamdiu vivit is, qui delegavit, & is, cui jurisdictio delegata fuit, nisi interea expressè revocetur, vel ab ipso delegante, vel ab ejus Superiore. Ratio est clara; quia licèt in suo conservari non dependeat ex actuali influxu, & con-

& continua voluntate ipsius delegantis physicè, ut sic dicam, dependet tamen ex voluntate semel habita, moraliter permanente: censetur autem moraliter permanere, quamdiu non retractatur; & moraliter cessare, quando revocatur.

Posse eam revocari docet praxis Ecclesiæ.

Posse autem revocari, docet communis praxis Ecclesiæ, quæ etiam aliquando revocat jurisdictionem ordinariam, quantò magis poterit revocare jurisdictionem tantùm delegatam? Planè convenit, ut Ecclesia id possit facere, ad conservandam debitam subordinationem, & avertendam confusionem Ecclesiasticæ Hierarchiæ.

200. Suppono autem, ùt suprà præmisi, ordinariè hanc delegationem fieri omnino gratis, absque titulo justitiæ aut gratitudinis. Nam si titulo justitiæ vel gratitudinis facta fuisset, dubitari posset, an sinè causa posset revocari. Docet quippe Suarius lib. 8. deleg. c. 37. n. 5. privilegium, quod datur per contractum onerosum seu lucrativum, non posse sinè necessitate boni communis, aut aliâ urgente causâ validè revocari: quia Princeps tenetur servare pacta, etiam cum subditis facta, quia hæc obligatio nascitur ex naturali justitia, quæ etiam Principem obligat, ùt per se clarum est. Itaque non nisi in casu, in quo posset Princeps privare subditum rebus suis, etiam poterit revocare hujusmodi privilegium.

An facta titulo justitiæ vel gratitudinis possit revocari sinè causa. Suarez.

201. Idem docet hic Auctor n. 6. de privilegio remunerativo. Et ratio, inquit, est; quia remuneratio continet universalem contractum, nam quod in remunerationem datur, non censetur gratis dari. Item, quod datur cum onere & obligatione in futurum, revocari non potest, impletâ conditione; ergo idem est, quando aliquid datur in remunerationem præteriti laboris.

Remuneratio continet universalem contractum

Estque hæc pars longè certior, quando remuneratio est ex debito justitiæ; quando verò est tantùm ex gratitudine, potest pati dubitationem; quia sola ratio gratitudinis non sufficit ad proprium & rigorosum contractum. Nihilominùs tamen privilegium remunerativum est per se irrevocabile, quia ipsa ratio remunerationis hoc includit, idemque postulat ratio gratitudinis, nisi remuneratio excessiva sit. Hucusque Suarius.

Privilegium remunerativum est per se irrevocabile.

202. Idem docet n. 7. de privilegio gratis omnino concesso subdito, quod consistit in absoluta donatione cum translatione dominii alicujus rei vel juris, ùt cùm conceditur castrum, vel jus vectigalium, aut alterius tributi aut servitutis. Ratio est, quia non potest Princeps suo arbitrio & voluntate rem à subdito tollere, cujus verum dominium habet, seu jus in eam acquisitum: quia etiam Princeps tenetur justitiam servare, ut non auferat rem invito domino rationabiliter. Ita Suarius.

Itemque privilegium gratis concessum subdito, quod consistit in absoluta donatione cum translatione dominii alicujus rei vel juris.

203. Quod ergo privilegium potest Princeps revocare? Privilegium consistens tantùm in facultate & licentia operandi aliquid præter vel contra commune jus. Et ratio est; quia hoc privilegium non transit in dominium subditi, & ita semper pendet ex voluntate Principis; per illam ergo potest revocari. Item; quia licèt Superior auferat præceptum, potest iterum illud ponere, sicut è converso potest auferre præceptum, quod antea posuit; ergo eâdem ratione potest liberè revocare hujusmodi privilegium: quia hæc revocatio nihil aliud est, quàm iterata impositio virtualis præcepti priùs sublati, vel virtualis prohibitio ejus, quod antea concedebatur.

Quod privilegium possit Princeps revocare.

Unde hoc modo potest etiam Papa revocare dispensationem, v. g. in Matrimonio, priusquam Matrimonium fiat, quia potest impedimentum sublatum restituere; non potest autem revocare dispensationem factam in voto, quia non potest vinculum voti reparare aut præcipere. Hucusque Suarius. Applica delegationi jurisdictionis, seu delegatæ jurisdictioni, & noli dubitare de veritate secundæ partis Conclusionis.

Papa potest revocare dispensationem in Matrimonio, secùs in voto.

204. Transeo ad tertiam partem, in qua quæritur; an per censuras, aut per mortem delegantis, cesset delegatio; & resolvitur, quòd non. Intellige autem delegationem absolutè concessam, qualis non est, si dicatur: *Poteris absolvere ad beneplacitum meum*; *Donec*, seu, *quamdiu voluero*: secùs si dicatur: *Donec revocavero*, vel, *Ad beneplacitum Sedis*.

Sic ergo intellecta Conclusio, probatur ex jure Canonico cap. *Si super gratia* 9. de Offic. delegati in 6. sequentis tenoris: *Si super gratia cuiquam ab Apostolica Sede facta executores fuerint deputati: æquum esse censemus, ut sicut ipsa gratia (licet nondum sit in ejus executione processum) morte non perimitur concedentis, sic nec etiam re integrâ permaneat executoribus data potestas: quam veluti gratiæ prædictæ accessoriam naturam sequi congruit principalis.* Rationem attexit Pontifex: *Ne gratiam eandem vel reddi quandoque omnino inutilem, vel ipsius effectum in tempus longius (cum illius dispendio, cui facta extitit) differri contingat.*

Probatur 1. pars Concl. ex cap. 9. de Offic. deleg. in 6.

205. Quis autem dubitet delegationem nostram, id est, concessionem potestatis absolvendi à peccatis, esse gratiam? Immo meram gratiam, cùm illa potestas cedat in merum favorem animarum? Ergo morte delegantis, sive is sit Pontifex, sive Episcopus, sive Parochus, non perimitur, licèt nondum sit in ejus executione processum, id est, etiam Confessione nondum inchoatâ.

Absoluta concessio potestatis absolvendi à peccatis non expirat morte concedentis.

Si non perimitur morte, neque censuris; cùm per mortem naturalem, si non magis, æqualiter amittatur jurisdictio ordinaria; si ergo

Neque censuris.

ergo potest manere jurisdictio delegata, quando per mortem amittitur jurisdictio ordinaria, à qua proveniebat jurisdictio delegata; cur similiter non possit manere, quando amittitur jurisdictio ordinaria, aut, melius, impeditur usus ejus per censuras, delegationem subsequentes? Nulla est ratio disparitatis.

Dixi; *Sive is sit Pontifex, sive Episcopus, sive Parochus*; quia non apparet major ratio de uno, quàm de alio. Loquitur quidem jus præallegatum de Pontifice, sed exempli gratiâ, non restringendi causâ; unde ratio generalis est: *Ne gratiam eandem vel reddi quandoque omnino inutilem.* &c.

206. Pontifex potest delegare potestatem absolvendi in perpetuum.

Herculè Pontificem posse concedere seu delegare potestatem absolvendi in perpetuum, nemo est qui dubitat, & satis patet ex usu: nam privilegia Mendicantium sunt perpetua, estò non nisi delegatam contineant jurisdictionem.

Potestas Inquisitorum Fidei non expiramorte concedentis.

Consimiliter Inquisitoribus in negotio Fidei concessum est, ut eorum potestas non expiret morte concedentis: etiam causâ nondum inchoatâ cap. *Ne aliqui.* 16. de Hæret. in 6. ubi sic scribit Clemens IV. Inquisitoribus hæreticæ prævitatis: *Ne aliqui dubitationem solicitam excitantes in dubium revocent, an officium inquisitionis hæreticæ pravitatis solicitudini vestræ infra certos limites ab Apostolicâ Sede commissum, expiret per mortem Rom. Pontif. qui commisit: Præsenti declaramus Edicto, ipsum officium, non solùm quoad negotia vivente mandatore incepta, immo etiam quoad integra & non cœpta, & quod plus est, quantum ad ea, quæ tunc nequaquam emerserant, in favorem Fidei post committentis obitum perdurare.*

Quid ni idem dicamus in favorem animarum pro foro Pœnitentiæ? Cùm enim de eo nihil in speciali constitutum sit, optimè facimus utendo similitudine rationis; argum. leg. 13. ff. de Leg. *Nam, ut ait Pedius, quotiens lege aliquid unum vel alterum introductum est: bona occasio est, cætera quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione vel certè jurisdictione suppleri.* Itaque quod in favorem Fidei ibi Pontifex statuit; meritò in favorem & æternam salutem pœnitentis, unicum finem jurisdictionis delegatæ in foro Pœnitentiæ, constitutum intelligimus.

l. 13. ff. de Leg.

207. An Episcopi & alii Prælati inferiores possint delegare potestatem absolvendi in perpetuum.

Nihilominus Quidam dubitant, an idem sit dicendum de Episcopis & aliis inferioribus Prælatis, aut etiam Parochis; quoniam cùm ad ipsos non pertineat applicare materiam Confessario, sed ex materia sibi applicata committere; ideo tamdiu etiam committere possunt, quamdiu hæc materia est sub eorum potestate; hoc est, quamdiu vixerint, ex natura jurisdictionis competit ipsis ut concedere possint ovem suam alteri curandam, aut ovi ut ab alio, quem elegerit, curetur.

Sed Pontifici cùm competat dividere, & applicare, perpetuò etiam, materiam Sacerdotum potestati judiciariæ, poterit concedere hanc licentiam perpetuam & pœnitentibus, & Confessariis etiam; ut reverà concessa est. Ita Vasq. q. 93. a. 2. dub. 2. ubi docet hanc sententiam post Paludanum, Antoninum & Alios.

Vasquez. Paludanus. Antoninus.

Sed probabilior & communior sententia est, non expirare eam facultatem, etiam ab inferioribus Prælatis collatam; argum. cap. *Si super gratia*, superiùs allegato, quod, sicuti notavi ibidem, estò expressè solùm loquatur de gratiis Pontificiis, tamen non excludit gratias Episcopales & aliorum Prælatorum; neque Parochorum; & cùm alibi de his nihil specialiter constitutum sit, prudenter facimus, utendo similitudine rationis.

Communior sententia affirmat.

208. Respondetur ad argumentum Vasquez in contrarium.

Porrò ad dissimilitudinem, à Vasquez oppositam, Respondeo; sicuti Pontifex, quà Pastor universalis potest dividere & applicare materiam, vel, si ita vèlimus loqui, potest ex materia sibi per Christum applicata, committere perpetuò huic vel illi Confessario; ita etiam Episcopus ex materia sibi applicata per Pontificem, potest committere perpetuò huic vel illi Confessario, vel, si ita placeat loqui; potest applicare materiam prius sibi applicatam, & eam dividere, delegando diversis Confessariis potestatem absolvendi hos vèl illos subditos.

Sanè, non aliam video differentiam, nisi quòd Pontifex, sicut dixi, sit Pastor universalis, & suam potestatem immediatè habeat à Christo; Episcopus autem Pastor particularis Ecclesiæ, & suam potestatem immediatè habeat à Pontifice; nisi ergo Pontifex limitaverit ejus potestatem in hoc casu (quod non) nescio quare minùs Episcopus possit committere suas oves curandas, etiam post suam mortem, quàm Pontifex. Et idem dico de aliis Prælatis inferioribus, immo & de Parochò.

209. Occurritur objectioni Suarez.

Neque in hoc, inquit Suarius Disput. 26. Sect. 3. n. 9. aliquid facient, quod deroget juri suorum successorum: quia satis illis est, quòd possint has concessiones revocare; & quamdiu non revocant, videntur tacitè eas admittere. Et aliunde multa incommoda sequi possent, si per mortem Episcopi ipso facto cessaret tota hæc jurisdictio delegata in toto Episcopatu: nam indè moraliter sequeretur, ut multæ fierent Confessiones invalidæ & sinè jurisdictione, interim dum Episcopi mors omnibus innotescit. Hæc ille.

Sed ad ultimum facilè responderi posset; Ecclesiam supplere jurisdictionem in singulis actibus, propter titulum coloratum cum errore communi, donec mors omnibus sufficienter innotèscat.

210. Probatur ex consuetudine. Suarez.

Quidquid ergo sit de hoc incommodo, sufficiat jus commune, quod interpretatur consuetudo etiam de Episcopis, ut significat Suarez sup. n. 10. dicens: Atque hinc fortasse (quod me maximè movet) videtur consuetudine receptum, ut mortuo Episcopo, hæc jurisdictio durare censeatur, donec à Capitulo vel successore revocetur. Atque ita existimo posse in praxi securè observari, sive hoc sit, quia delegatio Episcopi, ut ab ipso facta est, durat; sive quia per tacitam concessionem Capituli vel successoris continuatur, quod ad rem moralem parùm refert.

Quate ex. privet jurisdictio Vicarii mortu Episcopi. cap. 2. de Consuet. in 6.

Unde etiam constat, idem esse dicendum quâcumque ratione Episcopus privetur Episcopatu, sive deponatur, sive ipse cedat aut renuntiet, sive aliò transferatur: nam quantùm ad præsens attinet, eadem est ratio in omnibus his casibus, illa enim diversitas materialis est; formale autem est, quòd suam jurisdictionem amittat. Hactenus Suarius de Episcopo.

211. Quid dicendum de Parocho.

De Parocho autem, qui delegavit jurisdictionem suam, assumendo aliquem in Vicarium seu coadjutorem suum, propriâ tantùm auctoritate, absque approbatione seu confirmatione Episcopi, censet n. 12. consulendam esse consuetudinem: nam, inquit, videtur hoc pendere ex voluntate Episcoporum tacitâ vel expressâ.

Pendet hoc omninò ex voluntate Episcoporum, sicuti illud à voluntate Pontificis; unde utrobique consulenda est consuetudo, aut certè consulendum jus commune, prout consuetudo illud interpretatur: videmus autem Pœnitentiarios ab Episcopis constitutos, & Vicarios à Pastoribus nominatos, iis defunctis, pergere in audiendis Confessionibus, donec à successore facultas, seu delegatio semel facta revocetur.

Et idem cernitur in Religiosis, delegatis à suis Prælatis ad audiendas Confessiones, vel ad absolvendum à casibus reservatis; perseverant quippe in suo munere & exercitio, cessante Prælato Regulari à suo officio, donec licentia priùs data à successore revocetur. Quamquam apud nos, ad majorem securitatem, Prælati successores soleant de novo concedere potestatem absolvendi à casibus reservatis.

212. Objectio.

At enim, dicet aliquis; jurisdictio ordinaria, quam habet Vicarius Episcopi, expirat morte Episcopi, quoniam ab ejus jurisdictione participata; ergo similiter jurisdictio delegata Pœnitentiarii.

Solvitur.

Resp. Neg. Conseq. quippe non ideo expirat jurisdictio Vicarii, quia participata ab Episcopi jurisdictione; sed quia una & eadem cum Episcopi jurisdictione, sive quia Vicarius facit unum & idem tribunal cum Episcopo, ita quòd à Vicario non detur appellatio ad Episcopum; argum. cap. 2. de Consuet. in 6. *Non putamus illam consuetudinem, quantocumque tempore de facto servatam, consonam rationi, quòd ab Officiali Episcopi, ad eundem Episcopum valeat appellari: ne ab eodem ad seipsum (cum sit idem auditorium utriusque) appellatio interposita videatur.* Ubi Glossa verb. *Officiali. Generali scilicet* (qualis est Vicarius Episcopi) *secùs autem si delegatus esset ad causam specialem.* Unde etiam expirat ejus potestas, tametsi causa non sit integra.

A delegato datur appellatio ad delegantem. cap. 3. de Offic. deleg. in 6.

At verò à delegato datur appellatio ad delegantem, quia habent tribunalia omninò distincta; argum. cap. 3. de Offic. deleg. in 6. *Si duo ex tribus à Sede Apostolica delegatis, duobus aliis non in totum subdelegaverint vices suas, ipsique subdelegati, cum delegato tertio, in causa processerint delegata: si appellatur ab ipsis, non ad condelegatos, sed ad primum delegantem tantummodo appellari debebit.*

213. Non expirat jurisdictio delegata morte delegantis re non integrâ, etiam in foro contentioso. cap. 19. de Offic. deleg. cap. 20. ead.

Unde passim Omnes docent, non expirare jurisdictionem delegatam morte delegantis, re non integrâ, non solùm in foro Pœnitentiæ, sed etiam in foro contentioso; argum. cap *Relatum* 19. de Offic. deleg. ibi: *Nos itaque consultationi vestræ respondemus, quòd si lis fuerit ante prædecessoris nostri obitum contestata, mandatum morte mandatoris nullatenus expiravit.*

Item cap. *Gratum* 20. eodem ibi: *Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd cùm in causa priori citatione factâ, negotium sit quasi cœptum: & maximè si delegatus non sit certus de obitu delegantis, potest & debet in causa procedi: tenebitq; quod justitiâ fuerit prævia definitum.*

Accedat cap. *Licet* 30. eodem ibi: *Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd si jurisdictione à suo sibi collega delegatâ, eo vivente uti non cœperit: quia mandatum hujusmodi re integrâ morte mandatoris expiravit, non habet solus officium judicandi: si verò ante mortem illius, jurisdictione uti cœperit taliter demandatâ, vices suas & illius poterit adimplere.* Videsne jurisdictionem delegatam, etiam concessam ad lites, sive in foro contentioso, minimè expirare morte delegantis re inchoatâ, seu non integrâ?

cap. 30. ead.

214. Quid si res sit integra? Expirare probatur ex Jure Canonico, cap. 36. de Præb. in 6.

Video, inquis; sed etiam video expirare re integrâ, ùt claris verbis exprimitur in posteriori capite; similiter in cap. *Relatum*, ibi: *Si verò ante litis contestationem decessit, non est à Judicibus, quos delegaverat, ex delegatione hujusmodi procedendum.* Et cap. 36. de Præbendis in 6. *Si cui* (*nullâ personarum factâ expressione*) *sit gratiosè concessa facultas, ut auctoritate Apostolicâ possit aliquibus personis idoneis in certa Ecclesia providere, vel beneficia* (*quorum collatio est ad Sedem Apostolicam legitimè devoluta*) *conferre, contradictores eâdem auctoritate, per censuram Ecclesiasticam compescendo: hujusmodi concessio*

concessio (quam cùm specialem gratiam continet, decet esse mansuram) non expirat etiam re integrâ per obitum concedentis: secùs si super provisione certæ personæ faciendâ sit data potestas, eidem non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur gratiam, vel favorem, illa quidem expirat omnino, si concedens re integrâ moriatur. Ergo similiter expirat delegatio jurisdictionis sacramentalis re integrâ, saltem quando foret data ob favorem alicujus certæ personæ.

215. Jure civili, l. 6. ff. de Iurisdict.

Consonat jus Civile leg. 6. ff. de Jurisdictione: *Et quia nec principaliter ei jurisdictio data est, nec ipsa lex defert, sed confirmat mandatam jurisdictionem: ideòque si is, qui mandavit jurisdictionem decesserit antequam res ab eo, cui mandata est jurisdictio, geri cœperit; solvi mandatum Labeo ait, sicut in reliquis causis.* Quæ lex loquitur generaliter de omni jurisdictione. Similiter loquitur lex 15. Cod. Mandati. *Mandatum re integrâ domini morte finitur.*

l. 15. Cod. Mandati.

Ratione.

Et ratio est; quia per delegationis actum non transfertur efficaciter jurisdictio in delegatum, donec eâ uti cœperit, ùt habetur cap. 6. de Offic. deleg. in 6. ibi: *Cùm jurisdictio (ex quo ipsâ usus non extitit) non censeatur in eum efficaciter transivisse.* Cùm ergo delegatio adhuc sit penes delegantem, sicut per ejus mortem extinguitur sua jurisdictio, per consequens etiam extinguitur jurisdictio delegati.

216. Respondeo jus civile esto videatur loqui generaliter de omni jurisdictione, equidem cùm sit subordinatum juri Canonico, secundùm istud limitandum venit, & intelligendum de jurisdictione contentiosa, seu mandata vel delegata ad lites tractandas, de qua jurisdictione loquitur cap. *Relatum.* ùt patet ex ejus verbis suprà allegatis.

Respondeo jus civile intelligendum esse de jurisdictione contentiosa.

Item de jurisdictione in materia ambitiosa.

Item de jurisdictione in materia ambitiosa, ùt est collatio Officiorum, Beneficiorum &c. de qua materia agit cap. 36. de Præbendis in 6. suprà relatum, ùt omnibus manifestum est ex tenore verborum: quæ materia cùm odiosa sit, censetur stricti juris; argum. cap. *Si gratiosè.* de Rescriptis in 6. ibi: *Prætextu verò talis concessionis, quæ debet (cùm sit ambitiosa) restringi, ea solùm beneficia, quæ canonicè obtines, potes licitè retinere.*

Adeòque hoc ei speciale est, nec odium illud aut restrictio communicari debet materiæ favorabili seu meræ gratiæ, qualis est potestas delegata absolvendi; ùt proinde existimem, Absolutionem valere post mortem delegantis, quantumvis delegatio fuisset concessa cum designatione certæ personæ in ejus favorem (multò magis si nullâ personarum factâ expressione) & quamvis ante mortem non fuisset Confessio incepta.

Dico; *Multò magis* &c. quia tunc clariùs intelligitur, quomodo non sit gratia tantùm facienda, sed potiùs facta ipsis Sacerdotibus; utpote quæ in maximum eorum favorem redundat, & statim ac ipsis conceditur, est perfectè concessa, à nullâque executione dependens; quæ gratiæ factæ definitio est. Ità Sanchez lib. 8. de Matrim. Disp. 28. n. 72.

217. Potestas delegata Sacerdotibus absolvendi non est gratia facienda, sed facta.

Sanchez.

Qui tamen n. 73. docet, licentiam confessam Sacerdoti, audiendi Confessiones pœnitentis determinati, in illius pœnitentis favorem, expirare morte concedentis re integrâ, id est, quoad Confessionem nondum anteà cœptam; quia, inquit, cùm illa gratia sit in illius pœnitentis favorem, & nondum sit perfecta, sed per Confessarium exequenda, non habet gratiæ factæ rationem, sed faciendæ; quam morte concedentis re integrâ expiare, probat n. 64. ex solo cap. *Si cui nulla.* 36. de Præbendis in 6.

Sed ad hoc jam responsum est. Ac proinde in judicio Confessionis non est admittenda differentia inter facultatem datam pœnitenti ad assumendum talem Confessorem, vel datam Confessori ad audiendum talem pœnitentem in solum favorem pœnitentis. Ita docet Suarius lib. 8. de Leg. c. 31. n. 19. in fine: quia, inquit, illud judicium magis est gratiæ, quàm justitiæ, & ita jurisdictio in illo foro concessa per regulam gratiæ potiùs, quàm justitiæ metienda est.

218. In judicio Confessionis perindè est, an facultas sit data pœnitenti, an verò Confessario. *Suarez.*

Quæris à me, quæ sit illa regula gratiæ? Respondeo, gratia non perimitur morte concedentis, etiam re integrâ, cap. *Si super gratia.* suprà allegato.

Omnino, inquis, quando gratia facta est; jam autem licèt gratia sit facta, quando facultas data est pœnitenti, ad assumendum talem Confessarium, secùs tamen, quando data est facultas Confessario, ad audiendum talem pœnitentem in ipsius solius favorem.

219. Objectio.

Respondeo; etiam tunc facta est gratia, non solùm Confessori, qui nunc potest absolvere, quod antea non poterat, qui est favor ejus, licèt in favorem ejus talis potestas non sit concessa; sed etiam ipsi pœnitenti, qui nunc potest confiteri tali Confessario, quod antea non poterat, qui est favor ejus & magna gratia, quamvis ultimatus favor seu gratia, id est, ipsa Absolutio nondum sit facta.

Solvitur.

Sed neque hæc facta est, quando ipsi pœnitenti est concessa facultas eligendi Confessorem, & tamen secundùm communem sententiam non expirat morte concedentis, etiam re integrâ; cur ergo illa expiraret?

Non sit major aut alia gratia pœnitenti per unam concessionem, quàm per aliam.

Sanè non fit major aut alia gratia pœnitenti per unam concessionem, quàm per aliam, sola differentia est, quòd per unam concessionem fiat favor immediatè & directè ipsi pœnitenti, per aliam autem directè & immediatè Confessori, mediatè autem & indirectè ipsi pœnitenti. Quid hoc autem ad rem moralem? Planè nihil.

220. Replica.

Quin, replicas, multùm per omnem modum; nam illa licentia indirecta, ut sic loquar, non reputatur ùt aliquid existens in pœnitente, sed vel est sola permissio, ut Sacerdos possit circa ipsum operari, vel est quasi denominatio extrinseca, resultans ex potestate alteri concessa, quæ denominatio non potest durare, deficiente illâ potestate, nec potestas illa firmari potest ex illa denominatione, cùm ab illa potiùs resultet. Potestas autem ipsa sic concessa, etiamsi jam sit moraliter in eo, cui directè conceditur, non censetur privilegium ejus, nec gratia illi facta, cùm non sit data in favorem ejus, ideo per se non firmatur sinè aliquo usu, quia reputatur mandatum, & non gratia.

Responsio.

Respondeo, hæc esse speciosa verba; de re autem interrogo, quid si Sacerdoti delegetur potestas absolvendi sinè expressione alicujus personæ, non tamen in sui favorem, sed in favorem pœnitentium; num ideo non erit gratia ipsi facta, & per consequens num expirabit illa potestas morte concedentis re integrâ? Quid si pœnitenti detur facultas eligendi Confessorem vel determinatum, vel indeterminatum, non in favorem suum, sed in favorem Confessarii; num ideo hæc facultas non erit gratia facta pœnitenti, & per consequens, num ideo expirabit morte concedentis re integrâ?

221. Triplici modo potest fieri delegatio.

Quid si simpliciter delegetur potestas absolvendi certam personam, unde scire potero, quòd id fiat in favorem solius Confessarii, vel solius pœnitentis, vel utriusque simul? Nam triplici illo modo fieri potest. Et aliunde in hujusmodi delegationibus non solet addi ly *In favorem pœnitentis*, vel, *In favorem Confessarii.*

Quid si fiat in favorem solius pœnitentis. Suarez. Arriaga.

Immo tametsi expressè adderetur ly *In favorem solius pœnitentis*, etiam tunc existimo cum Suario suprà (quem sequitur Arriaga disp. 39. n. 51.) non expirare hanc delegationem morte concedentis re integrâ. Ratio mea est: quia ex natura rei non repugnat hanc gratiam, dicatur facta vel facienda, permanere post mortem concedentis; ergo permanet, nisi obstet jus positivum; atqui jus positivum suprà allegatum non obstat, nam vel loquitur in materia ambitiosa, vel in materia fori contentiosi; ergo &c.

222. Equidem absolutè concessa firmatur per seipsam ante omnem usum.

Firmatur itaque hæc delegatio absolutè concessa, non per usum, sed per seipsam ante omnem usum, ùt constat ex praxi & consuetudine. Nam quòd jurisdictio contentiosa (de qua loquitur cap. 6. de Offic. deleg. in 6. suprà citatum) non firmetur re integrâ, sed per usum, non est ex natura rei, sed ex institutione illius juris, & est speciale in illa, & ideo non extenditur ad meras gratias.

Quare dicatur: *Absolutè concessa.*

Dico; *Absolutè concessa*; quia concessa ad beneplacitum delegantis, vel cum hac particula? *Donec*, seu, *Quamdiu voluero*, expirat re integrâ morte concedentis; secùs si dicatur: *Donec revocavero*, vel, *Ad beneplacitum Sedis.* Patet ex cap. *Si gratiosè* 5. de Rescriptis in 6. ubi sic scribit Bonif. VIII. *Si gratiosè tibi à Romano Pontifice concedatur, ut beneficia, quæ tempore tuæ promotionis obtinebas, posses usque ad tuæ voluntatis beneplacitum retinere: hujusmodi gratia per ejus obitum, per quam ipsius beneplacitum omnino extinguitur, eo ipso expirat. Secùs autem si usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum gratia concedatur prædicta: tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuò, nisi à successore fuerit revocata.*

c. 5. de Rescript. in 6.

223. Occurritur objectioni.

Nec obstat; quòd in hoc cap. agatur de materia ambitiosa seu beneficiali, non obstat, inquam; quippe ratio, quæ assignatur, communis est omni materiæ, scilicet, quia per mortem extinguitur beneplacitum: non censetur autem Ordinarius delegasse jurisdictionem, nisi quousque duraret suum beneplacitum.

Unde hæc non est restrictio, ùt propterea dici debeat, tantùm habere locum in materia odiosa, sed est genuina explicatio conditionis, importatæ per illa verba; conditio porrò eadem, idem operatur ubicumque additur.

224. Quid significet illa particula: *Donec voluero.*

Et eadem est explicatio istius particulæ: *Donec*, seu, *Quamdiu voluero*; importat quippe durationem ejusdem voluntatis, quæ mortuo concedente, vel ab officio amoto, durare nequit; secùs illo excommunicato. Sicut etiam, estò jurisdictio delegata periret delegantis morte, non tamen ejus excommunicatione, ùt docet Sanchez suprà n. 57. nam per excommunicationem solùm impeditur officium à novo usu, ac proinde adhuc durat voluntas delegantis, quantùm ad usum præteritum.

Sanchez.

Finito officio finitur voluntas.

At verò cùm officium sit causa reservandæ sibi voluntatis, eo finito, finitur voluntas; argum. l. *Non solum.* 8. §. 6. ff. de novi oper. nunciat. *Morte ejus, qui nuntiavit extinguitur nuntiatio, sicut alienatione: quia his modis finitur jus prohibendi.* Igitur nuntiatio finitur non solùm morte, sed etiam cessante dominio rei, quod erat causa nuntiationis, etsi persona superstes sit.

Probatur l. 8. ff. de novi. oper. nun.

Confirmatio.

Confirmatur, quia cùm revocare sit actus jurisdictionis (l. 58. ff. de Iudiciis: *Iudicium solvitur vetante eo, qui judicare jusserat, vel etiam eo, qui majus imperium in eadem jurisdictione habet: vel*

l. 38. ff. de Iudiciis.

vel etiam, si ipse judex ejusdem imperii esse cœperit, cujus erat qui judicare jussit) & finito officio careat concedens jurisdictione, frustrà voluntas ad id tempus protraheretur.

225. Objectio.

Sed dicet aliquis: voluntas concedentis seu delegantis durat etiam post mortem; nam post mortem delegantis potest delegatus acceptare delegationem, sicuti donatarius potest acceptare donationem; non potest autem acceptari, quòd non est.

Solvitur.

Respondeo; durare solùm moraliter; quia nimirùm delegans pro illo tempore voluit suam concessionem habere suum effectum, sicut ante mortem.

226. Quid requiratur ad perseverantiam beneplaciti.

Fateor, reponis, sed nunquid aliter in vita durat beneplacitum? Respondeo; ad perseverantiam beneplaciti requiritur duratio personæ & voluntatis ejus in tali statu, in quo possit habere actuale beneplacitum; ille autem status non extenditur ultra statum præsentis vitæ, quia est dispositio voluntatis, dependens à potestate propria hujus vitæ.

Itaque beneplacitum distinguitur ab absoluta voluntate, quòd illud importet quamdam libertatem revocandi concessionem; hæc verò simpliciter voluntatem de facto aliquid concedendi: jam autem illa libertas non manet post mortem, ùt clarum est, neque post finitum officium, ac proinde morte expirat beneplacitum, licèt non simplex & absoluta voluntas.

Hæc particula: *Vsque ad beneplacitum meum*, non includitur in absoluta concessione.

Quapropter hæc particula; *Vsque ad beneplacitum meum*, neutiquam intrinsecè includitur in quacumque absoluta concessione seu delegatione jurisdictionis; quippe absoluta concessio solùm requirit, ut cùm fit interveniat consensus seu voluntas concedentis, de perseverantia autem ejus nihil statuit: at verò dum concedens dicit: *Vsque ad beneplacitum meum*, requiritur libera perseverantia istius voluntatis, ut necessaria ad perseverantiam concessionis; unde potest amitti facultas taliter concessa, per defectum solùm privativum illius voluntatis, secùs facultas absolutè concessa, sed tunc requiritur contraria voluntas.

227. Differentia inter prædictam particulam & hanc: *Donec revocavero.*

Atque ex his non obscurè colligitur differentia inter prædictam particulam, & hanc: *Donec revocavero*, quæ importat actum positivum novæ voluntatis, aliter disponentis seu gratiam revocantis, qui actus, si in vita habitus non sit, cùm post mortem haberi nequeat, durabit gratia, donec à successore vel Superiore revocetur. Itaque delegatio jurisdictionis, facta cum ista particula: *Vsque ad beneplacitum meum*, est delegatio seu commissio conditionata, quæ expirat positâ conditione; ponitur autem conditio per mortem. Delegatio verò, facta cum hac particula: *Donec revocavero*, est commissio absoluta, vel, si placeat vocare conditionatam, conditio post mortem, vel per mortem non ponitur; adeòque morte non expirat.

Et ideo dicit Bonif. Pontifex cap. 7. de Offic. deleg. in 6. *Si delegatus, quotiens eum abesse contigerit, tibi commiserit vices suas: poteris eo rebus humanis exempto (cum & tunc censeatur abesse) commissum tibi negotium (dum tamen ille vivente jurisdictione uti cœperis) liberè diffinire. Idem poteris, quando tibi vices etiam sub ea forma commisit;* Donec eas duceret revocandas. *Nam talis commissio, per quam censetur etiam sententiæ prolatio (nisi antea fuerit revocata) committi, nequaquam morte committentis expirat, ex quo res integra non existit.* 228. c. 7. de Offic. deleg. in 6.

Si inferas; ergo si res integra existit, expirat. Resp. Conc. totum, si est subdelegatio jurisdictionis contentiosæ, de qua loquitur illud jus, eodem modo, ac si illa particula non esset adjecta.

Infers rursùm; ergo frustraneè additur illa particula. Respondet Sanchez suprà n. 54. deservire, ut liberiùs possit ea jurisdictio revocari. Plus aliquid innuit Glossa verb. *Committi.* ibi: *Nec obstat; quod dicitur; quòd clausula debet aliquid operari: satis enim operatur; quia revocare poterit delegans, quod simpliciter vel totum committendo non potuisset. Item quia ex vigore clausulæ illius ad eum appellabitur, ut dicitur in fine cap.* 229. Ad quid deserviat hæc particula.

Quantùm ad illam particulam: *Ad beneplacitum Sedis* (scilicet Apostolicæ, quæ perpetua est) quid sit dicendum, patet ex cap. *Si gratiosè*, præallegato. Et eadem est ratio cujuscumque alterius dignitatis perpetuæ, ùt nemo non videt. Quid dicendum de ista particula: *Ad beneplacitum Sedis.*

Dico; *Perpetua*, quia si Legatus Pontificis concedat aliquid ad suæ dignitatis beneplacitum, extinguetur ejus morte vel cessatione officii; eò quòd cesset in eo ratio tradita cap. *Si gratiosè.* ibi: *Tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur* &c.

Quippe moritur dignitas Legati, ùt constat ex cap. 3. de Offic. Leg. in 6. in principio: *Præsenti declaramus edicto, reservationes quorumcumque beneficiorum ab Apostolicæ Sedis Legato suæ legationis auctoritate factas, & decreta interposita super ipsis: nec non denuntiationes, inhibitiones & processus quoslibet per eum, vel per executores deputatos ab eo, habitos circa ipsas (dummodo ad collationem eorumdem beneficiorum jam vacantium minimè sit processum) eo ipso quòd illius finitur legatio viribus penitus vacuari: nec executores eosdem posse ulterius beneficia taliter reservata conferre.* Ergo legatio non est perpetua, sed extinguitur, nec transit ad successorem, & liberum planè est Pontifici Legatum instituere Hæc credo sufficient pro explicatione & probatione secundæ partis Conclusionis. 230. Moritur dignitas Legati. c. 3. de Offic. Leg. in 6.

Restat ultima, quæ negat, Confessione inchoatâ cessare jurisdictionem delegatam, etiam tempore aut revocatione. Quòd non cesset morte delegantis, à fortiori constat ex 231. Confessione inchoatâ non cessat jurisdictio delegata.

etiam tempore aut revocatione.

dictis pro secunda parte Conclusionis. Quòd etiam non cessèt revocatione, videtur colligi ex cap. 6. de Offic. deleg. in 6. ibi: *Si tamen antequam illâ jurisdictione* (delegatâ) *usus fuerit* (subdelegatus) *commissio hujusmodi per te revocetur ab ipso: vel eum rebus eximi contingat humanis: causam ipsam resumere poteris: cum jurisdictio* (*ex quo ipsâ usus non extitit*) *non censeatur in eum efficaciter transivisse.*

c. 6 de Offic. deleg. in 6.

Ergo à contrario sensu, jurisdictio, ex quo ipsâ usus extitit, censetur in eum efficaciter transivisse; ergo tali casu delegatus non potest revocare commissionem, ùt ibidem notat Glossa in expositione casûs hisce verbis: *Nota ulterius effectum principalem hujus cap. quòd si subdelegatus cœpit uti jurisdictione, etiam per citationem decretam, licèt reus non sit citatus, ita quòd res desit esse integra, delegatus non potest revocare commissionem.*

232. Probatur ratione.

Ratio ergo Conclusionis nostræ est: quia Confessarius jam acquisivit jus absolvendi, & pœnitens acquisivit jus accipiendi Absolutionem, quo jure non possunt privari sinè justa causa, & cum tanto onere pœnitentis, iteratò confitendi eadem peccata. Unde ille, qui per Bullam Cruciatæ habet potestatem absolvendi, si Confessio cœpta est, potest eam prosequi, etiamsi interim finiatur tempus Bullæ, quod idem de similibus facultatibus dicendum est. Ita Lugo disp. 19. n. 24. ubi hanc sententiam vocat valde probabilem.

Lugo.

Et ante ipsum Sanchez in Sum. lib. 2. cap. 13. n. 15. dicens: Petrus de Ledesma in Summ. Sacram. ubi de Pœnit. c. 12. post 5. Conclusionem inter dubia, quæ movet circa licentias audiendi Confessiones, ab Episcopo concessas, dub. 2. fol. 539. meritò ait, esse valde probabile, habentem licentiam audiendi Confessiones ad tempus, posse eo transacto prosequi Confessionem ante inchoatam. Hæc ille. Et pro eadem sententia Lugo suprà citat Villalobos in Summ. tract. 27. claus. 4. n. 12. Acosta in expos. Bullæ Cruciatæ q. 36. Rodrig. ibidem §. 5. n. 2. Diana p. 1. tract. de Bulla Cruciatæ resol. 94.

Sanchez. Pet. de Ledesma. Villalobos. Acosta. Rodriguez, Diana.

233. Oppositum docet Sanchez & probat ex cap. *Si gratiosè*, citans pro se Glossam in d. cap.

Pro contraria sententia citari potest Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 28. n. 50. ibi: At verissimum est (cap. *Si gratiosè*) intelligi de omnibus (gratiis) atque adeò potestatem illam, delegatam ad cõcedentis beneplacitum, expirare morte concedentis, quamvis res non sit integra. Constat ex ratione tradita dicto cap. *Si gratiosè* ibi: *Per obitum, per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur.* Quæ ratio in omnibus concessionibus, factis ad beneplacitum personæ, æqualiter procedit. Et ideo hanc partem sustinet Glossa dicto cap. *Si gratiosè.* verb. *Morte* in fine. Hæc ille.

234. Respondetur.

Sed in primis mendosè citat Glossam cap. *Si gratiosè.* verb. *Morte*, cùm hoc verbum in toto illo capite non reperiatur. Dicere ergo debuisset cap. *Si delegatus* 7. de Officio deleg. in 6. ubi Glossa verb. *Morte.* sic ait: *Quid si delegatus usque ad suæ voluntatis beneplacitum subdelegaverat? Videretur primâ facie per Decret. suprà de Rescriptis.* Si gratiosè. *quòd illo mortuo expiret jurisdictio. Contrarium videtur per hanc decretalem ad hoc suprà de Bapt.* Maiores. *Cod. De Usufr. l.* Ambiguitatem. *Nec obstat illa decret. quæ in odiosis & restringendis loquitur: hic autem favorabile puto, melius est enim hunc Iudicem procedere, quàm novo & incognito causam delegare ff. de Vaca. munc. l.* Prætor §. *ult. argum.* 19. *q.* 3. Monasteriis. *& suprà de Renunt. c.* 1. *& licet hoc videatur æquum, primum videtur verius. ad idem ff. loca. l.* 4. Hactenus Glossa.

De qua hæc lego apud Covar. 3. Variarum c. 15. n. 4. Secundò, hinc etiam deducitur falsum esse, quod Glossa scribit in d. cap. *Si delegatus* in verb. *Morte.* dum juxta Quorumdam sententiam respondet, commissionem jurisdictionis factam, expressim ad voluntatem delegantis, re non integrâ, minimè extingui morte ipsius delegantis, quod jure non probatur; immo eam delegationem morte delegantis finiri constat: atque ita censet eadem Glossa in ultima parte, quam sequuntur Ioan. And. Domin. Franc. & Doctor. ibi. Hæc ille.

235. Sed eam falsam esse æstimat Covarruvias, quòd ad primam partem

Ego autem sequor primam partem istius Glossæ, & eam probo; quia ùt suprà notavi cum Glossa cap. *Quamvis* 6. de Offic. deleg. in 6. Si subdelegatus cœpit uti jurisdictione, delegatus non potest revocare commissionem; adeòque non obstante revocatione potest commissum sibi negotium liberè diffinire. Iam autem per expressam revocationem non minùs extinguitur simplex voluntas delegantis, quàm per mortem ejus beneplacitum.

quam tamen Auctor sequitur & probat.

236. Confessio incepta cum beneplacito delegantis, ampliùs non pendet ab illo beneplacito.

Itaque per mortem omnino extinguitur beneplacitum delegantis; ergo etiam gratia dependens ab illo beneplacito conc. totum: sed dico, Confessionem jam inceptam cum beneplacito delegantis, ampliùs non pendere ab illo beneplacito, sicut ampliùs non dependet à non revocatione, & sicuti non dependet à determinato tempore.

Etenim cum Glossa suprà, favorabile id puto, & meliùs est hunc Iudicem procedere, præsertim in foro sacramentali, qui difficillimus est pœnitentibus, quàm novo & incognito cum maximo rubore eadem peccata aperire: quidquid sit de foro externo, à quo non licet semper argumentari ad forum sacramentale, quod purè putè institutum est in favorem & æternam salutem animarum.

Atque hìc expirasset præsens Conclusio, & Sectio, nisi quis me interrogasset; an delegatus in hoc foro possit jurisdictionem subdelegare? Ut ergo satisfacerem huic interrogationi,

gationi, necesse fuit novam instituere Conclusionem, quæ erit finis Sectionis, & sic sonat:

CONCLUSIO IX.

Delegatus subdelegare non potest, nisi in certis circumstantiis.

237. Probatur Conclus. tam ex jure Civili, quàm Canonico.

HÆc propositio duplicem habet exponentem. Prima, Delegatus subdelegare potest in certis circumstantiis. Secunda, Delegatus subdelegare non potest in omnibus circumstantiis. Utraque est certa tam ex jure Civili, quàm Canonico, cap. *Cum causam.* 62. de Appell. ibi: *Cùm non nisi delegatus à Principe, causam alii valeat delegare.* Ergo delegatus Principis potest subdelegare, & delegatus inferioris Principe non potest.

Delegatus Principis potest subdelegare. *l. 3. C. De Iudic.*

Similiter loquitur lex 5. Cod. de Iudiciis: *A Iudice Iudex delegatus, Iudicis dandi potestatem non habet, cum ipse iudiciario munere fungatur, nisi à Principe Iudex datus fuerit.*

cap. fin. De Offic. deleg.

Item cap. fin. de Offic. deleg. ibi: *Si Iudex tertius licet ex officio nostro, vel de assensu partium pro communi à nobis datus eisdem, alii delegaverit vices suas (cùm delegato à Principe id concedatur à jure) delegatio valebit ipsius.*

238. An in omnibus circumstantiis?

Sed nunquid in omnibus circumstantiis? Attende quod sequitur in eodem textu: *Is autem cui injungitur, ut personaliter negotium exequatur, potest (dummodò partes consentiant) hoc aliis delegare* (ergo non potest, si partes dissentiant) *præterquam si inquisitionem fieri, vel Ecclesiis de Prælatis, vel aliis ministris provideri mandaremus, cùm in his omnibus casibus, industriam & fidem personæ, cui talia committimus, eligere videamur.* Ergo delegatus, etiam Principis, quando eligitur industria & fides personæ, non potest subdelegare.

Subjungitur in eodem cap. *Cæterùm (salvâ Legatorum Sedis Apostolicæ auctoritate) nulli cui commissum fuerit prædicare Crucem, excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel injungere pœnitentias, liceat hæc de cætero aliis demandare: quia non sibi jurisdictio, sed certum ministerium potiùs committitur in hac parte.* Ergo Legatus Sedis Apostolicæ potest hæc aliis demandare; secùs alii delegati.

239. Quæ Religiosi, qui ex privilegio audiunt Confessiones, non possint suam potestatem subdelegare.

Ex quo patet, quare Religiosi, qui ex privilegio possunt audire Confessiones omnium fidelium, adeòque habent potestatem delegatam ad universitatem causarum illius generis, nihilominus nequeant subdelegare: quia videlicet non sibi jurisdictio, sed certum ministerium potiùs committitur in hac parte, id est, exercitium talis jurisdictionis, v. g. Absolutio sacramentalis, quæ est actus jurisdictionis; jam autem subdelegatio non est Absolutio sacramentalis, ergo non possunt subdelegare, nisi hoc ipsis expressè concedatur.

240. Ordinarius posset ipsis dare potestatem subdelegandi. Sanchez.

Cæterùm quòd Ordinarius hujusmodi delegatis possit concedere, non ut nomine proprio, sed ut nomine delegantis subdelegent, docet Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 31. n. 6. Quia tunc non videtur ipse delegatus subdelegare, sed Ordinarius delegans; argum. l. *Unum ex familia.* 67. §. 1. ff. de Legat. 2. *Si falcidia quæratur: perinde omnia servabuntur, ac si nominatim ei, qui postea electus est, primo testamento fidei commissum relictum fuisset, non enim facultas necessariæ electionis propriæ liberalitatis beneficium est. Quid est enim, quod de suo videatur reliquisse, qui, quod reliquit, omnimodo reddere debuit?* Ubi eligens jussu testatoris nullum beneficium confert, quia non ipse, sed testator jubens, conferre censetur. *l. 67. ff. de Legat. 2.*

Ad idem facit l. *Non distinguemus* 32. §. 16. ff. de receptis qui arbitr. ibi: *Idq; delegari non posse, nisi ad hoc compromissum sit, ut arbiter statueret, cujus arbitratu satisdaretur.* Ubi decernitur arbitrum delegare non posse, nisi hoc commissum sibi sit: sicut ergo arbiter, eò quòd ex consensu partium jurisdictionem recipit, potest ipsismet partibus, quæ sibi jurisdictionem conferunt, consensum præstantibus, alii subdelegare: sic quilibet delegatus, cùm jurisdictionem ex delegatione & consensu Ordinarii habeat, poterit ex ejusdem consensu subdelegare. *l. 32. ff. de Receptis, &c.*

241. Objectio.

Si dixeris; quæ lege conceduntur specialiter, seu in privilegium Iudicibus ordinariis, non possunt per eos transferri in alios; argum. l. 1. ff. de Offic. ejus &c. in principio: *Quæcumque specialiter lege vel Senatusconsulto, vel constitutione Principum tribuuntur, mandatâ jurisdictione non transferuntur.* Sed potestas delegandi, specialiter conceditur Ordinariis l. 5. ff. de Iurisdict. *More Majorum ita comparatum est, ut is demùm jurisdictionem mandare possit, qui eam suo jure, non alieno beneficio haberet.* Ergo non possunt hanc facultatem transferre in delegatum, concessâ illi subdelegandi potestate. *l. 1. ff. de Offic. ejus &c.* *l. 5. ff. de Iurisd.*

242. Solvitur.

Respondeo; ea, quæ specialiter alicui conceduntur, non possunt in alium transferri, quando taliter conceduntur Majoribus, ut minoribus denegentur: at quilibet Ordinarius, quantumvis minimus, potest delegare; ergo etiam alteri concedere potestatem delegandi; argum. leg. 1. ff. de Offic. ejus &c. ibi: *Quæ verò jure Magistratûs competunt, mandari possunt.* *l. 1. ff. de Offic. ejus &c.*

Ubi Glossa verb. *Quæ verò. Id est, propter vim Magistratûs cujuslibet: ut infrà de Iudic. l.* Cùm Prætor §. Item. *Dicitur ergo jure Magistratûs aliquid alicui competere, quod competit eo ipso, quòd Magistratus est, hoc est, id haberet etiamsi vilissimus esset Magistratiunculus. Licet ergo & merum & imperium competat cuilibet illustri & clarissimo eo ipso, quòd est in eo Magistratu: non tamen competit*

competit nisi eis Majoribus : nam non minimis. Et in fine sic ait : *Vis ergo facienda est in illo verbo* Specialiter. *q. d. committuntur in privilegium: & quia de Majoribus est.*

243. Nunquid sic Ordinariis committitur in privilegium potestas delegandi? Clarùm est, quòd non.

Et ideo hanc sententiam docet Glossa. fin. in cap. *Is cui.* 12. de Offic. deleg. in 6. ibi : *Et facunt hæc ad quæstionem, quam disputavi : an delegatus ab alio, quàm à Principe habens speciale mandatum subdelegandi, subdelegare possit : & credò quod sic : quia sicut isti non habent à lege, quòd subdelegare possint : tamen si ad hòc haberent speciale, hoc possent : sic dicam, quòd licet delegatus ab alio, quam à Principe, non habeat hoc à lege, & sic loquuntur contrariæ: tamen si habet hoc ab homine, subdelegare poterit.*

c. 12. de Offic. deleg. in 6.

An sufficiat tacita licentia? *Sanchez.*

Sed nunquid sufficit tacita licentia? Affirmat Sanchez suprà, n. 7. Hæc autem, inquit ille, est, cùm delegatus Ordinario sciente & patiente delegat. Et sanè si illa scientia & patientia aliquando sufficit, ut Ordinarius censeatur mihi delegare jurisdictionem in hoc foro, ùt superiùs latiùs ostendimus; quid ni etiam sufficiat, ut mihi censeatur dare licentiam subdelegandi? Non est dubium quin aliquando sufficiat.

244. Quando sit tacita licentia.

Nunquid etiam foret tacita licentia subdelegandi, si Episcopus diceret alicui Prælato Regulari : *Communico tibi omnem meam potestatem in ordine ad casus reservatos*, vel quid simile? Affirmat Lugo disp. 19. n. 16.

Lugo.

Quid si tantùm dicat: *Do tibi potestatem absolvendi à casibus mihi reservatis?* Respondet Diana part. 2. tract. 3. Miscell. resol. 53. non posse eandem potestatem subdelegare, nisi habuerit expressam ad hoc licentiam ab Episcopo: delegatus enim ad nudum ministerium; non potest subdelegare: & sic non possunt concedere omnes casus simul alicui Confessario, ut ab eis absolvat toties quoties acciderit. Potest tamen Absolutionem casûs particularis, in facto occurrentis, alteri committere, v. g. cùm petitur ab aliquo Confessario inferiori, qui asserit se habere pœnitentem cum tali casu reservato.

Diana.

Quod, inquit Lugo suprà, admitti fortasse posset, si facultas esset concessa Superiori in genere, & omnibus successoribus: secùs verò, quando data est huic personæ illam petenti : intelligitur enim personalis, nisi ex verbis concessionis aliud colligeretur. Hæc ille.

Cæterùm nota illa verba : *Ad nudum ministerium.* Nam si aliquis substituatur in officium, vel ei committatur officium, v. g. Parochi, licèt ad breve tempus, hoc ipso conceditur ei potestas subdelegandi, si non in ordine ad totum officium, saltem ad aliquas causas particulares.

245. Quid si aliquis substituatur in Officium?

Idem dicerem, inquit Lugo suprà, quando datur facultas universalis alicui non attentâ personâ, sed officio, ita ut perseveret in successoribus officii : si v. g. Abbas, vel Prælatus Regularis alicujus domûs, habens sibi subordinatam aliam domum vel villam ejusdem conventûs, committat Vicario, quem in illa villa habet, Absolutionem à casibus sibi reservatis : poterunt ii Vicarii committere aliis Religiosis Absolutionem in casu particulari, non generalem, qualem ipsi habent : quia delegatus non potest subdelegare, nisi ad causas particulares. Ita Eminent.

Quid 6. detur alicui facultas universalis.

Hinc Guardiani, licèt ex vi officii sui non possint absolvere à casibus reservatis, adeòque tantùm sint delegati, tamen in casu particulari possunt Absolutionem committere aliis Confessariis, non tamen concedere licentiam generalem.

246. Guardiani possunt subdelegare potestatem reservatorum in casu particulari.

Similiter Vicarius Parochi, licèt possit subdelegare unam aut alteram causam, non tamen committere totum suum officium; saltem in perpetuum: Quid mirum, cùm nec ipse Parochus id possit inconsulto Episcopo? Argum. cap. *Extirpanda.* 30. de Præbendis ibi : *Qui verò parochialem habet licentiam, non per Vicarium, sed per seipsum illi deserviat in ordine, quem ipsius Ecclesiæ cura requirit : nisi fortè dignitati vel præbendæ parochialis Ecclesiæ sit annexa : in quo casu concedimus, ùt qui talem habet præbendam vel dignitatem, cùm oporteat eum in majori Ecclesia deservire, in ipsa parochiali Ecclesia, idoneum & perpetuum habeat Vicarium canonice institutum.*

Vicarius Parochi non potest committere totum suum officium in perpetuum.

cap. 30. de Præb.

Ubi Glossa verb. *Perpetuum*: sic inquit : *Eo ipso intelligitur perpetuus, quòd auctoritate Episcopi est institutus suprà de Offic. Vicarii.* Ad hæc. *In istis ergo casibus tantùm licitum est constituere Vicarium* (perpetuum) *aliàs non.*

Et cap. *Cum ex eo.* 34. de Electione. ibi : *Porrò septennio prædicto durante* (quo Episcopus dispensare potest causâ studii, ne Parochus Sacerdotio initietur) *idem Episcopi & Superiores solicitè providere procurent, ut per bonos & sufficientes Vicarios, ab eis in hujusmodi Ecclesiis deputandos, animarum cura diligenter exerceatur.* Ubi clarè docetur, deputare Vicarium illo septennio, non ad Parochum, sed ad Prælatum spectare. Quantò magis deputare Vicarium perpetuum?

cap. 34. de Elect.

247. Potest pro brevi tempore Parochus, quàm Vicarius perpetuus; fortè etiam non perpetuus. *Diciftillo.*

Cæterùm pro brevi tempore posse deputare justa ex causa, etiam inconsulto Episcopo, docet quotidiana praxis. Idem videtur dicendum de Vicario perpetuo. Et quidem, inquit Dicastillo disp. 10. n. 126. non semel vidi Vicarios etiam non perpetuos delegare officium. Unde in hac re usui & consuetudini standum est. Quòd si agatur de Vicario Episcopi, non semel vidi propter absentiam, aut etiam ægritudinem aliquorum dierum, sibi subrogare alium, qui munera illius exerceret cum eadem plenitudine potestatis, nisi fortè dicamus specialem ad id habuisse facultatem

tatem à suo vel Archiepiscopo vel Episcopo, quam juxta dicta possunt dare, si velint. Nec video, etiamsi de Vicario temporali agamus, cur non possit per aliquod breve tempus propter absentiam delegare suum officium alteri.

Standum est in hac re consuetudini. Itaque absolutè loquendo in hac re consuetudini standum esse judico, aut etiam concessioni primi delegantis, qui potest simul, delegando officium, delegare facultatem subdelegandi; sicut & procuratoribus solet dari plenipotentia, cum facultate etiam substituendi alium vel alios, quos judicaverint expedire. Hucusque Dicastillo.

248. Quod sit illud breve tempus. Si autem quæritur, quod sit illud breve tempus, ad quod Parochus ex justa causa, inconsulto Episcopo, potest officium suum delegare? Respondet Sanchez suprà n. 11. spatium trium hebdomadarum: per cap. *Si quis in clero* 29. 7. q. 1. (desumptum ex Conc. Agathensi c. 64.) ibi: *Similiter Diaconus vel Presbyter, si per tres hebdomadas ab Ecclesia sua defuerit, huic damnationi succumbat.*

Ille spatium trium hebdomadarum probatur 1. ex cap. 7. q. 1. Sanchez.

Sed, ut verum fatear, hic textus parùm videtur probare. Nam, ut notat Glossa verb. *Per tres.* cap. *Præsentium* 3. eâdem causâ, & q. dicitur de duobus mensibus ibi: *Asserit namq; à Quintiano fratre, & Cœpiscopo nostro in loco suo pro quibusdam se suis ordinandis negotiis relaxatum; ægritudinisq; causâ per duorum mensium spatium suæ sè Ecclesiæ defuisse.* Et infrà: *Hortamur itaque fraternitatem vestram, ut causam ejus solicitè perquiras districtèque discutias, & si manifestè ægritudinis, sicut dicitur, causâ Ecclesiæ suæ eum defuisse repereris, nullum ei ex ordinatione alterius Presbyteri permittas præjudicium generari.* Ubi non solùm narratur factum, ùt vult Glossa suprà, sed etiam factum approbatur, ùt patet ex ultimis verbis.

Aliter ergo respondet Glossa suprà: *Idem,* inquit, *est in utroque* (textu) *dum tamen absit de licentia Superioris.*

Prorsùs idem est; sed tunc, sicut dixi, textus ille non probat intentum; nam quæritur de absentiâ inconsulto Superiore. Deinde, si nequeat Parochus abesse per tres hebdomadas, sinè licentia Superioris; quomodo poterit delegare suum officium per tres hebdomadas, sine licentia Superioris?

249. Probatur ex Concil. Trident. Addit Sanchez secundam probationem ex Trident. sess. 23. cap. 1. de Reform. ibi: *Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, sacrosancta Synodus declarat & decernit; ita tamen, ut quandocumque eos, causâ prius per Episcopum cognitâ & probatâ, abesse contigerit; Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario probandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisq; concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant.*

Ubi decernitur, Parochus non posse abesse nisi per duos aut tres menses, & id ex licentia Episcopi, & relicto Vicario idoneo ab ipso Ordinario approbando: ubi clarè per longum tempus, ùt per spatium duorum mensium, non conceditur Parocho assignare Vicarium. Ita Sanchez.

250. Sed ineffic. Sed nec hæc probatio efficax est. Quippe eodem cap. tempus breve dicitur spatium duorum vel trium mensium ibi: *Quoniam autem; qui aliquantisper tantùm absunt; ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt: Sacrosancta Synodus vult, illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere.*

Præterea: estò spatium duorum mensium sit longum tempus, nunquid etiam spatium unius mensis, vel sex hebdomadarum? Cur ergo breve tempus restringitur ad spatium trium hebdomadarum? Denique Concil. requirit Vicarium, ab Ordinario approbandum: quandocumque Parochos abesse contigerit; ergo sinè fundamento hoc limitatur ad spatium duorum mensium.

251. Attendenda hic est consuetudo. His itaque probationibus prætermissis, sufficiat consuetudo, quæ est optima legum interpres. Illam ergo consule, ac cùm fueris Romæ, romano vivito more; & si sis alibi, vivito sicut ibi. Appositè lex: *Cùm Prætor.* 12. ff. de Iudic. *Iudicem dare possunt, quibus hoc lege vel constitutione, vel Senatusconsulto, conceditur. Lege sicut Proconsuli. Is quoque, cui mandata est jurisdictio, Iudicem dare potest; ut sunt Legati Proconsulum. Item hi, quibus id more concessum est propter vim imperii, sicut Præfectus Vrbis, cæteriq; Romæ Magistratus.* l. 12. ff. de Iudic.

Si ergo Parocho aut Vicario ejus, more concessum est (ùt concessum dicitur) substituere ad breve tempus aliquem, qui ministret omnia Sacramenta in Parochia, quicumque substitutus fuerit, etiam sine licentia expressa Episcopi, Sacramenta administret, & non peccabit; eritque validum quod gestum fuerit. Siquidem Episcopus, instituens Parochos, aut Vicarios Parochorum, & conscius consuetudinis, tacens, videtur tacitè dare licentiam ad eam substitutionem. Vide Sanchez suprà n. 15. ubi plures citat Auctores pro hac doctrina.

252. Substitutus ad universitatem causarum à Vicecurato potest delegare. Et ex ea infert n. 16. hunc institutum ad universitatem causarum à Vicecurato, ubi est consuetudo, ut absens talis Vicecuratus substituat aliquem ad universam Parochiæ curam, posse delegare licentiam assistendi Matrimonio, aut ministrandi aliud

Sacramentum. Quia est delegatus ad universitatem causarum, & non censetur delegatus illius Vicecurati; is enim non poterat sic delegare, sed est delegatus ipsius Ordinarii, scientis & patientis eam consuetudinem: ea enim scientia & patientia est tacita licentia. Hæc ille.

An talis delegatus possit iterum subdelegare. Sanchez.

Sed nunquid talis delegatus iterùm potest subdelegare vel totum officium, vel ejus partem? Negat Sanchez suprà n. 17. quia nullus delegatus potest delegare cum facultate subdelegandi, in quo distat ab Ordinario, quod minimus Ordinarius hoc possit; non autem supremus delegatus, qualis est delegatus Principis. Ratio est: quia delegatus non habet facultatem ultrà sibi commissam; Ordinarius autem habet universalem: ergo cùm solùm delegato Principis, & ad universitatem causarum reperiatur in jure concessum, posse subdelegare, & nullibi concedatur posse dare facultatem subdelegandi, id non poterit. Vide Sanchez sup. n. 9.

253. Delegatus ad universitatem causarum potest subdelegare; & quis talis dicatur.

Finio cum communi doctrina, quæ ait: delegatum ad universitatem causarum (talis dicitur, quando ei genus causarum committitur sub uno nomine collectivo, quàmvis non sit generalissimum, sed subalternum, licèt sit restrictum quoad tempus, ùt si committantur omnes causæ tali anno occurrentes; vel quoad quantitatem, ùt omnes causæ 10. librarum & infrà; vel quoad locum, ùt omnes causæ talis loci) posse subdelegare; quia hujusmodi delegatus, inquit Sanchez sup. n. 2. censetur quasi Ordinarius.

Probatur 1. ex l. 1. ff. Quis à quo &c.

Colligitur ex l. 1. §. *Ab eo* ff. Quis à quo appelletur. ibi: *Ab eo* (*delegato ad unam causam*, inquit Glossa) *cui quis mandavit jurisdictionem, non ipse* (*delegatus ad universitatem causarum* secundum Glos.) *provocabitur: nam & generaliter is erit provocandus, ab eo cui mandata est jurisdictio, qui provocaretur ab eo* (*delegato ad universitatem causarum*, ait Glossa) *qui mandavit jurisdictionem.* Ergo supponit textus, posse delegatum ad universitatem causarum subdelegare.

Ad idem facit l. 12. ff. de Offic. Proconsul. *Legatus* (Proconsulis) *mandatâ sibi jurisdictione, Judicis dandi jus habet.* Et l. *Cum Prætor.* 12. ff. de Iudic. ibi: *Is quoque, cui mandata est jurisdictio, Judicem dare potest.* 254. Probatur ex l. 12. ff. de Offic. Proconsul. & l. 12. ff. de Iudiciis.

Intellige, quando mandata est non mera jurisdictio, seu merum exercitium jurisdictionis, sicut quando Parochus conducit Capellanum, ut ejus operâ utatur in audiendis Confessionibus suorum subditorum; sed quando mandata est jurisdictio cum officio, cui jurisdictio annexa est, id est, quando conceditur seu delegatur ipsum officium, quod postulat exercitium talis jurisdictionis; v. g. dum aliquis Sacerdos subrogatur loco Parochi absentis, ut tempore absentiæ fungatur ejus officio: hic enim est quasi Ordinarius, & ideo vi juris communis subdelegare non potest, sicuti subdelegare non possunt Confessarii Mendicantium, ùt suprà diximus.

255. An Ordinarius possit cuilibet Sacerdoti delegare potestatem absolvendi.

Sed nunquid Ordinarius potest cuilibet Sacerdoti delegare potestatem absolvendi, aut delegatus ad universitatem causarum cuilibet Sacerdoti eam subdelegare? Responsio ad hanc interrogationem postulat novam Sectionem, propter multiplices difficultates de Approbatione Ministri hujus Sacramenti. Sit itaque

SECTIO TERTIA.

De Approbatione Ministri.

1. Quid requiratur, ut quis possit audire Confessiones sæcularium ex Trident.

ALlubescit hanc Sectionem auspicari à verbis Concil. Trident. sess. 23. de Reform. cap. 15. *Quamvis Presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegio & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Quæ verba indigent maturâ consideratione, & multâ explicatione. Ut autem incipiamus ab his, quæ faciliora sunt, Dico primò:

CON-

CONCLUSIO I.

Approbatio eſt authentica declaratio de aptitudine Miniſtri. An ad eam requiratur aliquod judicium internum, non ſatis conſtat. Validè fit verbo, nutu, ſcripto, etiam cùm pro approbatione aut ſcriptura aliquid illicitè accipitur.

2. Quid ſit approbatio Confeſſarii.

PRima pars eſt communis: quid enim aliud eſſet approbatio, quàm authenticum teſtimonium, quo declaratur aliquis idoneus, cui munus audiendi Confeſſiones concedatur? Cenſes quia eſt collatio juriſdictionis? Nolo cenſeas: nam Regulares, qui juriſdictionem immediatè accipiunt à Pontifice, equidem ab Epiſcopo approbantur, & niſi approbarentur, non acciperent à Pontifice juriſdictionem.

Itaque approbatio ſolùm eſt externa declaratio idoneitatis ſeu aptitudinis perſonæ, ad accipiendam juriſdictionem, ab his, qui poſſunt eam concedere. Ac proinde per approbationem fit aliquis capax juriſdictionis; cujus anteà erat incapax. Cumque juriſdictio ſit conditio eſſentialiter requiſita, non tantùm ad licitam, ſed etiam ad validam Abſolutionem, liquet profectò, approbationem neceſſariam eſſe, non ſolùm ad licitè, ſed etiam ad validè miniſtrandum hoc Sacramentum. Quamquam enim per illam non detur juriſdictio, equidem ex lege Eccleſiæ, cui ſubeſt collatio juriſdictionis, præſcribitur tamquam conditio neceſſaria, ut hi, qui non habent parochiale beneficium, poſſint juriſdictionem accipere.

Neceſſaria eſt ad validè abſolvendū.

3. Eccleſia poteſt irritare collationem juriſdictionis.

Enimverò ſicut Eccleſia, & alii Superiores poſſunt irritare contractus, niſi certis conditionibus ſeu modis fiant, quid ni itidem poſſint irritare collationem juriſdictionis? Quippe eſt aliquis actus humanus, ſubjectus hominum poteſtati. Quòd autem hoc ita factum ſit, patet ex verbis Concil. mox citatis: *Nullum, etiam Regularem, poſſe Confeſſiones ſæcularium audire* &c. Quæ verba ſemper univerſa Eccleſia ſic intellexit, ut non tantùm prohibeant, ſed etiam irritent collationem juriſdictionis, & per conſequens Abſolutionem datam ſinè approbatione.

4. Occurritur objectioni.

Fateor, illa verba: *Non poteſt*; *Aliter non poſſit hoc vel illud facere*, non eſſe expreſsè irritantia, ita quòd in omnibus circumſtantiis auferant poteſtatem, non tantùm juris, ſed etiam facti; nam, ùt bene notat Suarez lib. 5. de Leg. c. 31. n. 13. ubi de hac re diſputat, id ſimpliciter poſſumus, quod jure poſſumus: unde ſimpliciter dicimur non poſſe, quæ licitè facere non poſſumus; argum. leg. *Filius qui.* 15. ff. de Condit. inſtit. ibi: *Nam quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt.* Suarez, l. 15. ff. de Condit. inſtit.

Ergo, tametſi Concil. ſtatuat: *Nullum, etiam Regularem, poſſe Confeſſiones ſæcularium audire* &c. diceret fortè aliquis, intelligendum id eſſe de poſſibilitate juris, id eſt, non poſſe licitè audire; ſecùs de poſſibilitate facti, id eſt, non poſſe validè audire. Nihilominùs, ſicut dixi, univerſa Eccleſia, à principio Concilii; illa verba intellexit, ùt irritantia, & non tantùm ùt prohibentia, qui intellectus, maximè ipſius Legiſlatoris, abundè ſufficit ad conſtituendam legem irritantem, eſtò alioquin ipſa verba ſecundùm ſe non forent expreſsè irritantia, ſed abſolutè poſſent explicari, ùt tantùm prohibentia.

5. Approbatio per ſe loquendo non eſt collatio juriſdictionis.

Itaque, ùt ad propoſitum noſtrum revertamur, approbatio, de qua hìc agimus, non eſt collatio juriſdictionis; ſi tamen Epiſcopus in ſua approbatione his aut ſimilibus verbis uteretur: *Vt Chriſti fidelium Confeſſiones excipere, eoſq; mediante ſalutari pœnitentiâ in foro conſcientiæ à peccatis ſuis abſolvere liberè ac licitè poſſis & valeas, Tibi ad hoc reperto idoneo facultatem ad id neceſſariam & opportunam concedimus per præſentes* &c. non dubito quin ſimul concederet juriſdictionem; adeòque taliter approbatus, abſque ulteriori licentia, aut alia juriſdictione, poſſet abſolvere omnes, aut illos ſubditos, pro quibus conceſſa eſt ea facultas.

Subinde poteſt eſſe talis collatio.

Ratio eſt; quia qui dat facultatem ſeu licentiam audiendi Confeſſiones, concedit totum illud, quod eſt neceſſarium ad hoc, ut licentia illa habeat ſuum effectum; ergo concedit juriſdictionem, ſinè qua non poteſt habere ſuum effectum. Nec ullum eſt inconveniens, quòd Sacerdos non Parochus latiorem habeat juriſdictionem delegatam, quàm Parochus ordinariam, ſi id velit Epiſcopus, velle autem cenſetur quando verbis utitur in approbatione, quæ id ſignificant.

6. An tunc dēroget privilegio Bullæ Cruciatæ.

Si dixeris; talis conceſſio derogat privilegio Bullæ Cruciatæ. Reſpondeo; conceſſio Bullæ Cruciatæ eſt in favorem pœnitentis, habentis eam Bullam, & comparatione Sacerdotis, etiam non habentis juriſdictionem, ſed ſolam approbationem, ut eo ipſo, quòd eligatur à pœnitente, cenſeatur à Papa habere juriſdictionem ad omnes caſus reſervatos, præter contentos in Bulla Cœnæ, toties quoties Abſolutio ritè petitur: ad caſus verò

Bullæ Cœnæ (hæresi tantùm exceptâ) semel in vita, & semel in articulo mortis, quod totum non habet pœnitens carens Bullâ Cruciatæ.

Manent ergo sarta tecta privilegia Cruciatæ, & similia, non obstante eâ concessione Episcopi. Proinde nisi contrarium constet de mente Episcopi, approbatus per verba superiùs relata vel similia, securè poterit uti suâ potestate delegatâ, quidquid Aliqui sinè fundamento reclament.

7. An ad approbationem requiratur aliquod judicium internum de idoneitate.

Major difficultas est de secunda parte Conclusionis. Bonac. hìc disp. 5. q. 7. p. 4. §. 1. n. 29. ad quæstionem: Utrùm ille censeatur approbatus, & consequenter idoneus audiendis Confessionibus, qui fuit approbatus & admissus ab Episcopo, sciente illum non esse idoneum? Respondet negativè: nam, inquit, Conc. Trident. sess. 23. c. 15. exigit, ut Confessarius, qui non habet parochiale beneficium, judicetur idoneus; hic autem verè non judicatur idoneus, sed fictè, cùm Episcopus interiùs sentiat, & judicet non idoneum. Unde Concil. videtur requirere approbationem cùm judicio, & iudicium cum approbatione. Hæc ille. Citans utique Suarium Disp. 28. Sec. 5. n. 7. vers. *Et fortasse*. Reginald. l. 1. n. 197. & Alios pro hac doctrina.

Bonacina.

Suarez.

Reginaldus.

8. Sententiam negativam Suarez existimat probabilem.

Quamvis autem Suarius nolit eam improbare, ùt loco citato ait, equidem oppositam existimat probabilem, dicens: Probabile est illa duo (scilicet judicium & approbationem) non esse ita diversa, ut illud judicium referendum sit ad internam mentis existimationem, approbatio verò ad externam declarationem: sed judicium etiam referri ad hoc externum, quod in foro Ecclesiæ fit (nam de internis non judicat Ecclesia) sic autem illa duo vel erunt æquipollentia, vel ad majorem declarationem posita: quia non satis est, ut privatim judicetur quis idoneus, nisi etiam juridicè id declaretur, quod pertinet ad approbationem, vel etiam quia plùs est approbari, quàm judicari idoneum. Potest enim aliquis absolutè & simpliciter judicari idoneus, & tamen non expedire, ut vel in hoc loco, vel respectu harum personarum ad audiendas Confessiones exponatur, & ideo non approbetur. Hæc ille.

Probatur.

Motus, ùt videtur, hâc ratione; quia alioquin multæ Confessiones redderentur; dubiæ; nam sæpè hujusmodi approbatio datur per favorem, &, vel contra judicium, vel certè sinè judicio de sufficientia Sacerdotis.

9. Lugo putat eam omnino veram.

Quod si verum est, de quo mihi non satis constat, non modicum indè probatur hæc opinio, quam Lugo disput. 21. n. 25. putat omnino veram, & juxta mentem Concilii in quo, inquit, planè non agitur de judicio interno, sed de externo, quod per approbationem profertur: nam Iudex, licèt fortasse aliquando contra conscientiam, verè tamen exercet judicium, cùm judicet in favorem alterius ex litigantibus, & in omni rigore judicat causam applicandam esse huic: alioquin nunquam posset injustè judicare, vel contra conscientiam, quod est contra omnes Theologos & Iuristas.

Iudicium ergo solùm significat prolationem sententiæ, quæ certè sententia est & actus juridicus, licet fiat contra conscientiam: quare Episcopus approbans Confessarium, eo ipso profert sententiam, & judicat illum habendum esse pro idoneo. Hæc ille.

Sed, meo judicio, res non caret difficultate, & videtur satìs dubia. Nam, inquit Suarius suprà, licèt necessariùm non sit, quòd approbatio sit ex vero judicio secundùm ipsam rem, nec quòd sit summa diligentia facta; videtur tamen necessariùm, ut saltem procedat ex judicio, quo hìc & nunc talis persona judicetur idonea; quia aliàs non est approbatio, sed fictio tantùm, & nec satisfit verbis, nec intentioni Concilii. Ita præfatus Auctor.

10. Auctori videtur res satìs dubia.

Et sanè non satisfieri intentioni Concilii, patet; quia Decretum istud positum fuit ad evitandum periculum animarum, quod non evitatur, quando ille, qui interiùs judicatur inidoneus, exteriùs approbatur tamquam idoneus. Quantùm ad verba Concilii, certùm est, sic posse intelligi, ut ly *Iudicetur*, significaret internum judicium, distinctum ab approbatione, si non verum, ne valor Sacramenti magnæ incertitudini sæpè exponatur, saltem judicium, quo Episcopus, fortè amore privato, vel favore excæcatus, non satìs considerando qualitates personæ, & alias circumstantias, falsò judicat, personam esse idoneam.

Non videtur tali casu satisfieri intentioni Concilii.

Et verò hujusmodi saltem judicium ordinariè esse conjunctum approbationi, seu externæ declarationi aptitudinis ministri, vix dubito; adeòque satis evitatur inconveniens, putà dubius valor Sacramenti, propter quem evitandum Aliqui existimant, nullum judicium internum requiri. Scio, Ecclesiam non judicare de internis; scio quoque, finem extrinsecum legis non cadere sub legem; interim aliquando Ecclesia non judicat de externis, nisi adsit aliquis actus internus; & ex fine extrinseco legis, sæpè colligitur mens legislatoris, quæ cortici verborum præferenda est, potissimùm quando de ipsis verbis dubitatur, quid hìc & nunc in tali lege significent.

11. Ordinariè approbationi conjungitur aliquod judicium internum.

Dices; Petrus esset verus Licentiatus, tametsi admittentes judicarent, ipsum esse inidoneum. Et Ioannes verè in judicio posset judicari innocens, contranitente internâ existima-

12. Objectio.

existimatione Iudicis. Prætereà, de sola externa approbatione fideles, & ii, qui approbantur, sunt solliciti, ipsaque verè datur & accipitur, estò dans peccet, si per humanos respectus permittat se superari ad dandum, renitente interiori judicio.

Responsio. Respondetur: non de sola externa approbatione fideles, & ii, qui approbantur, sunt solliciti; sed de externa approbatione, quæ necessaria est, meritò cogitantes, illam non dari sinè interno judicio, cùm non debeat præsumi peccatum Episcopi. Ipsaque non verè, sed fictè datur, renitente interno judicio. Sicuti Petrus non esset verus, sed fictus Licentiatus, si admittentes judicarent; ipsum esse inidoneum. Nec Ioannes verè, sed fictè judicaretur innocens in judicio, contranitente internâ existimatione Iudicis. Potest quidem Iudex injustè judicare innocentem, quem ex allegatis & probatis videt nocentem: sed sicuti lex injusta non est lex; ita injusta illa sententia, non est sententia.

Igitur mihi hæc res manet dubia, & utraque sententia apparet probabilis; securiùs erit, non absolvere absque nova approbatione, quando constaret primam approbationem concessam fuisse ab Episcopo sciente & judicante, illum non esse idoneum. Quamdiu autem hoc non constat, Ecclesia censetur supplere defectum, & melior est conditio, bonâ fide possidentis.

13. Sufficit judicium Episcopi, quid judicent Examinatores. Certum etiam est sufficere judicium Episcopi, quidquid judicent vel non judicent Examinatores: nam Concilium non postulat, quòd judicetur idoneus ab aliis, sed ab Episcopo, ubi tamen Episcopus per se non judicat, sed solùm per suos Examinatores, idem dicendum est de judicio Examinatorum, quod de judicio Episcopi jam dictum est.

Et quamvis verè foret inidoneus, qui judicatur idoneus. Neque dubitandum, sufficere judicium idoneitatis cum approbatione, estò reverà, qui judicatur idoneus, & ùt talis approbatur, nullatenus idoneus sit. Patet ex verbis Concilii, in quibus non requiritur vera idoneitas, sed judicium idoneitatis. Et aliunde non erat conveniens, ut valor approbationis dependeret ab idoneitate, ne aperiretur via scrupulis circa validitatem Sacramenti, cùm sæpius contingat deceptio. Hæc de secunda parte Conclusionis.

14. Concil. nullibi requirit certam aliquā formam approbationis. Accedo ad tertiam partem, quæ communis est, & facilè probatur; quia Concilium nullibi requirit formam aliquam determinatam, secundùm quam debeat fieri hæc approbatio. Sicuti ergo ad leges, privilegia, jurisdictiones, dispensationes, & similes actus humanos sufficit, quòd aliquo signo externo exprimatur voluntas Superioris, nisi in casu particulari aliud requiratur, quid ni etiam hìc sufficiat quodlibet signum externum?

Ad leges, Porrò ad leges, privilegia &c. sufficere quodcumque signum externum, probatur ex jure Canonico Clement. *Dudum* 2. de Sepult. ibi: *Nos etenim (ut in cunctis æqualiter & pacificè favente Domino procedatur) universa privilegia, gratias, indulgentias, verbo seu scripto* &c. *concessa.*

privilegia, jurisdictiones, dispensationes &c. sufficit quodlibet signum externum. *Clement. Dudum. de Sepult. Extravag. Etsi Dominici. de Pœnit. & remiss.*

Item Extravag. *Etsi Dominici* 5. de Pœnit. & remiss. ibi: *Cum itaque (sicut multorum fide dignorum testimonio accepimus) ob multitudinem facultatum per nos vel auctoritate nostrâ concessarum tam verbo, quàm in scriptis, confectis exinde litteris vel non* &c. Et infrà: *Auctoritate Apostol. cà tenore præsentium statuimus & ordinamus, quod de cætero, prætextu facultatum hujusmodi concessarum à nobis vel auctoritate nostrâ, & quas concedi quomodolibet contingeret imposterum, verbo, litteris, aut quàvis aliâ scripturâ* &c.

De lege sic scriptum habes ff. de Leg. l. 32. *Inveterata consuetudo pro lege non immeritò custoditur (& hoc est jus, quod dicitur moribus institutum) nam cum ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quàm quòd judicio populi receptæ sunt: meritò & eà, quæ sinè ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes: nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis?* Ergo ad legem non requiritur vox, neque scriptura, sed sufficit res & factum.

l. 32. ff. de Leg.

Et verò ad contractum Matrimonii nonne sufficit nutus? Cur ergo non sufficiet ad validam approbationem? Non video disparitatem. Interim planè conveniens est, & summè expedit, ut detur in scriptis, ad faciliorem utique & certiorem probationem in foro externo, si fortè verbis Confessarii alii, quorum interest, nolint credere. 15.

Expedit ut approbatio detur in scriptis.

Cæterùm id non esse necessarium ad valorem, vel indè satis probatur, quòd Trident. quando vult, ut gratia aliqua non valeat, aut saltem liceat, absque litteris, id soleat particulariter declarare, ùt ostenditur ex c. 1. sess. 23. de Refor. ibi: *Decernit eadem sacro-sancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas &c. in scriptis esse approbandas, nisi cùm absentia incidit* &c. Et infrà: *Discedendi autem licentiam in scriptis gratisq; concedendam* &c. *non obtineant.* Item sess. 25. de Regul. c. 5. ibi: *Ingredi autem intrà septa Monasterii (Monialium) nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis, sexûs vel ætatis fuerit, sinè Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta.*

Probatur ex Trident. scripturam non esse necessarium.

Restat ultima pars Conclusionis, quæ & ipsa communis est, & satis probatur ex tenore verborum Concilii, quæ non sonant irritationem, sed dumtaxat prohibitionem: *Et approbationem,* inquit Concil. *quæ gratis detur, obtineant.* Jam autem *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* cap. *Ad Apostolicam.* 16. de Regul. 16.

Acceptio pretii non reddit invalidam approbationem ex vi Conc. Trid. cap. 16. de Regul.

Et aliunde irritatio minimè necessaria est ad finem Concilii, immo multa inconvenientia possent ex ea oriri, ùt patet consideranti,

Itaque ex vi Concilii Trident. acceptio pretii non reddit invalidam approbationem.

17. In aliquo casu posset esse invalida Ex Bulla 1. Bonif. 8.

Dico; *Ex vi Concilii Trident.* quia in aliquo casu posset esse invalida ex Bulla Bonif. VIII. quæ incipit; *Excommunicamus & anathematizamus*. 1. apud Cherubinum (& habetur inter Extravag. communes in tit. de Sent. Excom. c. 1.) contra dantes aliquid vel promittentes, aut recipientes pro obtinenda gratia vel justitia apud Sedem Apostolicam, ubi §. 4. sic ait Pontifex: *Iustitiam verò, sive gratiam sic obtentam, nullius prorsus esse momenti volumus, omnique statuimus carere effectu & robore firmitatis.*

24. Greg 13. & 10. Clement. 8. apud Cherubinum.

Hanc Constitutionem confirmavit & extendit Greg. XIII. Bullâ: *Ab ipso Pontificatûs nostri principio*. 24. apud Cherubinum; prout etiam Clemens VIII. Bullâ: *Pro commissa*. 10. apud eundem.

Igitur approbatio, obtenta à Vicario Pontificis Summi in Curia pro pretio, foret invalida vi harum Bullarum. Dum tamen illud vitium esset occultum, valerent Absolutiones propter communem errorem, & titulum coloratæ approbationis.

His ita prælibatis de significatione illius nominis, *Approbatio*, quæritur; an res significata omnibus Confessariis sit necessaria. Pro resolutione erit

CONCLUSIO II.

Nullus, etiam Regularis, validè absolvit sæcularem, etiam Sacerdotem, non obstantibus privilegiis & consuetudine, etiam immemorabili, nisi sit ab Episcopo approbatus, vel habeat parochiale beneficium, quale non est prælatura Regularis. In absolvente Religiosum, etiam sæculari, non requiritur talis approbatio, vel beneficium.

18. Probatur ultima pars Conclus.

INcipio ab ultima parte, quæ evidenter probatur argumento partim affirmativo, partim negativo hoc modo: Ante Conc. Trident. talis approbatio vel beneficium non erat necessarium, & per Tridentinum non requiritur, ùt patet ex ejus verbis suprà relatis, in quibus nulla fit mentio Confessionis Regularium, sed dumtaxat sæcularium, etiam Sacerdotum; ergo in absolvente Regularem, etiam sæculari, non requiritur de facto, etiam ubi Concilium Trident. receptum est, approbatio Episcopi, vel beneficium parochiale.

Et fortasse ratio fuit, inquit Suarez Disp. 28. Sect. 4. n. 4. quia noluit Concil. in hoc subjicere Regulares Episcopis quoad Confessiones, quas ipsi faciunt inter se seu de peccatis suis: quia ipsi habent proprium & peculiarem modum, quo gubernantur, & proprios Pastores, à quibus Confessores recipere solent; vel etiam Concil. hoc fecit, quia plùs confidit, moraliter ac regulariter loquendo, de Regularium pœnitentium conscientia & prudentia. Sub nomine autem Regularium etiam fœminas religiosas comprehendimus: quia illæ etiam secundùm jura sæculares non sunt. Hæc ille.

Quare in absolvente Regulare non requiratur approbatio. Suarez.

Sub nomine Regularium comprehenduntur fœminæ religiosæ.

Idem asserit Ioan. Sancius in Select. Disp. 49. n. 9. de viris & fœminis Ordinum Militarium sub clausura viventibus. Et n. 10. de Equitibus S. Ioan. Item n. 11. de Militibus S. Iacobi, Alacantaræ, & Calatravæ, quia, inquit, hos milites etiam probabile est esse presbè Religiosos. Quòd probat multis citatis Auctoribus, & declaratione Innoc. III.

19. An etiam viri & fœminæ Ordinum Militarium sub clausura viventes. Item Equites S. Ioan. & Milites S. Iac. Alcantaræ & Calatravæ. Sanchez. D. Thom.

Interim n. 12. Plures etiam allegat pro sententia opposita, & inter Alios D. Th. 2. 2. q. 186. a. 4. ad 3. ubi sic ait: *Illi modi vivendi, secundùm quos homines Matrimonio utuntur, non sunt simpliciter & absolutè loquendo Religiones, sed secundùm quid: in quantum scilicet in aliquo participant quadam; quæ ad statum Religionis pertinent.*

20. Item Equites Christi & Avis in Lusitania & similes.

Prætereà idem Auctor n. 13. ait: Religiosos esse Equites Christi, & Avis in Lusitania, & Montesæ in Aragonia, & S. Stephani in magno Ducatu Florentiæ, & SS. Mauritii & Lazari probabiliter arbitror; cùm hi etiam milites professionem trium votorum in manibus Prælatorum emittant non aliter ac milites S. Iacobi, Alacantaræ, Calatravæ, præter Equites S. Stephani, qui votum castitatis, obedientiæ & charitatis emittunt, & non paupertatis, ùt ex Bulla Pii IV. ad fundationem concessa Anno 1560. Cosmo de Medicis Florentiæ magno Duci constat, quam ego vidi. Et SS. Mauritii & Lazari, qui loco paupertatis, hospitalitatis erga leprosos votum emittunt.

Et idem judico de quibuslibet aliis Religionibus militaribus, tria vota emittentibus in manibus Prælati, & à Sede Apostolica approbatis. Unde omnes hi confiteri valebunt sua peccata aliis Regularibus sui Ordinis, non approbatis ab Episcopo, & etiam aliis Sacerdotibus sæcularibus, similiter ab Episcopo non approbatis. Hucusque Sancius.

Confitendo est consulenda.

Tu autem consule consuetudinem, quæ est optima legum interpres. Eamque esse in contrarium quoad illos milites, qui non vivunt sub clausura, ait Diana p. 2. tract. 2. resol. 30.

Diana. 21 Objectio ex Bulla Greg. 15.

Rogat aliquis, an jam dictis obstet Bulla Greg. XV. quæ incipit: *Inscrutabili Dei providentia*. 18. apud Cherubinum, in qua decernitur §. 5. *Confessores sive Regulares sive sæculares, quoma-*

quomodocumq; exempti, tam ordinarii, quàm extraordinarii, ad Confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.

Solvitur. Respondetur: ab illo Decreto pro parte Regularium, habentium Monasteria Monialium sibi subjecta, supplicatum est, & credo (inquit Sancius suprà n. 16. in fine) hactenùs non esse executioni mandatum. Et patet ex praxi hujus Belgii, inquit Bassæus verb. *Confessarius* 3. n. 5. ubi authenticè hæc Bulla non fuit publicata, ac proinde nec usu recepta. Ita præfati Auctores. Ubi autem foret usu recepta, patet quid sit dicendum & faciendum.

22. An Religiosus pro Iubilæo possit eligere Confessarium non approbatum Ordinario. Sententia affirmans probatur 1.

Ex his colligitur, Religiosum habentem facultatem eligendi Confessorem, posse eligere, quem invenerit sibi idoneum, estò non sit approbatus ab Episcopo, sive Superior id expresè concesserit, sive non: cùm nulla sit ratio exigendi expressam licentiam Superioris, qui, nisi aliùd declaret, censetur velle, ut Religiosus utatur jure suo.

Si autem à me quæritur; an etiam pro Iubilæo possit eligere Confessarium non approbatum ab Ordinario loci. Respondeo cum Bonac. hìc disp. 5. q. 7. p. 4. §. 1. n. 25. valde probabiliter affirmativè: tum quia illa verba, quæ in Bulla Iubilæi solent exprimi: *Possint eligere quemcumque Presbyterum Confessarium tam sæcularem, quàm cujusvis Ordinis Regularem ex approbatis à locorum Ordinariis*: non apponuntur privativè, quasi Pontifex velit privare pœnitentem jure suo, quo potest confiteri Sacerdoti approbato à suo Prælato; sed potiùs apponi videntur accumulativè; & ampliativè in favorem ipsius pœnitentis; ita ut pœnitens non solùm possit confiteri suo Parocho aut alteri Sacerdoti; sicut poterat ante Iubilæum, verùm etiam possit alium quemlibet Sacerdotem approbatum ab Ordinario eligere; quàmvis aliàs ante Iubilæi concessionem non posset illi confiteri.

23. Probatur 2.

Tum; quia sequeretur, multos Religiosos defraudari fructu Iubilæi, cùm multa extent Religiosorum Monasteria, in quibus nullus Confessarius ab Episcopo loci approbatus reperitur; aut saltem sequeretur, cogi Religiosum è claustris exire ad emendicandum sibi Confessarium, quod non videtur juxta benignam Pontificis intentionem; argum. l. 8. Cod. de Leg. *Quod favore quorumdam constitutum est, quibusdam casibus ad Lesionem eorum nolumus inventum videri.* Et Reg. 61. de Reg. Iuris in 6. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.* In dispendium autem retorqueretur gratia Iubilæi, si Regularis pro eâ obtinenda, non posset uti Confessario, sibi consueto, & dato à suo Prælato, ideo præcisè, quia non est approbatus ab Ordinario.

l. 1. Cod. de Leg. Reg. 61. de Reg. Iuris in 6.

24. Probatur 3.

Tum denique; quia illa particula sic explicari posset, ut non sit limitativa vel exclusiva, sed ostensiva & designativa ejus, quod communiter contingit; & frequentiùs tum ex parte Confessariorum, qui communiter sunt approbati ab Ordinario loci; tum ex parte eligentium illos, qui majori ex parte sunt sæculares; adeoque vi Trident. debent eligere Confessarium, ab Ordinario approbatum. Igitur non mirùm; quòd de approbatis ab Ordinario loci fiat expressa mentio, non ad limitandum & restringendum, sed ad designandum & ostendendum, sumptâ voce aut loquendi modo ab eo, quod communiter contingit; & quasi à toto genere, etiamsi quandoque aut minùs frequenter aliter accidat.

Dicastillo. Hâc ratione, inquit Dicast. disp. 10. n. 262. cùm in quadam Bulla Leo. X. inter cætera privilegia concessa, propter eximia obsequia præstita Ecclesiæ, cuidam familiæ usque ad 4. generationem fuisset indultum, ut ejus familiæ Sacerdotes possent anticipare vel postponere totum officium Canonicum per totum integrum diem; & dubitatum fuisset, an hoc privilegium se extenderet ad Diaconos & Subdiaconos ejus familiæ, vel etiam beneficiarios, nondum sacris initiatos; viri graves & docti tum Compluti, tum Matriti; tum Toleti, Theologi pariter & Iurisperiti senserunt, etiam ad eos se extendere privilegium, & ego, cùm ibi docerem, eorum sententiam secutus; simul cum eisdem subscripsi huic resolutioni.

Illa enim vox, *Sacerdotes*, non putabatur limitativa, sed ostensiva & designativa ejus, quod frequentiùs est; pauci enim jam sunt, qui si ad statum Ecclesiasticum aspirent, & tenentur dicere officium, non tandem fiant Sacerdotes, & de his putabatur specialis mentio fieri, tamquam de re magis recepta & communi, non ad limitandum privilegium; quod potiori ratione posset in præsenti materia locum habere, ubi pauci sunt, qui solùm à Prælato, & non etiam ab Episcopo approbationem habeant. Hæc ille.

25. Contrariam sententiam tenet Suarius.

Qui tamen contrariam sententiam existimat probabiliorem, quam tenet Suarius Disp. 28. Sect. 6. n. 11. tum quia Pontifex addit illud verbum, quia vult servari Concil. Trident. & approbationem in illo postulatam, in qua nihil possunt Prælati Religionum, sed soli Episcopi: tum etiam, quia verba illa generalia sunt, & eandem significationem respectu omnium habent: constat autem respectu reliquorum omnium fidelium requiri approbationem Episcopi.

Item est certum: si Religiosi velint eligere sæcularem Clericum (suppono enim in hac amplitudine Iubilæum concedi) illum ab Episcopo,

scopo, & non à Prælato Religionis debere esse approbatum. Ita Suarez.

26. Contra Suarium argait Auctor.

Ego autem dico, suppositâ hâc amplitudine, Religiosum posse eligere sæcularem Clericum, non ab Episcopo, sed à Prælato Religionis approbatum; & probo ex ipso Suario: quia Pontifex vult servari Concil. Trident. & approbationem in illo postulatam, sed Concil. Trident. non postulat approbationem Episcopi pro Absolutione Regularium, ùt clarum est ex dictis, & docet Suarez eâdem Disp. Sec. 4. n. 4. ergo &c.

Plures Auctores pro prima sententia.

Atque hanc sententiam, teste Dianâ p. 5. tract. 12. resol. 37. præter Bonac. suprà relatum, tuetur Homobonus, Coriolanus, Zerola, Sorbus, Zanardus, Sanctarellus, quos citat & sequitur Alphonsus de Leone tract. de Iubilæo p. 2. n. 212. Eamque probabilem & tutam esse docet etiam Angelus Bossius de Iubilæo Sect. 3. cas. 3. n. 10. Et procedere etiam quoad Novitios tradit Ioan. de la Cruz de Statu Relig. l. 1. c. 6. dub. 10. Concl. 2. in fine, & Alii satis quidem probabiliter. Ita Diana.

27. Media sententia.

Alii mediam sententiam eligunt, nempe si in Bulla dicatur, posse eligi approbatum *Ab Ordinario loci*, tunc requiri approbationem Episcopi; secùs si tantùm dicatur: *Ab Ordinario*; quia nomen *Ordinarii*, potest applicari Prælato, secùs nomen *Ordinarii loci*. Ita Filiucius tom. 1. tract. 8. c. 10. n. 275. Vide Dia. suprà.

Filiucius.

Securiùs est confiteri Sacerdoti approbato ab Episcopo.

Absque dubio securiùs est confiteri Sacerdoti approbato ab Episcopo, sive dicatur: *Ab Ordinario loci*, sive: *Ab Ordinario* tantùm; adeòque id practicandum, quando commodè potest practicari: interim tamen contraria sententia, sicut dixi, non est improbabilis; imò satis & valde probabilis, ut practicetur tempore necessitatis.

28. Ratio, quæ secundùm Aliquos movit Pontificem, ut id requireret.

Tantùm addo aliquam rationem, quam putat non nemo movisse Pontificem, ut requireret tempore Iubilæi approbationem Episcopi; quia, inquit, potuit advertere, Confessarios strictiori calculo examinari atq; approbari consuevisse ab Ordinariis locorum, quàm à Superioribus Regularium, & ideo de ipsorum sufficientia confidens, ejus munus, in quo vices Pontificiæ subeundæ sunt, illis potissimùm jure merito demandari voluit. Sic etiam litteræ sacræ Pœnitentiariæ solis Theologis, vel Decretorum Doctoribus, approbatis tamen ab Ordinariis locorum, dirigi consueverunt.

Responsio.

Respondeo; etiam potuit advertere, Religiosos pœnitentes moraliter ac regulariter loquendo aliam habere conscientiam & prudentiam, quàm homines sæculares, & ideo voluit, sicut extra Iubilæum, ita & in Iubilæo concedere ipsis potestatem cuilibet idoneo confitendi, etiam non approbato ab Episcopo; tametsi homines sæculares tam in Iubilæo, quàm extra Iubilæum debeant confiteri Sacerdoti ab Episcopo approbato.

Sed progrediamur ad alias partes Conclusionis. *Nullus, etiam Regularis, valide absolvit sæcularem, etiam Sacerdotem non obstantibus privilegiis & consuetudine etiam immemorabili, nisi sit ab Episcopo approbatus, vel habeat parochiale beneficium.* 29. Approbatio non est necessaria, ubi Trident. non est receptum.

Intellige, ubi Trident. est receptum; nam ante Trident. approbatio ista, vel beneficium non erat necessarium; ergo similiter nec post Trident. ubi hoc non est receptum, cùm ibi maneant jura & consuetudines antiquæ in suo vigore. Ubi autem receptum est, sicut generaliter sonat; ita generaliter comprehendit omnes Sacerdotes tam sæculares quàm Regulares, etiamsi fuerint Doctores, vel Licentiati Theologiæ, aut Iuris Canonici; immo Episcopi aut Cardinales, non habentes curam animarum: nulla quippe est ratio aliquos excipiendi. Ubi receptum est, obligat etiam Doctores & Licentiatos.

Quinimmo, respondet aliquis, ratio excipiendi Graduatos hæc est, quia ipsi aliàs idonei judicantur; hoc autem sufficit, ùt patet ex verbis Concilii; ibi: *Aut aliàs idoneus judicetur.* 30. Ratio in contrarium.

Respondeo cum Rodrig. tom. 1. qq. Reg. q. 59. a. 10. Concilium in illis verbis non facit pausam, sed continuando addit: *Et approbationem, quæ gratis detur, obtineat.* Quæ planè designant non sufficere judicium idoneitatis, nisi etiam approbatio Episcoporum concurrat ad ipsam idoneitatem. Enimverò Confessarii non solùm de scientia, sed etiam de prudentia examinantur. Et licèt in Doctoribus & Licentiatis sufficiens scientia inveniatur, prudentia tamen aliquando desideratur. Responsio. Rodrigum.

Dices; Pius V. Bullâ: *Etsi Mendicantium* 31. apud Cherubinum §. 2. sic ait: *Quod verò in sess. 23. cap. 15. circa Confessiones à Regularibus non audiendas statuitur, hoc etiam dictorum Ordinum* (Mendicantium) *fratres à præfatis suis Generalibus vel Ministris Provincialibus ad audiendas Confessiones utriusque sexûs Christi fidelium approbatos, ut præmittitur, minimè comprehendat.* Et §. 3. *Lectores insuper ex eisdem Fratribus & in Theologia graduati, qui cum licentia suorum superiorum ad gradum admissi fuerint, cum de ipsorum doctrina ambigendum non sit, tam Confessiones audituri, quam prædicationis munus subituri, ab Episcopis minimè examinentur.* Obiectio ex Bulla Pii V.

Respondetur; Pius V. hanc Constitutionem revocavit Bullâ: *Romani Pontificis.* 133. apud Cherubinum §. 2. *Nos super his pro debito pastoralis officii, prout tenemur, salubriter providere volentes, tenore præsentium hâc nostrâ Constitutione perpetuâ sancimus & declaramus, Decretum Concilii Trident. de approbatione Regularium, audiendis Confessionibus sæcularium præpositorum, ab Episcopis faciendâ, observari debere, etiam in omnibus Regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, etiam sub regulari disciplina viventibus, etiamsi sint* Solutio.

ſint Lectores, aut in Theologia, etiam de Superiorum ſuorum licentia, graduati, vel promoti, vel à ſuis Magiſtris Generalibus, vel Provincialibus Miniſtris, ſæcularium Confeſſionibus audiendis expoſiti.

32. Replica. Sed contrà: hæc Conſtitutio per Greg. XIII. Bullâ: *In tanta rerum.* 9. apud Cherubinum, redacta fuit ad terminos juris veteris, & Concil. Trident. ibi: *Nos hâc tantâ varietate cognitâ, quæ etiam ex multiplici litterarum & Conſtitutionum editione procedit, præſentibus & futuris diſcriminibus occurrere volentes, de nobis attributæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus & ordinamus de prædictis & aliis omnibus litteris & Conſtitutionibus, quæ ab eodem Prædeceſſore (Pio V.) eiſdem de rebus* (inter quas erat approbatio Confeſſariorum) *pro quorumcumque Regularium etiam Mendicantium Ordinibus & Congregationibus, quomodolibet emanarunt, ac omnibus & quibuſcumque in eis contentis, eam deinceps diſpoſitionem atque deciſionem pro ſubiecta materia futuram eſſe, quæ ſive ex iure veteri, ſive ex ſacris dicti Concilii decretis, ſive aliàs legitimè ante dictarum litterarum & Conſtitutionum editionem erat, & ſi ipſæ non emanaſſent, futura fuiſſet, ad quam diſpoſitionem & deciſionem, ſuumq; priſtinum & integrum ſtatum, ac terminum illa omnia reducimus. Quin etiam tollimus & abrogamus omnia irritantia & alia decreta nec non prohibitiones &c.* Ita Gregor. Bullâ ſuprà allegatâ §. 6. Igitur Lectoribus & aliis graduatis ex Bulla Pii V. revocatoria nullum præjudicium generatur.

Reſpondetur: neque ex Bulla: *Etſi Mendicantium*, ullus favor accreſcit, cùm & hæc ipſa ſit revocata per eandem Conſtitutionem Gregor. ùt patet ex verbis allegatis. Illatur.

33. Alia replicâ ſoluitur. Si dixeris cum Aliquibus; præfatam Bullam Gregorii non fuiſſe publicatam, immo fuiſſe revocatam. Infero; ergo ex Bulla Pii V. revocatoria generatur Lectoribus & aliis graduatis præjudicium. Omitto, quòd in Bulla: *Etſi Mendicantium*, tantùm excludatur examen Epiſcoporum, quod indubiè non eſt neceſſariùm ex vi Concilii Tridentini; ergo etiam non eſt neceſſaria approbatio. Negatur conſequen. quia aliud eſt approbare, aliud examinare. Examen non requiritur, niſi ut per illud Sacerdos judicetur idoneus; quando ergo aliunde conſtat de idoneitate, nullatenus requiritur examen, ùt manifeſtè conſtat ex verbis Concil. ibi: *Aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs*, id eſt, ſinè examine, *idoneus judicetur*, ſicut judicari poteſt Doctor aut Licentiatus in Theologia, Lectores Thelogiæ &c.

Ergo licèt admitteret aliquis, Doctorem vel Licentiatum, Lectorem Theologiæ &c. non eſſe examinandos ab Epiſcopis (& ſanè non videtur decorum, perſonas adeò patenter qualificatas, inſtar diſcipulorum per examina rigoroſa tentari, ab iis præſertim, quos potiùs ipſi velut diſcipulos interdum inſtruerent) equidem requirere poſſet approbationem Epiſcoporum.

Pro qua utique ſubjungo ampliſſimam revocationem omnium indultorum ac privilegiorum, conceſſorum Religioſis, audiendi Confeſſiones ſæcularium, abſque Ordinarii approbatione, noviſſimè factam ab Urbano VIII. Bullâ: *Cùm ſicut accepimus* 92. apud Cherubinum. 34. Revocatio privilegiorum audiendi Confeſſiones ſæcularium abſque Ordinarii approbatione, per Bullam Urb. VIII.

Nos huic malo opportunè providere volentes de Vener. Frat. noſtrorum S. R. Eccleſiæ Cardin. negotiis Regularium præpoſitorum conſilio, omnia & ſingula indulta huiuſmodi, audiendi ſæcularium Confeſſiones abſque Ordinarii examine & approbatione, quibuſvis Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, & etiam Societati Ieſu, Congregationibus, & Ordinibus tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, nec non Monachorum quorumcumque etiam S. Benedicti, Ciſtercien. & Carthuſien. ac etiam quibuſvis Militiis, etiam Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani, ac quibuſcumque Eccleſiis etiam Patriarchalibus & Metropolitanis, Monaſteriis, cæteriſq; locis piis, ſive eorum & earum reſpectivè Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, etiam Generalibus vel Provincialibus, Capellanis, Confeſſariis, aut aliis quocumque nomine nuncupatis Superioribus, & perſonis quibuſcumque, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectis, cuiuſcumque dignitatis, præeminentiæ & conditionis exiſtentibus; & quovis privilegio munitis, & tam ad ſupplicationem partium, quàm motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hactenus quandocumque & qualitercumque, ex quavis etiam de neceſſitate examinanda cauſa, & aliàs quomodolibet conceſſa, Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, annullamus, viribuſq; & effectu evacuamus, ac revocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſq; & effectu vacua eſſe & fore, nec Religionibus, Societatibus, etiam Societati Ieſu, Congregationibus, Ordinibus, ac Militiis & Eccleſiis, Monaſteriiſq; prædictis, eorumq; Superioribus & perſonis quibuſcumque impoſterùm ullo modo ſuffragari, minuſq; illos & illas, etiamſi de iis ſpecialis ſpecifica & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret indultis huiuſmodi uti poſſe. Ita Pontifex Bullâ prælegatâ §. 1.

Reſpondet Bruno Chaſſaing de Privil. Reg. tract. 5. c. 2. prop. 1. hanc Conſtitutionem non derogare juri communi. Nec Pontificem quidquam adversùs Regulares, eorumque privilegia in communi determinare, ſed tantùm privilegium adversùs Regulares ſoliùs Diœceſis Giennenſis Cardinali de Sandoval illius Epiſcopo impartiri, ut poſſit illos examinare & approbare, licet antèà examinatos & approbatos, ùt legenti planùm fiet & fuſiùs dicetur. 35. Reſponſio Chaſſaing.

Et propos. 2. sic ait: Ad confirmationem verò Urbani respondetur, illum Pontificem personaliter Cardinali de Sandoval Episcopo Giennensi quædam privilegia adversùs Regulares conformiter ad Decreta Trident. (ùt in eadem Bulla asseritur) concessisse, quæ extendit ad Episcopum Giennensem, ùt cernere est etiam in dicta Bulla, & patet ex his terminis in ea positis, videlicet, *Tui*, &, *Tibi*, & ex illo termino in eadem posito, *Hâc vice*; factum autem contra unum, non debet juri alterius præjudicare. Accedit, quòd non habet clausulam, juris communis revocatoriam. Hæc ille.

Interim consulit omnibus Regularibus, ne examen & approbationem Episcopi recusent ob Doctorum torrentem, Cardinalium Declarationes, & praxim contrariam in sensu litterali Trident. fundatam. Idem ego consulo.

36. quam examinat Auctor.

Et quantùm attinet ad Bullam Urbanianam, legi eam & perlegi & relegi; sed nullam in ea invenio mentionem vel Diœcesis Giennensis, vel Cardin. Sandoval illius Episcopi; neque reperio illos terminos, *Tui*; &, *Tibi*. Ubì illos legerit præfatus Auctor nescio, saltem non apud Cherubinum, quo ego usus fui. Terminum, *Hâc vice*, invenio §. 4. quomodo autem ex eo colligatur, præfatam Constitutionem solùm factam esse contra unum, fateor me nescire.

Exscribo verba illius §. si fortè aliquis, me doctior, ex ipsis id possit colligere. *Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumq; Præpositis, Decanis, Magistris, Abbatibus, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus, Capellanis, aliisq; prædictis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hâc vice dumtaxat specialiter & expresè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque.*

Quæ est communis clausula derogatoria contrariorum, quam ferè de verbo ad verbum etiam cum illo termino, *Hâc vice*, invenies apud Pium V. Bulla: *Etsi Mendicantium*. An propterea hæc Bulla solùm facta contra unum? Igitur Bulla Urbaniana, quantùm ego ex ejus verbis colligere possum, facta est adversùs omnes Regulares cujuscumq; Diœcesis. An autem deroget juri communi, patebit ex infrà dicendis.

Sanè Trident. non derogare, nisi privilegiis & consuetudini, patet ex his ejus verbis: *Privilegiis & consuetudine quâcumque etiam immemorabili non obstantibus*. Et ideo ab Aliquibus fuit dubitatum, an Episcopus vigore juris communis cap. fin. de Pœnit. & remiss. possit eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit admissus ad Confessiones audiendas ad formam hujus Decreti, præsertim cum nomine Sacerdotis simpliciter dicti, non veniat Episcopus in materia odiosa & restringente. 37. An Episcopus vi juris communis possit eligere Sacerdotem non subditum, à proprio Ordinario non approbatum.

Hoc dubium (inquit Suarez Disp. 28. Sect. 4. n. 7) tractatum fuit Romæ in Congregatione, cui decem Cardinales aderant, & quinque eorum in partem negativam, quinque verò in affirmativam inclinarunt. Fundamentum affirmantium mox exposui; fundamentum negantium subjungo: quia verba Concilii universalia & generalia sunt, & illa principia, per quæ limitantur, non sunt satìs firma, nec sufficienti auctoritate approbata. Præsertim, quia Decretum verè ac propriè non derogat illi privilegio Prælatorum; quia privilegium expresè dicit, ut possint eligere Sacerdotem idoneum, & hoc integrum manet, neque Concil. illud in totum, vel in partem abstulit, sed solùm ex parte Confessoris posuit conditionem necessariam, ut idoneus sit; & hæc conditio universaliter posita est respectu omnium sæcularium, inter quos hi Prælati continentur. Denique non potest hæc materia propriè dici odiosa, sed potiùs dicenda videtur favorabilis, quandoquidem sit in favorem Sacramenti & conscientiæ, & propriè nullum jus Episcoporum auferat. Suarez. Fundamentum partis negativæ.

De hac ergo sententiarum diversitate consultus Summus Pontifex Greg. XIII. respondit (inquit Suarez suprà n. 8.) *In re dubia tutiùs est adhærere Decreto Concilii Trident.* Hinc inter Declarationes, quæ circumferuntur ex ultima recognitione Ioannis Gallemart, una exprimitur sub hac forma verborum: *S. D. N. auditâ relatione Congregationis, declaravit, Episcopos vigore privilegii, de quo in cap. fin. de Pœnit. & remiss. non posse sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit ad hoc juxta formam hujus Decreti, admissus seu approbatus ad audiendas Confessiones.* 38. quæ ratio est.

Nota ly *Sibi non subditum*; quia si velint eligere sibi subditum; illum possunt approbare si volunt, & censentur approbare hoc ipso, quòd eligunt; qui enim vult Absolutionem, vult ea omnia, quæ ad illam necessaria sunt, quatenus ab ipso pendent, adeòque vult dare jurisdictionem, & approbationem. Sed de hac Declaratione latiùs infrà Concl. 5. n. 15. & seq.

Ut ut sit de Episcopo, planè id dicendum est de aliis inferioribus Sacerdotibus, qui non 39. An alii Sacerdotes

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Inferiores possint eligere non approbatum.

non habent jurisdictionem Episcopalem, videlicet non posse eligere, nisi aliquem approbatum ab Episcopo; prout hodie liquidò constat ex quodam Decreto Alexandri VII. an. 1666. 24. Septembris, in quo ùt minimum tanquam scandalosa damnatur & prohibetur hæc propositio: *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

Qui etiam nequeunt delegare suam jurisdictionem nisi sic approbato.

Igitur qui beneficium curatum habent (& eadem est ratio aliorum Sacerdotum) non possunt sibi eligere in Confessarium, nisi approbatum ab Ordinario, & per consequens videtur, quòd non possint delegare suam jurisdictionem, nisi sic approbato. Concilium quippe generaliter & indifferenter postulat hoc genus approbationis ad exequendum munus Confessoris, quacumque ratione jurisdictio ei deleganda sit; non enim dicit, ut eligi non possit in Confessorem, qui non fuerit sic approbatus, sed simpliciter ait: *Non posse audire sæcularium Confessiones, neque ad id idoneum reputari.* Igitur sive à pœnitente eligendus sit, sive à proprio Sacerdote directè accepturus sit jurisdictionem, semper supponi debet hæc approbatio, de quo latiùs infrà n. 47. & seqq.

Pontifex delegando jurisdictionem censetur id facere juxta formam Concilii per loquendo.

Unde quàmvis Papa delegando jurisdictionem suam, vel dando facultatem eligendi Confessorem, posset de absoluta potentia derogare juri illi Concilii Trident. equidem nisi contrarium expressè declaret, vel ex modo concessionis manifestè constet, censetur id facere juxta formam Concilii. Nam cùm hoc sit jus ordinarium, à Concilio constitutum, & sit de re gravissima, ex qua dependet valor Sacramenti, quoties Pontifex absolutè loquitur, secundùm hoc jus loqui censendus est.

40. In casu particulari posset videri illum approbare.

Nihilominus tamen, inquit Suarez suprà n. 9. si Papa alicui Sacerdoti particulari speciale licentiam faceret ad Confessiones audiendas, probabile est, hoc ipso videri illum approbare, quod maximè esset indubitatum, si talem licentiam daret pro suo particulari Episcopatu Romano: nam si esset universalior, oporteret etiam approbationem universalem distinctiùs explicare, quàmvis eo ipso, quòd licentia datur in particulari tali personæ, videatur profectò sufficiens approbatio ejus. Hæc ille.

Idem dicendum de Episcopo.

Et idem cum proportione dicendum est de Episcopo: si Episcopus Sacerdoti sibi subdito committat jurisdictionem suam, hoc ipso illum approbat & exponit; nam hoc est in potestate ejus: qui autem vult alteri delegare jurisdictionem suam, vult etiam dare, quæ ad illam necessaria sunt, quatenus ab ipso pendent. Si autem alicui subdito Episcopus det facultatem eligendi Confessorem in sua Diœcesi, clarum est, debere intelligi de Sacerdote exposito juxta formam Concilii Trident. id est, de Sacerdote, qui est approbatus ab Episcopo, vel habet parochiale beneficium, id est, beneficium, cui annexa est cura animarum; *Quale non est Prælatura Regularis*, ùt habet altera pars Conclusionis.

41. Prælatura Regularis non est beneficium parochiale.

Licèt enim hæc Prælatura habeat annexam curam animarum, tamen nunquam in jure vocatur beneficium; quidquid sit de illa controversia (quæ non est hujus loci) an beneficium formaliter constitat in jure percipiendi fructum, propter ministerium spirituale, in Ecclesia exhibendum; an verò in jure ad ministerium spirituale, quod habet annexum jus percipiendi fructum temporalem ex bonis Ecclesiæ ad sustentationem. Quidquid enim dixeris, liquet, Prælatos nostræ Religionis non habere jus aliquod percipiendi fructum ex bonis Ecclesiæ, propter ministerium spirituale; neque habere jus ad ministerium spirituale, habens annexum jus percipiendi fructum temporalem ex bonis Ecclesiæ.

Suarez, Lugo.

Et ideo hanc sententiam docet Suarez suprà n. 21. quem sequitur Lugo disput. 21. n. 10. dicens: Nec id erat juxta mentem Concilii, quod clarè voluit in hoc subjicere Episcopis Confessarios Regulares quòd ad examen & approbationem, non obstantibus eorum privilegiis. Et quidem quando eligitur Prælatus Regularis, non multùm attenditur semper ad ejus doctrinam, ut ideo approbatus censendus sit ad audiendas Confessiones sæcularium. Hæc ille.

42. Ad beneficium parochiale non sufficit cura quarumcumque animarum.

Sanè in nostro Ordine aliquando electi fuerunt in Guardianum Laici, ut legitur de S. Didaco, & possunt eligi ad alias Prælaturas. Breviter; non videtur sufficere quælibet jurisdictio, seu cura quarumcumque animarum ad beneficium parochiale, sed videtur requiri jurisdictio in sæculares, seu cura animarum sæcularium, ut quis possit audire Confessiones sæcularium, absque alia approbatione Episcopi.

Ideo quippe, qui accipit curam animarum sæcularium, eo ipso censetur approbatus ad audiendas eorum Confessiones, quia illa auditio est præcipua cura; ergo qui imponit curam, simul dat illa, quæ sunt requisita ad curam illam debitè exequendam; ergo potestatem absolvendi. Cùm ergo Prælati Regulares communiter non habeant curam animarum sæcularium, ùt suppono, quid mirùm, si hoc ipso quòd Prælati instituuntur, non accipiant potestatem absolvendi sæculares, sed tantùm absolvendi Regulares? Hanc sententiam vocat Lugo sup. communem, quam etiam amplectuntur Dicastillo disput. 10. n. 264. Arriaga disp. 42. n. 5. Herincx part. 4. tract. 4. disp. 5. n. 34. & Alii tam Veteres quàm Recentiores.

Lugo. Dicastillo. Arriaga. Herincx.

43. Contrariam sententiam Multi docent, Mantius, Gallus & Alii, apud Dianam.

Verumtamen contrariam sententiam, teste Dia. p. 5. tract. 12. resol. 52. olim docuerunt præclara illa inclytæ Academiæ Salmanticensis lumina, Mantius, Gallus, Bannes, Medina, quos citat & sequitur doctissimus Henriquez lib. 6. cap. 6. n. 2. in Gloss. lit. E. & F. Cui adde Ioannem Valerum in diff. utr. fori verb. *Nullitas* diff. 5. n. 5. Salas in quadam lectura quoad habentes Bullam Cruciatæ. Et hanc sententiam, licèt loquatur cum formidine, speculativè probabilem esse putat Ludovic. de la Cruz. in exposit. Bullæ Cruciatæ disput. 1. cap. 2. dub. 11. n. 8.

Sed sinè metu, non solùm speculativè, sed etiam practicè probabilem esse putat novissimè Angelus Bossius in tract. de Iubil. Sect. 3. cas. 2. §. 2. n. 53. in fine, ubi sic ait: Dixi, *Probabilius*; quia etiam prior sententia est probabilis ob rationem & auctoritatem tot Doctorum, ac proinde in foro interiori quis posset illam in praxi servare, etsi in foro exteriori Episcopi non permitterent. Ita Bossius.

44. Probatur ex ratione.

Et ratio est: quia nomine habentis beneficium parochiale seu Curatum, videntur comprehendi omnes, quibus ratione dignitatis vel proprii officii demandata est cura animarum. Nam eo ipso, quòd alicui animarum cura demandatur, sufficienter declaratur idoneus ad Confessiones audiendas: ergo cùm Prælatis Religionum ex vi sui officii sit demandata cura, & etiam cum ampliori jurisdictione, quàm Parochis, censendi sunt juxta Concilium sufficienter idonei & approbati ad Confessiones sæcularium audiendas, & præsertim, quia dicti Prælati Regulares sunt communiter probatiores & digniores tam litteris, quàm moribus, quàm plerique ex sæcularibus habentibus curata beneficia.

Confirmatur.

Adde etiam, quòd Canonicus Pœnitentiarius, sinè speciali Episcopi approbatione, est eligibilis per Bullam; nam eo ipso, quò eligitur in Canonicum Pœnitentiarium, ipso jure impenditur ei approbatio ad audiendas Confessiones: nam ad hoc munus specialiter eligitur; ergo sicut iste, sinè speciali approbatione, est eligibilis per Bullam, ita & Prælatus Monasterii. Immo major ratio est de illo, quàm de Pœnitentiario; quia Pœnitentiarius non est propriè Parochus, nec Ordinarius; Prælatus verò sic.

Occurritur objectioni.

Nec obstat dicere, ùt aiunt quidam Recentiores, Pœnitentiarium accipere approbationem ab Episcopo, eo ipso quò eum in Pœnitentiarium eligit. Neque, inquam, obstat; quia Pœnitentiarius, & maximè in Ecclesiis Cathedralibus, non eligitur ab Episcopo, sed à Capitulo, ubi plerumque eligitur contra Episcopi voluntatem. Hucusque Diana.

45. Cur possit Prælatus Regularis indigere approbatione Episcopi, quam Pœnitentiarius.

Verùm enimverò Pœnitentiarium plerumque eligi contra Episcopi voluntatem, non facilè credidero. Atque ut sic aliquando eligeretur, Respondet Dicastillo suprà n. 265. potuit hoc ab initio consuetudine esse receptum, quod non facilè probabitur de Guardiano aut Præposito.

Sed contrà; si solâ consuetudine hoc possit Pœnitentiarius, jam amplius non potest; quia consuetudo etiam immemorabilis per Trid. revocatur & annullatur. Ideo respondeo: disparitatem esse; quòd Pœnitentiarius, estò non sit propriè Parochus nec Ordinarius, equidem commissa est ipsi cura animarum sæcularium, ac proinde eo ipso approbatus censetur & idoneus ad audiendas Confessiones sæcularium; secùs Prælatus Religionis, cui per se loquendo non committitur nisi cura Religiosorum, & ideo non censetur approbatus, nec idoneus per suum officium, ad audiendas Confessiones sæcularium; nisi per accidens eorum, qui sunt de familia sui conventûs, qui ordinariè pauci sunt & aliquando nulli.

46. Prælatus Regularis absque approbatione poterit audire Confessiones omnium sæcularium, qui sunt vere de familia.

Quòd autem hos possit audire absque alia approbatione Episcopi, patet ex Declaratione Cardin. sequentis tenoris: *Congregatio Concilii censuit, in Monasteriis ac etiam Collegiis Regularium, ubi Regularia instituta servantur, posse Prælatos Regulares, sive aliorum Religiosorum Confessores absque licentia Episcopi Confessiones eorum sæcularium, qui sunt verè de familia & continui commensales, non tamen illorum, qui tantùm deserviunt in Monasteriis, audire.* 30. Martii 1594.

Et alia Declaratio sic sonat: *Prælati Regulares seu alii Religiosi Confessores non possunt audire Confessiones sæcularium, qui sunt de familia & deserviunt ipsorum Monasteriis, absque approbatione vel licentia Episcopi.* 14. August. 1568. *secùs tamen si illi sæculares sunt verè de familia & continui commensales.* Ex decis. 96.

Ubi id conceditur non solùm Prælatis, sed etiam aliis Confessariis Religiosorum, respectivè tamen ad eos, qui verè sunt de familia; cumque exceptio firmet regulam in contrarium, nec possint audire Confessiones eorum, qui tantùm deserviunt in Monasteriis, multò minùs eorum, qui nullatenus spectant ad Monasterium; ac proinde liquet, Prælaturam Regularem neutiquam censeri à Congregatione Concilii beneficium parochiale, cùm sic nulla deberet fieri exceptio, neque ullus respectus haberi ad hos vel ad illos sæculares.

47. An Parochus possit delegare facultatem Sacerdoti non approbato.

Ex hactenus dictis haud difficulter resolvitur hæc quæstio: Vtrùm Parochus, ubi Tridentinum est receptum, possit suam potestatem delegare Sacerdoti non approbato, neque habenti parochiale beneficium. Ratio dubitandi est: quia jus delegandi competit Parocho ex suo officio; in Trident. autem solùm

dicitur

dicitur : *Privilegiis & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus.* Ergo manet Parocho ſalvum ſuum jus, quod ipſi competit ex jure communi cap. *Omnis utriuſque ſexûs.* 12. de Pœnit. & remiſſ. ibi : *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iuſta de cauſa, ſua confiteri peccata, licentiam priùs poſtulet & obtineat à proprio Sacerdote.*

cap. 12. de Pœnit. & remiſſ.

Aliqui affirmant.

Propter hanc rationem docent Aliqui, Parochum poſſe nunc, ſicut ante Conc. Trident. dare hujuſmodi licentiam, etiam non approbatis, & validè abſolvi pœnitentem ab eo, cui Parochus vices ſuas commiſerit, licèt ipſe Parochus peccet mortaliter. Et hæc (inquit Petrus Ledeſma tract. de Pœnit. cap. 11. Concluſ. 5. §. *Secunda ſententia*) fuit ſententia doctiſſimorum virorum Ioannis Gallo primarii Salmantini, qui Concilio Trident. interfuit, dum hujuſmodi Decretum ederetur; quam ex eius ore audiviſſe me memini, & nunc inter ejus ſcripta circumfertur, & P. M. Ioannis Orellana, & aliorum gravium Theologorum. Hæc ille.

Petrus Ledeſma. Joan. Gallo. Joan. Orellana.

48. Explicatur Conc. Trid. à Ledeſma.

Explicat autem Conc. Trident. dicens; hujuſmodi Decretum Conc. ſtatutum fuiſſe ad declarandum, quis cenſendus eſſet idoneus Confeſſor in Iure, Privilegiis aut Bullis ad audiendas Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum. In jure enim quandoque indulgetur facultas eligendi idoneum Confeſſarium, ſimiliter in Privilegiis & Bullis. Inter DD. ergo controvertebatur, quidnam nomine *Confeſſoris idonei* tam in jure, quàm in Privilegiis & Bullis deberet intelligi, & in hoc variæ ac diverſæ erant illorum ſententiæ; Quidam enim dicebant quemlibet ſimplicem Sacerdotem eſſe idoneum Confeſſorem; Alii è contra approbationem præterea Epiſcopi requirebant.

Ad hujus ergo controverſiæ deciſionem Conc. Trident. definivit conditiones, quibus Confeſſor præditus eſſe debebat, ad hoc ut idoneus reputetur, & declaravit quis veniat intelligendus nomine *Confeſſoris idonei* tam in jure, quàm in Privilegiis. Qui ergo habet conditiones requiſitas à Concilio, is idoneus reputandus eſt, ut debitè Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, excipere valeat, & hæc eſt legitima hujus Decreti intelligentia: unde facilè colligitur, virtute illius jus antiquum cap. *Omnis.* minimè eſſe abrogatum, nec ullo pacto reſtrictum, ſed eandem prorſus vim habere ſicut ante: unde ſicut Parochus ante tempora Conc. Trident. poterat ſubditis ſuis facultatem dare alteri confitendi, ita & modò. Hactenus Ledeſma.

49. Contra quem arguit Author.

Sed interrogo ego unum verbum; Parochus ante Concil. peccabat mortaliter committendo vices ſuas Sacerdoti non approbato? Evidens eſt quòd non. Cur ergo poſt Conc. peccat mortaliter, ùt docet illa ſententia (prout refertur à Ledeſma) cùm per Decretum iſtud jus antiquum minimè ſit abrogatum, nec ullo pacto reſtrictum, ſed eandem prorſus vim habeat, ſicut antea? Si Parochus, ſicut ante tempora Concil. poterat ſubditis ſuis facultatem dare alteri confitendi, ita & modò: & ante tempora Trident. ſinè peccato mortali poterat dare ſuis ſubditis facultatem alteri non approbato confitendi; cur poſt Trident. peccat mortaliter? Reſponſionem expectabo.

Interim ſubſcribo, quod idem Auctor ſuprà notat, dicens, per hujuſmodi Decretum Concilii poteſtatem Sacerdotibus nec dari, nec auferri Confeſſiones audiendi, ſed ſolùm declarari, quid intelligatur nomine Confeſſoris idonei; & hoc, inquit, evidenter colligitur ex ipſiſmet verbis Decreti: in primis enim dicit, eum eſſe idoneum miniſtrum ad Confeſſiones ſæcularium audiendas, qui beneficium parochiale habuerit, & nihilominus ſtando in jure communi, & ſecluſis Bullis aut privilegiis, certum eſt; quòd qui habet beneficium parochiale, non habet juriſdictionem in eos, qui non ſunt ſibi ſubditi.

50. An per Decretum Concilii detur vel auferatur poteſtas audiendi Confeſſiones.

Et præterea, quia approbatus ab Ordinario tamquam idoneus juxta verba hujus Decreti eſt idoneus ad audiendas Confeſſiones ſæcularium, & interim certum eſt, illum nullam prorsùs juriſdictionem ad eas audiendas habere, ſtando in rigore juris: unde patet illo Decreto nullam juriſdictionem, aut juriſdictionis poteſtatem Sacerdotibus conferri, nec ab illis, qui eam priùs habebant, auferri: ita ut hæc particula: *Nullum, etiam Regularem, poſſe &c.* ſit intelligenda, quòd non poſſit cum idoneitate, non autem ſit mentio poteſtatis juriſdictionis. Hæc ille.

51. Videtur an ferri poteſtas Regularibus non approbatis.

Sed rurſum interrogo; Regularis ſinè tali idoneitate poteſt abſolvere ſæcularem validè, ſicut ante Decretum poterat? Omnes hactenus unanimiter docuerunt, Decretum iſtud non tantùm prohibere, ſed etiam Abſolutiones ſecùs datas invalidare. Ergo per illud Decretum aufertur Regularibus non approbatis poteſtas juriſdictionis, quàmvis nemini juriſdictio concedatur, ſed ſolùm declaretur, illos eſſe capaces juriſdictionis accipiendæ vel retinendæ; qui vel fuerit approbatus ab Epiſcopo, vel habuerit parochiale beneficium.

Unde, quod bene notandum eſt, duo dicit Conc. Primùm: *Nullum, etiam Regularem, poſſe... audire*, eſtò ante Decretum habuiſſet poteſtatem juriſdictionis. Secundùm: *Nec ad id idoneum reputari*; id eſt, idoneum reputari ad accipiendam juriſdictionem, neceſſariam ad validè abſolvendum.

52. Per hoc non præjudicatur juri antiquo cap. *Omnis.*

Neque per hoc præjudicatur, ſive aufertur jus antiquum cap. *Omnis*; ſed manet planè intactum, ſicut manet intactum, quando Sacerdos, cui Parochus delegaverat ſuam poteſta-

tem, excommunicatur ab Ecclesia; certùm quippe est, per illam excommunicationem Sacerdotem istum amittere jurisdictionem delegatam, nec ampliùs posse validè absolvere; salvo interim manente jure Parochi, alteri committendi vices suas; quia hoc intelligitur de altero Sacerdote capaci, secundùm jus commune, jurisdictionis.

Probatur à simili.

Sicut ergo Parochus de facto, secundùm Omnes, non potest suas vices committere Sacerdoti excommunicato, estò jus antiquum permaneat in suo robore, ita quoque post Trident. non potest committere vices suas Sacerdoti non approbato, estò jus antiquum maneat in suo robore. Igitur per istud Decretum Trident. non aufertur jus Parochi, sed tantùm redditur aliquis Sacerdos incapax potestatis delegatæ; ut autem hoc non fiat, aut non possit fieri, nuspiam prohibet jus antiquum.

53. Confirmatur.

Et sanè si Parochus post Trident. posset dare facultatem, audiendi Confessiones sæcularium, Sacerdoti non approbato, neque habenti parochiale beneficium, etiam posset parochianis suis dare potestatem hujusmodi Sacerdotem eligendi. Ad quid ergo illud Decretum? Potissimùm quippe inductum fuit, ad tollendum Parochorum abusum, qui imprudentibus & illiteratis Sacerdotibus committebant suas oves; ergo non debebat ipsis relinqui illa facultas, quam antea habebant.

Procul dubio neque ante Trident. quilibet sæcularis Sacerdos poterat audire Confessiones, sed solùm ex commissione Episcopi vel Parochi: si ergo & modò ita possunt audire, nihil circa ipsos innovatum. Deinde cur Concil. non posset Parochos privare suâ potestate, quæ non est necessaria ad pascendum oves suas, cùm & Episcopus possit limitare ipsorum potestatem?

Concil. potest privare Parochos suâ potestate non necessariâ.

Neque ad hoc debebat facere specialem mentionem Parochi; nam redditâ personâ inhabili ad accipiendam jurisdictionem, eo ipso Parochus non potest ei jurisdictionem delegare. Oportebat autem facere mentionem privilegiorum, quia cùm hæc essent à Pontifice, poterant videri derogare juri Episcoporum, utì etiam consuetudo.

54. Conclusio. *Diana.*

Hæc itaque sententia, sic exposita, magìs arridet, & in jure probabilior, si non omnino certa, apparet; estque communior DD. utì videre poteris apud Dia. p. 3. tract. 4. resol. 146. & pro ea adfertur Declaratio Card. cujus tenor est: *Absolutio data à Sacerdote vigore facultatis, generaliter à Summo Pontifice, vel specialiter à Parocho concessa, si ab Episcopo is Sacerdos examinatus & approbatus non fuerit, valida non censetur.*

55. Joan. Sanchez censet improbabile

Tantùm addo, quod lego apud Ioannem Sancium in Select. disp. 48. n. 51. Ex dictis, inquit, totâ hâc disp. infertur, omnino improbabilem esse sententiam Illorum, qui censent, posse Parochum concedere facultatem simplici Sacerdoti, ad excipiendas suorum parochianorum Confessiones; quidquid in contrarium plusquam falsò dicant Ledesma 1. tom. Sum. de Sacram. Pœnit. c. 12. immediatè ad 5. Conclus. fol. mihi 223. & Ludov. de San. Ioan. in Sum. q. 7. a. 2. de Pœnit. diffic. 12. fol. 450. de verbo ad verbum transcribens, quæ dicta fuere à Ledesma. Hæc ille.

le, Parochum posse delegare suam potestatem Sacerdoti non approbato.

Ubì etiam bene notat, tantò magìs eorum opinionem fugiendam esse, quatenus inquiunt, illam esse oppositâ probabiliorem in jure, & posse satìs tutò sequi, sive (ùt ego lego apud Ledesmam) absque ullo periculo sustineri; cùm tamen certùm sit, Sacramentum exponi periculo nullitatis, & per consequens peccari, saltem contra charitatem, si fiat inscio pœnitente.

Potissimùm attentâ propositione damnatâ ab Alex. VII. de qua suprà n. 39. si enim illi, qui habent beneficum curatum, non possunt sibiipsis eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario, quo jure poterunt concedere facultatem simplici Sacerdoti ad excipiendas suorum parochianorum Confessiones? An Parochus pejor conditione est suis parochianis; ut hi possint confiteri Sacerdoti simplici, ipse autem minime?

56. An Episc. possit punire Sacerdotem, qui audit Confessionem ex sola Parochi licentia.

Addit præterea Sanchius; illos Doctores inconsequenter loqui; dum admittunt, Episcopum posse punire Confessarios, ex sola Parochi licentia excipientes Confessiones; eò quòd opinio Episcopi etiam sit probabilis; cùm tamen nullus sit dignus pœnâ, nisi ob culpam; argum. cap. 2. de Constit. ibi: *Rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit.* Et Reg. 23. de Reg. Iuris in 6. *Sinè culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.*

Cap. 2. de Constit. Reg. 23. de Reg. Iuris in 6.

Nec dixeris; hìc subest causa; quia in hoc casu, causa à culpa non potest separari: unde si non invenitur culpa, nec causa ad puniendum intercedet. Quod optimè confirmat Vasquez 1. 2. disp. 64. n. 13. ubì ait; quòd si causa utriusque Regis litigiosa sit, & utriusque probabilis, non poterit unus Princeps in alterum bellum movere, etiamsi ei videatur jus suum, quod habet ad regnum, probabilius, eò quòd bellum est actus justitiæ punitivæ, infligentis pœnam, & punientis rebelles: nemo autem censeri debet dignus pœnâ & rebellis, si propter opinionem suam probabilem, quâ credit jus aliquod ad regnum sibi competere, non sinat alium Principem propriâ suâ auctoritate regnum illud occupare, propter oppositam opinionem debellantem. Quæ ratio ad propositum efficax est. Ita Sancius.

Exemplo probatur. *Vasquez.* *Sancius.*

Reverà si probabiliùs est, me non peccasse, quomodo non est arguendus ille, qui me punit propter peccatum? Nisi dixeris, Iudicem posse

posse sequi sententiam minùs probabilem, & suspendere furem, qui probabiliùs innocens est, dummodò probabiliter sit nocens; de qua controversia nolo hìc disputare; sed, ut progrediamur in materia principali, quæro primò; utrùm Parochus possit à quolibet eligi per Iubilæum, vel Bullam Cruciatæ, absque ulteriori approbatione? Secundò; an sufficiat habuisse beneficium Parochiale? Respondeo ad utramque quæstionem:

CONCLUSIO III.

Actu obtinens beneficium parochiale (habuisse non sufficit) potest à quolibet eligi per Iubilæum vel Bullam Cruciatæ, absque ulteriori approbatione, etiam extra proprium Episcopatum. Approbatus pro certo genere personarum, v. g. virorum, non potest ab aliis eligi; si pro uno loco, nequit eligi à subditis alterius loci.

57. Non sufficit habuisse beneficium parochiale.

QUòd non sufficiat habuisse beneficium parochiale, ut hìc & nunc Sacerdos absolvat, absque ulteriori approbatione Episcopi, sive in propria, sive in aliena diœcesi, probatur ex verbis Concilii: *Nisi aut parochiale beneficium* (supple, habeat) *aut ab Episcopis per examen* &c. Sicut ergo non sufficit, semel approbatum fuisse; sed requiritur, ut actu sit approbatus, ita non sufficit habuisse beneficium parochiale; sed requiritur, ut actu habeat, id exigente propriâ significatione istorum verborum, à qua non est recedendum, nisi ad evitandum absurdum.

58. Objectio.

Dices; absurdum est manente eâdem capacitate & idoneitate (in cujus declaratione consistit approbatio) Sacerdotem hodie non esse idoneum ad audiendas Confessiones, ad quas audiendas heri erat idoneus; atqui cessante beneficio, non cessat hoc ipso capacitas seu idoneitas; ergo sufficit heri habuisse beneficium parochiale, ut hodie possit absolvere.

Solvitur.

Resp. distinguendo Min. cessante beneficio parochiali, non cessat hoc ipso capacitas seu idoneitas in actu primo, concedo; in actu secundo, Neg. Min. id est, non cessat prudentia & scientia, propter quæ meritò posset ab Episcopo approbari, interim cessat ille titulus, qui erat instar actualis approbationis; sicut ergo cessante actuali approbatione, estò maneat eadem prudentia & scientia, cessat idoneitas in actu secundo, v. g. si approbatio data fuerit cum limitatione certi temporis; consimiliter dico, cessare idoneitatem in actu secundo, cessante beneficio parochiali.

59. Non est absurdum quòd cessante beneficio parochiali cesset potestas absolvendi.

Nec hoc absurdum est: quia nunc amplius non habet curam animarum, ratione cujus necessaria erat ei potestas absolvendi à peccatis in foro sacramentali; ergo nil mirum, si cum officio simul expiret non solùm potestas ordinaria jurisdictionis, ùt clarum est, sed etiam potestas delegata, tam in actu primo, quàm in actu secundo, nisi accesserit ulterior approbatio Episcopi.

Nonne Episcopus, tametsi sinè causâ non possit tollere approbationem Parochi, manente beneficio, potest tamen illum cum justa causa suspendere ab executione officii pro certo tempore; immo pro semper? Quo utique facto, talis Parochus non posset eligi per Iubilæum, vel Bullam Cruciatæ, sinè alia approbatione Episcopi; ergò similiter, si ex justa causâ non solùm suspendatur ab executione officii, sed etiam absolutè suo officio privetur. Atque hæc est communis sententia, à qua non absque periculo invalidæ Absolutionis recedìtur.

60. Oppositam sententiam docent Rodriguez & Villalobos.

Interim oppositam sententiam teste Dia. p. 1. tract. 11. resol. 8. docent Rodrig. in addit. ad Bull. §. 9. n. 4. Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 27. claus. 9. §. 1. n. 4. ubi sic ait: Beneficiarius, qui habuit beneficium curatum & renuntiavit, debet judicari, secundùm sententiam magis probabilem, quòd potest esse electus per Bullam, quia renuntiare beneficio, non aufert seu impedit approbationem. Hæc ille. Eandem sententiam Ioan. de la Cruz in direct. consc. p. 2. de Pœnit. q. 5. dub. 8. Conclus. 4. probabilem vocat. Sed nostram Villalobos suprà tract. 9. diff. 55. n. 5. vocat magis securam, & ideo practicandam.

Joan. de la Cruz.

61. An Parochus possit eligi ad audiendas Confessiones extra propriam Diœcesim.

Præcipua difficultas hujus Conclusionis est; an Parochus possit eligi ad audiendas Confessiones extra propriam Diœcesim. Non dico, extra propriam Parochiam; quia hoc Omnes admittunt, & consuetudo satis declarat id esse validum & licitum; sed, extra propriam Diœcesim, quod Aliqui negant apud Dia. suprà, quia, inquiunt, in Bulla solùm Pontifex facit mentionem de Confessario approbato ab Ordinario, & ne verbum quidem de illo, qui obtinet beneficium parochiale. Deinde, quia habens tale beneficium, non potest oves alienas audire, sinè licentia proprii Parochi.

Ratio duplex sententiæ negantis.

62. Rejicitur secunda. *Suarez.*

Sed si hæc ratio valida foret, ùt bene notat Suarez Disp. 28. Sect. 4. n. 16. probaret, etiam intrà eundem Episcopatum non conferi idoneum pro toto Episcopatu, qui in eo habet parochiale beneficium, sed solùm pro sua Parochia, quod planè incredibile est; aliàs quid oporte-

oporteret Concilium illam exceptionem facere? Quis poteſt dubitare, an Paſtor debeat cenſeri idoneus ad proprias oves audiendas? Quòd autem non poſſit audire oves alienas, abſque licentia proprii Parochi, non eſt defectu approbationis ſeu idoneitatis, ſed defectu juriſdictionis.

Quòd ergo hìc quæritur eſt; an poſſit accipere juriſdictionem per delegationem proprii Parochi; aut certè per Iubilæum vel Bullam Cruciatæ eligi ab alienis ovibus, ſinè licentia proprii Parochi, præſertim extra propriam Diœceſim. Nam intrà eandem Diœceſim, videtur eſſe extra controverſiam; quia, inquit Suarez ſuprà, Conc. Trident. ad minimum æquiparat in hoc beneficium parochiale approbationi Epiſcopi, ſed approbatus ab aliquo Epiſcopo abſolutè & ſinè limitatione, in tota ejus Diœceſi reputandus eſt idoneus; ergo & habens beneficium parochiale.

63. Reſpondetur ad primam. Ex quo patet reſponſio ad primam rationem; licèt enim in Iubilæo aut Bulla Cruciatæ tantùm fiat mentio de Confeſſario ab Ordinario approbato; equidem quod dicitur de uno æquiparatorum, debet intelligi de alio; argum. Reg. ultimæ de Reg. Iuris in 6. *Certum eſt, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis mentem voluntatem.* Et l. *Non dubium* 5. C. de Leg. ibi: *Nec pœnas legibus inſertas evitabit, qui ſe contra iuris ſententiam ſævâ prærogativâ verborum fraudulenter excuſat.* Ratio ex eo pendet, quod reſpondit I. C. *Scire leges non eſt verba eorum tenere, ſed vim ac poteſtatem.* l. 17. ff. de Leg.

Reg. ult. de Reg. Iuris in 6.

l. 5. C. De Leg.

Quis dicatur amplecti verba legis contra ejus voluntatem. Ille ergo dicitur amplecti verba legis contra legis voluntatem, qui non accipit verba in ea ſignificatione, quam Legiſlator intendit, quamque poſſet facilè ex legis ratione colligere. Quod ſic applico præſenti controverſiæ.

64. Licèt Iubilæum aut Bulla Cruciatæ ſolùm meminerit expreſsè Confeſſarii ab Ordinario approbati; equidem ex ratione legis colligitur, non debere intelligi approbationem diſtinctam à beneficio parochiali; nam ratio legis eſt idoneitas ſeu ſcientia & prudentia Confeſſarii, quæ tanta eſt in eo, qui habet beneficium parochiale, quanta eſt in eo, qui particulariter eſt approbatus ab Epiſcopo, immo ſæpè major.

Quis intelligatur per approbatum ab Ordinario in Bullis. Igitur per approbatum ab Ordinario in Bullis, venit omnis ille, qui juxta Trident. ſeſſ. 23. c. 15. reputatur idoneus ad audiendas Confeſſiones ſæcularium, ſive propter explicitam & particularem approbationem Epiſcopi, ſive propter implicitam & univerſalem, per beneficium parochiale, acceptum à Pontifice, vel Epiſcopo, vel Legato, vel Nuntio Apoſtolico &c. qui omnes ſunt Ordinarii.

65. Objectio. Sed dicet aliquis; ſi beneficium æquiparatur approbationi, ergo ſicut approbatus in una Diœceſi, vel in una Parochia, non poteſt eligi in alia Diœceſi, vel in alia Parochia, ùt habet ſequens pars Concluſ. ita nec habens beneficium in hac Diœceſi, poterit eligi in alia. De quo extat Declaratio Cardinalium in hæc verba: *An obtinens parochiale beneficium, ubiq; cenſendus ſit idoneus, abſque alia Epiſcoporum approbatione, ita quòd audire poſſit Confeſſiones eorum, qui non habent huiuſmodi privilegium, ſed Parochorum conſenſum? Congregatio reſpondit, non poſſe.*

Reſpondeo; non oportet cum omnimoda æquiparatione illa duo membra intelligere, quia exceptio illa de habente parochiale beneficium, non eſt nova, ſed juxta antiquum jus, & ideo in eodem ſtatu relicta eſt: alia verò eſt jure novo introducta, quod ſpecialiter conſulendum eſt. Solvitur.

Item, quia approbatio per parochiale beneficium, non ita cenſetur eſſe ab Epiſcopo, quàm bene ab Eccleſia & univerſali conſuetudine, quæ ſemper intellexit, Parochum poſſe eligi in Confeſſorem, non ſolùm in propria Parochia vel Diœceſi, ſed etiam in aliena; à quo jure, ſeu antiqua conſuetudine, non eſt recedendum per jus novum, niſi quatenus ab eo exprimitur, vel inter ſe repugnant: hìc autem nihil hujuſmodi intercedit; immo verba Conc. hunc potunt intellectum, quia in hujuſmodi beneficiato nullam aliam approbationem requirunt, præterquam quòd parochiale beneficium habeat; & ſunt verba indefinita: *Ut poſſit Confeſſiones ſæcularium audire*; cur ergo nos reſtrictionem addemus, aut quo fundamento? Ita argumentatur Suarius ſuprà n. 18. 66. Approbatio per parochiale beneficium æquiparatur eſſe ab Eccleſia, & univerſali conſuetudine. Suarez.

Et addit: ſi extra Diœceſim non poſſet eligi; etiam extra ſuam Parochiam non poſſet eligi, quia ex vi beneficii ſolùm videtur approbatus ab Ordinario pro tali loco ſeu Parochia, & nihilominus ex vi Concilii reputatur illa approbatio ſufficiens pro aliis Parochiis: quia miniſter publicus & ex officio approbatus ab Eccleſia, debet ſimpliciter reputari ſufficiens ut eligatur; ergo &c.

Quantùm ad Declarationem Cardinalium, Reſpondet Suarez ſuprà n. 19. ſibi non ſatìs conſtare de ejus auctoritate; quia, inquit, nec inter eas, quæ ab Illuſtriſſimo ac Eruditiſſimo D. Alphonſo de Caſtellobranco hujus Conimbricenſis Eccleſiæ Epiſcopo ſummâ diligentiâ & auctoritate collectæ ſunt, nec inter eas etiam, quæ in hoc noſtro inſigni Collegio Conimbricenſi habentur, illam reperire potui. Ita Suarez. 67. Reſponſio ad Declarationem Cardinalium. Suarez.

Atque ut ipſe, vel alius eam inveniſſet, num ideo ſtatim fides ei habenda foret? Urb. VIII. (apud Barboſam in collect. Bull. v. Congregatio 2.) ſub die 11. Aug. Anno 1632. decrevit, Declarationibus Cardinalium, Decretis ſeu deciſionibus tam impreſſis, quàm imprimendis, ac etiam manuſcriptis, nullam fidem in judicio vel extra eſſe adhibendam, niſi in authentica forma, ſolito ſigillo & ſubſcriptione Eminent. Card. Præfecti, ac Secretarii ejuſdem Barboſa.

ejuſdem Congreg. munitæ fuerint.

68. Bulla quædam Urbani VIII.

Et idem Pontifex Bullâ: *In ſupremo.* 143. apud Cherubinum an. 1635. 1. Iunii ſtatuit, *Aſſertiones, narrativas, inſertiones, relationes, expoſitiones, declarationes, & enuntiativas, ac quaſcumque expreſsiones quarumcumque gratiarum, conceſsionum, indultorum, privilegiorum, ac diſpoſitionum Apoſtolicarum, & quorumcumque aliorum ùt præmittitur, ac aliàs quomodolibet ex præfatis & aliis quibuſcumque ſcriptoribus & auctoribus, etiam quoad alia receptis forſan & approbatis, etiam antiquis, antiquioribus, & antiquiſsimis factas, ſcriptiſq; exaratas, & typis impreſſas, nullam fidem, nec indicium, aut probationis ſpeciem, ſeu adminiculum feciſſe, nec facere in iudicio, nec extra iudicium in dammum, læſionem, ſeu præiudicium Sedis Apoſtolicæ, Eccleſiarum & locorum piorum, eaq; obtinentium, eiuſq; & eorum iurium quorumcumque, ac dignitatum & iuriſdictionum, etiam in favorem cuiuſcumque alterius Eccleſiæ, loci pii, & Eccleſiaſticæ perſonæ, niſi ſi, & poſtquam conſtiterit de originalibus litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma brevis, Chirographorum, ſupplicationum, vel Motuum proprtorum, ſeu in defectum originalium, niſi priùs ipſæ gratiæ, indulta, conceſsiones, privilegia, & quæcumque aliæ diſpoſitiones, quæ ùt præfertur, per Nos, ac Rom. Pontifices aſſeruntur factæ, fuerint recognitæ ſeu extractæ à Datario, Secretario Brevium, & Præfectis Archivio-rum, ac Magiſtris Regiſtrorum, aliiſq; eiuſdem Sedis Apoſtolicæ Officialibus reſpectivè, & per eoſdem Officiales cum earum originalibus auſcultatæ, collatæ, & concordare inventæ ſeu reſpectivè recognitæ, ita ut quibuſcumq; ſcriptorum, aliorumq; præfatorum aſſertionibus, narrativis, inſertionibus, relationibus, enuntiativis, & expreſsionibus geſtorum, conceſſorum & diſpoſitorum, ùt dicunt, per Nos ſeu Rom. Pontifices, prædeceſſores & ſucceſſores noſtros, nullâ fides unquam adhibeatur, nec adhiberi poſsit, niſi conſtito priùs de narrato, relato, inſerto, aſſerto & enuntiato authentico, videlicet per originale exhibendum, vel per tranſumptum ùt præfertur extrahendum, & reſpectivè recognoſcendum.* Ita Urb. VIII. Bullâ præallegatâ §. 2.

69. Ut Declaratio Card. obliget in conſcientia, requiritur primò.

Itaque ut Declaratio Cardin. obliget in conſcientia, requiritur Primò; ut conſtet ſufficienti auctoritate, eſſe eam Declarationem Sacræ Congregationis: ſufficienter autem conſtabit, ùt patet ex dictis, ſi exhibeatur in authentica forma, ſolito ſigillo & ſubſcriptione Eminent. Card. Præfecti ac Secretarii ejuſdem Congreg. munita.

Requiritur 2.

Secundò; ut in ipſa Declaratione referatur, eam fuiſſe pronuntiatam conſulto Pontifice, ùt colligitur ex Bulla Sixti V. *Immenſæ.* 74. apud Cherubinum Tit. *Congregatio* 8. *pro executione & interpretatione Concilii Tridentini*, ubi §. 1. ſic lego: *Eorum quidem decretorum, quæ ad fidei dogma pertinent, interpretationem nobis ipſis reſervamus, Cardinalibus verò præfectis interpretationi & executioni Conc. Trident. ſi quando in his, quæ de morum reformatione, diſciplina ac moderatione, & Eccleſiaſticis iudiciis, aliiſq; huiuſmodi ſtatuta ſunt, dubietas aut difficultates emerſerint, interpretandi facultatem, nobis tamen conſultis, impartimur.*

Bulla 74. Sixti V.

70. Requiritur 3. Ochagavia.

Alias duas conditiones addit Petrus Ochagavia de Sacram. tract. 2. de Pœnit. q. 40. n. 12. Tertia, ut ſolùm Cardinales declarent & interpretentur, non verò diſpenſent, reſtringant aliquid, aut amplient ultra vim verborum & regulas juris. Hanc enim formam Congregationi præſcripſerunt in ſuis Bullis Greg. XIII. & Sixtus V. quòd ſi aliquid ultra limites prædictos præſtet Congregatio, neceſſum eſt in ea explicari id ortum habuiſſe ex peculiari commiſſione aut voluntate Pontificis.

Requiritur 4.

Quarta eſt, ut prædictæ Declarationes Cardinalium conſtent notitiâ publicâ, qualis eſt illa, quam Epiſcopus poteſt præbere in ſuo Epiſcopatu, declarando illas formâ juridicâ, & quæ oriri poteſt ex fama publica & certa, derivata ex principio authentico. Hæc ille, ùt refert Dian. p. 5. tract. 2. reſol. 96. ubi etiam citat alios Auctores, idem aut ferè idem ſentientes.

71. Arguitur contra 3. requiſitum.

Sed, ut verum fatear, tertiam conditionem non invenio in Bulla Sixti V. ſuprà allegata, niſi implicitè in hoc verbo: *Interpretandi facultatem*; nam diſpenſare, reſtringere, ampliare ultra vim verborum & regulas juris, non eſt propriè interpretari, id eſt, declarare, quid lex ſeu verba legis ſignificent, ſed eſt tollere legem, & aliam conſtituere, quod nullibi eſt conceſſum Congregationi Cardinalium.

Quantùm ad Bullam Greg. XIII. (aut Urb. VIII. quæ etiam ab Aliquibus citatur) nullam invenio vel apud Rodrig. vel apud Cherubinum, in qua aliquid ſimile ſtatuitur; fides ergo ſit penes Auctores, qui fortè in aliis Bullariis eas invenerunt. Ipſa ratio naturalis dictat, verba alicujus Conſtitutionis neque amplianda, neque reſtringenda eſſe ultra naturalem & civilem proprietatem verborum, niſi ad evitandum abſurdum; aliàs nihil certi habebimus ex verbis legis, & potiùs erit confuſio & obſcuratio legum, quàm interpretatio ſeu dilucidatio. Talis ergo ampliatio vel reſtrictio nullatenùs debet cenſeri conceſſa Congreg. Card.

72. Arguitur contra 4. requiſitum.

De quarta etiam conditione ab Aliquibus diſputatur, cauſantibus, ſufficere promulgationem ipſius legis, ſeu Concil. Trident. in caſu præſenti, ut omnes interpretationes ejus authenticæ cenſeantur promulgatæ; quia nimirum ſunt tantùm aliquid acceſſorium, & ab initio inſunt; argum. leg. 40. ff. de Iure Fiſci, ibi: *Immo in priore ſpecie maiorem fraudem excogitaſſe videtur, qui non tantùm legem circumvenire voluit, ſed etiam interpretationem legis, quæ circa tacitum fidei commiſſum*

l. 40. ff. de Iure Fiſci.

habetur: quàmvis enim fundum nominaverit, non tamen cognoſci poteſt, de quo ſit rogatus hæres, cùm diverſitas rerum obſcurum faciat legatum. Sufficit igitur ut leges ipſæ, cujus ſunt interpretationes, ſint promulgatæ & receptæ.

73. Reſponſio. Reſpondent Adverſarii; planè ſufficere in rebus claris & manifeſtis; attamen in rebus dubiis, in quibus extare poſſunt opiniones contrariæ circa intelligentiam legis, requiritur, inquiunt, nova publicatio; aliud quippe eſt legem jam conditam & publicatam obligare, aliud declarationem ipſius legis, ita ut ab illa non liceat recedere, aut aliam amplecti.

Cæterùm lex allegata non facit ad propoſitum; agit namque de eo, qui hæredi ante teſtamentum mandavit, ut ſpurio, incapaci ad teſtamentum, fundum aliquem daret, & dicitur, quòd ille, qui acceptavit tali modo teſtamentum, teneatur ad pœnam conſtitutam, quàmvis in teſtamento id clarè non exprimatur; ſic enim incipit illa lex: *Ita fidei hæredis commiſit:* Rogo fundum Titio des, de quo te rogavi. *Si Titius capere non poſſit, non evitabit hæres pœnam taciti fidei commiſſi, non enim eſt palam relinquere, quod ex teſtamento ſciri non poteſt, cùm recitatum eſt: quemadmodum nec ille palam dat, qui ita ſcribit: Rogo vos hæredes, in eo, quod à vobis petii, fidem præſtetis.* Quid hæc ad noſtrum propoſitum?

74. Ut Declarationes Card. obligent requiritur promulgatio juxta Bonac. Et ideo requiri promulgationem, ut Declarationes Cardin. obligent in conſcientia, docet Bonac. de Leg. diſp. 1. q. 1. p. 8. n. 4. quamquam alioquin ſinè promulgatione ſint maximæ auctoritatis, & cæteris paribus præferendæ declarationibus aliorum DD. interim vim legis non habent, niſi aliter per Sedem Apoſtolicam declaretur. Iam autem nunquam Pontifex præcepit illas Declarationes obſervari per aliquam ſcriptam Conſtitutionem, ſufficienter promulgatam.

Nec poteſt cenſeri de facto præcipere, quando eas approbat; quia non approbat tamquam infallibiles, ſed tamquam prudenter conceptas à viris doctis, à quibus ſinè maximo fundamento non liceat recedere (ſicut à judicio maximè peritorum in aliqua arte, non licet facilè recedere) & quas tutò poſſumus ſequi.

Inſtitutio Congreg. Card. valde utilis eſt. Ex quo conſectaneum eſt, quòd inſtitutio Congregationis Cardin. non ſit inutilis; per illam enim homines redduntur ſecuri in conſcientia. Fortè etiam Pontifex, intendit ſupplere nullitatem actuum legitimorum, quos Concilium videtur irritare, ſi Cardin. declarent actum validum, ut hoc pacto periculis animarum obvietur, & ſic erit magna utilitas iſtius Congregationis.

75. Quid requiratur ut declaratio Itaque ut Declaratio Cardinalium habeat vim legis, ſit ſufficienter promulgata, conſtet de ea authenticè, & pateat omnibus conſultatio Pontificis & ejus conſenſus. Et quia ſæpiùs aliqua ex his conditionibus deeſt, ideo ſæpiùs licet ab ea recedere ex juſta cauſa. Hæc fuſiùs; quia frequenter in hac materia occurrunt hujuſmodi Declarationes, etiam aliquando ſibi contrariæ; ùt patebit ex progreſſu. Card. hoc beat vim legis.

Quo caſu, ſi utraque eſt authentica ſeu judicata per modum legis, potiùs ſecundæ, quàm primæ ſtandum erit; veluti quando reperiuntur duæ leges Pontificiæ contrariæ, ſtandum eſt ſecundæ; quoniam per editionem ſecundæ, Pontifex cenſetur abrogare primam; argum. cap. 1. de Cognat. ſpirit. ibi: *Et licèt primus Canon exinde editus, natos poſt contractam paternitatem ad invicem copulari prohibeat: alter tamen Canon poſteriùs editus, primum videtur corrigere.* Et leg. 26. ff. de Leg. *Non eſt novum, ut priores leges ad poſteriores trahantur.* Ita Merolla in diſput. Theol. tom. 2. diſp. 4. cap. 4. dub. 12. n. 175. apud Dian. ſuprà. Quid ſi Declarationi ſibi mutuò ſint contrariæ? c. 1. de Cognat. ſpirit. l. 26. ff. de Leg.

76. Ex quo colligatur Declarationem Card. ſi. ctam eſſe conſulto Pontifice. Ubi etiam addit, quòd tunc apparet, Declarationem Cardinalium factam eſſe conſulto Summo Pontifice, quando in ejus tenore id manifeſtatur per verba conſenſum Pontificis ſignificantia. Talis autem non eſt Declaratio ſuprà à Suario allegata, occaſione cujus hæc dicta ſunt; ac proinde licet ab ea recedere.

Præſertim cùm non ſatis conſtet, de quo privilegio ibi ſit ſermo, cùm dicitur: *Qui non habet huiuſmodi privilegium.* Nam, inquit Suarez ſuprà, ſi eſt ſermo de privilegio eligendi Confeſſorem, ùt ſequentia verba ſignificant, potiùs ex illa reſponſione colligitur, per Bullam, & ſimilia privilegia poſſe eligi in Confeſſorem quemcumque Parochum, ubicumque ſit, & hoc eſt, quod intendit noſtra Concluſio.

An unus Parochus poſſit alteri committere oves ſuas. Solùm ergo ſignificatur in illa Declaratione, unum Parochum non poſſe alteri committere oves ſuas ſinè Epiſcopi licentia, vel niſi alius Parochus ſit ad hoc ſpecialiter approbatus ab Epiſcopo; quod, inquit Suarez, non intelligo dictum ex vi Concilii, ſed ex debita ſubordinatione ad Epiſcopos, vel fortaſſe ex aliqua Italiæ conſuetudine. Inter nos verò hanc ſcimus eſſe conſuetudinem, ut Parochi ſeſe mutuò juvent ex ſolo ſuo conſenſu, non tantùm intrà eandem Diœceſim, quod eſt certius & frequentius; ſed etiam in confinio diſtinctarum Diœceſum. Quòd ſi in ea reſponſione ſermo eſt de alio privilegio, vel in alio ſenſu data eſt, ſententiam noſtram cenſuræ Congregationis ſubjicimus: quamdiu autem de illa nobis clariùs non conſtiterit, à ſententia, quam veram exiſtimamus, recedere non poſſumus. Ita Suarez, & nos cum illo.

77. Objectio. Si inferas; ergo approbatus pro hac tantùm Diœceſi, poterit eligi à ſubditis alterius Diœceſis, & approbatus pro viris tantùm, poterit eligi à mulieribus.

Reſpon-

Reſpondeo Neg. Conſeq. ſive illa limitatio ſit facta ob defectum doctrinæ, ſeu ob defectum ætatis, aut propter aliam cauſam. Ratio diſparitatis; quia beneficium parochiale eſt quaſi approbatio univerſalis, cùm Trident. circa illud reliquerit intactum jus antiquum, ùt ſuperiùs diximus; adeòque habens beneficium parochiale, cenſetur approbatus pro omnibus, ſicut ante Trident. ſic etiam poſt Trident. At verò approbatio ſtrictè dicta, ſive inducta per Trident. limitata, ùt ſupponitur, ad certum locum, vel ad certas perſonas, liquet profectò, quòd non ſit univerſalis, alioquin ſimul eſſet univerſalis, & non univerſalis.

Solvitur.

78. Indubiè, inquis, eſſet univerſalis tali ſenſu, quòd ita approbatus poſſet eligi per Bullam à quocumque pœnitente; eſſet etiam non univerſalis, quia talis Confeſſarius abſque Bulla non poſſet abſolvere, niſi certos pœnitentes; hoc autem non repugnat. Immo ſic de facto fieri, probatur; quia Bulla nihil aliud exigit, quàm approbationem Epiſcopi, illa autem habetur, ùt ſupponitur; ſimpliciter enim verum eſt dicere: *Hic eſt approbatus ab Ordinario*, alioquin nec illas perſonas, pro quibus approbatus eſt, poſſet audire; quia Trident. requirit approbationem ſimpliciter, nec aliud requirit Bulla.

Rationes propter quas Aliqui cenſent probabile oppoſitum Concluſionis.

Prima.

Deinde verſamur in materia favorabili, conſequenter extendenda. Denique non eſt idem omnino approbatio & juriſdictio: quia juriſdictio ſupponit approbationem; ad Confeſſionem autem alicui faciendam tempore Iubilæi, non requiritur, ùt eligatur Confeſſarius, aliàs habens juriſdictionem in ipſum pœnitentem, ſed ſufficit, ut eligatur Confeſſarius, ab Ordinario approbatus, cui Summus Pontifex confert juriſdictionem.

Secunda & ſtatim.

79. Ex quo patet, quare extra Bullam non poſſet Parochus talem admittere ad audiendas Confeſſiones omnium, quia videlicet Epiſcopus, qui approbavit limitatè pro certis perſonis, non dat illi juriſdictionem niſi ad illas, unde cùm Parochi juriſdictio veniat ab Epiſcopo, nec poſſit Parochus dare juriſdictionem contra voluntatem Epiſcopi, non poterit dare juriſdictionem ad audiendas Confeſſiones, v. g. mulierum ei, quem Epiſcopus ſolùm approbavit ad audiendas Confeſſiones virorum.

Quare approbatus pro ſolis viris, non poſſit admitti à Parocho ad Confeſſiones mulierum extra Bullam.

Propter has rationes Bonac. hìc diſp. 5. q. 7. p. 4. §. 1. n. 22. cum Aliis, quos citat, probabile exiſtimat oppoſitum noſtræ Concluſionis, quando illa limitatio facta fuit non ob defectum doctrinæ, ſed ob immaturam ætatem, vel juvenilem aſpectum, aut aliam ſimilem cauſam.

Bonacina.

80. Sed contrà; etiam quando illa limitatio facta fuit ob defectum doctrinæ, adhuc ſimpliciter verum eſt dicere: *Talis Sacerdos eſt approbatus ab Epiſcopo*; ergo vel etiam tali caſu poteſt eligi per Bullam à quocumque pœnitente, quod Adverſarii non audent concedere, vel non poteſt eligi, tametſi illa limitatio facta ſit ſolùm ob immaturam ætatem.

Contrà arguit Auctor, Primò.

Approbatio non ſolùm conſideratur ſecundùm ſcientiam, ſed etiam ſecundùm mores,

Enimverò approbatio non ſolùm conſideratur ſecundùm ſcientiam, ſed etiam ſecundùm mores, ſecundùm pericula ipſius Confeſſarii, & alias circumſtantias; unde approbatio ſemel data poſſet revocari ob mutationem earum circumſtantiarum, eſtò ſcientia maneret eadem: ergo hæc opinio Adverſariorum vel in omni caſu eſt vera, cùm ſemper ſit favorabilis, & per conſequens extendenda, ùt ipſi ſuprà argumentantur, vel in nullo caſu; neque enim favor extendendus eſt contra mentem & voluntatem Legiſlatoris, qui requirit approbationem ad evitandum periculum animarum; ergo approbationem, reſpectivam ad minùs, ſcilicet reſpectu earum Confeſſionum, quas audit, ergo non eſt extendendus ille favor, niſi ad Confeſſarium reſpectivè approbatum, qui adhuc ſatis magnus eſt; nam per approbationem Epiſcopi approbatus nullam accipit juriſdictionem per ſe loquendo; neque ſi acciperet, ùt per accidens fieri poteſt, equidem non acciperet juriſdictionem in caſus reſervatos Pontifici, quam tamen accipit per Bullam.

Pontifex non vult dare juriſdictionem Confeſſario, niſi reſpectivè approbato.

Fateor igitur, non eſſe eadem omnino approbationem & juriſdictionem, ſed juriſdictionem ſupponere approbationem: interim dico, Pontificem nolle dare juriſdictionem Confeſſario, niſi reſpectivè approbato, id eſt, niſi reſpectu eorum, pro quibus ab Epiſcopo approbatus eſt.

81. Arguitur 2°

Inſuper, ſi verum eſt, quod Adverſarii docent; quidni Parochus extra Iubilæum poſſit taliter approbato delegare ſuam juriſdictionem ad audiendas Confeſſiones omnium? Quia, ut Parochus poſſit alteri committere vices ſuas, nihil aliud requiritur, quàm ut alter ſit approbatus ab Epiſcopo, quod etiam petit Bulla; adeòque ſi Pontifex velit dare juriſdictionem generalem per Bullam, quid ni etiam Epiſcopus velit dare juriſdictionem generalem per Parochum?

Niſi ergo expreſsè declaret contrarium, id eſt, niſi expreſsè declaret, ſe per illam limitatam approbationem velle reſtringere poteſtatem Parochi, quam habet de jure communi, delegandi ſuam juriſdictionem cuilibet ab Epiſcopo approbato, quid ni Parochus poſſit eam delegare?

82. Objectio.

Dices; hoc ipſo quòd limitatè approbat, ſatis declarat ſe nolle dare juriſdictionem illimitatam. Reſpondetur cum diſtinctione; ſe nolle dare juriſdictionem illimitatam per ſeipſum, Concedo; per alium, Nego. Sicuti ſi Epiſcopus negaret diſpenſationem in aliqua

Solvitur.

lege, ex tali negatione præcisè non colligitur ablatio potestatis ordinariæ vel delegatæ, quam habet Parochus, vel alius, inferior ipso, dispensandi in eadem lege, ùt communiter docetur in tract. de Leg. Unde non obstante illâ negatione posset inferior validè dispensare; secùs si expressè Episcopus hoc ei prohiberet.

Ergo similiter in casu præsenti, estò Episcopus limitatè aliquem approbet, & concedat limitatam jurisdictionem, nisi expressè prohibeat Parocho usum suæ potestatis, quam habet ex jure communi, delegandi suam jurisdictionem cuilibet, ab Episcopo approbato, quid ni validè eam deleget?

83. An aliquis possit accipere jurisdictionem generalem, qui non habet approbationem generalem.

Quid si Episcopus nollet universaliter quempiam approbare, vellet tamen dare jurisdictionem generalem, putas quia delegatio jurisdictionis foret valida? Scio, quia non putas. Sed cur hoc, si non obstet Conc. Trid. postulans approbationem respectivam? Si autem illud obstet, sicut reverà obstat, sequitur manifestè, nec per Bullam talem Sacerdotem accipere à Pontifice generalem jurisdictionem; quàmvis enim Pontifex posset dare, tamen non censetur velle dare, nisi juxta formam Conc. Trident. Si ergo Conc. Trident. requirit approbationem universalem pro accipienda jurisdictione universali, neque per Bullam Pontifex censetur velle hanc dare sinè illa, quàmvis posset, si vellet.

Sed quid si Episcopus diceret: *Ego quidem quoad approbationem nullam pono limitationem, sed absolutè te approbo, jurisdictionem tamen non concedo, nisi ad Confessiones virorum?* Patet ex dictis eo casu posse eligi per Bullam, & à Parocho accipere jurisdictionem generalem.

Quid si Superior Religionis exponat aliquem Religiosum, cum limitatione ad audiendas Confessiones virorum; nunquid poterit validè & licitè excipere Confessiones mulierum, saltem vi Iubilæi, aut alterius Bullæ? Resolutio patebit ex Conclusione sequenti, quæ talis est:

CONCLUSIO IV.

Religiosus absque licentia Prælatorum obtinens approbationem, vel etiam jurisdictionem ab Episcopo, invitis Prælatis invalidè absolvit, etiam sæculares.

84. Superiorum est eligere à personas idoneas, &

PRænotandum Primò, quod ait Pontifex Clement. *Dudum* de Sepulturis §. *Statuimus etiam & ordinamus*, ibi: *Ac deinde præfati Magistri, Priores, Provinciales & Ministri Ordinum prædictorum* (Prædicatorum & Minorum) *eligere studeant personas sufficientes, idoneas, vitâ probatas, discretas, modestas, atque peritas ad tam salubre ministerium, & officium exequendum: quas sic ab ipsis electas repræsentent vel faciant præsentari Prælatis, ut de eorum licentia, gratia, & beneplacito in civitatibus & diœcesibus eorumdem, huiusmodi personæ sic electæ, Confessiones confiteri sibi volentium audiant* &c. Ergo Superiorum est eligere personas idoneas, & eas Episcopis præsentare. eas Episcopis præsentare.

Prænotandum Secundò; Pontificem non conferre jurisdictionem nisi Religiosis, à Superioribus suis sic legitimè præsentatis Episcopis, ibi: *Et si iidem Prælati petitam licentiam Confessionum huiusmodi audiendarum concesserint; illam præfati Magistri, Ministri & alii cum gratiarum recipiant actione, dictaq; personæ sic electæ* (ergo illæ solæ, & non aliæ) *commissum sibi officium exequantur*; auctoritate utique Apostolicâ, ùt patet ex dictis Sect. præced. Concluſ. 2. Et sanè vel nihil conceditur Regularibus per Clement. *Dudum*, quoad audiendas Confessiones, quod dici non potest, quia privilegium est concessio alicujus specialis favoris; vel certè conceditur jurisdictio à Pontifice. 85. Pontifex non confert jurisdictionem nisi Religiosis legitimè præsentatis.

Nemo, reponit quispiam, dubitat: sed iis, qui injustè ab Episcopis rejiciuntur. Respon. non est ratio, quare potiùs Pontifex his concedat jurisdictionem, quàm illis.

Dices; ratio est, quia admissus habet jurisdictionem ab Episcopo; ergo frustrà illam accipit à Pontifice, secùs injustè rejectus.

Respondeo; estò admissus acciperet ab Episcopo, equidem non frustrà illam accipiet à Pontifice, ne alioquin sit pejoris conditionis injustè rejecto, utpote qui est delegatus Summi Pontificis, cùm admissus solùm esset delegatus Episcopi.

Prænotandum Tertiò; Episcopum ex jure communi posse approbare Religiosum ad audiendas Confessiones, estò non præsentetur à Superiore; neque enim à Trident. requiritur hæc præsentatio, neque à Clement. *Dudum*, mox allegata, nisi ad obtinendam jurisdictionem à Pontifice. Et quàmvis Religiosus exemptus sit à jurisdictione Episcopi (de tali enim loquor) haud equidem in ordine ad approbationem, sed expressè in hoc puncto ipsi subjicitur, ùt patet ex Trident. quod requirit approbationem Episcopi, ut Regularis possit audire Confessiones sæcularium. 86. Episcopus potest approbare Religiosum non præsentatum à Superiore.

Nunquid etiam repugnante Superiore posset ab Episcopo obtinere jurisdictionem, & per consequens validè absolvere? Videtur quòd non; quippe Episcopus non potest dare jurisdictionem nisi subdito suo; nam concessio jurisdictionis est actus jurisdictionis, jurisdictio autem non exercetur nisi in subditum; porrò Religiosus non potest fieri subditus Episcopo contra expressam & rationabilem voluntatem Superio- An Religiosus repugnante Superiore possit ab Episcopo obtinere jurisdictionem.

Superiorum ſeu Religionis, cùm ipſi Religioni data ſit exemptio à juriſdictione Epiſcoporum. Sicut Clericus non poteſt fieri ſubditus Laico, quantùmvis velit ſe illi ſubjicere, obſtat quippe exemptio Pontificia.

87. Objectio. Sed contrà; Ordinarius cuilibet à ſe diſtincto poteſt delegare ſuam juriſdictionem, ùt diximus Sect. præced. Concl. 1. Ergo Epiſcopus poteſt delegare ſuam juriſdictionem alicui particulari Religioſo, etiam contra voluntatem proprii Prælati; quia conceſſio juriſdictionis non eſt actus juriſdictionis propriè loquendo, id eſt, quo dicitur jus, ſed eſt liberalis conceſſio alicujus gratiæ ſeu juris; quæ fieri poteſt, ùt clarum eſt, non ſubdito.

Superior Religionis poteſt Sacerdoti ſæculari dare juriſdictionem abſolvendi ſuos Religioſos. Nonne Superior Religionis poteſt Sacerdoti ſæculari, Epiſcopo ſubjecto, dare juriſdictionem delegatam abſolvendi ſuos fratres ſeu Religioſos à peccatis? Nemo ambigit. Et tamen Sacerdos ille nullatenus eſt ſubditus iſtius Superioris. Ergo præcisè ex ea parte, quòd Religioſus non ſit ſubjectus Epiſcopo, ſed exemptus ab ejus juriſdictione, non ſatis probatur, quòd ſit incapax recipiendi ſeu obtinendi ab eo juriſdictionem. Si ergo incapax eſt, id neceſſariò oritur ex contradictione proprii Superioris; nam ratione paupertatis non eſt incapax, cùm illa conceſſio ſeu delegatio ſit bonum ſpirituale: porrò votum paupertatis ſolemne, ſolùm privat profitentem dominio, uſu, uſufructu & poſſeſſione omnium bonorum temporalium, & ad illa reddit inhabilem.

88. An juſta cauſa poteſt Superior prohibere Religioſo ut non acceptet juriſdictionem ab Epiſcopo, & non acceptâ utatur. Sed nunquid contradictio Superioris delegationem illam invalidat, ſi Religioſus eam acceptet? Certum eſt, quòd ex juſta cauſa poſſit Superior prohibere Religioſo, ne eam acceptet, & ſimiliter ne acceptatâ unquam utatur, per conſequens Religioſus peccabit contra obedientiam ſi acceptet, vel acceptatâ utatur. Interim quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta, obtinent roboris firmitatem, niſi aliquid obſtet præter illud præceptum ſeu prohibitionem, judico acceptationem & uſum illius juriſdictionis validum.

An Abſolutio contra illem prohibitionem data ſit invalida Privilegium Iulii 3. Sed nunquid aliquid aliud obſtat? Videtur quòd ſic: nam Iulius III. conceſſit privilegium Prælatis Ord. Prædicat. ad inſtantiam ſeu ſupplicationem F. Stephani Uſuſmaris Generalis ejuſdem Ordinis, quo *Revocat licentias & immunitates conceſſas Religioſis eiuſdem Ord. ad Confeſſores eligendos, & Confeſſiones audiendas, quas ipſe Magiſter Ordinis revocandas iudicaverit, & undecumque emanaturas gratias, ſinè licentia Superiorum concedendas, annullat, niſi manu Papæ, aut de conſenſu Card. Protectoris vel Vice protectoris fuerint ſignatæ.* Ponitque fortiſſimas non obſtantias, prout continetur in dicta Conſtitutione data Romæ 17. die Ianuarii A.° 1515. quæ incipit: *Conſiderantes.*

In quo Ro. Ergo, inquit Rodrig. tom. 1. qq. Reg. q. 60. a. 1. Religioſi Ord. Prædicat. & per conſequens Mendicantium, & omnium aliorum, qui ſuis privilegiis gaudent, videtur, quòd, licèt ſint approbati ab Epiſcopo, & electi per Iubilæum, vel per Bullam Cruciatæ, contra conſenſum ſuorum Superiorum non poterunt Confeſſiones audire. Ita Rodrig. drig infert partem affirmativam,

89. Objectio ſolvitur. Si dixeris; Bulla Iubilæi, & Bulla Cruciatæ ſignatæ ſunt manu Pontificis. Reſponderi poſſet; præter illas Bullas requiritur approbatio Epiſcopi. Et licèt jus habeat Epiſcopus approbandi Regulares ex Decreto Conc. Trident. equidem non ſolet quempiam approbare, niſi priùs visâ licentiâ ſui Superioris; multò minùs approbaret, ſi priùs videret diſſenſum Superiorum.

Enimverò ex Trident. ſolùm probatur, approbationem Epiſcopi eſſe neceſſariam, ùt Regularis audiat Confeſſiones; ergo Epiſcopus poteſt approbare Regularem invito ſuo Prælato, qualis Conſequentia? Solùm indè ſequitur, Epiſcopum poſſe approbare Regularem ſervatis ſervandis ex aliis conſtitutionibus & privilegiis, de quibus ibi non diſputat Concilium, & per conſequens non revocat, ſed relinquit in prioribus terminis. Cùm ergo illud privilegium Iulii III. revocet omnes licentias audiendi Confeſſiones, quas Superior revocandas judicaverit, & annullet omnes gratias Epiſcopales ſinè licentia Superiorum concedendas, quid ni inter illas veniant approbatio Epiſcopi, & delegatio juriſdictionis?

90. Confirmatur ex aliâ Bulla ejuſdem Pontificis. Nonne idem Pontifex Bullâ: *Suadet Religionis honeſtas* 5. apud Rodrig. prohibet Monachis Sancti Benedicti abſque Superiorum licentia audire Confeſſiones Regularium, ſive ſæcularium, non obſtantibus quibuſcumque conceſſionibus Apoſtolicis, in communi, vel in particulari obtentis, vel obtinendis? Hic eſt tenor Bullæ: *Nos igitur.... privilegia, indulta, gratias, & litteras huiuſmodi, auctoritate Apoſtolicâ per præſentes approbamus & innovamus, ac de novo concedimus, nec non omnes & ſingulas immunitates à præceptis & obedientiâ ſuorum Prælatorum, & alias exemptiones, & abſque Superiorum ſuorum licentiâ retinendi & expendendi pecunias, ac Confeſſores eligendi, & tam ſæcularium quàm Regularium Confeſſiones audiendi, eoſq; in caſibus eiſdem Superioribus reſervatis, abſolvendi, ac omnes & ſingulas alias ſimiles vel diſſimiles facultates, deſuper tam in forma brevis, quàm ſub plumbo confectas litteras, tam à nobis, ſeu etiam de mandato noſtro, etiam vivæ vocis oraculo, aut prædeceſſoribus noſtris Rom. Pontificibus, ac dictâ Sede &c. quibuſvis ipſius Ordinis utriuſque ſexûs profeſſoribus, ſeu illius tam virorum quàm mulierum Monaſteriis & aliis locis, hactenus quomodolibet, etiam motu proprio, abſque ipſius Abbatis generalis & Superiorum ſuorum conſenſu conceſſas, quas vitæ & obedientiæ regularis adverſari, aut illas ledere, ſeu ipſius Abbatis generalis & aliorum Prælatorum*

prædictorum auctoritatem infringere, & si ipse Abbas generalis eas revocandas esse judicaverit, dictâ auctoritate Apostolicâ per easdem præsentes revocamus, cassamus & annullamus, ac pro revocatis, cassatis, & annullatis & non concessis haberi volumus; & si quas de cætero similes vel dissimiles facultates & exemptiones & gratias absque Protectoris vel Vice-protectoris sui dicti moderni & pro tempore existentis Abbatis generalis dictæ Congregationis (S. Benedicti Vallisoletani) aut Successorum suorum consensu concedi, aut emanari contigerit, nullius roboris vel momenti fore & esse, nullisq; suffragari posse &c. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 4. Martii Anno 1555. Pontificatûs nostri Anno 6.

Videat nunc Lector, an approbatio Episcopi, vel delegatio jurisdictionis contra voluntatem Superiorum, non veniat sub gratiis, quas ibi Pontifex declarat, nullius roboris vel momenti fore. Et hæc quidem Bulla amplior est, quàm præcedens, si tamen præcedens verà est; nam Anno 1515. quo eam datam esse ait Rodrig. suprà (nisi fortè sit error Typographi, & debeat esse 55. loco 15.) Pontifex fuit Leo X.

91. Expenditur primum privilegium. *Chassaing.* Præterea Bruno Chassaing, de Privil. Regul. tract. 5. c. 2. propos. 4. eam citat sub nomine Iulii II. de eadem data, & inchoata: *Considerantes.* Ubi in primis errat in data; quia, ùt jam notavi, illo anno sedit Leo X. qui fuit successor Iulii II. Unde à Confectio citatur sub data 14. Decemb. Anno 1509. quo tempore sedit hic Pontifex.

Deinde, vel errat hic Auctor, allegans verba illa, quæ suprà ex Rodrig. posuimus, quæ reverà in illa Bulla: *Considerantes*, quam ego invenio apud Confectium, non reperiuntur; aut certè oportet aliam esse Bullam, eodem verbo inchoatam: fides sit penes Brunonem. Ego vix credo aliam esse.

In hac autem sic lego: *Insuper ut ipsi Ordinis (Prædicatorum) Præsidentes vultum pectoris sui agnoscere queant: Nolumus personas Ordinis ejusdem, Confessionalibus vel indulgentia litteris, etiam per S. Sedem emissis, vel emittendis (nisi consensu tuo accedente & eo durante) gaudere possint.*

Et infrà: *Hac tibi (dilecto filio Thomæ de Vio Cajetano Generali Ministro Ord. Prædicat.) prædictæ Sedis auctoritate sic concedimus, ut etiam eâdem simili auctoritate tuis successoribus indulgeamus. Non obstantibus præmissis, Constitutionibus & Ordinationibus, ac Statutis & Consuetudinibus Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque & indultis, ac litteris Apostolicis etiam in forma brevis, illi Ordini, aut personis eius sub quibusvis verborum formis & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; fortioribus & insolitis concessis, aut concedendis &c.*

92. Probatur 1. pars Concl. His prænotatis, incipio Conclusionem, cujus prima pars, quæ talis est: *Religiosus absque licentia Prælatorum obtinens approbationem ab Episcopo invalidè absolvit*, patet manifestè, etiam dato, quòd approbatio talis foret valida: quippe sola approbatio non sufficit ad validam Absolutionem, sed insuper requiritur jurisdictio, quam, ùt suppono, taliter approbatus nec habet à Pontifice, quia hic non dat jurisdictionem Regularibus, ùt dictum est, nisi legitimè præsentatis à Superioribus; nec ab Episcopo, nam approbatio Episcopi distinguitur à jurisdictione, ùt constat ex dictis, & Conclusio evidenter supponit, dum addit, *Vel etiam iurisdictionem ab Episcopo.* Ergo secluso Iubilæo, Bullâ Cruciatæ, aut simili privilegio, procul dubio invalidè absolvit defectu jurisdictionis.

An Religiosus approbatus ab Episcopo sui dioecesis absque licentia Superioris valide absolvat Iubilæo.

Sed quid si eligatur per Iubilæum aut Bullam Cruciatæ? Respondeo: valet Absolutio, si valeat approbatio, & si Regulares possint invitis Superioribus uti hujusmodi gratiis confessionalibus, de quo latiùs alibi discurram. Pro nunc sufficiant Bullæ allegatæ, quibus videtur requiri licentia Superioris, aut saltem quòd positivè non resistat, annullando omnes gratias obtentas & obtinendas absque sua licentia.

93. An valide absolvat cum jurisdictione Episcopi.

Multò minùs poterit validè absolvere cum jurisdictione, quam accepit ab Episcopo, quæ est altera pars Conclusionis, quæ non indiget aliâ probatione, nisi quòd minoris potestatis sit Episcopus, quàm Pontifex: si ergo Superior Religionis potest subditos suos suspendere ab audiendis Confessionibus, quas alioquin possent audire vi privilegii Pontificii, multò magis ab illis, quas solùm possunt audire ex potestate, sibi concessa ab Episcopo: suspendere, inquam, non solùm ab audiendis Confessionibus Religiosorum, quod nimis clarum est, sed etiam sæcularium, quando videlicet illam jurisdictionem acceperunt absque licentia seu legitima præsentatione Superiorum.

94. Quid si legitimè fuerit præsentatus & approbatus? *Rodrigues.*

Sin autem legitimè præsentati fuerint & approbati, major difficultas est; de qua tractat Rodrig. tom. 1. qq. Reg. q. 60. & docet 1. si per prohibitionem extrajudicialem sui Prælati, in aliquo casu vel casibus particularibus prohibeatur audire Confessiones sæcularium, licèt malè faciat, & propterea meritò sit puniendus: tamen hujusmodi Confessiones validæ erunt.

In Religionibus non solet quis privari officio Confessoris, nisi per sententiam in convictum latam.

Quod probatur: nam per hujusmodi legitimam præsentationem & approbationem, adeptus est Religiosus hic officium Confessarii in suo Ordine. Et in Religionibus Mendicantium bene & suaviter omnia disponentibus, officio Prædicatoris & Confessoris privari quis non potest, nisi per sententiam in convictum latam; privatio enim hæc ad pœnas gravioris culpæ pertinet, quæ nisi in convictum non feruntur: ergo per simplicem prohibitionem Prælati, tali officio Confessoris non privatur, & sic gesta per ipsum Confessiones audiendo

audiendo & abſolvendo valent; quoniam per illam præſentationem & approbationem, juriſdictionem accepit à Papa, quod non irritat Iul. III. per prædictum Breve: quoniam non undiquè hæc juriſdictio & licentia à particularibus dimanavit, ſed ab ipſo jure in dicta Clementina contento.

95. Suppoſitâ tali ſententiâ, Abſolutiones ſubſequentes forent invalidæ.

Docet 2. ſi talis Religioſus ſic legitimè præſentatus à ſuis Prælatis, & approbatus ab Epiſcopo, poſt inhibitionem vel ſuſpenſionem judicialem, legitimè factam per ejus Prælatum in judicio, quâ prohibitus eſt per ſententiam judicialem exercere officium Confeſſoris, Confeſſiones aliquorum intentet audire, invalidæ certè erunt. Sic videtur ſentire Sylveſter verb. *Confeſſ.* 2. §. 6. ſimul cum Panormitano. Ubi ait: quòd ſi ſuſpenſio & privatio ſint notoria, vel ſi præceſſit Superioris inhibitio, ſcilicet judicialis, Confeſſiones factæ à ſic notoriè ſuſpenſo, vel à privato vel judicialiter inhibito eas facere, non tenerent, argumento cujuſdam Canonis: quoniam hìc non concurrit Superioris auctoritas. Hactenus Rodrig. ſuprà a. 2.

Sylveſter. Panormitanus.

Rogas quis ſit ille Canon.? Reſpondeo, cap. *Veritatis.* 8. de dolo & contumacia. ubi Innoc. III. in fine ſic ait: *Ea nihilominus in irritum revocantes, quæcumque poſt inhibitionem Apoſtolicæ Sedis ſeu factam ſuſpenſionem & excommunicationem de rebus Eccleſiæ alienare præſumpſit.* Loquitur de Epiſcopo aliquo Curien. qui propter contumaciam ſuam judicialiter fuerat ſuſpenſus ab officio & beneficio.

Cap. 8. de dolo & contumacia.

96. Superiores per ſententiam ſuſpenſionis poſſint privare ſuos ſubditos omni juriſdictione.

Haud equidem dubito, quin Superiores Regularium ſubditos ſuos per ſententiam ſuſpenſionis poſſint privare omni juriſdictione Eccleſiaſticâ, tam eâ, quam habent à Pontifice, quàm illâ, quam acceperunt ab Epiſcopis; eodem planè modo, quo poſſunt eos privare omni juriſdictione per ſententiam excommunicationis. Quo facto, indubiè Abſolutiones forent invalidæ, ſicuti invalidæ forent Abſolutiones Parochi, qui ab Epiſcopo eſſet excommunicatus vel ſuſpenſus à ſuo officio & publicè denuntiatus. An putas, quia minorem habet poteſtatem Prælatus in Religioſum, quàm Epiſcopus in Parochum? Noli putare; immo dic, majorem habere poteſtatem. Hoc ergo certum eſt.

Cæterùm, quamdiu illa ſuſpenſio foret occulta, cùm talis Religioſus habeat titulum coloratum cum errore communi, Eccleſia ſuppleret defectum ad ſingulos actus, juxta alibi dicta, quæ non eſt opus hìc repetere.

Hìc ſententiâ ſeclusâ per ſimplicem prohibitionem non invalidantur ſubſequens Abſolutio. c. 16. de Reg.

Porrò ſeclusâ ſententiâ ſuſpenſionis, non video ſufficiens fundamentum, aſſerendi nullitatem Abſolutionis, propter ſimplicem ejus prohibitionem; quia, ſicut ſuperiùs dixi, & ponitur cap. *Ad Apoſtolicam* 16. de Reg. *Multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Et aliunde poteſt Superior velle tantùm prohibere, & non irritare Confeſſiones factas contra ſuam prohibitionem, & cenſetur id velle, niſi amplius declaret ſuam mentem: nam *In pœnis benignior interpretatio eſt facienda*, Reg. 49. de Reg. Iuris in 6. Et *In obſcuris minimum eſt ſequendum*, Reg. 30. eodem. Adde Reg. 57. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda.* Niſi ergo Superior ſatìs apertè ſignificet voluntatem irritandi ſeu annullandi, præſumitur ſola voluntas prohibendi.

Reg 49 30. & 57 de Reg. Iuris in 6.

97. Superior poteſt prohibere ſuis Religioſis, ne abſolvant. *Rodriguez. Sotus.* Prima probatio c. 27 de Elect. in 6.

Quòd autem poſſint Superiores prohibere ſuis Religioſis, etiam jam expoſitis & ab Ordinario approbatis, ne abſolvant tametſi eligantur virtute Iubilæi aut Cruciatæ in Confeſſores, docet Rodrig. ſuprà a. 1. cum Soto 4. diſt. 18. q. 4. a. 3. & probatur, quoniam Religioſi non habent velle vel nolle ſinè conſenſu Prælati c. 27. de Elect. in 6. ibi: *Si Religioſus (cuius arbitrium non ex ſua, cùm velle vel nolle non habeat: ſed ex illius, quem vice Dei ſupra caput ſuum poſuit, & cuius imperio ſe ſubiecit, voluntate dependeat) electioni* &c.

Probatur ſecundò.

Deinde Superiores poſſunt ferre leges neceſſarias ad rectam gubernationem Monaſteriorum; ergo etiam prohibere hìc & nunc auditionem Confeſſionis, quando id judicant neceſſarium & valde utile pro bono tum communi, tum particulari ipſius Confeſſarii, aut pœnitentis. Neque enim per approbationem Epiſcopi, vel per Iubilæum aut Bullam Cruciatæ eximitur Religioſus ab obedientia Prælatorum: aut ita conceditur juriſdictio, ut Religioſus debeat audire Confeſſiones, tametſi ab aliquo pœnitente requiratur. Omitto Bullas, ſuprà allegatas, quæ ad minùs hoc probant.

98. Oppoſitam ſententiam tenet Cano, & probat.

Nihilominus contrarium teſte Rodrig. ſuprà tenet Cano in Sum. de Pœnit. & probat in hunc modum, dicens: Si Generalis Ordinis aut Provincialis facerent me Iudicem alterius Religioſi, non intelligo, quo pacto inferior id poſſit prohibere. Quod & alio exemplo confirmat, dicens: quemadmodum ſi daret mihi Provincialis facultatem cœnandi, aut conſtitueret me Vicarium Monaſterii, ignoro prorſus, inquit, quâ auctoritate Prior illud impediret.

Confirmat exemplo.

In hanc ſententiam propendet Arriaga.

Atque in hanc ſententiam propendet Arriaga, diſp. 42. n. 9. & 10. ubi ſic ait: Cùm in caſu tam Bullæ, quàm Iubilæi non concedatur juriſdictio vi privilegiorum Ordinis, neque dependenter à Superioribus, ſed immediatè ab ipſo Papa, non poterunt illi, ſuppoſitâ Epiſcopi integrâ approbatione, juriſdictionem dare limitatam (v. g. ad abſolvendum viros, & non mulieres) ergo validè tunc abſolvet omnes. Unde ulteriùs dico, probabiliùs eſſe, quòd etiam licitè id faciat; quia non poteſt Superior prudenter contrarium tunc mandare, id enim eſſet auferre ſeu limitare mihi

mihi auctoritatem, à Pontifice conceſſam: utì non poteſt tunc mandare uni Religioſo approbato, ne audiat alterius Religioſi Confeſſionem, vi Iubilæi volentis ipſi confiteri. Et quàmvis ego licitè poſſim renuntiare privilegio meo, non tamen poſſum cogi à Superiore, qui ſit inferior illo, à quo accepi privilegium, ut illi renuntiem, aut eo non utar. Neque eſt ullo modo univerſaliter verum, poſſe mihi præcipi omnia, quæ ego ex mea libertate poſſum licitè facere. Hæc ille, citans *Diana.* Dia. p. 3. tract. 2. reſol. 93. & p. 1. tract. de Bulla Cruc. reſol. 9. qui & Alios pro ſe allegat.

99. Reſponſio Auctoris ad 2. argumentum Attiagæ.

Reſpondeo; univerſaliter verum eſt, poſſe mihi præcipi omnia, quæ ego ex mea libertate poſſum licitè facere, ſuppoſitâ juſtâ & rationabili causâ præcipiendi; adeoque poſſum cogi à Superiore, qui ſit inferior illo, à quo accepi privilegium, ut illi renuntiem, aut eo non utar, exiſtente juſtâ & rationabili causâ, niſi contrarium conſtet de mente illius, qui privilegium conceſſit; jam autem impræſentiarùm non conſtat de tali mente Pontificis, ſed potiùs de mente contraria: quia nunquam Papa (inquit Hier. Rodrig. in comp. qq. Reg. reſol. 32. n. 10. ubì docet noſtram ſententiam) intendit eximere Religioſos ab obedientia ſuorum Superiorum, niſi id exprimatur. Ita hic Auctor. Atqui, ſubſumo ego, id non exprimitur in Iubilæo aut Bullâ Cruciatæ, immo in Bullis ſuprà allegatis, & aliis, in progreſſu allegandis, potiùs exprimitur contrarium; ergo &c.

Reſponde-tur ad primum.

Ex quo patet reſponſio ad primum, videlicet quòd Superior poſſit tunc prudenter contrarium mandare, quia non aufert ſeu limitat mihi auctoritatem, à Pontifice conceſſam, eo invito, ſed de ejus beneplacito: utì & tunc de eodem beneplacito poſſet mandare uni Religioſo approbato, ne audiat alterius Religioſi Confeſſionem, vi Iubilæi volentis ipſi confiteri, ùt latiùs alibi dicam.

100. Argumenta Portel pro ſententia Cano.

Juvat modò audire Portel p. 2. Reſponſ. caſ. 23. n. 2. ubì diſputandi gratiâ proponit quædam motiva ad probandum, quòd licèt Provincialis per ſententiam juridicam, ob culpas privet Religioſum Confeſſionibus, & ille nihilominùs peccans, illas Confeſſiones ſæcularium audiat, approbatus ab Epiſcopo, hâc privatione Provincialis non obſtante, tales Confeſſiones fore validas in foro conſcientiæ.

Primum. Si, inquit, Papa privet ſubditum ſuum omnibus privilegiis, conceſſis à Sede Apoſtolica, non per hoc privat illum privilegiis, conceſſis à Principe ſæculari, ſi quæ habet; quia conceſſiones factæ ſunt à diverſis Principibus, & una non pendet ab alia, nec proinde una impedit aliam.

Secundum. Aliud exemplum eſt: Si Prælatus Regularis privet per ſententiam ſuum Religioſum omnibus officiis Ordinis; non per hoc dicetur, quòd privet hunc Religioſum privilegio vel officio, dato à Tribunali ſancti Officii, ſi quod habet. Nam ſicut nemo poteſt dare, quod non habet; ita videtur, quòd non poſſit auferre, quod non dedit, neque eſt ſuum. Quæ applicando ad intentum, cùm licentia data ab Epiſcopo, ad Confeſſiones ſæcularium audiendas, ſit privilegium ſuum, diſtinctum à licentia, data à Provinciali circa eaſdem Confeſſiones audiendas, videtur, quòd revocante Provinciali ſuam licentiam, quam dedit iſti ad Confeſſiones ſæcularium audiendas, non revocet licentiam & privilegium datum ab Epiſcopo ad eaſdem audiendas, cujus licentia in Confeſſionibus ſæcularium excipiendis eſt præcipua, & Provincialis eſt minùs præcipua.

101. Tertium.

Pro eodem intento dico ſic: Suppoſito quòd Epiſcopus ob culpas vel cauſas aliquas privet certum Religioſum, ne Confeſſiones ſæcularium audiat in ſuo Epiſcopatu, quod illum poſſe facere ſuppono, nunquid per hanc revocationem licentiæ à ſe datæ, revocare poteſt licentiam, quam habet à Provinciali pro audiendis Confeſſionibus Religioſorum, qui ſunt ſubditi Provincialis? Non profectò, quia licentiæ hæ ſunt diverſæ, & una non pendet ab alia, ſaltem in conſervari, & ſic ablatâ unâ, non tollitur altera.

Quarum. *Miranda.*

Præterea Miranda tom. 1. Man. q. 45. a. 12. citans unam Bullam Iulii III. dicit, quòd ſi Religioſus approbatus ab Epiſcopo ad Confeſſiones ſæcularium audiendas, qui Religioſus non habet licentiam ſui Prælati, Confeſſiones ſæcularium audiat, & non ſit in ſua Religione ſtatutum annullans tales ſic factas Cõfeſſiones, dicit, Confeſſiones iſtas validas fore: ſecùs ſi in Ordine ipſius ſit tale ſtatutum eas annullans. Iam ergo ex mente illius ſaltem habemus, quòd in Religione, ubì non fuerit tale ſtatutum, erunt validæ Confeſſiones, factæ cum licentia Epiſcopi, abſque ulla licentia Prælati. Hoc autem majus videtur, quàm dicere, poſſe audire Confeſſiones ſæcularium Religioſum hunc, qui habet integram licentiam Epiſcopi, & jam priùs factus eſt Confeſſor cum licentia Prælati, licèt modò illam revocet; cùm juxta prædicta videatur non poſſe revocare licentiam & privilegium datum ab Epiſcopo. Hactenus Portel.

102. Reſponſio ad quartum.

Reſpondeo ad ultimum; ex mente Mirandæ habemus, quòd licentia ſeu juriſdictio collata ab Epiſc. dependeat à voluntate Prælati: nam poteſt Ordo facere ſtatutum, annullans illas Confeſſiones. Et tale ſtatutum, dicit hic Auctor, factum eſt in Ordine Prædicatorum. Nam Breve Iulii III. dicitur à Capitulo Salmantino Generali, in quo intimabatur, acceptatum fuiſſe quoad irritationem illarum licentiarum, ſic obtentarum & obtinendarum, quæ in præjudicium juriſdictionis ipſorum Prælatorum cedunt. Ita Miranda ſuprà, & Em. Rodrig. ſuprà a. 3. Iam autem ad juriſdictionem Prælatorum

latorum pertinet, præsentare Religiosos Episcopo, ut ab ipso approbentur. Igitur præsentatio & approbatio & concessio jurisdictionis aliter facta, in Ordine Prædicatorum nulla est. Et similiter nulla erit in aliis Ordinibus, ubi constiterit de eadem voluntate Prælatorum.

Sicut autem potest Ordo impedire, ne licentiam Episcopalem Religiosi obtineant; quid ni similiter possit revocare licentiam, semel legitimè obtentam? Nam in prædicto Brevi revocantur licentiæ & immunitates non solùm concedendæ, sed etiam concessæ Religiosis ejusdem Ordinis ad Confessores eligendos, & Confessiones audiendas, quas ipse Magister Ordinis revocandas duxerit: ergo licentia Episcopi non solùm in fieri, sed etiam in conservari dependet à voluntate Magistri Ordinis.

103. Respondetur ad alia argumenta.

Ex quo paret responsio ad alia argumenta Portel, quæ omnia supponunt, quod probandum erat, licentiam Episcopi non dependere in conservari à licentia seu voluntate Prælatorum Ordinis, sicut licentia Prælati non dependet à licentia seu voluntate Episcopi. Sed, sicut dixi, hoc probandum oportuit, non suppositum. Nos autem probavimus contrarium. Hìc ergo erit finis istius controversiæ.

Qui obtinet jurisdictionem ab Episcopo absque legitima præsentatione non potest absolvere subditos alterius Episcopi.

Tantùm addo unum verbum; qui obtinuisset jurisdictionem ab Episcopo, absque legitima præsentatione suorum Superiorum, estò validè absolveret subditos istius Episcopi, equidem invalidè subditos alterius Episcopi, quos alioquin validè absolveret, si esset præsentatus legitimè à suis Superiotibus. Ratio patet ex suprà dictis: quia sinè legitima præsentatione non accipit jurisdictionem à Pontifice, sed tantùm ab Episcopo, qui non potest dare jurisdictionem absolvendi alienos subditos.

His facilioribus controversiis ita expeditis (bene, an malè, relinquo judicio benigni & prudentis Lectoris) accingo me resolvendis controversiis difficilioribus, & quæro Primò; A quo Episcopo debeat Confessarius approbari? Respondeo autem:

CONCLUSIO V.

Ut Sacerdos ubique gentium posset audire Confessiones, olim sufficiebat legitima approbatio cujuscumque Episcopi. Sed hodie videtur requiri approbatio Episcopi Diœcesani.

104. Quis hìc intelligatur per Episcopum.

PEr Episcopum hìc intelligo omnem illum & solum, qui habet jurisdictionem Episcopalem aut quasi in foro externo respectu personarum sæcularium. Unde consecratus Episcopus, si Episcopatum non habeat, sed merum titulum, approbare non potest. Similiter qui est electus tantùm in Episcopum. Poterit autem is, qui electus est & confirmatus, licèt nondum consecratus sit; quia jam est verus Episcopus, & potest jurisdictionis actus exercere: ergo approbare Confessarios; licèt enim hæc approbatio non sit per se actus jurisdictionis, quia per eam non dicitur aliquod jus inter partes; equidem est sententia juridica seu testimonium authenticum idoneitatis Sacerdotis, sinè quo Sacerdos est incapax jurisdictionis sacramentalis. Et ideo venit sub actu jurisdictionis, & non Ordinis.

105. An approbatio invalidè detur ab excommunicato vitando. Henriquez.

Si autem quæritur; an ergo invalidè detur ab excommunicato vitando? Respondet Henriquez lib. 3. de Pœnit. cap. 6. n. 3. negativè; quia, inquit, non est delegatio jurisdictionis.

Idem docet lib. 3. de Confir. c. 13. n. 3. ibi: Parochus licèt sit excommunicatus nominatim, vel suspensus ab officio & jurisdictione, posset dare alteri Sacerdoti, etiam non exposito, licentiam ungendi: ùt Episcopus potest approbare tamquam idoneos ministros pro officio audiendi Confessiones, aut prædicandi; quia licentia hæc non est per se actus jurisdictionis, quàmvis non posset delegare jurisdictionem absolvendi.

De Scildere.

Oppositum docet de Scildere in Synopsi de Sacram. §. 96. in principio dicens: Approbans juxta Declarationem Urb. VIII. debet esse Diœcesanus seu Ordinarius, qualis est habens jurisdictionem Episcopalem: ex quo sequitur, quòd approbatio, licèt non sit actus jurisdictionis, sit tamen actus jurisdictionem habentis, adeòque invalidè detur ab excommunicato vitando. Hæc ille.

106. Objectio diluitur.

Nec dixeris; petit principium, hoc enim est quod quæritur; an approbatio sit actus habentis jurisdictionem. Respondetur quippe; communiter supponitur & docetur, per Episcopum intelligi non eum, qui habet Ordinem Episcopalem, sed qui habet jurisdictionem Episcopalem. Alioquin cur Episcopus titularis tantùm, non poterit validè approbare? Hoc autem suppositò consectarium videtur, ùt dicit ille Auctor, excommunicatum vitandum invalidè approbare, utpote qui pro tempore excommunicationis careat jurisdictione Episcopali, non minùs, quàm Episcopus titularis.

An sufficiat habuisse jurisdictionem Episcopalem.

Quòd autem sufficiat semel habuisse illam jurisdictionem, unde constat? Sanè, ùt diximus Conclusione 3. non sufficit habuisse beneficium parochiale, ùt sinè ulteriori approbatione possit Sacerdos audire Confessiones; ergo similiter non sufficit habuisse jurisdictionem Episcopalem, ut Episcopus possit validè approbare, sed oportet actu habeat eam, idque liberam & expeditam; quia habere eam, sed impeditam per censuram moraliter est eam non habere: veluti si omnes

subditi alicujus Episcopi subitò extinguerentur, peste v. g. vel gladio, quousque novos recipiat, caret jurisdictione Episcopali, & per consequens juxta jam dicta nequit validè quemquam approbare, estò aliquando habuerit jurisdictionem Episcopalem; similiter Episcopus degradatus verbaliter vel realiter. Quid enim interest ad potestatem approbandi, quòd aliquis in perpetuum privetur suâ jurisdictione, vel quòd solùm ad aliquod tempus? Itaque posterior sententia magis placet, suppositâ communi sententiâ, quòd Trident. requirens approbationem Episcoporum; potiùs attenderit ad jurisdictionem Episcopalem, quàm consecrationem.

107. Vicarius Episcopi potest approbare.

Ex qua etiam sententia sequitur, quòd Vicarius Episcopi, tamquam unus cum Episcopo, & eâdem jurisdictione utens, validè approbet, quod usus confirmat. Quid miramur? Quippe Concil. non dicit ut Episcopus per seipsum approbet: potest ergo id facere per suum Vicarium, sicut alia, quæ sunt meræ jurisdictionis.

An etiam Capitulum Sede vacante, Abbates aliqui vel Prælati exempti,

Major difficultas esse posset de Capitulo Sede vacante, & de nonnullis Abbatibus vel aliis Prælatis exemptis, qui in foro externo exercent jurisdictionem Episcopalem respectu sæcularium; ita ut hi Abbates, vel alii Prælati nulli Episcopo subjiciantur, sed immediatè Summo Pontifici; similiter sæculares illi soli Abbati, vel alteri Prælato exempto, & Summo Pontifici.

Proponitur ratio dubitandi.

Ratio autem dubii est: quia ipsi non sunt Episcopi, & verbum Concilii videtur in rigore & propriè intelligendum. Accedit quædam responsio Cardinalium in hæc verba: *Nullus præterquam Episcopus se interponere debet in his, quæ spectant ad approbandos Sacerdotes sacræ Confessionis ministros.*

108. Capitulum posse probatur.

Nihilominùs satis certum videtur Capitulum Sede vacante per suum Vicarium posse approbare. Probatur 1. ex usu. Secundò; quia tota Episcopalis ordinaria jurisdictio quoad omnia, in quibus non reperitur jure limitata, residet in tali Capitulo; argum. cap. *Si Episcopus* 3. de Supplen. neglig. Prælat. in 6. *Si Episcopus à paganis aut schismaticis capiatur: non Archiepiscopus, sed Capitulum ac si Sedes per mortem vacaret illius, in spiritualibus & temporalibus ministrare debebit.*

c. 3. de Supplen. negl. Prælat in 6.

eap. 4. eod.

Et cap. 4. eodem: *Ecclesiæ Cathedrali vacante, Visitator ab alio, quàm a Rom. Pontifice deputari non potest: nisi fortè Capitulum in spiritualibus & temporalibus negligenter aut perperàm administret.*

c. 42. de Elect. in 6.

Item cap. 42. de Elect. in 6. *Is cui procuratio seu administratio Cathedralis Ecclesiæ plena & libera in spiritualibus & temporalibus à Sede Apostolica (cui soli hoc competit) est commissa: potest (alienatione bonorum immobilium dumtaxat exceptâ) omnia, quæ jurisdictionis Episcopalis existunt, & quæ potest electus exequi confirmatus, liberè exercere.*

Atqui Sede vacante, procuratio seu administratio Cathedralis Ecclesiæ plena & libera in spiritualibus & temporalibus, à Sede Apostolica est commissa Capitulo, ùt patet ex juribus allegatis; ergo potest omnia, quæ jurisdictionis Episcopalis existunt, & quæ potest electus exequi confirmatus, liberè exercere. Subsumo iterum: Atqui electus confirmatus potest approbare Sacerdotes ad audiendas Confessiones; ergo &c.

109. Occurritur objectioni c. 2. Ne Sed. vacante.

Nec obstat cap. 2. Ne Sede vacante. ibi: *Cùm nusquam inveniatur cautum in jure, quòd Capitulum vacante Sede fungatur vice Episcopi.* Non obstat, inquam, quia continuò attexitur: *In collationibus præbendarum.* Exceptio autem firmat regulam in contrarium. Et ideo signanter dixi: *Quoad omnia, in quibus non reperitur jure limitata.* Nuspiam autem excipitur approbatio Confessariorum.

Sede vacante Capitulum jam confirmat & infirmat electiones c. 14. de Major. & obed.

Et verò si vacante Episcopatu Capitulum confirmet & infirmet electiones, ùt habetur cap. *Cùm olim* 14. de Major. & obed. ibi: *Mandantes eisdem, ut cùm Ecclesia Messan. vacet ad præsens, electionem suam confirmandam, prout de jure fuerit, vel etiam infirmandam præsentent Capitulo Messan.* quid ni etiam possit approbare & reprobare Confessarios?

Approbatio est actus jurisdictionis ordinariæ.

Hoc enim non est actus Ordinis Episcopalis, sed jurisdictionis, non sibi specialiter delegatæ à Pontifice, sed ordinariæ; nam à Trident. simpliciter tribuitur Episcopis ratione sui muneris. Et aliunde est actus valde necessarius ad administrationem curæ Episcopalis: ergo non est verisimile, Capitulum esse privatum hâc potestate, ita ut toto tempore Sedis vacantis, non possit exponi vel approbari Confessor in illo Episcopatu; sed quòd oporteat ad Summum Pontificem accedere.

110. Aliquos Abbates posse approbare, probatur.

Simili modo argumentor, & probo illud idem jus competere Abbatibus exemptis; quia & ipsi constituti sunt à Pontifice quasi loco Episcoporum, & cum jurisdictione Episcopali, ita ut subditi eorum nullum alium Superiorem agnoscant, præter Summum Pontificem; ergo vel recurrendum foret ad Sedem Apostolicam, quod non est verisimile, vel hi Abbates possunt pro subditis suis approbare & exponere Confessarios.

Confirmatur Suarez.

Hoc confirmat usus, inquit Suarez Disp 28. Sect. 5. n. 3. mihi enim constat plures Abbates hujusmodi exercere hunc actum, ùt Compluti, Regii, Pinciæ, & Metimnæ Campestris, quos non est verisimile usuros fuisse hâc potestate, nisi in hoc Decreto essent comprehensi: quod maximè confirmat, quia nunquam in hoc illis contradictum est. Hæc ille.

Respondetur ad Declarationem Card.

Quantùm ad responsionem Cardinalium, ait idem Auctor n. 4. se illam in suo originali videre non potuisse, nec sibi constare quàm authentica sit. Prætereà verba citata facilè possunt ad dictum sensum accommodari, ut nul-

ut nullus præterquam Epiſcopus vel ſtrictè, vel cum extenſione à nobis declarata debeat ſe interponere in his, quæ ſpectant ad approbandos Sacerdotes ſacræ Confeſſionis miniſtros. Atque hæc de nomine Epiſcopi. Ad rem veniamus, id eſt, maturè expendamus, cujus Epiſcopi approbatio ſit neceſſaria.

111. Probatur 1. pars Concl. ex verbis Trident.

Probatur itaque prima pars Concluſionis, videlicet olim ſuffeciſſe approbationem cujuſcumque Epiſcopi ſive originis, ſive beneficii, ſive domicilii, ſive pœnitentis, ſive Confeſſarii, ſive loci, ubi auditur Confeſſio, probatur, inquam, ex verbis Conc. Trident. quæ non determinant aliquem Epiſcopum, ſed ſimpliciter requirunt Epiſcopi approbationem ibi: *Aut ab Epiſcopis per examen*, &c. Quæ verba cùm ſint odioſa, in quantum revocatoria juris antiqui, quo Sacerdotes abſque tali examine, aut approbatione poterant audire Confeſſiones, ſtrictè videntur interpretanda, juxta Reg. Iuris 15. de Reg. Iuris in 6. *Odia reſtringi & favores convenit ampliari.* Et Reg. 28. eodem: *Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentia ſunt trahenda.*

Reg. 15. & 28. de Reg. Iuris in 6.

Ergo, niſi aliud conſtet de mente Concilii, verba illa ſic ſunt interpretanda, ut ſufficiat approbatio unius Epiſcopi, cujuſcumque ex jam nominatis, ad accipiendam juriſdictionem, & ubique gentium audiendas Confeſſiones: nam Sacerdos ab aliquo ipſorum approbatus, ſimpliciter eſt approbatus ab Epiſcopis.

112. Singuli Sacerdotes non debent approbari à pluribus Epiſcopis.

Siquidem ly *Epiſcopis*, non debet intelligi, quaſi ſinguli Sacerdotes debeant approbari à pluribus Epiſcopis, alioquin ſinguli etiam in eadem Diœceſi deberent à pluribus eſſe approbati, quod clarè falſum eſt; ſed ideo utitur Concilium verbo pluralis numeri, quia ſunt multi Epiſcopi, qui approbant, etiamſi ſufficiat unus. Proinde non accipitur illa vox copulativè, quaſi ab omnibus; ſed copulatim, ſcilicet quilibet ab aliquo.

Iacob. 5.

Nonne dicitur Iaco. 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum* &c? Quis propterea docet, unctionem unius Presbyteri non ſufficere ad validum, immo licitum Sacramentum? Ergo argumentum deſumptum ex ly *Epiſcopis*, nullius eſt momenti.

113. Contra Concl. objicitur Declaratio Cardin.

Fortius argumentum deſumitur ex Declarationibus Cardinalium, quarum prima refertur ſub hac forma verborum: *Congregatio Concilii reſpondet, approbatum ab alio, quam à Valentino Epiſcopo, in Diœceſi Valentina non cenſeri approbatum ab Ordinario.* Quæ verba refert Eman. Rodrig. in expoſit Bullæ §. 5. ſe vidiſſe & legiſſe in Epiſtola ad Archiepiſcopum Valentinum.

Reſpondentur.

Reſpondent Aliqui, de illa Declaratione non conſtare authenticè; quod maximè verum eſt poſt Decretum Urb. VIII. de quo ſuprà.

Atque ut conſtaret authenticè, & de ipſo reſponſo, & de circumſtantiis, ſub quibus datum fuit, & de quæſito ex parte Archiepiſcopi, ſecundùm quod explicari debet reſponſum; equidem verba illa non cogunt. Nam, inquit Dicaſtillo diſp. 10. n. 251. cùm in Diœceſi Valentina, ſicut in pleriſque aliis, ſint multæ perſonæ exemptæ, & in dignitate quaſi Epiſcopali conſtitutæ, quæ ſunt Superiores Ordinarii ſuorum ſubditorum, & in Iubilæo, ſicut & in Bulla Cruciatæ (quæ maximè reddebat ſolicitum Archiepiſcopum Valentinum, quia toto anno durat, & ſingulis annis habetur) dicatur poſſe eligi approbatum ab Ordinario, poterat quis putare, quod ſufficeret, ſi aliquis Regularis eſſet approbatus à ſuo Superiore, qui eſt Ordinarius illius, ut cenſeretur ibi approbatus, & de tali dicitur, non cenſeri approbatum. Hæc ille. *Dicaſtillo.*

Senſus igitur verborum eſt: *Approbatum ab alio* pro Diœceſi Valentina, *quàm à Valentino Epiſcopo*, v. g. à Superiore Regularium, *in Diœceſi Valentina non cenſeri approbatum ab Ordinario.* Fortè etiam per *Alium* poſſet intelligi Epiſcopus alterius Diœceſis, qui ſubditum ſuum approbaret non ſimpliciter & abſolutè, ſed determinatè pro Diœceſi Valentina.

114. Abſoluta approbatio unius Epiſcopi poteſt ſervire pro toto mundo juxta Suarez.

Alia verò ratio eſſet, ſi aliquis Epiſcopus daret Sacerdoti ſibi ſubdito abſolutam & ſinè ulla reſtrictione approbationem. Nam talem approbationem poſſe ſervire pro toto mundo, ſatis clarè ſignificat Suarius Diſput. 28. Sect. 7. n. 3. in fine dicens: Si proprius Ordinarius velit, videtur dare abſolutam approbationem, declarando hanc perſonam eſſe idoneam ſimpliciter ad hoc miniſterium; quia hoc non excedit juriſdictionem ejus, quia hæc declaratio eſt per modum cujuſdam judicii vel ſententiæ, quæ dari poteſt abſolutè de perſona ab habente in illam directam juriſdictionem, abſtrahendo ab omni reſpectu ad loca vel perſonas.

Unde poteſt dici, talis Epiſcopus tunc dicere jus extra territorium ſuum: nam ſententia in uno loco data, quatenus adhæret ſuo modo tali perſonæ, habet effectum ubique locorum, qui cum illo quodammodò incedit. Sic excommunicatus ab uno Epiſcopo, eſt ubique excommunicatus, & Licentiatus in una Univerſitate, ubique habet teſtimonium publicum ſcientiæ, & ſic de aliis. Ita Suarez.

115. An id poſſit intelligi de Ordinario pœnitentis? Videtur quòd non, propter duplicem Declarationem Card.

Et quod ipſe dicit de Ordinario Confeſſarii, quid ni ego poſſim dicere de Ordinario pœnitentis, & de quolibet Ordinario? Quia, inquis, obſtat alia Declaratio Card. ſequentis tenoris: *Sanctiſſimus Dominus noſter declaravit tempore Iubilei poſſe omnes Regulares confiteri peccata ſua Sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas Confeſſiones: in Bulla enim non fit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audituri ſunt Confeſſiones; non autem de Ordinario pœnitentium.*

Accedat tertia Declaratio in hæc verba: *Sanctissimus Dominus noster auditâ relatione Congregationis declaravit, Episcopum vigore privilegii in cap. fin. de Pœnit. & remiss. non posse sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam huius Decreti admissus seu approbatus ad audiendas Confessiones.*

Suarez. Propter has duas Declarationes Suarius suprà Sect. 6. n. 10. absolutè docet, Episcopum, de quo Concilium loquitur, esse debere Ordinarium ejus, qui auditurus est Confessiones.

Bonacina. At verò Bonac. Disp. 5. de Sacram. q. 7. p. 4. §. 1. n. 21. propter primam Declarationem requirit approbationem Episcopi loci, in quo fit Confessio.

116. Prima responsio ad has Declar. Sed sicut prima Declaratio non togit, ùt jam ostensum est, ita neque secunda aut tertia, ùt jam ostendo. Primò; quia de illis non constat authenticè juxta Decretum Urbani.

Secunda. Secundò; ut constaret authenticè, utraque intelligi potest de eo, quod ordinariè solet contingere; porrò ordinariè contingit, quòd Confessarius expositus, sit approbatus à proprio Ordinario.

Tertia. Tertiò; responsum intelligendum est juxta materiam quæsiti. Quæsitum autem secundæ Declarationis erat; An possent Regulares confiteri Sacerdotibus, quos Episcopus ùt suos subditos approbaverat (prout ordinariè fit) & Sanctissimus respondet, de illis mentionem fieri, nempe de approbatis ab Ordinario, id est, Episcopo, qui tunc erat approbator illorum, qui ibi erant audituri Confessiones, & non de Ordinario pœnitentium, scilicet Religiosorum, de quibus erat mota quæstio, quia in Bulla fit mentio Ordinarii loci; Prælati autem Regularium quàmvis sint Ordinarii, non tamen Ordinarii loci.

Itaque ex hac Declaratione illud ad summum sequitur, quòd Religiosi possint confiteri alicui Sacerdoti, approbato ab Episcopo, estò non sit approbatus à Prælato Religionis, quod parùm facit ad propositum.

117. Quantum ad tertiam Declarationem, quæsitum erat; An Sacerdos, nullam omnino habens approbationem, posset eligi ab Episcopo. Et respondet Pontifex non posse, supple, nisi priùs eum approbet, & sic fiat ejus subditus quoad istum actum.

Episcopus potest approbare Religiosum alterius Diœcesis, estò ab Ordinario domicilii non sit approbatus. Sanè nemo negabit, quod docet quotidiana praxis Episcoporum Belgii, qui pro suis subditis, consequenter etiam pro seipsis approbant Religiosos alterius Diœcesis, estò ab Ordinario domicilii non sint approbati: nam eo ipso quòd quis se subjicit examini, & approbationi alicujus Episcopi, fit aliquâ ratione subditus illius; cur ergo non possit eum approbare pro se & suis subditis? Noli dubitare, saltem ut in propria Diœcesi ipsos absolvat.

118. Sed quid si Episcopus, v. g. Gandensis sit in Diœcesi Antverpiensi, poteritne ibi approbare Sacerdotem Antverpiensem, & factâ approbatione eum eligere in Confessarium? Aliqui intelligunt prædictam Declarationem de tali casu, & dicunt talem approbationem non valere. Ego autem dico, Episcopum, v. g. Gandensem, existentem Antverpiæ, ibi posse approbare Religiosos, & alios Sacerdotes pro seipso, & suis subditis, prout ab aliquot hinc annis fecit Episcopus Ruremondensis, existens Mechliniæ, ibi approbans Guardianum Conventûs nostri & alios Patres.

An Episcopus existens in alienâ Diœcesi possit ibi approbare aliquem Sacerdotem istius Diœcesis pro se & suis subditis.

Fateor, approbatio est actus quasi jurisdictionis, sed voluntariæ; sicut ergo Absolutio sacramentalis, quæ est propriè dictus actus jurisdictionis, potest exerceri extra proprium territorium, quia est actus jurisdictionis voluntariæ; cur non etiam illa approbatio? Aveo audire & videre rationem disparitatis.

Approbatio est actus jurisdictionis voluntarius.

Cæterùm, dicere, Pontificem in illa Declaratione statuisse speciale jus, ut Episcopus non possit pro seipso approbare, secùs pro aliis, non habet speciem veritatis. Et cùm aliunde generaliter loquatur de Episcopo, sinè limitatione ad alienum Episcopatum, dico iterùm, vel generaliter posse approbare tam pro se, quàm pro suis subditis; tam in proprio Episcopatu, quàm in alieno; vel generaliter non posse, neque pro se, neque pro suis subditis; neque in proprio, neque in alieno Episcopatu. 119.

Quod postremum, nobis satis durum videtur, quàmvis Arriaga disp. 42. n. 25. nullam in eo duritiem sentiat; quin potiùs, inquit, illud est valde conforme citatis Declarationibus. Arriaga.

Explicatio Declarat. Card. Respondeo; citatas Declarationes nihil aliud velle, quàm observandum esse Decretum Conc. Trident. eoque comprehendi etiam Episcopos & Religiosos. Quomodo autem Trident. intelligendum sit, consule consuetudinem, quæ est optima legum interpres, ubi non satis apertè ex verbis legis potest colligi mens Legislatoris.

120. Interim miratus fui, quando apud præfatum Auctorem eâdem disp. n. 13. legi sequentia verba: Quidquid de improbabilitate ejus sententiæ (quæ admittit sufficere approbationem cujuscumque Episcopi) sit, rejicienda illa erit, si usurpetur in ea generalitate, ut scilicet Episcopus Parisiensis v. g. posset me hic Pragæ manentem approbare pro toto mundo: quia revera ea non est approbatio Ordinarii, sed Episcopi in genere. Trident. autem non casu usum est verbo *Ordinarii*, quod dicit relationem ad oves, sed ut ostenderet, debere esse Episcopum vel ejus, qui confitetur, vel saltem audientis Confessiones, aut certè ejus loci, ubi fit Confessio: non enim ea vox debet se habere disparatè ad Confessionem; & fortasse

Asserit Arriaga Trident. olim fuisse verbo *Ordinarii*.

fortaſſe neque illius Auctores eam tam latè intellexerunt. Hæc ille.

Sed hoc falsum esse patet ex verbis textûs.

De quo videtur mihi poſſe dici: *Quandoque bonus dormitat Homerus*: quippe Trident. non utitur verbo *Ordinarii*, ſaltem in meo libro; an in libro Arriagæ, credat qui volet. Uſum eſt Conc. verbo *Epiſcopi*, ùt evidens eſt ex textu, ſecundùm diverſas impreſſiones, quas propriis oculis inſpexi

121. Quid ſi ego dixero, non caſu uſum eſſe, ſed ut oſtenderet, nec debere eſſe Epiſcopum ejus, qui confitetur, nec audientis Confeſſiones, nec ejus loci, ubi fit Confeſſio? Quamquam ſemper ſit illius, qui approbatur; nam, ſicut dictum eſt, hoc ipſo quòd aliquis petit approbationem, ſeipſum ſubjicit quoad iſtum actum approbanti, adeòq; agnoſcit eum pro ſuo Epiſcopo.

Epiſcopus Pariſienſis me Lovanii manentem poteſt approbare, ſaltem pro ſuis ſubditis.

Quid ni ergo Epiſcopus Pariſienſis me, Lovanii manentem, & nihilominus per litteras vel nuntium me ſubmittentem ejus examini & approbationi, quid ni, inquam, poſſit me approbare, ſi non pro toto mundo, ſaltem pro ſuis ſubditis? Immo pro toto mundo, niſi aliquid, præter verba Tridentini, obſtet? Profectò falſum videtur, ùt iterum noto contra Lugonem diſp. 21. n. 31. eadem verba eſſe in Concil. & in Bulla Iubilæi, cùm Bulla utatur verbo *Ordinarii*; Trident. autem verbo *Epiſcopi*, juxta diverſas, ùt ſtatim dixi, impreſſiones illius Concilii tam antiquas, quàm novas.

Lugo.

122. Trident. communiter intelligitur de Ordinario.

Interim Concil. communiter ſic intelligitur, & expreſſiſſimè eo verbo utitur Urb. VIII. Bullâ: *Cùm ſicut accepimus*, quam habes ſuprà Concluſione 2. Tantùm hìc addo principium Bullæ ad majorem elucidationem: *Cùm ſicut accepimus* (ergo loquitur de re aliqua non adeò antiqua aut nota) *aliquibus Religioſis quorumdam Ordinum ſeu Congregationum à Sede Apoſtolica indultum fuerit, ut ſacramentales perſonarum ſæcularium Confeſſiones audire valeant, etiamſi ab Epiſcopis Diœceſanis ad id examinati & approbati non fuerint: nec deſint, qui temerè aſſeverent, hoc ipſum privilegium cæteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere, ex ampliſſimis privilegiorum communicationibus, quas ab eadem Sede Apoſtolica obtinuerunt, & hinc ſalubertimum Sacri Conc. Trident. Decretum deſuper ſancitum penitus evertatur. Nos &c.*

Ergo Pontifex tantùm vult ſervari Decretum Concilii Trident. intelligens per verbum *Epiſcopi*, quo utitur Trident. Epiſcopum Diœceſanum ſeu Ordinarium, qui an debeat eſſe Ordinarius Confeſſarii, an verò ſufficiat Ordinarius pœnitentis, vel loci ubi fit Confeſſio, ne verbulo in illa Bulla inſinuatur.

Et ne faceres vim in plurali numero, *Epiſcopis diœceſanis*, §. 1. utitur Pontifex verbo numeri ſingularis dicens, *Abſque Ordinarii examine & approbatione.*

123. Igitur hæc Bulla non opponitur noſtræ ſententiæ, nec reddit eam improbabilem, ut perperam ſentit Lugo ſuprà n. 29. ibi: Cæterùm quidquid ſit de hujus ſententiæ probabilitate tempore præterito: nunc jam non videtur poſſe ullum habere locum poſt Decretum Sanctiſſimi Domini noſtri Urb. VIII. editum anno 1628. quo revocavit omnia privilegia & licentias audiendi Confeſſiones ſinè approbatione ab Epiſcopis Diœceſanis & abſque examine facto ab Ordinario: & ſi quæ erant privilegia contraria cujuſlibet Ordinis vel Congregationis, omnino abſtulit: quia aliqui fortaſſe prætendebant per communicationem ſe habere tale privilegium, ut ſemel approbati in urbe à Vicario Papæ, cenſerentur approbati in toto orbe abſque novo examine.

Bulla Urbani VIII. *Cùm ſicut accepimus*, non reddit improbabilem noſtram ſententiam, Lugo.

Quod quidem privilegium ego numquam apud aliquem Ordinem inveni: apud Congregationem verò Oratorii de Urbe, de qua rumor ſparſus fuerat, inveni Bullam Sixti V. quam refert ad litteram Antonius Naldus Clericus Regularis in Sum. verbo *Confeſſio* n. 39. in qua inter alia privilegia, pro quorum perpetua confirmatione inſtabat S. Philip. Nerius, erat hoc, ut approbati in urbe non indigerent aliâ approbatione extra urbem, quod quidem conceſſit Sixtus V. ſed talibus verbis, quibus gratia redditur ferè inutilis, nempe, ut ſemel, prævio examine, in urbe approbati poſſint abſque alio examine audire ubique Confeſſiones de conſenſu Ordinariorum.

Noſtra etiam Societas facultatem habuit, ut ſemel approbati poſſent audire Confeſſiones in itinere, & tranſitu in iis locis, in quibus non adeſſet Epiſcopus, nec ejus Vicarius: quæ non erat facultas illa, ad quam Pontifex alludere videtur in illo Decreto, audiendi Confeſſiones liberè ubique, abſque nova approbatione. Ex illo autem Decreto arguitur jam efficaciter, & à fortiori, ſi etiam ex privilegio non licet id facere, quantò minùs de rigore juris ſufficiet unica approbatio pro toto orbe iis, qui nullo privilegio potiuntur? Hactenus Eminent.

Sed nititur falſo fundamento; ſupponit 124. quippe, quod probandum erat, videlicet, Pontificem locutum de tali privilegio, ut ſemel approbati in urbe à Vicario Papæ, cenſerentur approbati in toto orbe abſqve novo examine. Hoc, inquam, probandum erat. Et quomodo Lugo poſſet hoc probare, cùm in ipſa Bulla illius privilegii non meminerit Pontifex, nec ipſe Eminent. unquam apud aliquem Ordinem iſtud invenerit? Et tamen ait Pontifex: *Cùm ſicut accepimus, aliquibus Religioſis* &c. Si dixeris; poteſt fieri, ut aliquod tale privilegium ſit, etſi Lugo id nunquam invenerit. Conſentio: ſed unde probatur, aliquod tale privilegium eſſe?

Ego invenio non illud, ſed ſimile privilegium in Compend. Privil. tit. *Abſolutio quoad* Privilegium quoddam

Clement. 7. concessum Confessoribus Ordinis Minorum.

sæculares 1. §. 16. quo Clemens VII. concessit, *quòd Confessores Ord. Minorum semel præsentati alicui Episcopo pro Confessionibus audiendis, ùt moris est præsentari, post unam præsentationem, non teneantur ampliùs præsentari, etiamsi ad aliam transierint Diœcesim.*

125. Quomodo explicetur à Rodrig.

Sed hoc Aliqui intelligunt, respectu unius Episcopi, & unius Diœcesis tantùm, ita quòd in una Diœcesi non requiratur nisi unica præsentatio, etiamsi præsentati ad tempus ad aliam Diœcesim transierint, & postea ad illammet, in qua præsentati fuerant, revertantur. Ita Rodrig. tom. 1. qq. Reg. q. 59. a. 5. secutus Collect. Privil.

Explicatio ejus probatur 1.

Probat 1. quia ille intellectus magis accedit ad jus commune, à quo non debemus recedere, nisi contrarium expresè concessum videamus. Secundò,

Secundò.

quia sic consuevit intelligi alia similis concessio Eug. IV. quæ ait, *quòd quando fratres se semel præsentaverint Episcopis, & obtinuerint suos casus, licèt alibi postea ad habitandum se transferant ad tempus, & postea revertantur ad easdem Diœceses, non sit necessarium iterum se præsentare eisdem Episcopis, vel suos casus de novo obtinere.* Ita habetur in Compend. suprà n. 3.

Confirmatur ex c. 16. de Verb. signi.

Confirmatur hæc intelligentia; cùm enim sit præjudicialis Ordinariis, debet strictè interpretari, juxta ea, quæ in jure notantur cap. *Olim* 16. de Verb. signif.

126. Oppositum ex eod. cap. confirmat Auctor. *Corduba,*

Sed ego ex illo cap. potiùs confirmo oppositum, quod docet Corduba in Annot. ad §. 16. suprà allegatum, videlicet, privilegium Clemen. VII. latè esse interpretandum: nam sic lego cap. *Olim.* citato: *Quia verò quidam mandatum nostrum interpretari aliter, quàm deceat moliuntur (cùm beneficia Principum sint interpretanda largissimè) nostrum aperiendum duximus intellectum* &c. Cùm ergo privilegium illud sit beneficium Principis, quid ni largissimè sit interpretandum?

Profectò sic strictè intellectum, nullum est privilegium, cùm simili modo quilibet Sacerdos sæcularis possit audire Confessiones sinè nova approbatione. Deinde talis intelligentia est contra proprietatem verborum, aut certè extra proprietatem, & similibus lappis omnia privilegia poterunt eludi.

Respondetur ad privilegium Eugenii.

Quantùm ad privilegium Eugenii illud erat de absolvendis à certis casibus, ùt patet ex verbis, & serviebat pro scrupulis atque ad evadendas vexationes Ordinariorum. Ut omittam proprietatem verborum, quæ postulant talem intellectum. Ergo similiter intelligendum est privilegium Clem. VII. Neg. Conseq. Disparitas patet ex dictis. Alioquin hoc privilegium ad nihil valeret.

127. Diluitur responsio Rodriguez.

Nec valet responsio Rrodrig. sup. Sæpè invenitur propter ignorantiam supplicantium, quòd circa eandem rem concessiones multiplicantur: nam hæc ignorantia probanda est, & donec probetur, præsumitur scientia, cùm illo tempore in Ordine essent plurimi viri docti.

Hinc Corduba suprà: dicit quidam Pater in hujusmodi satis eruditus & fide dignus, quòd debet intelligi latè, sic videlicet, quòd Confessor semel debitè præsentatus, non tenetur ampliùs se præsentare in eadem Diœcesi, nec in alia quacumque, ad quam se transtulerit ad morandum ad tempus, vel in perpetuum: sed jam censetur semper & ubique debitè præsentatus; & ratio est, quia intentio impetrantis hanc concessionem fuit talis (ùt ipsemet impetrator dixit) & intentio Papæ concedentis conformatur intentioni impetrantis, nisi aliunde sit dolus, ùt est communis practica & regula Iuristarum. Hæc ille. Corduba.

Sed nunquid hoc privilegium revocatum per Trident. aut per Bullam Vrbanianam? Non puto. Quod ergo? Respondeo, privilegium audiendi Confessiones sinè approbatione vel unius saltem Episcopi. Plùs quippe non important verba Tridentini, ùt suprà vidimus, & per consequens idem & non ampliùs significant verba Urb. VIII. qui illam Constitutionem edidit, ne Decretum Concilii Trident. penitus everteretur. 128. An privilegium Clement. 7. sit revocatum.

Dices; privilegium Clem. VII. tantùm postulat præsentationem, non autem approbationem; ergo saltem quoad hoc ei derogatum est per Trident. & Bullam Urbanianam. 129. Objectio.

Transeat totum; neque enim de hoc jam disputamus, sed solùm quærimus, an una approbatio sufficiat, & dico iterùm, neque ex verbis Trident. secundùm se consideratis, neque ex verbis Urb. VIII. satis probari necessariam esse approbationem in singulis Diœcesibus, suppositâ scilicet jurisdictione, de qua fortè intelligi posset privilegium Clem. VII.

Cùm enim Clemens V. Clement. *Dudum.* de Sepult. FF. Prædicat. & Minor. legitimè præsentatis, concessisset jurisdictionem tantùm pro Diœcesi illius Episcopi, cui fuerant præsentati, ùt patet ex illis verbis: *Extra civitates & Diœceses, in quibus fuerint deputatæ, per quas eas volumus, & non per provincias deputari, Confessiones nullatenus audituræ,* Clemens VII. extendit jurisdictionem etiam ad alias Diœceses.

130. Ad quid serviat privilegium Greg. 13. concessum PP. Societatis Iesu.

Si autem à me quæritur, ad quid ergo serviat privilegium Greg. XIII. concessum Patribus Societ. Iesu, de quo suprà, & refertur in Compend. Societ. Iesu tit. Confess. §. 2. hisce verbis: *Confessarii Societ. Iesu ac Prædicatores ab aliquo Ordinario semel approbati, & à suis Superioribus ad huiusmodi munera deputati, quandocumque sive in mari, sive in terra iter faciunt, possunt, non repugnantibus tamen Curatis parochialium Ecclesiarum, verbum Dei prædicare, & quorumcumque Christi fidelium Confessiones audire, dummodò id non faciant in oppidis aut locis, in quibus Ordinarii existunt, nisi eorum licentiâ desuper obtentâ.*

Respondeo; concessum fuisse pro majori securitate. Sicut in eadem Constit. quæ incipit: *Decet,*

Decet, conceditur, *ut ſcrupulis agitati ſecurè acquieſcant iudicio Confeſſarii.* Item, *ut qui ingrediuntur Societatem, & habent bona omninò incerta, poſſint ea prudentum iudicio in cauſas pias diſtribuere.* Quæ tamen ſunt juris naturæ.

131. Objectio. Sed contrà, inquis; expreſsè ſupponitur, non poſſe audire in locis, in quibus Ordinarii exiſtunt; ergo ſupponitur neceſſaria approbatio Ordinarii.

Solvitur 1. Reſpondeo; indè tantùm ſequitur, eſſe neceſſariam, quando Ordinarius eſt præſens, ne videatur ejus auctoritati derogari.

Solvitur 2. Reſpondeo 2. ſæpè ſæpiùs contingit, privilegia, poſteriùs impetrata, limitare & coarctare id, quod antea ſinè ulla limitatione & reſtrictione erat impetratum. Ita Rodrig. ſup.

128. An privilegium Cl. ment. 5. ſit revocatum.

Quæ cùm ita ſint, liquidò conſtat, quòd ſententiæ noſtræ non obſtet Bulla Urb. VIII. utpote paſſim practicatæ, etiam poſt illam Bullam, quæ nunquam in his locis fuit publicata. Pro quo

132. Privilegium, in cujus revocatione requiritur certa forma, non dicitur revocatum, eâ non ſervatâ: ſed Greg. XIII. conceſſit Religioni Societ. Ieſu, ut nulla derogatio ſub qualibet ampliſſima forma præjudicet privilegiis dictæ Societati conceſſis, ſi non fuerit intimata, & dictis Patribus inſinuata. Hæc ille.

129. Objectio.

Præterea Urb. loquitur de re aliqua, non adeò antiqua & nota, ùt ſupra inſinuavi, referendo ejus verba; cum tamen ſententia noſtra ante 60. annos, atque adeò multis annis ante præfatam Bullam, editam Anno 1628. jam foret notiſſima, tum in libris plurium & gravium Auctorum, tum in Academiis, tum apud Confeſſarios, præſertim Regulares.

133. Dicaſtillo docet noſtram ſententiam.

Et ideo eam docet Dicaſtillo ſuprà n. 245. citans n. 247. graviſſimos Auctores, etiam aliquos, qui interfuerunt Concil. Trident. adeóque ejus mentem apprimè poterant noſſe, & tamen ſic Concilium interpretati ſunt, quemadmodum iſta ſententia interpretatur. Unde non eſt veriſimile, Eccleſiam vel Pontificem praxim conformem ignoraſſe, cumque non contradixerit uſque ad hæc noſtra tempora, cùm tamen facilè potuiſſet contradicere, & debuiſſet contradicere, ſi noluiſſet eam pati; ſignum eſt, ſaltem ùt probabilem permiſiſſe illam currere inoffenſo pede. Vide Dia. p. 1. tract. de Bulla Cruc. reſol. 7. & p. 5. tract. 12. reſol. 53. quibus locis abſolutè docet hanc ſententiam.

130. Ad quid ſervit approbatio Confeſſarii. Greg. 13. concedit P. Soto ratis locis.

Bidon.

Quàmvis p. 3. tract. 4. reſol. 110. in fine dicat, oppoſitam ſententiam in praxi obſervandam eſſe. Quod indubiè hoc tempore verùm eſt, ùt patebit ex dicendis pro ſecunda parte Concluſionis.

134. Approbatio non eſt mera ceremonia.

Tantùm addo pro prima parte; ex ea minimè ſequi, approbationem eſſe meram ceremoniam; ſed eſt legitimum quoddam judicium, & talis judicii teſtimonium, quo Epiſcopus fidem facit in tota Eccleſia, quòd talis ſit aptus, ut legitimus Superior poſſit ei juriſdictionem delegare pro ſuis ſubditis, ſi tali approbatione ſit contentus.

Licentiatus aut Doctor in una Univerſitate ubique eſt talis.

Sicuti aſſumptus ad gradum Licentiæ aut Doctoratûs in una legitimè conſtituta Univerſitate, poteſt in Iudicem delegatum, aut etiam ordinarium eligi in Regionibus, quæ non ſunt ſub eodem Principe, ſi electores eâ approbatione ſeu aſſumptione ſint contenti. Et ſicuti Doctor factus in quacumque Univerſitate, aptus cenſetur, ut cæteris concurrentibus aperiat litteras Apoſtolicas, quæ inſcribuntur: *Diſcreto viro Confeſſori, Magiſtro in Theologia, aut Decretorum Doctori*, & eas exequatur in foro conſcientiæ & Confeſſionis.

135. Similitèr Tabellio unius civitatis fidem facit ubique.

Et verò teſtimonium legitimè conſtituti Tabellionis ſeu Notarii unius civitatis, aut etiam Nationis, nonne fidem facit in alia civitate, aut Natione, etiam ſub alio Principe ſupremo? Quantò ergo potiori ratione in Eccleſia Dei: quæ ubique ſubeſt generali Concilio legitimo, quale eſt Trident. & uni ſupremo capiti Pontifici; poterit admitti judicium & teſtimonium unius Epiſcopi legitimè conſtituti, ut valeat in tota Eccleſia Dei; præſertim cùm approbatus indè non accipiat juriſdictionem, ſed ſolùm authenticum teſtimonium aptitudinis, ut poſſit illi conferri juriſdictio? Poſſibilitas ergo eſt oſtenſa.

Non videtur Trident. voluiſſe ſubjicere Sacerdotis pluribus approbationibus.

Porrò quod fieri potuit, factum eſſe, ſatis probatum puto ex ipſis verbis Trident. quoniam ſi Epiſcopi in Trident. congregati voluiſſent ſubjicere Sacerdotes tam Regulares quàm ſæculares pluribus approbationibus, illud ſinè dubio expreſſis terminis pronuntiaſſent, cùm de illorum jure ageretur: quod cùm non fecerint, adversùs eoſdem eſt interpretatio facienda juxta Reg. Iuris 57. de Reg. Iuris in 6. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda.* Et Reg. 30. eodem: *In obſcuris minimum eſt ſequendum.*

Reg. 57. & 30. de Reg. Iuris in 6.

136. Rationes congruentiæ.

Pertranſeo rationes, propter quas Aliqui requirunt approbationem Epiſcopi Confeſſarii; Alii approbationem Epiſcopi pœnitentis; Tertii approbationem Epiſcopi loci; quia non ſunt niſi congruentiæ, quæ non ſolent efficaciter probare intentum, quod dependet à libera voluntate Dei, aut hominis, hoc aut illud præcipientis. Spectat quidem ad Epiſcopum loci, providere de idoneis Sacerdotibus; ſed non minùs ſpectat ad Paſtorem ovis, providere huic de bono immediato Paſtore. Et verò judicium de alicujus doctrina, à quo meliùs poteſt dari, quàm ab eo, qui novit perſonam, adeóque ab Epiſcopo Confeſſarii?

propter quas potuiſſet Trid. præcipere approbationem vel E-

Ecce triplex ratio congruentiæ, propter quam Conc. Trident. potuiſſet præcipere vel approbationem Epiſcopi Confeſſarii, vel Epiſcopi loci, vel Epiſcopi pœnitentis. Quid præ-

piscopi Confessarii, vel pœnitentis, vel loci.

præceperit, ex verbis, quibus utitur, non satis constat, & ideo quousque apertiùs declarasset mentem suam, probabilis omnino fuit valor approbationis unius Episcopi ex illis tribus indeterminatè.

137. Probatur, hodie non sufficere approbationem unius Episcopi pro toto mundo, ex quodam Brevi Innoc. X.

Sed nunquid hodie apertiùs declaravit mentem suam pro aliquo determinatè? Videtur quòd sic, quæ est secunda pars Conclusionis, & probatur primò ex Brevi quodam Innocen. Papæ X. quod incipit: *Cùm sicut accepimus* (30. apud Cherubinum) expeditum Anno 1648. 14. Maii in judicio contradictorio auditis sæpiùs Illustrissimo Domino de Palafox & Mendoça Episcopo Angelopolitano ex una, & Clericis Societatis Nominis Iesu ex altera partibus. In qua determinantur 26. utrimque proposita dubia, administrationem Sacramentorum, jurisdictionem Episcopalem, & exemptionem Regularium præcipuè concernentia.

Porrò nonum dubium sic sonat: *Vtrùm Regularis quicumque, etiam Societatis Iesu, possit administrare Sacramentum Pœnitentiæ sæcularibus absque licentia Episcopi Diœcesani, etiamsi in aliena Diœcesi approbatus sit.*

Declaratio Card.

Respondit autem Congregatio Card. *Regulares, etiam Societatis Iesu, in una Diœcesi ab Episcopo approbatos ad Confessiones sæcularium personarum audiendas, nequaquam posse in aliena Diœcesi huiusmodi Confessiones audire sinè approbatione Episcopi Diœcesani.*

Decimum dubium sequentis est tenoris: *An Episcopus contra dictos Regulares, audientes in sua Diœcesi Confessiones sæcularium absque sua approbatione, vel Concionantes absque licentia Episcopi intrà vel extra proprias Ecclesias, possit procedere, eos à talibus ministeriis removendo, sive præceptis & aliis iuris remediis coërcendo.*

Alia Declaratio.

Respondit autem Congreg. Card. *Eisdem Regularibus, qui Confessiones personarum sæcularium audiunt sinè approbatione Episcopi loci, vel prædicant in Ecclesiis sui Ordinis, non petitâ illius benedictione, aut in aliis Ecclesiis absque ipsius licentia, vel in Ecclesiis etiam sui Ordinis ipso contradicente, posse Episcopum in vim Constit. felicis recor. Gregor XV. quæ incipit*: Inscrutabili Dei providentiâ, *tamquam Sedis Apost. Delegatum, administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, ac munus prædicationis interdicere, eosq; iuris remediis coërcere & punire.*

138. Confirmatio harum Declar. per Innoc. X.

Atque ut nihil deesset his Declarationibus, quoad vim obligandi universam Ecclesiam, sequentibus verbis eas confirmavit Innocent. dicens: *Quapropter ut præmissa firmiùs subsistant, & inviolabiliter observentur: Nobis pro parte Ioannis Episcopi huiusmodi fuit humiliter supplicatum, ut illa auctoritate Apostolicâ confirmare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictis Ioannis Episcopi votis hac in re annuere, illumq; specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes &c. præinserta responsa & resolutiones auctoritate præ-*

dictâ, tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisq; Apostolicæ firmitatis vim & robur adiicimus, & inviolabiliter observari mandamus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis. Decernentes sic, & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Card. etiam de latere Legatos iudicari ac diffiniri debere, ac irritum & inane, si quid secùs à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis ac universalibus, Provincialibusq; & Synodalibus Conciliis editis generalibus & specialibus Constitutionibus & Ordinationibus; nec non Ecclesiæ Angelopolitanæ ac Societatis prædictæ, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel aliâ quâvis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis & litteris Apostolicis, eidem Ecclesiæ & Societati, sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus & insolitis clausulis, ac decretis etiam irritantibus, etiam motu proprio, ac etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad effectum præmissorum specialiter & expresè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 14. Maii, an. 1648. Pontificatûs nostri an. 4.

139. Iustificatio prædictorum Decr.

Cùm autem Clerici Regulares Societatis Iesu prætenderent ex pluribus capitibus prædictas litteras Pontificis non esse justificatas, novam desuper Audientiam obtinuerunt, & iteratò negotium examinandum & definiendum commisit Innoc. particulari Congregationi nonnullorum S. R. E. Cardinalium ac Rom. Curiæ Prælatorum, qui partibus etiam in contradictorio pluries auditis, earumque oppositionibus maturè perpensis decreverunt prout sequitur, videlicet:

Cùm sub die 14. Maii 1648. emanaverit Breve SS. Domini nostri super controversiis vertentibus inter Episcopum Angelopolitanum ex una, & Patres Societ. Iesu ex altera: Patres verò prædicti prætendentes ex pluribus capitibus Breve non esse iustificatum, obtinuerint à Sanctitate sua novam Audientiam; Congregatio nonnullorum Eminent. S. R. E. Card. ac Rom. Curiæ Prælatorum, super huiusmodi differentiis ab eodem Sanctissimo specialiter deputata, partibus etiam in contradictorio pluries auditis, singulisq; oppositionibus maturè perpensis, censuit supradictum Breve esse iustificatum, ac proinde illius executio-

executionem nullatenus esse impediendam aut retardandam. Datum Romæ die 4. Mensis Febru. 1652.

140. Confirmatio Pontificis.

Quam Declarationem idem Pontifex confirmavit sub hac forma verborum: *Cùm sicut eiusdem Ioannis Episcopi nomine Nobis nuper expositum fuit, ipse Ioannes Episcopus præinsertum Decretum, pro firmiori eius subsistentia & observatione, Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desideret. Nos eiusdem Ioannis Episcopi votis hac in re benignè annuere, ac ipsum Ioannem Episcopum specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à iure vel ab homine, quâvis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus, eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, præinsertum ultimò Decretum huiusmodi, ac omnia & singula in eo contenta, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, confirmamus & approbamus; illisq; inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac illa inviolabiliter observari mandamus. Decernentes sic & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, iudicari & definiri debere, ac irritum & inane si secùs super his, à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus illis, quæ in præinsertis nostris litteris voluimus non obstare, cæterisq; contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 19. Novembr. 1652. Pontif. nostri an. 9.*

Ecce prima probatio & Declaratio Card. pro secunda parte Conclusionis. Et audio dicentem: *Non plùs ultrà*: res conclamata est, quis imposterum audeat sustinere, unicam approbationem sufficere pro toto mundo? Quis adhuc audeat dicere: Regulares in una Diœcesi ab Episcopo approbati ad Confessiones personarum sæcularium audiendas, possunt in alia Diœcesi hujusmodi Confessiones audire sinè approbatione Episcopi Diœcesani?

141. Responsio quædam ad illas Declar.

Ego audeo, reponit quispiam, fretus S. Congreg. Card. quæ 10. Iunii an. 1658. inter alios libros prohibet Tomum 4. Magni Bullarii Romani, SS. Pontificum Urb. VIII. & Innoc. X. Constitutiones complectentem, editionis novissimæ Lugdunensis, factæ sumptibus Philippi Borde, Laurentii Arnaud &c. donec expurgetur ab adjectis. Expurgatus autem juxta Decretum S. Congreg. die 27. Iulii 1657. permittitur. Expurgari autem debet ut sequitur: Auferatur Constitutio 25. incipiens: *Sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ*, sive pag. 279. deleatur à linea: *Bulla Confirmationis Religionis Clericorum*, usque ad lineam: *Constitutio super approbatione.* Auferantur præterea sex paginæ à pag. signata 289. usque ad paginam signatam 300. sive à linea paginæ 289. incipiente; *In nomine Domini Amen*, deleatur usque ad lineam pag. 300. incipientem, *Declaratio nullitatis litterarum.* Auferantur, inquam, illa, & ablatum erit Breve Innoc. aut certè justificatio ejus, ùt inspicienti Bullarium Sole meridiano clariùs apparebit. Igitur *Plùs ultra*; alioquin res non est conclamata.

142. Alia probatio 2 partis Concl. ex quodam Brevi Alex. VII.

Fateor, & ideo adjungo secundam probationem, desumptam ex quodam Brevi SS. D. nostri Alex. VII. ad Illustrissimum ac Reverendissimum Episcopum Andegavensem sequentis tenoris: *Venerabilis Frater Salutem & Apostolicam Benedictionem Litteris Nostris ad fraternitatem Tuam, die 29. Decemb. datis, scripsimus, controversias inter te, & istius Diœcesis Regulares vertentes, Nos viris in Sacra Thrologia & Canonum peritia planè versatis discutiendas commisisse, iisq; auditis fore ut illas omnino desideremus. Deinde post accuratum examen unanimi eorum censurâ Nobis relatâ, & Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquisitorum votis etiam intellectis, propositiones in Decreto, quod accipies ex Venerabili Fratre Archiepiscopo Cæsareæ Nuntio Nostro; contentas, prout in eo qualificatæ leguntur, auctoritate Apostolicâ declaravimus, & declaratas decernimus, ac tales ab omnibus haberi præcepimus. Quibus peractis speramus concordiam istic & quietem pristinam consumi cum omnium satisfactione reditum iri &c. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 26. Febr. 1659. Pontif. nostri an. 4. Signatum F. Florentius.*

Jam autem tertia propositio in Decreto contenta, hæc erat: *Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad Confessiones audiendas in sua Diœcesi, habentur pro approbatis in aliis Diœcesibus, nec novâ Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absolvendi à peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas ipsa ipsis indulta non fuerit.*

Sequitur ejus qualificatio: *Quoad primam partem est falsa, & saluti animarum perniciosa. Quoad secundam partem est falsa, auctoritati Episcoporum & Sedis Apostolicæ iniuriosa.* Quid tibi videtur benigne Lector, adhuc *Plùs ultra* desideras, ut nobiscum dicas: *Hodiè videtur requiri approbatio Episcopi Diœcesani*, id est, loci, in quo auditur Confessio?

143. An illud Decretum sit revocatum.

Planè, inquis, desidero justificationem istius Decreti; nam, ùt quidam Doctor Sorbonicus aliquibus retulit; illi Decreto à Regularibus contradicitur, immo revocatum auditur. Quod si verum est, nullum ex eo Regularibus præjudicium generatur, adeòque manent in prioribus terminis.

Manent prorsus, si verum est, quod dixit ille Doctor Sorbonicus; sed quoniam magìs constat de veritate Decreti, quàm de veritate dicti illius Doctoris; donec clarè constet de illa revocatione, in praxi tenendum,

ut quilibet curet approbationem obtinere ab Ordinario domicilii, & dum in alia Diœcesi versatur, eam similiter à Diœcesano obtineat, si ibi Confessiones subditorum illius excipere velit, præsertim quando Episcopi id exigunt. Quidquid enim sit de primæva mente Trident. aut verbis illius; videmus Ecclesiæ sensum & praxim eò planè vergere. Ita Herincx part. 4. tract. 4. disp. 5. n. 43. in fine.

144. Dicitur autem notanter: *Si ibi Confessiones subditorum illius excipere velit*; quia olim Quamplures docuerunt, sinè nova approbatione posse excipere Confessiones subditorum Ordinarii domicilii, à quo priùs fuerat approbatus: nam Absolutio est actus jurisdictionis voluntariæ, adeòque exerceri potest extra proprium territorium, ùt patet ex alibi dictis.

Parochus potest absolvere suum parochianum extra propriam Diœcesim.

Impræsentiarùm sufficiat communis praxis; nullus enim Parochus timet absolvere suum parochianum extra propriam parochiam, imò & Diœcesim. Cur ergo timeret Regularis? Quippe in jure comparatur Parochis, Clement. *Dudum.* de Sepult. ibi: *Per huiusmodi autem concessionem nequaquam intendimus personis seu Fratribus ipsis ad id taliter deputatis, potestatem in hoc impendere ampliorem, quàm in eo Curatis vel parochialibus Sacerdotibus est à iure concessa.* Ergo similem potestatem Pontifex intendit concedere.

Unde quòd ibidem ponitur: *Extra civitates & Diœceses, in quibus fuerint deputatæ, per quas eas volumus, & non per provincias deputari, Confessiones nullatenùs audituræ.* Intellige, subditorum alterius Diœcesis.

Ut autem tolleretur omnis ambiguitas, quæ maximè in his, quæ pertinent ad debitam animarum medelam, debet tolli, concessit Sixtus IV. prout habetur in Monumentis (in 1. impress. fol. 64. & in 2. fol. 6. concess. 128. & fol. 99. concess. 335.) Ordinum & in supplemento: *Quòd Fratres Minores debitè præsentati, vel gratiosè à Prælatis recepti, possint extra Diœcesim suam subditos illorum audire, cùm hoc possint Curati de iure.* Ita refert Rodrig. qq. Reg. tom. 1. q. 60. a. 5.

Rodriguez.

145. Quilibet Sacerdos ab Ordinario domicilii approbatus potest subditos illius Ordinarii absolvere extra propriam Diœcesim. Suarez.

Atque eandem potestatem tribuit Suarius Disp. 28. Sect. 6. n. 4. cuilibet Sacerdoti, ab Ordinario domicilii approbato, dicens: Si subditus Episcopi Conimbricensis, Olysippone existens, & habens Bullam Cruciatæ ibi inveniat Sacerdotem approbatum ab Episcopo Conimbricensi, poterit ibi eum eligere, sicut posset etiam confiteri suo Parocho, si ibi esset: ergo non est necessaria approbatio ab Episcopo loci, nisi in Ordine ad subditos illius Episcopi.

Antecedens, inquit Suarez, videtur certissimum: quia ibi & verba Concilii, & clausula Bullæ in omni rigore servantur, & illa existentia in tali loco est valde accidentaria. Hæc ille. Qui ibidem sic argumentatur: Si non obstante necessitate jurisdictionis, potest esse valida Absolutio, data in alieno territorio, sinè jurisdictione Episcopi illius loci, cur non sinè approbatione?

Igitur Innoc. X. & Alex. VII. suprà intelligendi veniunt, prout etiam Synodus Mechlinienses a. 1607. tit. 5. cap. 1. sequentis tenoris: *Nemo, etiam Regularis, Confessiones sæcularium, nequidem Sacerdotum, audire præsumat extrà mortis articulum, nisi aut parochiale beneficium obtineat, aut ab Ordinario loci idoneus iudicatus, & admissus fuerit*, intelligendi, inquam, veniunt de Episcopo loci, in ordine ad subditos illius Episcopi; secùs subditos alterius Episcopi, qui per accidens ibi existunt, nisi aliquid aliud obstet, quod bene est notandum. 146. Explicatur Breve inn. X. & Alex. VII.

Præterea non est dubitandum, quin Regulares approbati ab Episcopo proprii domicilii, possint ibi audire quoscumque alienos, seu subditos aliorum Episcoporum. Id enim in terminis concessit Fratribus Minoribus Paulus IV. Bullâ: *Ex Clementis* 1. apud Rodrig. ibi: *Insuper ut pro tempore deputatos Confessores Fratres Ordin. Minor. Observantiæ huiusmodi omnium quarumcumque Diœcesium, utriusque sexûs Christi fidelium ad eos pro tempore recurrentium Confessiones audire, eosq; etiam in casibus & censuris &c. posse absolvere..... Apostolicâ auctoritate prædictâ indulgemus ac de novo concedimus &c.* 147. Regulares approbati ab Episcopo proprii domicilii possunt ibi audire quoscumque alienos ex Bulla Pauli IV.

Idem priùs concesserat Paulus III. Bullâ: *Cùm inter cunctos.* 7. apud Rodrig. ibi: *Nos non illis ex vobis, qui Presbyteri fuerint, quorumcumque utriusque sexûs Christi fidelium ad vos undecumque accedentium, Confessiones audiendi, & Confessionibus diligenter auditis, ipsos & eorum singulos ..... absolvendi, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungendi ..... plenam & liberam facultatem auctoritatis Apostolicâ beneplacitò concedimus.* de anno III.

An idem possint Sacerdotes sæculares, pendet ex tacita licentia Episcopi alterius Diœcesis, vel ex consuetudine, cùm sinè illa non habeant jurisdictionem in alienos; quæ præter approbationem necessaria est. Unde per Bullam possunt eligi ab alienis, quia per hanc recipiunt jurisdictionem à Pontifice. 148. An idem possint Sacerdotes sæculares.

Si autem à me quæritur, an Religiosus possit approbari pro certo tantùm loco, vel tempore, aut genere personarum, & an semel absolutè approbatus, possit ab eodem Episcopo, vel ab ejus successore denuò examinari & reprobari? Respondeo citiùs:

CON-

CONCLUSIO VI.

Poteſt Regularis ex rationabili cauſa approbari pro certo tantùm loco, vel tempore, aut genere perſonarum. In una Diœceſi ſemel abſolutè approbatus, nequit ibidem, niſi novâ ſuperveniente cauſâ, quæ ipſas Confeſſiones concernat, per approbantem reexaminari & reprobari; & reprobatio aliter facta eſt invalida.

149. Probatur 1. pars Concl. ex communi praxi.

QUòd Sacerdos ſæcularis poſſit ex rationabili cauſa approbari pro certo tantùm loco vel tempore, aut genere perſonarum, ab omnibus ſupponitur. Quòd etiam Regularis, probatur ex communi praxi, ipſis Regularibus non contradicentibus. Ratio à priori, quia Trident. concedit Epiſcopis examen & approbationem tam ſæcularium, quàm Regularium; ergo ſicut ex juſtâ cauſa poteſt abſolutè rejicere tam ſæcularem, quàm Regularem, quid ni etiam poſſit eos ſolùm admittere pro certo genere perſonarum, pro certo loco aut tempore? Non apparet ulla ratio diſparitatis.

Ratio à priori.

Poteſt aliquis eſſe aptus ad audiendos viros & non fœminas.

Enimverò poteſt aliquis eſſe idoneus ad audiendos viros, & non fœminas propter minorem gravitatem, aut propter juvenilem aſpectum; aut propter aliquam ſuſpicionem de ipſo conceptam; ergo poteſt judicari aptus ad illas Confeſſiones, & non ad iſtas. Item poteſt aliquis aptus eſſe ad Confeſſiones puerorum vel ruſticorum, & non ad Confeſſiones mercatorum vel Iudicum, qui difficiliores caſus habent; non ergo conſiſtit ita in indiviſibili judicium approbationis, ut non poſſit dividi, & approbari aliquis ad unum locum, aut ad unum genus perſonarum, quin approbetur ad omnia loca, vel ad omnia genera perſonarum.

Pueros vel ruſticos, & non mercatores vel Iudices.

148. An idem poſſint Sacerdotes ſæculares.

150. Poteſt eſſe idoneus pro hac hebdomada & non pro illa.

Conſimiliter fieri poteſt, ut propter neceſſitatem & concurſum pœnitentium judicetur aliquis idoneus pro hac hebdomada, eſtò propter morum levitatem, aut alium vitæ defectum, nequeat prudenter Epiſcopus ei fidere longiori tempore. Nonne propter neceſſitatem Eccleſia confidit omnibus Sacerdotibus in articulo mortis? Et tamen ſinè illa neceſſitate multis non fideret. Deinde poteſt eſſe juſtus timor, ne Sacerdos ſemel abſolutè approbatus, amplius non ſtudeat, etiam in neceſſariis ad hoc miniſterium, adeòque ne decurſu temporis reddatur omnino ineptus; cur ergo talis non poſſet approbari pro uno aut altero anno, quo Epiſcopus confidit de ipſius doctrinæ permanentia? Neque hic caſus, ùt bene notat Lugo diſp. 21. n. 58. metaphyſicus eſt, ſed quem experientia ipſa frequentius probat, quàm oporteret. *Lugo.*

Tertiò, inquit Card. ibidem, poteſt contingere, quòd Epiſcopus habeat notitiam, de probitate & idoneitate alicujus, ſufficientem quidem ad probandum illum, non tamen ſufficientem ad approbandum in perpetuum. Certum enim eſt minùs requiri ad primum, quàm ad ſecundum: minùs enim requiritur ut aliquem in famulum recipias, quem ſi non placeat, poſſis poſtea rejicere, quàm ut in conjugem, quem ſemel acceptum relinquere non poſſis. Minor etiam notitia ſufficit ad recipiendum Novitium, quàm ad dandam ei profeſſionem. Hæc ille.

Sed omnis ſimilitudo claudicat, & hæc ſimilitudo in eo, quòd abſolutè approbatus, poſſit reprobari ſuperveniente eâdem cauſâ, propter quam poterat à principio limitatè approbari; profeſſio autem & Matrimonium ſunt vincula indiſſolubilia.

151. Epiſcopus poteſt habere juſtam cauſam limitandi ſuam approbationem ad certum tempus &c.

Interim non dubito, quin aliquando Epiſcopus poſſit habere juſtam cauſam limitandi ſuam approbationem ad certum tempus, locum, aut perſonas. Sicut ergo abſolutè inidoneum, tenetur abſolutè rejicere, pari ratione limitatè ſolùm idoneum, non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur limitatè tantùm approbare pro illo loco, aut tempore vel perſonis, pro quibus judicat eum eſſe idoneum.

Hæc eſt communis ſententia, quam docet Portel verb. *Confeſſor Regularis*, n. 3 ubi ſic ait: Si Epiſcopus ſinè cauſa & pro conſuetudine Regulares clarè idoneos non approbet, niſi ad tempus unius anni, & hoc faciat omnibus: poſſunt tales idonei non ſtare illi approbationi annuali, ſed habere ſe pro approbatis in perpetuum. Rodrig. tom. 1. qq. Reg. 59. a. 8. cum Henriquez lib. 3. de Pœnit. c. 6. §. 4. Secùs ſi talem approbationem annualem det propter inſufficientiam examinati, quoadusque plus diſcat. Aut ſi id facit, ut reſtringat pro uno oppido, vel pro ſolis fœminis, vel certo genere hominum. Talis enim reſtrictio fundata in inſufficienria examinati valet. Rodrig. ubi proximè a. 4. Si verò clarè idoneum Epiſcopus approbet pro ſolis hominibus, non verò pro fœminis, eò quòd non habeat 40. annos ætatis, ait Vega verb. *Confeſſor.* caſ. 7. quòd validè poterit fœminarum Confeſſiones audire, & quòd de hoc conſuluit viros doctos. Hæc ille. *Portel. Rodriguez. Henriquez. Vegal*

152. Pro oppoſita ſententia perperam Lugo citat Portel. Vega & Villalob.

Unde miror, quòd Lugo ſuprà n. 56. reſpondens ad hanc quæſtionem: An poſſit approbari Confeſſarius cum limitatione ad tempus, ad perſonas &c. Negant, inquit, Aliqui, Vega in Sum. tom. 1. c. 62. caſ. 7. Portel in dub. Reg verb. *Confeſſor* n. 3. & probabile dicit Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 9. diff. 53. n. 2. qui Omnes loquuntur de Regu-

laribus, quos dicunt non posse cum limitatione approbari, nec posse communiter dari causam justam talis limitationis; quia ubique eligitur in Parochum Sacerdos sæcularis 25. ætatis anno, & communiter approbatur sinè limitatione ad Confessiones virorum & fœminarum, & pro tota vita: cur ergo Sacerdos Regularis non erit idoneus ad audiendas fœminas ante 40. ætatis annum? Hactenus Eminent.

153. An Episcopus possit limitare Regulares ad audiendos viros tantùm præcisè quia non habent 40. annos ætatis.

Sed non videtur prædictos Auctores legisse, aut certè minùs rectè intellexisse, ùt patet ex verbis Portel suprà relatis. Nec aliud docet Villalobos, ùt videre poteris apud Dia. p. 3. tract. 2. resol. 25. ubi citat ejus verba, quæ aliud non significant, quàm probabile esse, quòd Episcopus non possit limitare Confessarios Regulares ad audiendos viros & non fœminas, præcisè quia non habent 40. annos ætatis.

Villalobos.

Quod optimè probat Villalobos suprà dicens: Omnes Episcopi dant beneficium Parochiale Clerico 24. annorum sinè ulla limitatione, & per consequens potest audire Confessiones mulierum; non obstante quòd non habeat 40. annos ætatis; ergo non potest habere rationem limitandi licentiam Religiosorum propter illum respectum, cùm debeat præsumere in ipsis majorem virtutem. Ita Villalobos, & ante illum Vega.

154. An praxis Episcoporum faveat sententiæ affirmanti.

Verùm, inquit Dian. suprà, praxis Episcoporum est in contrarium; nam limitant Regularium Confessiones ad viros, & non ad fœminas.

Respondeo; limitant præcisè, quia non habent 40. annos ætatis, Nego; cùm passim approbent absolutè illos, qui non habent tot annos ætatis: possunt limitare, & aliquando limitant ob alias causas, transeat totum. Illi enim Auctores non loquuntur nisi de minori ætate, ùt patet ex ipsorum verbis mox relatis. Et meritò sic loquuntur, cùm præsumendum sit, Religiosum, etsi juvenem, attamen capacem esse ad audiendum viros & mulieres, æquè, si non magis, ac Parochum ejusdem ætatis, cùm ipse ex Regula sua teneatur ad majorem perfectionem vitæ; & scientia in utroque posit esse æqualis, immo major in Religioso.

155. Objectio.

Dices cum Lugone suprà n. 59. majus examen procul dubio debere præcedere per se loquendo circa probitatem & mores Parochi, ut illi committatur animarum cura & beneficium parochiale, quàm regulariter præcedat ad approbandum Confessarium. Unde non mirum, quòd Parochus approbetur ad omnium, etiam fœminarum Confessiones, & non Religiosus juvenis, quem Episcopus non cognoscit. Sic etiam Episcopus eligitur 30. ætatis anno, atque eo ipso approbatur ad Absolutiones & dispensationes gravissimas, quas Pontifex & Concilia non possent prudenter considere omnibus Religiosis, etiam sexagenariis: quia nimirum Episcopi electionem præcedit magnum examen circa doctrinam, prudentiam, probitatem & mores ipsius, qualem notitiam Pontifex non habet de omnibus Religiosis, etiam senibus. Hæc ille.

Respondeo; nos hìc non negamus, quin possit Episcopus examinare Religiosos quoad doctrinam, & quoad mores, sed solùm dicimus, Religiosos propterea præcisè non esse rejiciendos, quia non habent 40. annos ætatis; si enim Parochus potest esse aptus ad audiendum Confessiones ante illud tempus, æquè vel magis Religiosus. An autem aptus sit, examinet Episcopus, examinent ejus Superiores. *Respondet.*

156. Episcopi ordinariè non tenentur de moribus Regularium.

Certè præsumendum non est, Superiores præsentare illos, quos constat esse inidoneos ad absolutam approbationem, maximè ex parte morum, de quibus ordinariè Episcopi non examinant, sed illud examen supponunt factum ab eorum Superioribus, qui meliùs noverunt probitatem suorum subditorum. Quin etiam Superiores examinant subditos suos de necessaria scientia; unde duplex examen præcedit approbationem Regularium, unum suorum Superiorum, alterum Episcopi; cùm tamen Parochus solùm examinetur ab Episcopo.

Religiosus æque ac secularis potest eligi Episcopus anno 30. ætatis.

Et verò Religiosus 30. ætatis anno, putas, quia non possit eligi in Episcopum, æquè ac sæcularis? Scio, quia non putas. Cur ergo similiter 24. ætatis anno, non possit ei conferri beneficium parochiale, æquè ac Sacerdoti sæculari? Si potest, ùt nemo dubitat, cur non poterit approbari prævio sufficienti examine ad audiendas Confessiones tam virorum, quàm mulierum?

Ergo præcisè defectus ætatis 40. annorum non est causa sufficiens limitandi approbationem virorum, quod solùm intendunt præfati Auctores, perperàm à Lugone allegati pro sententia simpliciter negante, Episcopum posse Regularem approbare cum limitatione ad certas personas, cujus oppositum expresè docent, quando subest justa causa.

157. Declarantur aliqua circa hanc materiam.

Pro quo à S. Eminentiss Card. Congreg. Regularium Declaratio data est die 2. Iulii an. Domini 1587. quam refert Ioan. Bapt. Confettius in sua Collectione Privilegiorum 2. p. tit. 17. de Regularibus in Confessores deputandis cap. 4 in fine, cujus tenor est hujusmodi: *Regulares, qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinariis, eorumq; examinatoribus reperti & probati fuerint, generaliter quoque & indistincte absque aliqua limitatione temporis, certorumq; locorum, aut generis personarum admittantur in Diœcesi propria. De cæteris verò, qui non adeò idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquit, ipsos cum limitata facultate, prout iisdem Ordinariis magis expedire*

expedire videbitur, probare & admittere. Qui autem in domibus laicorum Confeſſiones ex cauſa audierint, ſtatim Parochum admonere teneantur, & fidem auditæ Confeſſionis pro medico adveniente relinquere. Hæc Congreg.

Fr. Michael Bonellus Card. Alexand.

Gregorius Pelearius Secret.

An autem limitationes, ſinè juſta cauſa additæ, valeant, ita quòd injuſtè limitatus ad Confeſſiones virorum, invalidè abſolvat fœminas, dicam Concluſ. ſequenti, ubi de injuſtè rejecto; impræſentiarùm ex prædicta Declaratione & aliis ſimilibus, quas ſtatim refero, concludunt Aliqui: Regularis in una Diœceſi ſemel abſolutè approbatus, nequit ſinè legitima inſufficientiæ nota, vel per approbantem, vel per ſucceſſorem reexaminari.

158. An Regularis ſemel ab ſolutè approbatus in una Diœceſi, nequeat ſinè legitima inſufficientiæ nota reexaminari vel per approbantem vel per ſucceſſorem, non obſtante Bulla Pii V.

Huic ſententiæ ſubſcripſere (teſte Carono in ſuis Theſibus de Iure Regularium; Theſi 15.) 29. Doctores in quodam Conſilio impreſſo Barcinonæ an. 1618. (& habetur in fine explicationis Bullæ Cruciatæ Eman. Rodrig.) non obſtante Decreto Pii V. Bullâ: *Romani Pontificis.* 133. apud Cherubinum §. 2. ibi: *Volumus tamen eos, qui ſemel ab Epiſcopo in civitate & Diœceſibus ſuis prævio examine approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterùm non examinari. Ab Epiſcopo autem ſucceſſore pro maiori conſcientiæ ſuæ quiete examinari de novo poterunt.* Quæ Bulla expedita fuit an. 1571. 8. Idus Auguſt. adeoque diu ante præfatum Conſilium, ùt proindè DD. illi eam non ignoraverint.

Declaratio Card. in opportunum.

Uti nec ſimilem Declarationem Card. de anno 1587. quam hiſce verbis refert Rodrig. tom. 1. qq. Reg. q. 59. a. 4. *Congregatio Concilii cenſuit, Regulares ad audiendas in civitate & Diœceſi ſæcularium Confeßiones ſemel ab Epiſcopo prævio examine approbatos, iterùm ab eodem Epiſcopo non eſſe examinandos. Cæterùm à ſucceſſore poſſe iterum examinari iuxta Conſtit. Sanctæ Memoriæ Pii V. datam 8. Idus Aug. Pontif. ſui an. 6. quæ à felicis recordationis Greg. XIII. non eſt revocata per reductionem privilegiorum Regularium ad terminos Conc. Trident.*

A. Card. Garraffa.

157. Declaratio aliqua Card. circa hanc materiam.

159. Prima reſponſio.

Reſpondeo 1. de hac Declaratione non conſtare authenticè juxta Conſtitutionem Urbani VIII. ſuperiùs allegatam.

Secundò reſpondent Aliqui, extare contrariam Declarationem in hæc verba: *Sacra Card. Congregatio ſic cenſuit: Fratres Mendicantes ſemel examinati, non debent iterùm ab Ordinario, nec etiam per ſucceſſorem examinari.* Illam referunt Zerola in praxi Epiſc. p. 1. verb. *Confeſſores.* §. 2. Ioannes de la Cruz de Statu Relig. l. 2. cap. 6. dub. 4. Concl. 3. Rodrig. qq. Reg. tom. 1. q. 59 a. 4. Ita Chaſſaing. de Privil. Reg. tract. 5. c. 2. propoſ. 2. Legi ego Ioan. de la Cruz & Rodrig. locis citatis, ſed nulla in his fit mentio hujuſmodi Declarationis. Fides ergo ſit penes Auctorem.

Zerola. de la Cruz. Rodriguez. Chaſſaing.

160. Reſpondetur ad Bullam Pii. V.

Ad Bullam Pii V. reſpondet idem Auctor: revocatam eſſe pluribus confirmationibus privilegiorum ex certa ſcientia cum expreſſa derogatoria hujus reſtrictionis Pii V. & ſupplicante Philippo II. Hiſpaniarum Rege à Gregor. XIII. an. 1572. (ùt habetur in Bullario pag. 1268. & ſeq. teſtante id Salgado in tract. de Supplicatione ad Sanctiſſimum 1. p. c. 4.) reformatam fuiſſe; quo circa, inquit ille, præinſerta Declaratio Card. revocationi dictæ Bullæ conformis emanavit, nec non ſententia ſub data 1594. die 2. Aprilis cujuſdam Camilli Cajetani Patriarchæ Alexandrini Sedis Apoſtolicæ ſub Clemente VIII. in Hiſpania cum poteſtate Legati de latere Nuntii, quam refert authenticam Rodrig. ſuprà, quâ prohibet Archiepiſcopis & Epiſcopis & aliis majoribus Prælatis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, & aliis cenſuris & pœnis, ne Fratres Minores circa præfatum privilegium, quod exiſtere declarat, impedire, perturbare aut moleſtare præſumant. Hactenus Chaſſaing. Verè an falsò, relinquo examinandum ſedulo Lectori.

161. Sententia Camilli Nuncii Apoſtolici de hac controverſia.

Ego Confirmationes illas cum expreſſa derogatoria hujus reſtrictionis Pii V. non potui hucuſque invenire, neque reformationem Greg. XIII. nam Bullaria, quibus ego utor, non habent tot paginas. Sententiam autem Camilli legi apud Rodericum loco citato, & ſubſcribo ipſiſſima ejus verba: *Camillus Cajetanus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Patriarcha Alexandrinus & S. D. N. Clementis divinâ providentiâ Papæ VIII. eiuſdem Sedis in Hiſpaniarum regnis cum poteſtate Legati de latere Nuntius: univerſis & ſingulis Ordinariis locorum, eorumq; Officialibus generalibus ſeu foraneis, nec non Parochialium Eccleſiarum Rectoribus ſeu Vicariis perpetuis eorum loca tenentibus infra limites & terminos Provinciæ Conceptionis Ord. FF. Min. S. Franciſci conſtitutis ſalutem in Domino. Noveritis pro parte diſcreti viri Fratris Bartholomæi de la Penna Provincialis dictæ Provinciæ nuper gravi querelâ & relatu ad audientiam noſtram pervenisse, quòd licèt Fratres dicti Ordinis ſemel Prædicatores & Confeſſores ab aliquo Epiſcopo, ipſi iuxta quamdam Conſtitutionem perpetuam felicis recordationis Pii Papæ V. deſuper editam, ampliùs examinari non poßint, nec debeant &c. Nihilominus multi Veſtrum Fratres & Profeſſores Ord. S. Franciſci ac Provinciæ huiuſmodi circa præmiſſa viis indirectis moleſtare, perturbare & impedire præſumunt. Quare fuit pro parte ipſorum exponentium ad nos recurſum &c. Nos igitur executionem & debitum effectum Conſtitutionum Apoſtolicarum deſiderantes, circumſpectionibus veſtris, Venerabiles Patres Epiſcopis & Archiepiſcopis, atque aliis etiam maioribus Prælatis in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interdicti ingreſſûs Eccleſiæ, nec non vobis Officialibus, Vicariis ac Rectoribus & Vicariis*

perpetuis parochialium Ecclesiarum ac loca tenentibus, omnibusq; aliis, quos præmissa quomodolibet concernunt sub excommunicationis maioris latæ sententiæ, aliisq; censuris & pœnis arbitrio nostro imponendis, & applicandis districtè præcipiendo mandamus, ne dictos fratres S. Francisci dictæ Provinciæ circa audiendas sæcularium Confessiones.... contra Constitutiones & privilegia eisdem exponentibus, dictoq; Ordini per Sedem Apostolicam concessa, quovis modo directè vel indirectè, mediatè vel immediatè, per se vel per alium seu alios aut interpositas personas impedire, perturbare, aut inquietare præsumatis, aut audeatis, seu aliquis vestrum audeat seu præsumat, contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Madriti Toletanæ Diœcesis anno à Nativitate Domini 1594. die verò 2. Mensis Aprilis, Pontif. eiusdem S. D. N. Papæ anno 3.

162. Non satis constat de qua Constitutione Pii V hæc sententia loquatur.

Circa quam Sententiam Nota, non satis constare, de qua Constitutione Pii V. loquatur, an de Constitutione, quæ incipit: *Etsi Mendicantium*, in qua §. 2. sic scriptum habes: *Statuimus etiam, quòd ille, qui semel in una Diœcesi admissus per Episcopum fuerit, semper in eadem Diœcesi habeatur pro admisso, nec amplius examinari vel præsentari in dicta Diœcesi debeat, tam quoad Prædicationes faciendas, quàm quoad Confessiones audiendas, nec aliquid pro prædictis exigi vel recipi debeat.* An verò de Constitutione quæ incipit: *Romani Pontificis*, in qua habentur verba suprà contra doctrinam illam allegata.

Et si quidem de hac loquatur; quia fortè in illa Provincia Episcopus præsumebat reexaminare priùs à se examinatos & approbatos, manifestum est, illam Sententiam nihil facere pro doctrina illa. Unde in ea, sic intellecta, non potest fundari

163. In quo ergo? In Concilio Trident. & jure communi, ad cujus terminos Greg. XIII. Bulla: *In tanta negotiorum*, de qua egimus Concluſ. 2. reduxit utramque Bullam Pii 5. quidquid dixerit Declaratio Card. suprà, quæ non constat authenticè. Atque ut constaret, equidem non obligaret: quia, prout notant quidam Auctores, ut Declarationes Card obligent, requiritur, ut vel Papa det Breve, quo jubeat illas servari, vel Auditor Cameræ det monitorium in earum executione, seu sub censura mandet servari.

Quid requiratur ut Declar. Card. obligent.

Licèt enim authentica forma faciat fidem talis Declarationis, quòd vera sit, & quòd ita judicaverit Congregatio in illa occasione, equidem ut illud judicium sit quasi quædam lex Pontificia, & ut talis obliget, debet habere easdem conditiones, quæ requiri solent in aliis legibus, quarum una est, ut voluntas Legislatoris tamquam obligatoria intimetur & promulgetur, quod constat non esse factum per hanc Declarationem. Iam autem Conc. Trident. nusquam dedit facultatem Episcopis reexaminandi, sinè legitima insufficientiæ nota, semel examinatos & approbatos à se, vel à suis prædecessoribus.

Conc. Trid nusquam dedit potestatem reexaminandi Episcopis.

Dices; Bulla Greg. XIII. non fuit promulgata nec intimata, ùt docet Navar. in Manuali cap. 27. ubi testatur, quòd licèt Pontifex voluerit dictam Bullam promulgare, tamen postea non publicavit. Ita Chassaing tract. 1. cap. 5. prop. 6. Sed allucinatur, ùt patet ex verbis Navar. quæ subjicio: Quoniam, inquit ille, promisimus, inferere hìc tenorem cujusdam Bullæ felicis recordationis Pii V. & moderationis eorum, de quibus in subjecta Gregor. XIII. Bulla, si exiret interea (scilicet Bulla Pii V.) quæ (Bulla Pii V.) quia non exivit, solam hanc (Bullam Greg. XIII.) subjicimus, prout suprà etiam promisimus. Hæc ille. 164. An Bulla Greg. XIII. in casu, de quo in ea sit promulgata. Navarrus. Chassaing.

Ergo Navar. testatur Bullam Greg. XIII. non fuisse promulgatam, nec intimatam, qualis Consequentia? Imò potiùs testatur illam esse promulgatam, inferendo ejus tenorem loco citato. Magis autem testatur tunc temporis nondum fuisse publicatam Bullam Pii V. cum moderatione ab eodem concepta; sic quippe lego cap. 21. n. 5.

Præsertim quòd felicis record. Pius V. in Bulla motûs proprii latâ mense Iulio 1567. declaravit, audientes Missas Festis diebus in Monasteriis Mendicantium, satisfacere huic præcepto. Cujus Bullæ tenor cum moderatione, quam ipsemet dicitur concepisse, si publicetur interea, ponetur in fine cap. 72. cùm ergo ibi non ponatur, signum est non fuisse interea publicatam.

Quidquid sit de mente Navarri; & rei veritate, nunquam negabitur à Chassaing, Bullam: *Etsi Mendicantium*, in qua Pius V. declarat, fideles satisfacere præcepto Ecclesiæ audiendo Missam in Ecclesiis Mendicantium, fuisse publicatam, quàmvis ejus publicationem non inveniam apud Cherubinum, apud quem extat promulgatio Bullæ: *Romani Pontificis*, his verbis concepta: *Anno à Nativitate Domini 1571 indictione 14. die verò 22. Mensis Augusti, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Pii divinâ providentiâ Papæ V. anno eius 6. retroscriptæ litteræ affixæ & publicatæ fuerunt in locis retroscriptis, per nos Ioannem Gueraydum & Alamanum de Alamanis Cursores.* 165. Promulgatio Bullæ Pii V. Romani Pontificis.

Philibertus Chapius Mag. Curs.

Similem publicationem Bullæ: *In tanta rerum*, lego apud eundem Auctorem: *Anno à Nativitate D. N. Iesu Christi 1573. indict. 1. die verò 23. Mensis Martii, Pontificatûs Sanctissimi D. N. D. Gregorii divinâ providentiâ Papæ XIII. anno 1. retroscriptæ litteræ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Principis Apostolorum, & S. Ioannis Lateranensis de Vrbe, & Cancell. Apostolicæ & in acie Campi floræ per nos Ioannem de Soya, & Martium Antonium Brutum eiusdem S. D. N. Papæ Curs.* Publicatio Bullæ Greg. XIII. in casu.

Antonius Ludovicus Mag. Curs.

Quis

Quis ergo adhuc dubitet de publicatione illarum Bullarum ?

166. An Bullæ *Iſti Mendicantium*, ſit revocata per Bullam, *In tanta*.

Nec valet quod Chaſſaing ſuprà addit : Licèt Bulla Greg. XIII. foret promulgata, non tamen vim haberet, dictam Bullam (*Iſti Mendicantium*) revocandi ; quia Greg. in eadem Bulla declarat ſe moveri ad illam revocandam, quoniam ad ipſum pervenerat, quòd ipſemet Pius illam per aliam à ſe editam revocaverat : ſed Pius V. nunquam dictam ſuam Bullam revocatoriam, ſi quæ ſit, publicavit, teſte Navar. c. 25. n. 5. ergo non fuit revocata per dictam Bullam Greg. XIII. quoniam, ùt eſt communis ſententia, ceſſante causâ, ceſſat effectus, ubì in lege & ſtatuto expreſſa eſt cauſa. Hæc ille.

Indubiè ceſſat ; atqui hìc ceſſat cauſa in lege & ſtatuto expreſſa, Neg. Subſump. nam cauſa non fuit publicatio Bullæ revocatoriæ, ſed potiùs Bulla revocatoria non publicata. Ecce verba Pontificis, Bullâ : *In tanta* §. 4. 5. & 6. *Demùm animadverſo, quòd ea omnia multis dubitationibus involuta, magniſq; difficultatibus obſtructa, multas magnaſq; diſſentiones, altercationes, & lites inter prædictos locorum Ordinarios, & fratrum ipſorum Ordines, non ſinè gravi divini cultûs & animarum detrimento, ac populorum ſcandalo, concitaverant, contra ac ipſe ſperabat, & præter ſuam expectationem, ut qui interdum conquereretur, multa aliter, aliter, ſenſu à ſe prolata fuiſſe, quàm litteris expreſſa eſſent: Cupiens* (Pius V.) *his mederi incommodis, primùm illa omnia, quæ Regularibus aliorum Ordinum, quàm Mendicantium communicaverat, & ſecundùm præmiſſa conceſſerat motu proprio reſtrinxerit.*

Deinde plenius providere volens prioribus litteris à ſe quo ad ipſos Mendicantes magna in parte moderatis, omnes & quaſcumque alias litteras, quæ de aliis Ordinibus & Congregationibus extra Mendicantium Ordines de Obſervantia nuncupatos emanaverant, omnino aboleverit, cauſas omnes tam de his etiam in Rom. Curia pendentes ad ſe advocando, lites extinguendo, ac formatos ſuper illis proceſſus, latasque ſententias annullando, quemadmodum aliis ſuis literis in regiſtro proximè compertis, nondum tamen publicatis, plenius continetur.

Poſtremò circa Confeſſariorum Regularium, etiam Mendicantium approbationem iuxta Concilii prædicti Decretum faciendam, etiam Lectores in Theologia, graduatos, & certos alios tunc expreſſos comprehendi debere declaraverit (Bulla : *Romani Pontificis*, publicata, ùt patet ex dictis) *Nos hâc tantâ varietate cognitâ, quæ etiam ex multiplici literarum & Conſtitutionum editione procedit* &c. Hactenus Gregor. XIII.

167. An per Bullam. Ex *benigna*. Greg. XIII. revocaverit Bullam, *In tanta*.

Quid tibi videtur benigne Lector ? Num ceſſat adæquata cauſa, quæ movit Greg. ad revocandas prædictas Bullas & literas, tam publicatas, quàm non publicatas ? Clarum eſt quòd non. Cur ergo ceſſet effectus ſeu revocatio ? Non video ; niſi fortè, in quantum idem Pontifex poſtea confirmavit in ampliſſima forma ptivilegia FF. Minorum cum clauſula derogatoria ſuæ antedictæ Conſtitutionis, Bullâ quæ incipit : *Ex benigna*, 1. apud Rodrig.

Exſcribo clauſulam derogatoriam : *Non obſtantibus præmiſſis ac Conſtitutionibus* : Super cathedram *Bonifacii* &c. *privilegiis quoque indultis & literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis per Leonem X. Clement. VII. Paulum III. Iulium etiam III. Paulum IV. Pium etiam IV. prædictos, ac etiam Pium V. & quoſcumque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam Nos & Sedem eandem, etiam motu proprio ac ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus ac cum quibuſvis irritativis, annullativis, caſſativis, etiam privilegiorum eorumdem revocativis, reſtrictivis, reſervativis, exceptivis, reſtitutivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus* &c. *hâc vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus* &c. *Datum Romæ apud S. Petrum die 21. Martii anno 1575. Pontif. noſtri anno 3.*

Per hanc Bullam exiſtimat Chaſſaing. ſuprà Greg. revocaſſe Bullam : *In tanta*. Sed alicui contrarium videri poſſet, eò quòd non confirmet privilegia, niſi quatenus ſunt in uſu, & Sacris Canonibus & Decretis Sacri Concil. Trident. non adverſantur ; ibi ; *Auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium ex certa noſtra ſcientia ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quatenus ſint in uſu, & Sacris Canonibus & Decretis Sacri Conc. Trident. non adverſentur, approbamus, confirmamus, & innovamus, perpetuamq; roboris firmitatem obtinere & firmiter obſervari..... decernimus.*

168. Affirmat Chaſſaing.

Ergo hæc Bulla non revocat Bullam : *In tanta*, quæ omnia privilegia conceſſa Mendicantibus & non Mendicantibus à Pio V. reducit ad terminos Conc. Trident. id eſt, revocat omnia privilegia, in quantum ſunt contraria Decretis Conc. Trid.

169. Bulla : *In tanta*, non revocat Decreta Pii V. quæ non ſunt contraria Concil. Trident.

Ut ùt ſit de hac controverſia, planùm eſt, Greg. XIII. Bullâ : *In tanta*, noluiſſe revocare Decreta & privilegia Pii V. nullatenus contraria Decretis Conc. Trident. Inter illa autem eſt Decretum de non reexaminando & reprobando abſque legitima inſufficientiæ notâ ; quia nullibi illud reexamen ſive à jure communi, ſive à Conc. Trident. committitur Epiſcopo ; adeò ut etiam nequeat ſinè juſta cauſa reexaminare & reprobare Sacerdotes ſæculares, eſtò ab eis poſſet auferre juriſdictionem, quam priùs delegaverat.

Epiſcopus non poteſt ſinè juſta cauſa reexaminare Sacerdotes ſæculares, quamvis poſſet auferre ab eis juriſdictionem.

Ratio diſp. eſt ; quia approbatio non eſt merus favor, ſicut delegatio juriſdictionis, ſed quaſi ſententia quædam, quæ ſemel prolata tranſit in rem judicatam, ac proinde revocari non poteſt pro libito judicis, ùt patet in aliis ſententiis Iudicum tam Eccleſiaſticorum, quàm ſæcularium. Quod ſi tentet revocare, cùm ſit ſententia injuſta, nullum habebit effectum, nec poterit auferre jus jam acquiſitum. Ita probabi-

Suarez. Lugo. Dicastillo.

babiliter docuit Suarez disp. 28. sect. 8. n. 7. quem sequitur Lugo disp. 21. n. 64. Dicastil. disp. 10. n. 299. & Alii.

Hinc Sacerdos sæcularis ita injustè reprobatus, estò non posset audire Confessiones vi jurisdictionis Episcopalis, quam suppono validè revocatam; equidem posset validè absolvere vi Bullæ Iubilæi vel Cruciatæ, per quam accipit jurisdictionem à Pontifice. Et quia Regulares etiam extra Bullam habent jurisdictionem à Pontifice, ideo injustè sic reprobati per Approbantem, possunt, ùt priùs, liberè audire Confessiones.

170. Aliqui hic distinguunt inter Sacerdotes sæculares & Regulares, Chassaing.

Aliqui videntur hìc distinguere inter sæculares & Regulares. Ita Chassaing. tract. 5. c. 2. propos. 2. ibi: Dices, potest Episcopus Sacerdotem sæcularem approbatum iterum examinare, & si incapacem reperiat, reprobare; ergo de Regulari similiter est concludendum.

Respondetur; sæcularem iterùm posse examinari, & aliquo modo reprobari. Dixi; *Aliquo modo*, quia hæc reprobatio Episcopi non est dicenda revocatio approbationis, sed potiùs aut declaratio testimonii dati per errorem, aut peritiæ, in qua testimonium fulciebatur, desitio: at verò Regularis non potest ampliùs reprobari; quia non potest ampliùs examinari, functus est enim Ordinarius suo officio, nec postea quidquam ampliùs super hoc potest: maximè cùm hæc revocatio cedat in injuriam Regularium & populi scandalum: ac propterea non possit mutare judicium semel datum, juxta Reg. 33. de Reg. juris in 6. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.* Alioquin posset etiam jus quæsitum alterius tollere, ùt est istud Regulari acquisitum. Hæc ille.

Reg. 33. Iuris de Reg. Iuris in 6.

171. Herincx,

Consimiliter loquitur Herincx part. 4. tract. 4. disp. 5. n. 48. ubì agens de invalida revocatione sinè justa causa, inquit: Quod saltem loquendo de Regularibus admitti potest; quia approbatio in iis non habet se per modum gratiæ, quæ revocari potest, sed per modum justæ sententiæ, quæ velut transivit in rem judicatam, & ampliùs revocari non potest durantibus rebus in eodem statu, & non apparente novâ causâ in contrarium: quemadmodum Iudex postquam sententiam pronuntiavit, non potest sinè justa causa jus alteri collatum auferre.

Declar. Cardin. pro illa distinctione.

Unde Sacra Congregatio anno 1615. die 20. Novemb. decrevit: *Ordinariis, Confessarios Regulares, aliàs ab ipsis liberè approbatos, ab audiendis Confessionibus suspendere posthac minimè licere, nisi ex nova causa, eaq; ad Confessiones ipsas pertinente, aut ob non servatum interdictum ab ipsis Ordinariis positum. Insuper Ordinarios Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventûs Regularibus Confessariis, eâdem Sacrâ Congregatione inconsultâ, nullo pacto adimere posse.* Hactenus Herincx.

172. Responsio ad Declar.

Sed ut ab ultimo incipiamus, aliis verbis hanc Declarationem refert Dicastillo disp. 10. n. 322. *Ordinariis, ad quos ius approbandi spectat, Confessarios aliàs ab ipsis liberè approbatos* &c. Ubì, ùt vides, omittitur ly *Regulares*, quo omisso etiam comprehendit Sacerdotes sæculares.

Aliæ rationes. Lessius.

Atque ut perperàm foret omissum; nam etiam apud Aversam q. 16. sect. 6. invenitur expressum: ex illo Decreto ad summum sequitur illam revocationem seu suspensionem esse illicitam, ùt patet ex ly *Licere*; multa autem valent, quæ tamen non licent; argum. cap. *Ad Apostolicam* 16. de Regul. ibi: *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Ergo ex illo Decreto non rectè probatur, revocationem approbationis sinè nova causa esse invalidam respectu Regularium, secùs respectu sæcularium.

c. 16 de Reg.

173. An approbatio ab illo facta respectu Regularium, quàm respectu sæcularium.

Et sanè nescio, quare approbatio potiùs se habeat per modum gratiæ respectu sæcularium, quàm respectu Regularium (nam idem Auctor n. 45. supponit, sæcularibus injustè subinde denegari approbationem) ac proinde cur sæcularibus minus acquiratur jus per approbationem, quàm Regularibus; aut cur Episcopus post unam examinationem Regularium, magìs sit functus suo officio, quàm post unam examinationem sæcularium; vel quare revocatio magìs cedat in injuriam Regularium, quàm sæcularium.

Quantùm ad scandalum populi, æquale sequitur ex una & alia revocatione, ùt consideranti patet; ergo si propterea non possit mutare judicium semel datum de idoneitate Regularium, neque poterit mutare judicium semel datum de idoneitate sæcularium.

174. Objectio et Extrav. In ter cunctas. de privil.

Dices cum Chassaing. suprà; Benedictus II. Extravag. *Inter cunctas* de Privil. (cui Clement. *Dudum* de Sepult. non derogavit, juxta Sotum 4. dist. 18. a. 3. & innumeros, nisi in iis, quæ Extravag. Bonifac. VIII. *Super Cathedram*, erant contraria; alioquin inutiliter inserta fuisset communi juri posteriori titulo ùt lex sequenda) loquens de licentia Regularibus concessa ad audiendas Confessiones sæcularium, sic ait: *Datam verò licentiam per Diœcesanorum mortem nolumus terminari. Per hoc autem non intendimus, quod sæpè dicti fratres, qui ad hoc eligentur officium exercendum, plùs habeant in audiendis Confessionibus & pœnitentis iniungendis, quàm Parochiales Sacerdotes noscuntur habere.*

Ex quibus manifestè colligitur perpetua illa approbatio & licentia ad audiendas Confessiones, cùm per mortem Diœcesani non terminetur: sitque eadem aut saltem similis licentiæ Parocho concessæ, quæ nec per mortem concedentis Episcopi, nec per ipsius contradictionem aut revocationem terminatur. Hæc ille.

175. Solvitur.

Respondeo; etiam approbatio & licentia sæcularium non terminatur per mortem Diœcesanorum, ùt patet ex communi praxi. Deinde etiam licentia Parochi terminatur per revocationem

cationem seu suspensionem Episcopi ex justa causa, quin immo aliquando privatur suo officio. Ergo ex eo præcisè quòd approbatio & licentia Regularium, sit similis licentiæ Parocho concessæ (quòd non sit omninò eadem, patet; quia Parochus potest delegare jurisdictionem, secùs Confessarius Regularis) non sequitur, quòd Episcopus non possit eam ex justa causa revocare, seu suspendere Regularem ab officio audiendi Confessiones. Ergo ex his præcisè non colligitur perpetua illa approbatio & licentia Regularium ad audiendas Confessiones.

Replica. Quin imò, reponis, colligitur; quia Episcopus supposito beneficio Parochiali non potest tollere approbationem, estò possit Parochum suspendere ab audiendis Confessionibus, vel etiam privare beneficio; licèt enim accipiat jurisdictionem à jure communi seu à Pontifice, non tamen sinè subordinatione, cùm immediatè sit subjectus Episcopo. Iam autem Regularis jurisdictionem suam habet immediatè à Pontifice sinè subordinatione, cùm sit exemptus à potestate Episcopi, & Summo Pontifici immediatè subjectus.

176. Respondetur. Respondeo; quàmvis Regularis immediatè à Pontifice accipiat jurisdictionem, equidem cum aliqua subordinatione ad Episcopum, quia non nisi approbatus ab Episcopo; sicut ergo ex justa causa ab Episcopo rejectus nullam accipit jurisdictionem, estò immediatè subsit Pontifici; pari ratione ex justa causa reprobatus ab Episcopo, nequaquam retinet jurisdictionem, priùs collatam sub conditione legitimæ approbationis.

Et verò cur Episcopus non possit tollere approbationem, quam semel dedit Regulari, æquè aut magis, quàm possit Parochum privare suo officio, quod ipsi priùs contulit? Nonne Parochus tantùm, si non majus, jus habet ad beneficium, quàm Regularis ad approbationem? Si ergo Episcopus potest Parochum ex rationabili causa privare illo jure acquisito, cur non etiam Regularem? Sanè beneficium datum est Parocho etiam in proprium commodum, nec tam facilè recuperari potest, quàm nova approbatio. Unde existimat Lugo disp. 21. n. 66. graviorem causam requiri ad privandum Parochum beneficio semel collato, quàm ad revocandam approbationem Sacerdotis sæcularis vel Regularis, qui non habet beneficiū Parochiale.

Lugo.

177. Conc. Trid. non distinguit hic inter Sacerdotem sæcularem & Regularem. Itaque non video sufficientem rationem, concedendi Episcopo eidem vel successori potestatem reexaminandi & reprobandi Sacerdotem sæcularem, secùs autem reexaminandi & reprobandi Sacerdotem Regularem; cùm Trid. non distinguat; ubi autem jus non distinguit, neque nos distinguere debemus absque sufficienti ratione, qualem, sicut dixi, hìc non video; nam privilegium Pii V. quod solùm loquitur de Regularibus, reductum fuit ad terminos juris veteris & Conc. Trident. Vel si non fuit privilegium, sed solùm Declaratio Conc. Trident. eo ipso etiam comprehendit sæculares, cum Trident. (sicut statim dixi) non distinguat inter sæculares & Regulares.

Quare Pius V specialiter loquatur de Regularibus. Loquitur autem Pontifex de Regularibus, quia ipsis Episcopi specialiter in hac re erant molesti, ùt manifestè constat ex Bulla: *Etsi Mendicantium* §. 1. ibi: *Hinc est, quòd nos attendentes plerosque ex venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis, qui eosdem Ordines (Mendicantium) præcipuè tamquam fructiferos in agro Domini palmites & colere & adiuvare deceat, non solùm id exequi negligere, verùm etiam Concilii Trid. Decretis in pravum sensum retortis, eos & eorum quemlibet variis afficere incommodis & perturbationibus, eorumq; privilegiis non modicū afferre gravamen.*

Porrò inter cætera gravamina, secundum exprimitur sub hac forma verborum: *Quorumdam etiam locorum Ordinarii, quosdam Religiosos probos vivos & idoneos, etiam à suis Superioribus approbatos, ad Confessiones audiendas admittere nullo modo volunt. Quidam ex eis volunt, non solùm singulis annis, sed etiam pluries in anno in aliquibus partibus eosdem Confessores sibi præsentari. In aliquibus verò oppidis tam Episcopi seu eorum Vicarii, quam Presbyteri Curati, nolunt ut Fratres Mendicantes vocati ad audiendas Confessiones infirmorum, maximè si infirmitas est gravis, aut etiam sanorum in privatis illorum domibus, vel alibi præterquam in suis Ecclesiis aut Monasteriis possint accedere.* Quid clarius?

178. Expenditur aliud privilegium Pii V. Chassing. Navarrus. Henriquez. Aliud privilegium ejusdem Pontificis, quod citat Chassaing suprà: *Regulares ab Episcopo semel examinatos, iterùm examinari non posse: nec eo defuncto à subsequente, si sint alicuius Ordinis Mendicantium*, citat, inquam, ex Navarro c. 27 & Henriquez lib. 3. de Pœnit. c. 6. in annot. non invenio in illis Auctoribus; & ideo non adhibeo fidem.

Sic autem lego apud Henriquez: Pius V. proprio motu anni 67. pro Mendicantibus ait: *Vt Regularis semel approbatus, ab Episcopo eodem sinè causa non possit reprobari, & in Bullis suis semel approbatus sit idoneus* ..... quod non est contra Conc. Trident. & ideo non revocatur Hæc ille, citans Navarrum c. 27. n. 264. ubi tamen non meminit hujus motûs proprii Pii V. sed n. 286. docet, semel præsentatum & admissum non indigere novâ præsentatione, etiamsi aliquoties exierit Diœcesim, in qua fuit præsentatus.

Cæterùm, si credimus Henriquez, patet Regularem cum causa posse ab eodem Episcopo reprobari, & sæcularem non posse sinè causa; quia illud Privilegiū solùm est declaratio Conc. Trid. quod æqualiter respicit Regularem & sæcularem. Meminit autem specialiter Regularis (sicut statim dixi) propter speciales molestias Episcoporum. Nec mirum quod Episcopi specialiter molestent Religiosos; quia non possunt aliter impedire eos ab audiendis Confessionibus, nisi negando vel revocando approbationem;

bationem, sæculares autem possunt impedire subtrahendo jurisdictionem, quam eis delegaverant.

179. Tam sæcularis quàm Regularis cum legitima nota insufficientiæ potest reexaminari.

Quæ cùm ita sint, videtur dicendum, nisi aliquid aliud obstet; neque sæcularem, neque Regularem, sinè legitima causa, vel ab eodem, vel à successore posse reexaminari & reprobari, & reprobationem aliter factam esse invalidam. An autem aliquid aliud obstet, doctioribus relinquo examinandum. Ego dico, tam sæcularem, quàm Regularem, cum legitima nota insufficientiæ, seu ab eodem seu à successore, non solùm posse, sed etiam debere reexaminari & reprobari, & reprobationem sic factam esse validam, non obstantibus quibuscumque privilegiis hactenus emanatis.

Probatio.

Non est enim verisimile Pontifices voluisse concedere privilegia Regularibus, cum manifesto periculo animarum, quale periculum certò imminet, dum legitimè notati de insufficientia sive ex parte scientiæ, sive ex parte morum, permittuntur audire Confessiones. Sicut ergo Concil. propter hoc motivum, primum examen commisit Episcopis, ita etiam credendum est, commisisse reexamen, & per consequens reprobationem, suppositâ legitimâ notâ insufficientiæ.

Contrariùm videtur docere Rodrig.

Quidquid in contrarium videatur dicere Rodrig. tom. 1. qq. Reg. q. 59. a. 4. ubi respondens ad hanc objectionem: Medicos corporales semel approbatos, possunt succedentes Protomedici examinare & reprobare propter periculum, quod vertitur in exercitio artis suæ; argum. l. 11. ff. de Muneribus, ibi: *Reprobari posse Medicum à Repub. quàmvis semel approbatus sit, Divus Magnus Antoninus cum patre rescripsit.* Ergo semel examinati ad audiendas Confessiones possunt ab Episcopis examinari; quia fieri potuit, quòd malè fuerint examinati aut perfunctoriè, vel quòd postea fuerint facti deterioris conditionis.

l. 11. ff. de Mun.

180. Quare hoc privilegium fuerit concessum FF. Minor. & Prædic. ex eodem Auctore.

Ad hoc, inquam, argumentum respondens præcitatus Auctor, sic ait: Hoc (scilicet FF. Minores & Prædicatores non posse reexaminari ab Episcopis) fuit ita à Sede Apostolica concessum propter præstantissimos viros in dictis Religionibus existentes, uberes fructus spirituales in vinea Domini Sabbaoth fructificantes, quorum Prælati invigilant maximè super eorum sufficientia, eos sæpè sæpiùs examinando. Adeò ut in nostra Minorum Religione particulari statuto caveatur, ut in qualibet visitatione rigoroso examini à Patribus Provincialibus subdantur. Et ita noluerunt Summi Pontifices de ista Prælatorum cura & solicitudine confidentes, eos, postquam semel fuerint examinati ab uno Ordinario, ab eodemque approbati, ampliùs ab eo & eius successoribus examinari, approbari vel reprobari, nisi particulari commissione, ipsis à Sede Apostolica concessâ.

Et sic in Conc. Trident. sess. 5. c. 2. de Refor. ipsis ut Legatis à latere (qui habent in suis Provinciis eandem auctoritatem, quam habet Summus Pontifex, exceptis his, in quibus ipsi coarctantur & restringuntur, ùt tradit Sylvester ti. *Delegatus* n. 12.) delegatur facultas, quâ possunt procedere contra dictos Prædicatores & Confessarios scandala in populo seminantes, & errores in Confessionibus & prædicationibus dicentes. Hucusque Rodrig.

Sed imprimis, in Concil. Trident. non fit mentio Confessariorum, ùt patet ex verbis quæ subscribo: *Si verò, quòd absit, Prædicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat. Quòd si hæreses prædicaverit; contra eum, secundum juris dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etiamsi Prædicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse prætenderet; quo casu Episcopus auctoritate Apostolicâ & tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus procedat. Curent autem Episcopi, ne quis Prædicator vel ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè vexetur, justamq; de eis conquerendi occasionem habeat.* Hactenus Concil. 181. Conc. Trid.

Ergo ex illo cap. nullum jus competit Episcopis reexaminandi & reprobandi Confessarios, estò errores in Confessionibus dicerent, nisi per argumentum à paritate rationis; quod non valet semper in positivis. Dico; *Semper*; quia aliquando valet, quando videlicet est necessarium ad evitandum absurdum, sicut hìc videtur necessarium: nam absurdum est, Episcopum, cui ex officio incumbit providere gregi suo de idoneis Confessariis; non posse publicè inidoneum, sive sæcularem, sive Regularem, ab officio suspendere aut reprobare. An Trid. sess. 5. ca. de Refor. jus Episcopis reexaminandi & reprobandi Confessarios.

Unde justissimè Pius IV. ordinavit, quòd S. Inquisitionis Tribunal procedat contra Confessores, qui in actu Confessionis, vel juxta actum Confessionis mulieres ad peccandum sollicitant. Ita Rodrig. suprà, referens Constitutionem Pontificis sequentis tenoris: *Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispalensi in Regno Hispaniæ hæreticæ pravitatis Inquisitori Generali Pius Papa IV.* 182. Pius IV. ordinavit quòd S. Inquisitionis Tribunal procedat contra Confessores, qui in actu Confessionis vel juxta sollicitant mulieres ad peccandum

Venerabilis Frater salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm sicut nuper non sinè animi nostri molestia accepimus diversos Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in civitatibus & Diœcesibus curam animarum habentes, sive eam pro alus exercentes, aut aliàs audiendis Confessionibus pœnitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, ut Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi Confessiones abutantur: nec illi, & qui id instituit, Domino Deo & Salvatori nostro Iesu Christo iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt Confessiones, alliciendo & provocando &c. Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide Catholica rectè sentunt, Sacra-

Sacramentis ab Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, Fraternitati tuæ..... per præsentes committimus & mandamus, quatenus per te, vel alium, seu alios à te deputandum seu deputando, sconta omnes & singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Civitatum, & Diœcesum, de præmissis quomodolibet diffamatos tam sæculares, quàm quorumvis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum Regulares, cuiuscumque dignitatis, statûs, gradûs, ordinis, conditionis & præeminentiæ existant, tam super præmissis, quàm super fide Catholicâ, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras, & iuxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæresi quovis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam & tenorem procedas, ac culpabiles repertos, iuxta excessuum suorum qualitatem, prout de iure fuerit faciendum, debitâ præcedente degradatione, sæcularis Iudicis arbitrio puniendos tradendo. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 16. April. an. Domini 1561. Pontif. nostri anno 2.

Hæc, inquam, ordinatio iustissima est; & credam ego, Episcopum non posse Regularem suspendere ab audiendis Confessionibus reexaminando & reprobando, quem publicè novit inidoneum; & nihilominus à Superiore sciente & negligente exponitur ad audiendas Confessiones? Profectò malè provisum foret Ecclesiæ, si in illis circumstantiis Episcopus non haberet potestatem reexaminandi & reprobandi.

183. Responsio Chassaing ad quamdam obiectionem.

Hinc ad obiectionem, quòd malè provisum sit Ecclesiæ, si Episcopus non possit reprobare Regulares, Chassaing suprà Respondet; optimè provisum Ecclesiæ: potest enim Episcopus monere Regularem, ut abstineat: & si post monitionem non desistat, monere Superiorem, qui si non provideat, poterit ille providere: restituitur enim tunc in suum ius pristinum, à quo per privilegia spoliatus fuit. Hæc ille.

Sed, dicet aliquis; unde constat, Episcopum iure suo per privilegia fuisse spoliatum? Quippe (nisi præter iam dicta aliquid aliud obstet) non videtur unquam habuisse ius reexaminandi & reprobandi, nisi cum nova causa: sicut Iudex nunquam habet ius revocandi iustam sententiam semel latam, nisi cum nova causa.

184. An approbatio naturâ suâ sit revocabilis. Leon. Sanchez.

Unde non valet, quod ait Sanchez in Select. Disput. 48. n. 18. In Concil. habetur, nullum Regularem posse audire Confessiones, absque approbatione ab Episcopo; & cùm non restringat, quòd unica tantùm sufficiat, relinquit approbationem suæ naturæ, quæ revocabilis est. Probat autem hanc revocabilitatem exemplo legis, quæ à successore revocabilis est, estò ex sui natura habeat perpetuitatem.

Respondetur; etiam lex revocabilis est ab eodem Legislatore, ergo ex vi Concil. Regulares non tantùm à successore possent reprobari absque ulla ratione, sed etiam ab eodem Episcopo, quod an admitteret Sanchez, nescio; neque enim expressè satis loquitur de hoc casu.

185. Cur potiùs lex sit revocabilis, quàm approbatio.

Deinde; disparitas est inter legem & approbationem; quòd lex dependeat à sola voluntate Legislatoris, nec per eam acquiratur subditis aliquod ius, aut injuria eis fiat, si non feratur talis vel talis lex; quid ergo mirum, si vel idem Legislator, vel successor ejus possit eam revocare? At verò approbatio est actus debitus ex justitia Sacerdoti idoneo, ita ut Episcopus faciat injuriam Sacerdoti idoneo, si eum non approbet, & per approbationem acquiritur Sacerdoti jus: quid ergo miramur, si absque causa non possit nequidem validè reprobari?

Siquidem ante Trident. Episcopus nullum habebat jus examinandi & approbandi, sed absque examine & approbatione poterat absolvere quilibet Sacerdos suppositâ jurisdictione; ergo neque post Trident. habet jus reexaminandi & reprobandi; licèt enim Trident. det jus examinandi & approbandi; attamen cùm non extendat illud ad reexaminandum & reprobandum semel legitimè approbatum, relinquit approbationem suæ naturæ, quæ non est revocabilis, neque ab eodem, neque à successore, nisi ex justa causa, exemplo justæ sententiæ, per quam aliquis acquisivit jus in aliquam rem. Immo etiam exemplo legis, per quam simile jus subditis fuisset acquisitum. Item exemplo privilegii, quod sinè causa invalidè revocatur, quando transiit in contractum aut quasi contractum.

Approbatio ex natura sua non est revocabilis.

Unde non videtur audiendum, quod ait de Scildere in sua Synopsi de Sacram. §. 90. Validè revocatur approbatio circa singulos cum examine approbatos, eò quòd revocatio auctoritatem testimonii dati destruat; hoc dico, minùs placet: neque enim approbatio est simplex aliquod testimonium, sed est juridica quædam declaratio, quæ se habet tamquam justa sententia, ex justitia debita.

186. De Scildere.

Approbatio est juridica quædam declaratio instar sententiæ.

Atque ut esset simplex testimonium idoneitatis, manet illi testimonio salva sua auctoritas, donec constet de justâ ratione revocandi; sicuti in aliis judiciis manet auctoritas testimonii dati, donec qui testimonium dedit, illud legitimè revocet, probando ejus insufficientiam seu defectum.

187. Eam non posse revocari sinè justa causa confirmatur ex c. 13. de Ætate & qual. &c.

Confirmatur ex cap. *Accepimus* 13. de Ætate & qualit. & ord. præf. ubi sic ait Innoc. III. *Licèt in Ordinationibus Clericorum, illam tu ac prædecessores tui diligentiam debueritis adhibere, ut minùs idonei non ordinarentur à vobis, ac ideò post promotionem eorum exceptionem non poteris prætendere contra illos: nisi fortè postquam promoti fuerint, reddiderint se indignos; ex superabundanti tamen,*

tamen, quando ſcribere pro talibus nos oportet, ſacimus in litteris noſtris apponi: ut ſi ordinatus, pro quo ſcribimus, idoneus habeatur, & Eccleſiaſtico beneficio non indignus, ei ab Ordinatore vel ſucceſſore ipſius competens beneficium tribuatur; cùm & ſi tecum de iure agere vellemus, te poſſemus meritò ad proviſionem eorum compellere, quos à te, vel prædeceſſoribus tuis ordinatos fuiſſe conſtaret, eo præſertim, quòd ad obtinendum Eccleſiaſticum beneficium eos debes idoneos reputare, quos ad Ordines ſuſcepiſti.

Ubi Gloſſ. in expoſit. casûs: *Nota argum. quòd ſemel examinatus amplius examinari non debet, niſi de iis, quæ poſtea contigunt.* Et verb. *Examinari* ait: *Patet quòd aliquis ſæpè examinatur..... Sed videtur quòd tantummodo debeant examinari de iis, quæ poſtea contigerunt.*

188. Quo ergo jure Epiſcopus Sacerdotem ſæcularem, vel Regularem, manente à parte rei eâdem ſufficientiâ & idoneitate, ſemel ſimpliciter & abſolutè approbatum, nullâ causâ ſuperveniente, ſed ex mera ſua voluntate iterum examinabit & reprobabit, per conſequens auferet ab eo juriſdictionem, delegatam ſibi à Pontifice per Bullam, aut aliud privilegium?

Si Pontifex de jure poterat compellere Epiſcopum Zamorenſem (de quo agitur in præallegato cap.) ad proviſionem eorum, quos ſemel judicaverat idoneos, promovendo eos ad ſacros Ordines (eſtò revocaret ſuum teſtimonium, aſſerens non eſſe idoneos) niſi poſtquam promoti fuerint, reddiderint ſe indignos; dicam ego, Pontificem tantam dediſſe poteſtatem Epiſcopis, ut poſſent Sacerdotem, promotum ad audiendas Confeſſiones, verè dignum & idoneum judicatum, nudâ voluntate abſque alia ratione privare ſuâ dignitate & idoneitate? Non dicam, niſi majus habuero fundamentum, eo, quod hìc ab Adverſariis fuit allegatum. Similiter nunquam dixero; Epiſcopum, vel eundem, vel ſucceſſorem, non poſſe reexaminare & reprobare eum, qui, poſtquam promotus fuit, reddidit ſe indignum, quando de illa inidoneitate satìs conſtat.

189. Ratò poſſunt Religioſi reexaminari, quia rarò conſtat de eorum indignitate.

Hinc quia rariſſimè conſtat de indignitate Religioſorum, quorum Prælati, ùt ſuprà dicebat Rodrig. invigilant maximè ſuper eorum ſufficientia, eos ſæpè ſæpiùs examinando, ideo rariſſimè, ſaltem ab eodem Epiſcopo, poſſunt aut debent reexaminari; immo, attentis ſolùm jam allegatis ab Adverſariis, nec à ſucceſſore, pro cujus conſcientiæ quiete, niſi aliquid aliud obſtet, abundè poteſt ſufficere examen ſui prædeceſſoris, & vigilantia Prælatorum. Si autem, etiam his non obſtantibus, meritò conſcientia ejus foret inquieta, tunc poterit reexaminare pro conſcientiæ ſuæ quiete.

190. Nec aliud voluit Pius V. Bullâ: *Romani Pontificis*, ſæpiùs allegata. Vel ſi plus voluit, revocata fuit per Gregor. XIII. Bullâ: *In tanta*, per quam reduxit Bullam Pii V. ad terminos Iuris veteris & Concil. Trident. Porrò jus vetus non requirit ullum examen Epiſcopi, ſed omnes Sacerdotes jure veteri ante omne examen & approbationem Epiſcopi erant capaces juriſdictionis accipiendæ, ſuppoſitâ ſcientiâ, alioquin neceſſariâ ex jure divino. Iure autem novo Concil. Trident. eſt neceſſaria approbatio Epiſcopi, prævio, vel non prævio examine, ùt patet ex hactenus dictis; quod jus, utpote correctorium ſeu reſtrictivum juris antiqui, intelligendum venit de unica approbatione pro ſingulis Diœceſibus, quæ non variantur mortuo Epiſcopo, ſicuti non variatur Eccleſia mortuo Pontifice, ſed manet ſemper eadem. Ergo ſemel approbatus in aliqua Diœceſi ſemper manet approbatus in illa Diœceſi, quia ſemper manet eadem.

Bulla Pii V. *Romanus Pontifex* cita fuit ad terminos juris veteris & Concil. Trid. per Bullam Greg. XIII. *In tanta*.

Diœceſes non variantur mortuo Epiſcopo.

Reſpondet Ioan. Sanchez ſuprà: quàmvis mortuo Epiſcopo maneat materialiter eadem Diœceſis, formaliter eſt diverſa, & diverſum Tribunal: ob quod tradunt DD. mandata ſpecialia emortui Epiſcopi ceſſare, quàmvis non expirent mandata per modum conſtitutionis & legis editâ: cùm de natura legis ſit eſſe perpetuum. Hæc ille. 191. Reſponſio Ioan. Sanchez.

Sed, meo judicio, ſi aliqua eſt diverſitas potiùs materialis, quàm formalis; quia quòd hic vel ille homo ſit Pontifex vel Epiſcopus, planè quid materiale eſt, cùm omnes habeant, ùt ſuppono, eandem poteſtatem, per conſequens non diverſum formaliter, ſed idem Tribunal; ſicut Vicarius Pontificis vel Epiſcopi habet idem formaliter Tribunal cum Pontifice vel Epiſcopo, quia habet eandem poteſtatem, ita ut à Vicario Epiſcopi non poſſit appellari ad Epiſcopum. Reflexio Auctoris.

Epiſcopus cum ſuo ſucceſſore habent idem Tribunal.

Atque ut Tribunal Epiſcopi ſucceſſoris eſſet formaliter diverſum, & materialiter idem, ubi ſcriptum eſt, quòd ſufficiat diverſitas formalis, ut Epiſcopus ſucceſſor ſinè nova cauſa poſſit revocare approbationem ſui prædeceſſoris? Nonne Epiſcopus ſucceſſor ſinè nova cauſa poteſt reformare ſententiam ſui prædeceſſoris, ſententiam, inquam, quæ jam tranſivit in rem judicatam? Nunquid poteſt quempiam privare beneficio collato à ſuo prædeceſſore, & jam pacificè poſſeſſo? Cur ergo poterit me privare ſinè cauſa approbatione, & per conſequens juriſdictione à Pontifice mihi delegatâ, quam hucuſque pacificè poſſedi? Exiſtimo prorſus; Epiſcopum id nec licitè, nec validè facere poſſe, niſi conſtet, Pontificem poteſtatem hujuſmodi ſpecialiter ei conceſſiſſe. An autem id conſtet, videant illi quorum intereſt. 192.

Epiſcopus ſucceſſor non poteſt ſinè nova cauſa reformare ſententiam ſui prædeceſſoris.

Sed nunquid bene ſequitur; non poteſt Epiſcopus, ſinè cauſa validè reprobare ſemel approba-

probatum ; ergo non potest Episcopus sinè causa validè quempiam palàm idoneum rejicere , nolendo eum approbare ? Solutio patebit ex Conclus. sequenti.

CONCLUSIO VII.

Si prævio examine approbatio injustè denegetur , sæcularis invalidè absolvit ; utì & Regularis.

193. Episcopus non potest pro libito suo negare approbationem personæ dignæ, eam petenti.

SUppono , Episcopum , licèt possit pro libito dare , vel non dare suam jurisdictionem his vel illis , non tamen posse pro solo libito negare approbationem personæ dignæ , eam petenti ; in hoc enim non videtur procedere , ùt diximus Conclus. præced. per viam gratiæ , sed magìs per viam justitiæ , tamquam legitimus Iudex , ùt patet ex illis verbis Trident. *Aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur, aut aliàs idoneus iudicetur* &c. sess. 23. de Refor. c. 15. Ergo à Concil. constituitur Iudex idoneitatis. Iudex autem non potest pro libito suo judicare, sed ex officio tenetur unicuique administrare justitiam secundùm allegata & probata, adeoq; unusquisque habet jus , ùt secundùm allegata & probata ipsi administretur justitia , per consequens fit ipsi injuria , si non administretur.

Omnes Sacerdotes habent jus ad petendam approbationem.

Sicut ergo habens beneficium , vel electus ad ipsum , habet jus , ùt approbetur à Episcopo , si est sufficiens ; nec potest ei approbatio sinè injustitia denegari : sic omnes alii Sacerdotes , qui jure divino ex sua Ordinatione eligibiles sunt à Parochis ad audiendas Confessiones ; & per Iubilæum aut Bullam Cruciatæ habent jurisdictionem à Summo Pontifice , si approbentur ab Episcopo , videntur habere jus ad petendam approbationem , & per consequens ad eam accipiendam supposità idoneitate ; ergo fit ipsis injuria , si absque sufficienti causa denegetur.

Lugo.

Quod multò magìs , inquit Lugo disp. 21. n. 49. locum habet in Religiosis , qui ex privilegiis Pontificum habent jurisdictionem , si approbentur: atque ideo, sicut Parochus ex ipsa electione ad beneficium habet jus ad approbationem ; sic Religiosi , qui ex privilegiis Sedis Apostolicæ sunt quasi Parochi delegati, habent jus ad illam approbationem petendam , nec potest hæc justè sinè sufficienti causa eis negari. Hoc supposito.

194. Probatur prima pars Concl. ex Conc. Trident.

Probatur prima pars Concl. ex Concil. Trident. quod loco statim citato requirit approbationem obtentam , tamquam conditionem , sinè qua Sacerdos non censeatur idoneus ad audiendas Confessiones sæcularium , *privilegis & consuetudine quacumque etiam immemorabili , non obstantibus.* Itaque sinè illa conditione nec Pontifex intendit illis dare jurisdictionem , nec alius inferior potest eam validè dare , quæ tamen jurisdictio omnino necessaria est ad validam Absolutionem.

Unde licèt sententia Episcopi sit injusta , & ideo nullum jus auferat , id tamen non sufficit ; quia necesse erat dare Sacerdoti jus aliquod , quod nondum habebat , ut posset audire Confessiones & validè absolvere , quod jus per sententiam injustam non acquisivit , licèt per illam nullum jus perdiderit. Nam jus , quod anteà habebat , scilicet ut approbaretur , de facto adhuc habet ; sed aliud est habere jus ad approbationem , aliud autem habere ipsam approbationem. Porrò approbationem requirit Trident. & non tantùm jus ad approbationem.

195. Objectio.

Dices ; approbatio semel data , non potest sinè causa validè revocari seu auferri ab approbato ; ergo nec sinè causa potest validè primò negari.

Solvitur.

Resp. Neg. Conseq. do disparitatem : quia approbatio semel data transivit in rem judicatam , hoc est, Sacerdos acquisivit per eam jus , quo non potest sinè suo demerito privari ; at verò antequam approbatio semel data est , quàmvis Sacerdos ad eam accipiendam habeat jus , non tamen in ea , & ideo quàmvis injustè , tamen validè negatur.

196. Res uni vendita ante traditionem potest alteri validè vendi , seu ejus post traditionem.

Sicuti qui emit rem à me , ante traditionem habet jus ad rem emptam , & ideo injustè vendo eam tertiò ; si tamen eam vendo , & trado , valet secunda venditio , nec primus emptor potest rem repetere à secundo emptore ; quia ante traditionem non habebat jus in re , sed tantùm jus ad rem : sin autem primo emptori etiam tradita fuerit res , jam non solùm injustè venditur tertio , sed etiam invalidè , quia jam habebat jus in re ; quâ proinde non poterat privari pro libito vendentis , nequidem validè.

Beneficium semel ritè collatum non potest pro libito collatoris auferri.

Et quid clarius , quàm beneficium v. g. collatum , non posse pro libito collatoris validè auferri , tametsi primò potuerit validè , immò, & aliquando licitè negari ? Et idem est , de privilegio , quod transiit in contractum aut quasi contractum. Igitur de prima parte Conclus. communiter ita sentiunt DD.

197. Probatur oppositum a partis Conclus. ex privilegio concesso à Bonif. VIII. Extrav. 2. de Sepult.

De secunda verò non modica est inter eos controversia, his affirmantibus, Regularem validè absolvere, illis negantibus. Porrò affirmantes adducunt quoddam privilegium, concessum à Bonif. VIII. in Extravag. *Super cathedram* 2. de Sepult. ibi : *Statuimus etiam & ordinamus auctoritate prædictâ , ut in singulis Civitatibus & Diœcesibus in quibus loca fratrum ipsorum consistere dignoscuntur , vel in civitatibus & Diœcesibus , locis ipsis vicinis, in quibus loca huiusmodi non habentur , Magistri , Priores , Provinciales Prædicatorum , aut eorum Vicarii , & Generales & Provinciales*

Ministri & Custodes Minorum Ordinum prædictorum, ad præsentiam Prælatorum eorumdem locorum se conferant per se vel per fratres, quos ad hoc idoneos fore putaverint, humiliter petituri, ut fratres, qui ad hoc electi fuerint in eorum Civitatibus & Diœcesibus, Confessiones subditorum suorum, confiteri sibi volentium, audire liberè valeant, & huiusmodi confitentibus (prout secundùm Deum expedire cognoverint) pœnitentias imponere salutares, atque eisdem Absolutionis beneficium impendere de licentia, gratia, & beneplacito eorumdem. Ac deinde præfati Magistri, Priores, Provinciales & Ministri Ordinum prædictorum eligere studeant personas sufficientes, idoneas, vitâ probatas, discretas, modestas atque peritas ad tam salubre ministerium & officium exequendum: quas sic ab ipsis electas repræsentent, vel faciant præsentari Prælatis, ut de eorum licentia, gratia & beneplacito in Civitatibus & Diœcesibus eorumdem huiusmodi personæ sic electæ Confessiones confiteri sibi volentium audiant, imponant pœnitentias salutares, & beneficium Absolutionis impendant, prout superiùs est expressum, extra Civitates & Diœceses, in quibus fuerint deputatæ, per quas eas volumus & non per Provincias deputari, Confessiones nullatenus audituræ.

Ne autem oriretur quæstio de numero personarum, continuò attexuit Pontifex: *Numerus autem personarum assumendarum ad huiusmodi officium exercendum, esse debet prout universitas Cleri & populi, ac multitudo vel paucitas exigit eorumdem.*

Postea, providens Bonifacius fieri posse, ut Prælati requisiti negent licentiam audiendi Confessiones justè vel injustè, subjungit: *Et si iidem Prælati petitam licentiam Confessionum huiusmodi audiendarum concesserint, illam præfati Magistri, Ministri, & alii cum gratiarum recipiant actione, dictæq; personæ sic electæ commissum sibi officium exequantur. Quòd si fortè iam dicti Prælati quemquam ex dictis fratribus præsentatis eisdem, ad huiusmodi officium nollent habere, vel non ducerent admittendum: eo amoto vel subtracto loco ipsius, similiter eisdem præsentandus Prælatis, posit & debeat alius subrogari.*

Si verò iidem Prælati præfatis fratribus ad Confessiones (ut præmittitur) audiendas electis, huiusmodi exhibere licentiam recusarint, nos ex nunc ipsis, ut Confessiones sibi confiteri volentium liberè licitèq; audire valeant, & eisdem pœnitentias imponere salutares, atque eisdem beneficium Absolutionis impartiri, gratiosè concedimus de plenitudine Apostolicæ potestatis.

198. Confirmatio hujus privilegii per Clementem V. Clement. *Dudum* de Sepult.

Hoc privilegium confirmavit Clemens V. in Conc. Viennensi, & refertur Clement. *Dudum* 2. de Sepult. ablatâ quadam magis amplâ concessione Bened. XI. quæ habetur in Extravag. *Inter cunctas.* 1. de Privilegiis ibi: *Ut autem Diœcesanis honor debitus reservetur, præcipimus ut Provinciales, Priores Prædicatorum & Ministri Minorum Ordinum præfatorum per se vel alios, verbo vel scripto eis significent, se fratres ad huiusmodi Confessionum audiendarum & pœnitentiarum iniungendarum officium elegisse, & non nominando aut coram ipsis sistendo eos, nec illorum numerum exprimendo, petant humiliter à Diœcesanis isdem, quòd iidem electi Fratres de ipsorum beneplacito & licentia, dictum possint in eorum Civitatibus & Diœcesibus, intrà eis determinatos fines, officium exercere. Quòd si denegent, vel intrà triduum non concedant, ex tunc iidem Fratres nihilominus auctoritate eâdem huiusmodi officium exequantur.*

Hanc amplam concessionem Clemens V. suprà revocavit hisce verbis: *Dudum à Bonifacio Papa VIII. prædecessore nostro infrà scripta edita decretali, Benedictus Papa XI. prædecessor noster aliam illius revocatoriam promulgavit: quæ quia (ut probavit effectus) ne dum pacis ab Auctore ipsius speratæ fructum non attulit, quin immo discordiæ, pro qua sedanda processerat, fomentum non modicum ministravit: nos eam omnino cassantes, aliam à præfato Bonifacio editam sacro instante & approbante Concilio innovamus.* Revocatio privilegii concessi à Bened. XI. extrav. sub Privile.

Sed nunquid hæc Clementina revocata est per Concil. Tridentinum? Negant illi, qui affirmant, Regularem in casu proposito posse validè absolvere. Quia, inquiunt, communiter Iurisperiti per privilegium simpliciter intelligunt illud, quod non est insertum juri communi; jam autem Clementina illa est inserta juri communi. 199. An Clementina *Dudum* sit revocata per Tridentem.

Et ideo Sixtus IV. Extravag. de Treugâ & pace c. 2. vocat eam, *Ius commune*, ibi: *Per hoc tamen ipsi Fratres Mendicantes non censentur exclusi, quò minùs secundùm iuris communis, & privilegiorum eisdem concessorum dispositionem, Confessiones audire, & pœnitentias iniungere valeant.*

Et Concil. Viennense suprà, vocat Extravagantem Bonifacii, *Decretalem*, ibi: *Dudum à Bonifacio VIII. prædecessore nostro infrà scripta edita decretali.*

Bonifacius autem suprà, appellat eam, *Statutum & ordinationem*, ibi: *Diligenti cum Fratribus nostris deliberatione præhabitâ super eo ad honorem Dei & exaltationem Catholicæ fidei, quietum statum partium prædictarum, ac salutis animarum fidelium incrementum, de ipsorum Fratrum consilio auctoritate Apostolicâ statuimus & ordinamus* &c. Quæ verba satis clarè designant, hoc non esse privilegium, sed legem communem, maximo consilio & consideratione ab Ecclesia Romana editam, cui proindè non est verisimile Concil. Trid. voluisse derogare per illa sola verba: *Privilegiis & consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantibus.* Exam. hoc per collatam, non est simpliciter privilegium.

Præterea in procemio Clementinarum Summus Pontifex Joannes XXIII. præcipit, quòd omnes Clementinæ, nullâ exceptâ, recipiantur, ibi: *Nunc igitur (opportunitate captatâ) illas (Constitutiones Clement. V.) vobis sub Bulla nostra transmittimus: universitati vestræ per Apostolica scripta mandantes, quatenus eas prompto affectu suscipiatis, & studio alacri, eis, sic vobis manifestatis & cognitis, usuri de cætero in iudiciis & in scholis* 200. Ioan. 23 præcipit, ut omnes Clementinæ recipiantur.

ſcholis. *Data Avinione* 8. *Calendas Novemb. Pontificatus noſtri anno* 2. Hoc autem ſolùm dicitur de legibus Eccleſiaſticis.

Conc. Trident. appellat dictam Clement. *Legem*, prout diſtinguitur contra privilegium; nam ſeſſ. 25. de Refor. cap. 13. *Decernit Sancta Synodus, ut quibuſcumque in locis tam ante annos* 40. *Quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolvi, ac poſtea fuerit ex quocumque privilegio aliis Monaſteriis, hoſpitalibus aut quibuſcumque locis piis conceſſa, eadem poſt hac integro iure & eâdem portione, quâ antea ſolebat, Cathedrali ſeu Parochiali Eccleſiæ perſolvatur: non obſtantibus conceſſionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuſcumque.* Iam autem *Quarta* non ſolvitur, niſi per dictam Clementinam: ergo ſupponit Concil. eam eſſe legem communem, nam omnia indulta, contra eam obtenta, vocat privilegia.

Conc. Trident. appellat Clementin. *Dudum*, *Legem*.

201. Et ſanè omnes Epiſcopi ſi interrogarentur, quo jure Parochis debeatur *Quarta*, reſponderent citiùs jure communi. Si quæras ab ipſis, ubi ſit illud jus commune, non aliud poſſunt oſtendere, quàm dictam Clementinam. Si ergo Clement. *Dudum*, eſt jus commune reſpectu Quartæ funeralium, quare non etiam reſpectu præſentationis Confeſſorum Regularium, & eorum approbationem ſeu admiſſionem? Nulla apparet ratio diſparitatis.

201. Quarta funeralium debetur Parochis jure communi.

Sed ratio eadem eſt; quia dicta Clementina eſt ſententia quædam diffinitiva, datâ ratione controverſiæ ortæ inter Clericos & Religioſos, ùt patet ex illis verbis: *Ab olim ſiquidem inter Prælatos & Rectores ſeu Sacerdotes ac Clericos parochialium Eccleſiarum, per diverſas mundi Provincias conſtitutos, ex unâ parte; & Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres ex altera (pacis æmulo ſatore Zizaniæ procurante) gravis & periculoſa diſcordia exſtitit ſuſcitata, ſuper prædicationibus fidelium populis faciendis, eorum Confeſſionibus audiendis, pœnitentiis iniungendis eiſdem, & tumulandis defunctorum corporibus, qui apud fratrum ipſorum Eccleſias ſive loca noſcuntur eligere ſepulturam.* Quis autem dixerit, ſententiam diffinitivam eſſe privilegium, & non magis legem communem?

Diſta Clem. eſt ſententia quædam diffinitiva.

Verùm hæc eſt quæſtio de nomine; de re conſtat, quòd ſit privilegium inſertum juri communi, quod Bartholus & alii graviſſimi DD. citati à Rodrig. to. 1. q. Reg. q. 59. a. 2. docent, non revocari per legem de novo inſtitutam, niſi ſpecialiter de ipſo mentionem faciat, etiamſi apponat quaſcumque non obſtantias generales. Tale quippe privilegium jam induit ſibi aliud nobilius nomen, ſcilicet legis communis & generalis. Quam utique ſententiam procul dubio multi doctiſſimi viri, qui Concilio interfuerunt, probè ſciverunt, ac proinde ſi voluiſſent derogare illi Clementinæ, magis expreſsè id feciſſent.

Privilegium juri communi inſertum, non revocatur per legem poſteriorem, niſi ſpecialiter ejus meminerit. *Bartholus. Rodriguez.*

202. Si dixeris; hæc Clementina non concernit univerſalem Eccleſiam, ſed ſolùm FF. Minores & Prædicatores; ergo non eſt lex univerſalis. Reſpondent: multa talia eſſe Decreta in jure communi, quæ concernunt particulares Eccleſias, & tamen ab Omnibus habentur pro legibus Eccleſiaſticis, idque quia concernunt bonum commune Eccleſiæ & ſalutem animarum, utì etiam concernit hæc Conſtitutio, ùt patet ex verbis Bonif. ſuprà relatis.

Objectio.

Solvitur.

Hanc ſententiam docet Navar. in Man. cap. 27. n. 264. ibi: Epiſcopo ſinè juſta cauſa nolente admittere (Regulares ad audiendas Confeſſiones) poſſunt præſentati facere illa, perinde ac ſi fuiſſent admiſſi. Nec videtur obſtare Conc. Trident. tum quia hujuſmodi præſentatus & ſinè juſta cauſa ab Epiſcopo rejectus, habetur pro approbato ab eo.

203. Hanc ſententiam docet Navar.

Sicut & Regularis, petens licentiam tranſeundi ad Regulam ſtrictiorem, negatâ eâ ſinè juſta cauſa, habetur pro licentia donata, cap. *Licet* 18. de Regul. ibi: *Talis ergo poſtquam à Prælato ſuo tranſeundi licentiam poſtulaverit, ex lege privata (quæ publicæ legi præjudicat) abſolutus, liberè poteſt ſanctioris vitæ propoſitum adimplere: non obſtante proterva indiſcreti contradictione Prælati: quia privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate.*

Probat à ſimili

cap. 18. de Regul.

Et ſicut Abbas, qui petiit tertiò benedictionem ab Epiſcopo, habetur pro benedicto, ſi eam ſibi neget. cap. 1. de Suppl. neglig. Prælat. *Statuimus præterea, ut ſi Epiſcopus tertiò cum humilitate ac devotione (ſicut convenit) requiſitus, ſubſtitutos Abbates veſtros benedicere ſortè renuerit, eiſdem Abbatibus liceat proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad officium huiuſmodi pertinent exercere, donec ipſi Epiſcopi ſuam duritiem recognoſcant, & Abbates benedicere non recuſent.*

204. Aliud ſimile.

cap. 1. de ſuppl. neglig. Prælat.

Tum (proſequitur Navar. n. 265.) quia Concil. Trident. non videtur voluiſſe derogare juri communi & conciliari, neque Concil. Lateran. argumento dicti ſolemnis Archidiaconi, quod requirit derogationem expreſſam Concilii ad hoc, ut illi cenſeatur derogatum, de quo latè Felinus in cap. *Nonnulli* de Reſcriptis: Tum quia expedit jura concordare, & poſſumus hæc jura commodè concordare. Hactenus Navarrus.

Alia probatio Navarri.

Eandem ſententiam, ſed reſtrictam ad ſolos Prædicatores & Minores docet Ioan. de la Cruz lib. 2. de ſtatu Relig. cap. 6. dub. 1. ibi: Dixi; *Præter Prædicatores & Minores*; nam de iſtis diſponitur in Clementina: *Dudum* de Sepult. quòd electi à ſuis Prælatis, coram Ordinario ſe præſententi, humiliter petentes, ut ſuo placito liceat ſuarum ovium audire Confeſſiones: & ſi Ordinarius ex cauſa rationabili aliquem expellit, non poteſt Confeſſiones audire; ſi tamen ſinè cauſa expellatur, non manet expulſus, ſed à Papa tunc ſibi conceditur ibi juriſdictio: immo ſi non expectatâ præſentatione dictâ Ordinarius præmonens dicat; *Non præſentetis*

205. Eandem ſententiam docet Ioan. de la Cruz, ſed reſtrictam.

sentetis aliquos Religiosos, quia non admittemus, secundùm Card. ibi possunt, qui erant præsentandi, Confessiones audire absque alia præsentatione. Hæc ille.

206. Alii Auctores pro illa sententia. *Rodriguez. Villalobos. Layman. Henriquez. Miranda Fagundez. Diana.*

Alios plures & gravissimos Auctores ùt Rodrig. Villalobos, Layman, Henriquez, Miranda, Fagundez &c. citat Diana p. 3. tract. 2. resol. 24. & clarè eam sequitur 4. p. tract. 4. Miscel. resol. 200. ibi: Ex his infertur, quòd licet secundùm Aliquos approbatio Confessariorum Regularium possit ab Episcopis ex justa & rationabili causa restringi & limitari ad certum tempus, locum atque personas, si tamen id fiat sinè justa causa, probabilissimum est, talem restrictionem non valere. Ita Lezana in Sum. qq. Regul. c. 19. n. 8. Miranda in Man. to. 1. q. 45. a. 10. Henr. l. 3. de Pœnit. c. 6. n. 5. & 9. Hæc ille.

Lezana.

Si autem limitatio sinè causa non valeat, sequitur manifestè, nec valere absolutam rejectionem sinè causa: quæ enim ratio disparitatis?

Diana mutavit suam sententiam.

Nihilominus idem Auctor p. 8. tract. 1. resol. 85. mutavit sententiam suam, & valdè sollicitus pro Regularibus: Caveant, inquit, Regulares à supradicta Navarri & Aliorum sententia, alioquin in eorum damnum, & Religionis tristes tragœdias suscitabunt. Sed priùs debuisset monere Episcopos, ut caveant ab injusta rejectione Regularium, quæ posset esse occasio tristium tragœdiarum.

207. Rationes quare mutaverit.

Et verò, quas putamus Dianam habuisse rationes, ut recederet à priori sententia, quam vocaverat probabilissimam? In praxi, inquit, ita servatur. Patet expresè ex verbis Concilii. Sanè ideo dictum est: *Nullum etiam Regularem.* Et expresè: *Privilegiis non obstantibus.* Quare revocata sunt illa privilegia, quàmvis ex dispositione juris, & in corpore juris inserta: quia id planè sonat nova lex, & dispositio Concilii Trident. Immo in eadem Clement. *Dudum*, ea juris dispositio restringebatur ad illos ministros, qui erant necessarii pro multitudine populi: cujus necessitatis judicium spectabat quoque ad Episcopum. Hæc ille.

Ac post pauca: Dico, quòd, ut vi Constitutionis Concilii Tridentini, Religiosus non possit excipere Confessiones sæcularium, Episcopo etiam injustè negante approbationem, non sit opus derogare Clement. citatæ: pro quo notandum in prædicta Clement. Superiores Prædicatorum & Minorum non debere præsentare suos, ut solùm per Episcopum judicentur idonei ad Confessiones excipiendas, sed ut Episcopus concedat eis facultatem illas excipiendi, atque adeò ut illis det jurisdictionem, quo injustè negante, eam concedit Pontifex.

Clementina non agit de eo, de quo Trid. juxta Dianam.

Hæc clarè patent ex textu: unde ea Clement. non agit de eo, de quo Trident. cap. citato, & utrumque jus optimè potest simul consistere, ùt videlicet si præsentatis juxta modum in Clement. præscriptum, Episcopus nolit jurisdictionem concedere, eo ipso concedat Pontifex, cujus tamen jurisdictionis alterutro modo obtinendæ non sunt capaces post Trident. nisi præcedat Episcopi approbatio. Hucusque Diana.

208. Sententia Navarri in praxim pro illa conducit, juxta eandem Auctorem.

Rursùs, aliquibus interjectis, sic ait: Et tandem non deferam hìc adnotare cum Card. de Lugo de Sacram. Pœnit. disp. 21. sect. 3. n. 55. sententiam contrariam Navarri & Aliorum suprà relatam, etiamsi probabilis esset, ad praxim tamen parùm aut nihil posse conducere: quia facultas illa Prælatis Regularibus concessa, exponendi ad Confessiones eos, quos præsentatos Episcopus nollet acceptare, concessa quidem fuit cum multis limitationibus, quæ habentur in dicta Clement. *Dudum* de sepult. præsertim, quòd renuente Episcopo, aliquem ex sibi præsentatis admittere, Prælatus Regularis alium illius loco debeat subrogare. Item quòd non plures præsententur Episcopo, quàm sint necessarii: sed numerus, inquit, personarum assumendarum ad hujusmodi officium exercendum, esse debet, prout universitas Cleri & populi, ac multitudo vel paucitas exigit eorumdem.

Quæ limitatio licèt solùm procedat quoad privilegium ibi concessum, & non de facto, quia de facto Religiosus idoneus jus habet, ut approbetur, licèt non sit necessarius, ùt suprà vidimus; qui tamen volunt uti privilegio illius Clement. deberent illo uti cum illa limitatione ibi posita: potest autem Episcopus semper, ùt ferè semper dicere, se nolle approbare illos Regulares, quia pro numero pœnitentium illius loci non sunt necessarii plures pro tunc: cujus contrarium in praxi probare difficillimum erit, atque adeò in praxi non video, quomodo possit utilis esse illa sententia, cujus assertio aliunde non deservit, nisi ad irritandos & exacerbandos Episcoporum animos contra personas Regulares. Hactenus præfatus Auctor pro nostrâ Conclusione. Sed nunquid efficaciter?

209. Clement. tantùm loquitur de FF. Præd. & Min.

Nota; Clement. *Dudum* tantùm loqui de FF. Prædic. & Min. & quàmvis alii Regulares communicent cum ipsis in suis privilegiis & omnibus gratiis, eisdem in jure concessis & in corpore juris insertis, haud equidem illa communicatio est inserta in corpore juris; adeóque est merum privilegium, & per consequens revocatum à Trident. per illa verba: *Privilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Hoc prænotato.

Respondet ad 1. rationem Dianæ.

Respondent Adversarii ad primum; sibi non constare de contraria praxi: immo constare sibi à pauco tempore ab aliquo Regulari, qui prætendebat se injustè rejectum, sententiam Navarri fuisse practicatam. Deinde, ut constaret Dianæ suam opinionem practicari, admittere deberet, Episcopos injustè rejicere Regulares ab audiendis Confessionibus, quod

Episcopi

Episcopi non facilè admitterent; neque præsumendum est, nisi clarè constet; quia nemo præsumitur malus, nisi probetur.

210. Quare dictum sit à Conc. Trid. *Nullum ei. rum Regulares.*

Quantùm ad verba Concil. Respondent, dictum esse: *Nullum, etiam Regularem*, ad confirmandam Constitutionem Leo. X. in Concil. Later. quæ expressis verbis concedit Episcopis examen Regularium ibi: *Possintq; illi per eosdem Episcopos & Prælatos super sufficienti literatura & aliqua saltem hujusmodi Sacramenti peritia dumtaxat examinari.* Et Clem. *Dudum*, quæ concedit Episcopis auctoritatem negandi licentiam præsentatis, justâ id causâ suadente, non tantùm uni, sed etiam omnibus, ùt statim patebit: adeòque concedit implicitè potestatem examinandi, cùm sinè examine regulariter nequeat Episcopus justè quempiam rejicere.

Fieri quidem absolutè potest, ut aliunde habeat notitiam imperitiæ alicujus præsentati, quem tunc etiam sinè examine posset rejicere; tamen per se loquendo prærequiritur examen, ut tantò securiùs Episcopus eum rejiciat: ergo qui dat potestatem rejiciendi ex justa causa, etiam exinde videtur dare potestatem ad illud medium, quòd per se requiritur ad explorandam justam causam.

211. Episcopus potest ex justa causa rejicere præsentatos, non solùm unum, sed omnes.

Quòd autem Episcopus non solùm unum, sed omnes præsentatos, ex justa causa possit rejicere, docet Glossa in Clement. *Dudum*, verb. *Quemquam*, ubi sic ait: *Videtur quòd omnes refutari non possint: dic contra, secundùm Io. Mo. cum hoc verbum iuris, æquipolleat universali: & extendatur in edictis Prætorum ff. vi bo. rap.* Prætor §. Homines. *ff. de Constit. pecun. l. 1. §. 1. de negl. gest. l. 1. § 1. & 3. aliàs secundùm eum fieri posset fraus Constitutioni, quæ multa requirit in talibus Fratribus sup. ver. Ac deinde.*

Eodem modo loquitur Glossa in Extravag. *Super Cathedram*, eodem verbo: *Et sic*, inquit, *non possunt plures refutari. Dic contrà, quia hoc verbum*, Quemquam, *est iuris, quod æquipollet universali* &c. ùt suprà.

212. Subrogatio de qua loquitur Clement potest fieri pluries.

Ergo secundùm illas Glossas, etiam omnes præsentati possent rejici, & rejecti ex justa causa, nullam haberent jurisdictionem absolvendi, sed alii subrogari possent non tantùm semel, sed pluries, ùt docet Glossa in Extravag. præallegata verb. *Subrogari*, dicens: *Sed nunquid hæc subrogatio fieri poterit pluries? Videtur quòd non, quia semel sufficit, arg. ff. de arb.* Si duo §. Semel. *& ff. de aqua plu. arcen.* In diem..... *Sol. dicta iura loquuntur, ubi res effectum habuit, sed hic non habuit, & ideo est iterandum. Sed quotiens? Dic trinam requisitionem ad minùs necessariam. Et similis quæstio not. ext. de offic. deleg.* Cum causa. *Et distingue circa hoc: Aut recusatur subrogatus à Prælato ex causa, utpote quia non habet qualitates expressas sup. eo vers.* Ac deinde. *& tunc Fratres sibi imputent, qui malum elegerunt: mala enim electio est in culpa..... Aut sinè causa: & tunc succedit Papalis licentia seu gratia.*

Eodem modo loquitur Glossa in Clement. *Dudum*, verb. *Subrogari: Si non recipitur, sed ex justa causa, quia non est qualis suprà describitur, sibi imputent, qui malum elegerunt, si sinè causa succedit Papæ licentia, ut statim sequitur secundum Ioan. Monac.*

213. Eadem est ratio primò electi & subrogati.

Et reverà, si subrogatum, ex justa causa possit rejicere, quidni etiam primò electum? Et si unum subrogatum, & unum electum possit ex justa causa rejicere, quidni secundum & tertium? Quidni omnes electos? Et si Pontifex subrogato, sinè causa rejecto, confert jurisdictionem & licentiam absolvendi, quidni eandem conferat electo, injustè rejecto? Quidni omnibus electis, si ablque causa non admittantur? Planè eadem est omnium ratio; & absurdum foret, Pontificem potiùs subrogato conferre jurisdictionem, quàm electo, & potiùs uni, quàm omnibus, si omnes injustè rejiciantur.

Cur Pontifex requirat illam subrogationem.

Rogat quispiam, cur ergo Pontifex requirat illam subrogationem? Respondent: quia supponit facile fieri posse, ut inter multos unus aliquis inidoneus præsentetur; difficulter autem, immo moraliter fieri non posse, ut omnes vel maxima pars sit inidonea; similiter rarò contingere, ut Superiores pro inidoneo subrogent alium inidoneum.

214. Pontifex non loquitur de unico subrogato.

Sanè non de unico subrogato loqui Pontificem, manifestum est ex ipsis verbis Clement. *Si*, inquit, *eidem Prælati* (subrogatione factâ) *præfatis Fratribus ad Confessiones, ùt præmittitur, audiendas electis, hujusmodi exhibere licentiam recusarint* (sinè causa) *nos ex nunc ipsis* &c. Ergo non soli subrogato, sed omnibus injustè rejectis.

Quid si Episcopus non recuset expressè, sed non det vel negligat.

Sed quid si Episcopus non recuset expressè, sed non det vel negligat? Respondet Glossa in Clement. verb. *Recusarint: Videretur quòd locum haberet hoc privilegium post trinam monitionem vel requisitionem per Decret. 1. de Suppl. neglig. Prælat.* Vide suprà. Ergo falsum apparet, quod suprà Diana refert ex Lugone, sententiam Navarri, quàmvis probabilis esset, ad praxim tamen parum, aut nihil conducere posse, propter scilicet illam subrogationem, quæ, ùt ostensum est, haud necessaria est, quando absolutè constaret aliquem injustè fore rejectum, sed tunc tantùm, quando justè rejicitur.

215. Ad quem spectet judicare de sufficientiâ numero Confessariorum.

Ad illud, quod addit Card. Lugo, posse Episcopum semper aut ferè semper dicere, se nolle approbare illos Regulares, quia pro numero pœnitentium illius loci non sunt necessarii. Respondetur: illud judicium non esse penes solum Episcopum, sed etiam penes Prælatum Regularem, vel tertium Iudicem. Neque enim uspiam in jure conceditur soli Episcopo illud judicium, ùt patet ex verbis Clement. & Extravag. suprà allegatis.

Hinc Glossa in Clement. verb. *Exigit. Si*, inquit, *contendit Episcopus cum Fratribus, dicens,*

minorem numerum sufficere: recipiat Episcopus numerum, de quo videtur, de reliquis recurrat ad arbitrium boni viri, id est, Iudicis. ff. de verb. oblig. Continuus §. Cùm ita *secundum Ioan. Monac. qui dixit, quòd cautè fortè faceret Episcopus, si in principio, cùm concedit licentiam, taxaret numerum: liceret enim à principio quandoque, quòd non liceret ex postfacto ff. de Pact. In traditionibus.* Simili modo loquitur Glossa in Extravag. eodem verbo.

Ergo Episcopus non potest semper, aut ferè semper rationabiliter dicere, se nolle approbare illos Regulares, quia pro numero pœnitentium illius loci non sunt necessarii. Si dicat irrationabiliter, sicut semper potest dicere, jam injustè rejicit, & ideò hoc ipso Pontifex eos approbat, & concedit jurisdictionem similem illi, quæ à jure conceditur Parochis.

216. Injustè rejectus non accipit majorem jurisdictionem à Pontifice, quàm habeat Parochus.

Sic enim ait Pontifex: *Per huiusmodi autem concessionem nequaquam intendimus personis seu Fratribus ipsis, ad id taliter deputatis, potestatem in hoc impendere ampliorem, quàm in eo Curatis vel Parochialibus Sacerdotibus est à iure concessa: nisi forsan eis Ecclesiarum Prælati uberiorem in hac parte gratiam specialiter ducerent faciendam.*

Ubi Glossa verb. *Concessa: Hoc*, inquit, *intendit, quòd in casibus Episcopis reservatis non possunt absolvere.* Et infrà: *Sit ergo sensus, quòd non absolvat Frater, quem non absolvit Curatus.* Per consequens, quòd absolvat Frater, quem absolvit Curatus.

Sicut ergo, si Papa concederet mihi beneficium parochiale sub hac conditione: *Si Episcopus invenerit per examen, me esse sufficientem & idoneum*, statim ac inventus fuero idoneus ab Episcopo, collatum est mihi beneficium, non ab Episcopo, sed à Papa, & possum absolvere meos subditos, estò Episcopus injustè nolit me approbare; quidni similiter Regulares, qui sunt Parochi delegati à Summo Pontifice, quidni, inquam, possint absolvere hoc ipso quòd inveniuntur idonei, estò Episcopus injustè neget approbationem?

217. FF. Min. & Prædic. sunt Parochi delegati à Sum. Pontifice.

Quòd autem sint Parochi delegati à Summo Pontifice, patet ex Clement. ibi: *Sic eos* (FF. Prædic. & Minor.) *in prædicationis officio & propositionibus Verbi Dei, ac in omnibus aliis supradictis tamquam cooperatores eorum idoneos & laborum suorum participes, promptâ benignitate recipiant, ac affectuosè admittere non omittant, ut proinde illis æternæ beatitudinis præmium augeatur, & animarum salutis incrementa felicia procurentur.* Alloquitur Pontifex universos Ecclesiarum Prælatos cujuscumque eminentiæ, statûs, vel dignitatis existant, ac Sacerdotes parochiales & Curatos sive Rectores.

Præsentatio, de qua in Clement. non est necessaria ad accipiendam jurisdictionem

Cæterùm præsentationem, de qua in Clement. non fuisse necessariam ad accipiendam ab Episcopo jurisdictionem, colligi videtur ex verbis suprà relatis: *Nisi forsan eis Ecclesiarum Prælati* &c. Ergo non loquitur de solis Fratribus, à Prælatis Ecclesiarum injustè rejectis; quomodo enim eis specialem gratiam ducerent faciendam, qui nequidem communem gratiam volunt facere? Ergo loquitur Pontifex de omnibus etiam gratiosè à Prælatis admissis, illisque ipse concedit potestatem jurisdictionis, quæ à jure concessa est Parochis. ab Episcopo.

Quàmvis ergo tunc temporis nondum esset generaliter necessaria approbatio Episcopi, etiam pro illis, qui immediatè habebant potestatem à Pontifice, v. g. qui eligebantur per Bullam Iubilæi aut Cruciatæ; equidem necessariam fuisse pro Regularibus, ad accipiendam generalem jurisdictionem immediatè à Pontifice vi istius Clement. patet ex ejus verbis. 218. Tempore Clementi. erat necessaria approbatio FF. Minor. & Prædic.

Hâc quippe ratione voluit Concilium sopire discordias, quæ erant inter Episcopos ex una, & FF. Prædic. & Min. ex altera partibus, his scilicet dando immediatè jurisdictionem, sic tamen ùt necessariò deberent se præsentare Episcopis, & ab ipsis approbari; interim cum hac limitatione, ut si injustè rejicerentur, eo ipso censerentur approbati, & possent uti jurisdictione, sibi à Pontifice concessâ.

Profectò vel ex hac ipsa controversia seu discordia inter Episcopos & Fratres prædictos, liquidò probatur, ante Clement. prædictos Fratres habuisse jurisdictionem absolvendi immediatè à Pontifice: si enim eam debebant accipere ab Episcopo, non poterat esse ulla quæstio inter ipsos, cùm Episcopus non teneretur ipsis dare jurisdictionem magis, quàm aliis Sacerdotibus. 219. Ante Clement. Fratres illi habebant jurisdictionem immediatè à Pontifice.

Confirmatur ex Privilegio Nicol. IV. quo *Concessit Fratribus Minoribus Observantiæ auctoritatem audiendi in Confessionibus omnes quarumcumque Diœcesum, & in illis extraneos & forenses absolvendi, etiam à casibus, quos Diœcesani locorum, in quibus Fratres ad hoc deputati fuerint, duxerint committendos.* Ita habetur in Monum. Ord. in 1. impress. fol. 3b. & in 2. fol. 114. conc. 240. & in Supplem. fol. 59. conc 159. Porrò Nicolaus præcessit Clement. V. annis 12. aut 13. Ergo ante Clementinam FF. Min. habebant jurisdictionem absolvendi immediatè à Pontifice. Confirmatur ex privilegio Nic. IV.

Idem colligitur ex Extravag. *Inter cunctas* ibi: *Electi igitur ab iisdem Fratribus ad audiendas Confessiones & pœnitentias iniungendas, liberè auctoritate Apostolicâ absque licentia Diœcesanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum exemptorum & non exemptorum, quibus subsunt, qui ad confitendum accedunt, audiant eos, peccata sua confiteri volentes* &c. *absolvant iisq; pœnitentias salutares iniungant.* 220. Idem colligitur ex Extravag.

Et infrà: *Vt autem Diœcesanis honor debitus reservetur, præcipimus, ut Provinciales, Priores Prædicatorum, & Ministri Minorum Ord. præfatorum, per se vel alios verbo vel scripto eis significent, se Fratres ad huiusmodi Confessionum audiendarum & pœnitentiarum iniungendarum, officium elegisse, & non nominando, aut coram ipsis sistendo eos, nec*

nec illorum numerum exprimendo, petant humiliter à Diœcesanis eisdem, quòd iidem electi Fratres de ipsorum beneplacito & licentia dictum possint in eorum civitatibus & Diœcesibus intra eis determinatos fines officium exercere. Quòd si denegent, vel intrà triduum non concedant, ex tunc iidem Fratres nihilominus auctoritate eâdem huiusmodi officium exequantur. Datam verò licentiam per Diœcesanorum mortem nolumus terminari. Per hoc autem non intendimus quòd sæpedicti Fratres, qui ad hoc eligentur officium exercendum, plus habeant in audiendis Confessionibus & pœnitentiis iniungendis, quàm Parochiales Sacerdotes noscuntur habere. Sicq; de casibus Episcopis & Superioribus, quos inferius annotamus, ac Sedi Apostolicæ reservatis, se nullatenus intromittant. Hucusque Benedictus XI. prædecessor Clement. V.

221. Tempore Bened. XI. approbatio tantùm erat signum debiti honoris

Ergo tunc temporis per illam licentiam seu approbationem Episcopi, non fuit data jurisdictio, sed erat dumtaxat aliqua ceremonia seu signum debiti honoris & respectûs. Quidni idem dicamus de licentia seu approbatione, quæ requiritur in Clement. *Dudum*? Quàmvis enim revocet hanc Extravag. addendo aliquas particulas, restringentes potestatem seu jurisdictionem datam per eam, equidem nullam continet particulam, quæ cogat per licentiam intelligere jurisdictionem.

Et sanè si Pontifex Clemens V. voluerit supplere jurisdictionem injustè negatam, quo fundamento dixerit aliquis, noluisse supplere approbationem injustè negatam? Non est credibile Concil. Generale voluisse favere injustitiæ Episcoporum. Ita respondent Adversarii ad argumenta Dianæ.

222. Probatur Conclusio ex Decreto Alex. VII.

Sed non propterea recedendum à Conclusione, quæ affirmat Regulares in casu proposito invalidè absolvere, eò quòd Alex. VII. die 24. Septemb. an. 1666. damnaverit ac prohibuerit ad minùs tanquam scandalosam hanc propositionem: *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo iniustè reprobato.* Satisfaceret autem, si Regularis tali casu validè absolveret, ùt patet ex alibi dictis.

Neque solus Diana docet nostram Conclusionem, sed etiam Suarius, Regius, Lugo, & Alii, quos Diana sup. part. 8. Resol. 85. citat, estque communior sententia Doctorum.

223. Requisita ad hoc, ut Regulares accipiant jurisdictionem à Pontifice. Suarez. Sylvester.

Et quidem Suarez Disp. 28. Sect. 5. n. 12. & seqq. sic ait: Advertendum est, duo fuisse à Pontif. requisita: Primum, petitio licentiæ ad eligendos Confessores: Secundum, præsentatio eorum, quæ in rigore significat personalem præsentiam. Ex quibus Sylvester verb. *Confessor* 2. q. 1. dicit, primum non fuisse necessarium simpliciter; sed ex quadam urbanitate: secundum verò fuisse ita necessarium, ut sinè illo non possent isti Religiosi gaudere privilegiis Pontificiis. Navarrus autem c. 27. n. 294. (aliàs n. 264.) dixit utrumque esse necessarium, quia Pontifex eodem tenore utrumque postulat.

Navar.

Unde Armilla verb. *Absolutio* n. 24. dicit, si Religiosi non servent hanc solemnitatem, sed simpliciter petant ab Episcopo licentiam audiendi Confessiones, posse quidem ab ipso Episcopo recipere jurisdictionem, non tamen per privilegia Pontificia, nisi tacitè vel expressè intelligatur Episcopum cedere jure suo, & esse contentum. Hactenus de jure usque ad Trident. Ita Suarez. *Armilla.*

Si autem à me quæritur, an adhuc obliget illa forma præsentationis. Respondeo; petitionem licentiæ ad eligendos Confessores consuetudine esse abrogatam; cùm Superiores non soleant ampliùs petere licentiam eligendi, sed tantummodò jam electos præsentare Episcopo (aliquando etiam solùm per litteras, ùt scio abhinc paucis annis aliquos præsentatos fuisse Episcopo Gandensi, & ab eo approbatos) ab eo examinandos & approbandos. 224. An adhuc illa obligent.

Immo Suarez suprà n. 15. existimat quacumque ratione Episcopi contenti sint, & Religiosos approbent, illis satis esse, ut privilegiis suis utantur; nam, inquit, si in restrictione suprà dicta (id est, necessitate approbationis) Concilium addidit aliquid priori juri (scilicet non sufficere approbationem injustè negatam) cur non in ampliatione? Præsertim cum Concilium ipsum hoc expressè relinquat voluntati Episcoporum, & verisimile non sit, nunc plus requiri in Sacerdotibus Regularibus, quàm à sæcularibus postuletur. Hæc ille. Sententia Suarii.

Responderi posset: quàmvis nunc nihil plus requiratur in Sacerdotibus Regularibus, quàm sæcularibus ad accipiendam jurisdictionem ab Episcopo, vel à Pontifice per Bullam Iubilæi vel Cruciatæ; equidem plus videtur requiri; scilicet præsentatio sui Superioris, ad accipiendam jurisdictonem universalem, immediatè à Pontifice, juxta alibi dicta.

Cæterùm, ut ad principalem controversiam veniamus, Suarius suprà n. 13. sic ait: Sed hæc sententia (Navarri) nec vera, nec practicè probabilis mihi videtur. Primò; quia illa exceptio repugnat expressè illis verbis Concilii: *Nullus Sacerdos sæcularis vel Regularis.* Ubi primùm eos in hoc æquiparat. Deinde rogo, an Concilium aliquid novum statuat circa Regulares, nec ne: si nihil, cur eos nominat? Et si aliquid, ergo & aliquid addit iis, quæ anteà statuta erant; & id quod denuò statuit, vult ad Regulares extendi: statuit autem, ut requiratur approbatio obtenta; ergo vult hanc etiam Regularibus esse necessariam, & hoc addit antiquiori juri. Ita Suarez. 225. Ratio quare Suarez existimet sententiam Navarri nec veram, nec practicè probabilem esse,

Respondent Adversarii: præterquam quòd illa verba: *Nullus Sacerdos sæcularis vel Regularis* non sint genuina, sed hæc: *Nullum* (Sacerdotem) *etiam Regularem*; sufficit ad veritatem eorum, quòd Regularis non possit audire Confessiones, ex justa causa ab Episcopo rejectus vel reprobatus, sicut ante Trident. 226. Responsio Adversariorum.

poterat audire, quando ad accipiendam jurisdictionem, v. g. à Parocho, nulla approbatio nec sæculari Sacerdoti, nec Regulari erat necessaria.

Æquiparatio ergo non debet esse universalis seu in omnibus, quando ex alia lege universali disparatio oritur, ùt contendimus hìc oriri. Ex quo patet Concilium aliquid novi hìc statuere circa Regulares. Et dato, quòd nihil novi statueret circa Regulares, idcirco eos nominat, ne videatur velle derogare Clement. *Dudum*, & dare licentiam Regularibus audiendi Confessiones absque ulla approbatione Episcopi, etiam petita.

Rodriguez putat Trid. confirmare Clement.

Vnde putat Rodrig. tom. 1. qq. Regul. q. 59. a. 3. Concil. Trident. hìc approbare seu confirmare Clement. Non enim, inquit ille, video Clementinam quoad hoc aliùd determinare, quàm Concil. Solùm enim addit, quòd Episcopo nolente pertinaciter sinè causa Fratres Minores & Prædicatores approbare, habeantur pro præsentatis. Hæc ille. Per consequens pro approbatis. Adeòque secundùm illum Auctorem Concil. Trident. nihil addit Clementinæ, sed econtrà Clementina aliquid addit Trident. Ita Adversarii.

227. Prima objectio.

Sed contrà; Tridentinum est lex Pontificia posterior; ergo addit aliquid priori legi, & corrigit illam, etiamsi in jure contineatur, & nulla fiat expressa illius mentio, quando verba posterioris legis hoc requirunt; argum. cap. 1. de Constit. in 6. ibi: *Licet Romanus Pontifex (qui iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) Constitutionem condendo posteriorem, priorem, quàmvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur* &c.

Secunda.

Nec dici potest, inquit Suarius suprà n. 14. Concilium in illis verbis intelligendum esse de Regularibus, non habentibus privilegia: tum quia ferè nulli sunt hujusmodi, & ita dispositio Concilii fuisset nullius momenti: tum etiam, quia statim addit: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis* &c. Hæc ille.

228. Responsio ad secundam.

Respondent Adversarii: hæc verba: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis*, non inveniuntur in Concilio. Quæ ergo? *Privilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Ergo non obstantibus quibuscumque privilegiis, Negatur Conseq. quia potuit Concil. velle excludere quamcumque consuetudinem, etiam immemorabilem, sicuti à parte rei voluit, estò noluisset excludere quæcumque privilegia; quia non illa, quæ inseruntur in corpore juris, quæ propriè non vocantur privilegia, sed potiùs leges communes.

Dispositio Conc. Trid. secundùm Rodriguez spectat omnes Regul.

Unde tametsi dixisset: *Quibuscumque privilegiis*, equidem non revocasset Clementinam. Nec propterea dispositio Concilii nullius est momenti; quia secundùm Rodrig. comprehendit omnes Regulares, præter FF. Min. & Prædic. quos solos concernit Clement. *Dudum*, & ideo per illam derogatur Concil. Trid. juxta Reg. 34. de Reg. juris in 6. *Generi per speciem derogatur.* Cui consonat lex 80. ff. eodem: *In toto iure generi per speciem derogatur, & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.*

Latet prætor FF. Min. & Prædic. Reg. 34. de Reg. Juris in 6. l. 80. ff. eod.

Genus hoc loco, ùt & passim apud I. C. non accipitur pro genere logico seu dialectico, sed pro eo, quod plura singularia nomine suo complectitur, sive sit species logica, veluti homo, equus & similia; sive aliud æquè latè patens, ùt sunt vestis, triticum, pecunia numerata, rescriptum, mandatum. Species verò dicitur, quòd sub hoc genere tamquam individuum sive singulare continetur. Itaque de his dicitur: *Generi per speciem derogatur.*

Quid in iure sit genus, & quid species.

229. Objectio ex jure Civili quatenus genus derogetur speciei.

Ex quo fit, ut si uni penus legata sit, alteri vinum; quod ex penu legata vinum eximatur; cùm alioqui vinum sub penu tamquam sub genere suo contineatur, leg. 2. ff. de tritico, vino, &c. *Cùm alii penum, alii vinum legatum esset: excepto vino, omne penum ad alium legatarium pertinebit.*

L. 2. ff. de Tritico &c.

Item, si uni vestimenta, alteri vestis muliebris separatim sint legata; quod detractis muliebribus ab eo, cui specialiter ea legata sunt, reliquum alteri cedat; leg. 1. ff. de auro, argen. &c. *Si alii vestimenta, alii vestis muliebris separatim legata sit: detractis muliebribus, & ei adsignatis, cui specialiter legata sunt, reliquum alteri debetur.*

L. 1. ff. de Auro &c.

230. Idem obiter dimittitur ex jure Canonico c. 1. de Rescriptis.

Adde exempla ex jure Canonico cap. 1. de Rescriptis, ubì Privilegio generali, secundùm jus commune obtento, obstat rescriptum speciale, etiam de eo mentionem non faciens. *Quia (ùt dicitur in fine illius cap.) speciale mandatum derogat generali.*

Et cap. *Pastoralis* 14. eodem, speciales literæ derogant litteris generalibus super non specificatis in eis, quamquam de illis nullam faciant mentionem, ibi: *Nos igitur ad hæc dualiter respondemus, quòd (cum generali per speciale procul dubio derogetur) iurisdictio per generales litteras attributa, per speciales (quantùm ad ea, quæ specialiter exprimuntur) penitùs enervatur, licèt de prioribus non faciant mentionem.*

cap. 14. eod.

Idem dicitur cap. *Dudum.* 14. de Præbend. in 6. ibi: *Præsertim quòd secundùm canonicas & legitimas sanctiones per speciem generi derogatur, quamquam de genere in derogante specie mentio nulla fiat.* Et cap. *Quàmvis tibi* 38. eodem ibi: *Nam primæ generali gratiæ tibi factæ, derogat posteriori specialis, licèt de illa non fecerit mentionem.*

c. 14. de Præb. in 6.

cap. 38. eod.

231. Occurritur objectioni.

Nec obstat, quòd in casu nostro lex generalis, scilicet Constitutio Trident. quæ loquitur de omnibus Regularibus, sit posterior lege speciali, id est, Clement *Dudum*, quæ loquitur solùm de FF. Minor. & Prædic. quia, ùt notat Canisius in Reg. 34. Iuris sup. allegatam, non interest species præcedat, an subsequatur genus,

c. 40. de Rescriptis. genus, ùt patet ex cap. *Abbatem* 40. de Rescriptis. *Abbatem, qui mandatum Apostolicum iam recepit, ut S. Clerico in aliqua Ecclesiarum sui monasterii provideret, & per literas generales ad Diœcesanum Episcopum obtentas, ut in Diœcesi sua (ubi pro alio scriptum non esset) faceret provideri, cogi iuris ratio non permittit, nec super conferendis Ecclesiis aut beneficiis gravari, etiamsi facultatem habeat Diœcesanus per easdem literas providendi.*

Ubi Glossa verb. *Per literas generales. Hic*, inquit, *habes, quòd generale mandatum secundò impetratum, non derogat speciali primò impetrato.* Vide alia jura apud Canisium suprà.

l. 147. ff. de divers. Reg. juris. Licèt enim aliàs specialia generalibus inesse dicantur; argum. leg. 147. ff. de divers. Reg. juris. *Semper specialia generalibus insunt*; id tamen non tam ex dispositione loquentis, quàm vi verborum fit, quæ generaliter prolata, generaliter accipi solent; argum. leg. 1. ff. de legatis præst. §. *Generaliter*. & leg. 14. C. de Usufructu. At secùs est, ubi expressè species à genere eximitur, quo casu generi quoad speciem derogatur, & res in speciem dirigitur. Ita Canis. suprà.

l. 1. ff. de legat. l. 14. C. de Usufructu.

232. Objectio. Si dixeris; hæc omnia solùm probant, per speciem derogari generi, quando species est jus aliquod particulare, quod potuit ignorare, qui posteriorem condidit Constitutionem generalem, juxta illud quod habetur cap. 1. de Constit. in 6. ibi: *Quia tamen locorum specialium & personarum singularium consuetudines & statuta (cùm sint facti & in facto consistant) potest probabiliter ignorare: ipsis, dum tamen sint rationabilia, per Constitutionem à se noviter editam (nisi expressè caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare.* Iam autem Clement. *Dudum* tempore Trident. erat jus commune seu insertum in corpore juris; adeoque Pontifex non poterat eam probabiliter ignorare, & ideo per Constitutionem à se noviter editam intelligitur ei voluisse derogare, etsi expressam de ea mentionem non fecerit, juxta priorem partem istius juris suprà allegatam.

c. 1. de Const. in 6.

233. Responsio Rodriguez. Respondet Rodrig. sup. a. 2. priorem partem istius juris nullo modo generaliter esse intelligendam, ita quòd edente Principe aliquam legem negativam, deroget omnes affirmativas in eadem materia; magna enim in hoc absurda sequerentur. Primò enim hoc est contra mentem omnium Doctorum, quærentium, utrùm lex posterior deroget privilegia inserta in corpore juris, nullâ de his privilegiis factâ mentione. Præsupponunt enim, quòd dicta lex posterior absolutè promulgata non ea derogat. Certè si dicta Decretalis vellet dicere, quòd lex nova à Principe promulgata, derogat quidquid in ea materia à Principe est decretum, nescio ad quid supradicta quæstio à DD. excitatur. Hæc ille.

234. Contra Sed contrà; ideo excitatur illa quæstio, quia dubium est, quomodo illa Decretalis sit intelligenda, an generaliter, utì Aliqui volunt; an verò specialiter, salvis illis privilegiis; aliquin si illa generalis acceptio est tam absurda, ut ille Auctor prætendit, ad quid suprà dicta quæstio à DD. excitatur? quam arguit Auctor.

Secundum absurdum, inquit Rodriguez, est: nam si sic intelligeretur prædicta Decretalis, vana certè erit regula juris dicens: *Generi per speciem detrahitur.*

Sed contra; adhuc non erit vana; quia intelligetur de illa specie, quæ non continetur in corpore juris, & quam proinde Princeps probabiliter potuit ignorare. Hæc ergo responsio non satisfacit. 235. Alia responsio.

Hinc, aliam excogitavit idem Auctor, dicens cum Glossa in illud cap. priorem ejus partem intelligendam esse de legibus directè contrariis.

Notà, inquit Gloss. in exposit. casûs, *principalem effectum, ad quem emanavit præsens cap. quòd lex nova & posterior Principis tollit precedentem legem de directo contrariam, licèt in nova Constitutione non fiat mentio, quòd Princeps intendat revocare quascumque Constitutiones contrarias: quia non est verisimile, quòd Princeps voluerit legem istam novam esse frustratoriam: & esset frustratoria, nisi revocaret primam contrariam. Sed in statutis particularibus est alia ratio: quia si hæc lex nova non servatur in loco, ubi servatur statutum particulare: servabitur tamen in aliis locis, & sic non erit frustratoria.* Et infrà verb. *Licet Romanus*, sic ait: *Nova Constitutio Principis tollit primam contrariam, quamvis id non exprimat.*

Si autem aliquis interroget, quæ sit Constitutio contraria? Respondetur ex Glossa, quæ nisi revocaret primam, esset frustratoria. Non igitur secundùm jus dicuntur duæ leges contrariæ eo solo, quòd una sit affirmativa, & alia negativa circa eandem materiam; sed quando sunt incompatibiles, v. g. duæ leges generales: *Omnes Compatres possunt contrahere Matrimonium: Nulli Compatres possunt contrahere Matrimonium.* Nisi enim hæc lex posterior revocaret priorem, planè esset frustratoria. 236. Quæ censeatur Constitutio contraria.

De his ergo & similibus legibus omnino incompatibilibus loquitur præfata Decretalis; non verò de legibus simul compatibilibus, ùt sunt una specialis affirmativa, v. g. *Filii nobilium possunt portare arma sinè eo, quòd ab aliquo ministro iustitiæ possint ab his spoliari.* Et altera universalis negativa, v. g. *Nemo sub pœna decem ducatorum arma portet.*

Quæro, inquit Rodrig. suprà, utrùm filii nobilium arma portantes, virtute dictæ legis specialis, incidant in pœnam legis generalis posterioris? Respondetur ab Omnibus, quòd non; cùm ista lex posterior sit generalis, & prima specialis, & generi detrahitur per speciem. 237. Exempla, in quibus generi derogatur per speciem.

Aliud exemplum proponitur à Glossa in dictam Regulam: *Generi per speciem derogatur.*

Ponamus quòd à Principe emanavit aliqua lex, per quam generaliter imponitur pœna omnibus contrafacientibus, vel contrafacientes puniuntur ad arbitrium Iudicis: aliquis fecit contra aliquam legem antiquam, quæ habet specialem pœnam: utrum illa nova pœna, quæ imponitur per legem novam, extendatur ad legem antiquam, quæ habet specialem pœnam? Respondetur quòd non, quia quis duplici pœnâ puniretur. Item quia generi per speciem derogatur, & ideo delinquens incurrit pœnam specialem & non generalem.

238. Clement. *Dudum*, est compatibilis cum Decreto Conc. Trident.

Nunc ad propositum nostrum: Canon Conc. Trident. est lex negativa generalis, siquidem ait, quòd nullus Regularis audiat Confessiones sæcularium, nisi obtentâ approbatione ab Episcopo: at verò Clement. *Dudum.* est lex specialis affirmativa, loquens solùm de duabus Religionibus, scilicet Minorum & Prædicatorum; ergo utraque compatibiliter concurrere potest sinè eo, quòd una per alteram derogetur aut annulletur. Bene enim compatitur, quòd nullus Regularis audiat Confessiones sæcularium, nisi per examen sit ab Episcopis approbatus, & quòd Regulares Ordinum Prædicatorum & Minorum possint audire, quando injustè ab Episcopis rejiciuntur.

Quamquam & tunc non audiant sinè approbatione Episcopi, id est, Pontificis Romani, qui est Ordinarius omnium locorum & omnium fidelium. Manet ergo Decretum Conc. generale; quia nulla regula est tam generalis, quin patiatur, aut saltem pati possit aliquam exceptionem.

Sed contrà: Navarrus, & alii Adversarii nostri, generaliter docent, omnes Regulares in casu proposito posse validè absolvere; ergo nec hæc responsio eos quidquam juvat. Atque hæc satis de secundo argumento Suarii.

239. Tertium argumentum Suarii.

Argumentatur III. Pius V. in Motu proprio 38. anni 1567. qui incipit: *Etsi mendicantium*, concessit his Religiosis, præsertim Theologiæ Magistris, ùt speciale privilegium, quòd sinè approbatione Episcopi possent audire Confessiones, non revocando Clement. *Dudum*, sed solùm Concil. Trident. ergo intellexit ex vi illius necessariam esse Regularibus hanc approbationem. Unde anno 1571. in 44. Motu proprio, qui incipit: *Romani Pontificis*, revocavit priorem Motum, & apertè docuit, etiam Magistros Theologiæ Regulares indigere hâc approbatione. Quod postea confirmavit Greg. XIII. a. 72. Motu proprio 15. qui incipit: *In tanta*, & reduxit ad formam Concilii; ergo clarè supponunt hi Pontifices hanc legem Concilii comprehendere Regulares omnes. Hæc ille.

Prima responsio rejicitur.

Si dixeris; comprehendere Regulares omnes, præter FF. Prædic. & Min. Contra facit; quòd Navarrus & alii Adversarii nostri doceant, nullum Regularem comprehendere.

240. Secunda.

Hinc aliter respondent Adversarii: Pium V. non revocasse Conc. Trident. sed illud declarasse; ùt patet ex illis verbis §. 1. *Nos igitur Motu proprio, non ad alicujus instantiam, sed de mera deliberatione & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, Can sess. 24. c. 4. per quem omnibus Regularibus, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, contradicente Episcopo, prædicationis officium interdicitur, Mendicantium Ordinum Fratres hujusmodi, quando à suis Generalibus vel eorum Ministris Provincialibus ad id deputati fuerint, non comprehendere &c.*

Quod verò (prosequitur §. 2.) *in sess. 23. c. 15. circa Confessiones à Regularibus non audiendas statuitur, hoc etiam* (declaramus, quòd) *dictorum Ordinum Fratres, à præfatis suis Generalibus vel Ministris Provincialibus ad audiendas Confessiones utriusque sexûs Christi fidelium approbatos, ut præmittitur, minimè comprehendat, ita ut* (quod plus est, quia de illo non agitur in cap. citato) *à Confessionibus audiendis tam intrà eorum Ecclesias, domos, quàm extra minimè prohibeantur &c.*

Rogas; quare ergo statuat §. 3. quòd Lectores ex eisdem Fratribus, & in Theologia Graduati, minimè examinentur ab Episcopis? Respondet Chassaing de Privil. Reg. tract. 5. c. 2. prop. 1. Pium V. supposuisse ex Conc. Later. sub Leone X. celebrato sess. 11. examen Regularis ab Episcopo fieri posse. Interim propter abusus exortos de novo statuit Pius V. Bullâ: *Romani Pontificis*, servandum Decretum Concil. Trident. de approbatione Regularium, etiam in omnibus Regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, etiam sub regulari disciplina viventibus, etiamsi sint Lectores &c. estò ipsum Conc. Trident. illos non comprehendat. Hæc ille. Chassaing.

Sed gratis, ùt patet. Quis enim ei revelavit, Pium V. supposuisse, examen Regularis ab Episcopo fieri posse, supposuisse, inquam, potiùs ex Conc. Laetan. quàm ex Conc. Trid? Nonne & hoc Conc. concedit Episcopo examen Regularis? Nihil clarius. Cur ergo Pius V. supposuit, examen fieri posse, potiùs ex uno Concilio, quàm ex alio?

241. Quarum argumentum Suarii.

Restat adhuc unum argumentum Suarii: Si sententia Navarri vera esset, etiamsi Episcopi justè non admitterent hujusmodi Religiosos, non obstaret, & si vellent illos examinare, non haberent jus; quia ex vi Extravag. *Super Cathedram*, & Clement. *Dudum*, examen & judicium horum Regularium suis Superioribus concessum erat, & solùm requirebatur exterior præsentatio; nec Episcopi poterant prætendere aliquam causam ad non admittendos illos: ergo si Conc. Trident. in nulla re derogavit illa privilegia, apertè sequuntur, quæ intulimus, quæ tamen absurdissima sunt, & quæ nec ipse Navarrus concedet. Ita Suarius.

Responsio

Sed hoc argumentum, meo judicio, parvi est momenti; nam suprà ostendimus, Episcopos vi Clement. ex justa causa posse rejicere præ-

præsentatos, non solùm unum, sed etiam omnes, etiam subrogatum, & per consequens posse velle eos examinare, præsertim, quando justa ratio subest dubitandi de eorum capacitate. Quod etiam examen Leo X. expressissimè eis commisit, ùt patet ex verbis suprà allegatis. Neque de eo hìc disputamus, sed, an Regulares qui injustè rejiciuntur, hoc ipso censeantur à summo Pontifice approbati; quod Conclusio nostra negat, contra Navarrum & Alios plures suprà allegatos, qui si adhùc viverent, & viderent Decretum Alex. 7. de quo suprà, vix dubito, quin sententiam suam retractarent.

Hìc ergo sit finis admodum molestæ & odiosæ quæstionis, quam sequitur alia molestissima, & non minùs odiosa, de reservatione casuum, & Absolutione à casibus reservatis.

SECTIO QVARTA.

De Reservatione Casuum.

1. Quid sit reservatio casuum.

Reservatio casuum non est aliud, quàm ablatio seu non concessio jurisdictionis ad absolvendum ab aliquo vel aliquibus particularibus peccatis, concessâ seu non ablatâ jurisdictione absolvendi à cæteris. Hanc reservationem negant illi & irrident, qui negant & irrident potestatem absolvendi à peccatis in foro interiori seu sacramentali. Tales sunt hæretici nostri temporis, quos Conc. Trident. damnat sess. 14. can. 11. sequentis tenoris: *Si quis dixerit, Episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quò minùs Sacerdos à reservatis verè absolvat, anathema sit.* Dico itaque primo:

Damnantur à Trid. Hæretici, negantes in Ecclesia potestatem reservandi peccata.

CONCLUSIO I.

Datur in Ecclesia potestas reservandi casus, ita ut inferiores Sacerdotes non possint validè ab illis absolvere, extra articulum mortis. Competit Pontifici respectu Episcoporum, & Episcopis respectu Parochorum, aliisque Prælatis habentibus similem jurisdictionem respectu subditorum.

2. In Ecclesia est potestas reservandi peccata. Trident.

De prima parte Conclus. non est relictus dubitandi locus propter Conc. Trident. sess. 14. can. 11. mox recitato, & cap. 7. ibi: *Magnopere verò ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur.* Et infrà: *Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinâ auctoritati, non tantùm in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen piè admodum, ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis.* Quis ergo adhuc dubitet de hâc veritate? Catholicè nemo dubitare potest.

Interim probatur ex antiquissimo usu Ecclesiæ, cujus meminit Cyprianus Epist. 12. (aliàs lib. 3. Epist. 16.) quæ incipit: *Ingemiscere.* Et Epist. 13. (aliàs lib. 3. Epist. 17.) quæ incipit: *Miror*; meminit, inquam, sed, ùt verum fatear, satis obscurè, ùt patebit legenti. Epist. 12. sic ait: *Nam cùm in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur iusto tempore, & exomologesis fiat inspectâ vitâ eius, qui agit pœnitentiam, nec ad communionem venire quis possit, nisi priùs illi ab Episcopo & Clero manus fuerit imposita, quantò magis in his gravissimis & extremis delictis cautè omnia & moderatè secundum disciplinam Domini observari oportet.*

3. Probatur ex antiquissimo usu Ecclesiæ, cujus meminit Cyprianus.

Et infrà: *Audiant quæso patienter consilium nostrum* (Presbyteri & Diaconi) *expectent regressionem nostram, ut cùm ad vos per Dei misericordiam venerimus, convocati coëpiscopi plures, secundùm Domini disciplinam, & Confessorum præsentiam, Beatorum Martyrum literas & desideria examinare possimus.*

Similia scribit Epist. 13. dicens: *Quoniam video facultatem veniendi ad vos nondum esse, & iam æstatem cœpisse, quod tempus infirmitatibus assiduis & gravibus infestat, occurrendum puto Fratribus nostris, ut qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogativâ eorum apud Deum adiuvari possunt, si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectatâ præsentiâ nostrâ, apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam impositâ, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt.* Hactenus Cyprianus.

Confe-

4. Item Conc. Carth. 3.

Consonat Carthag. 3. cap. 32. *Ut Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente.* Et alia Concilia antiqua similiter loquuntur: sed, ùt sup. dixi de S. Cypriano, parùm obscurè, cùm non satìs constet, an loquantur de Absolutione sacramentali; immo satìs constat, quòd interdum loquantur de pœnitentia publica: tamen verisimile est, inquit Suarez disp. 29. sect. 1. n. 2. quando pœnitentia erat reservata, etiam Absolutionem à culpa fuisse reservatam.

Suarez.

Quando olim pœnitentia erat reservata, etiam Absolutio à culpa fuit reservata, ùt colligitur ex Extrav. *Inter cunctas.*

Colligitur ex Benedict. XI. Extravag. *Inter cunctas* de Privilegiis, ibi: *Sicq; de casibus Episcopis & Superioribus, quos inferiùs annotamus, ac Sedi Apostolicæ reservatis, se nullatenus intromittant. Observent ergo sollicitè dicti Fratres, ne ad Confessiones recipiant criminosos criminibus, pro quibus solemnis est pœnitentia indicenda. Modo eodem excommunicatos respuant, & Clericos qui propter delictum irregularitatem aliquam incurrerunt. Inconveniens enim existimamus, ut à peccato absolvat, qui pœnitentiam ei debitam imponere, aut irregularitatis pœnam, peccati sequelam, vel excommunicationem, quæ infligitur maximè à iure quandoq; pro crimine, quæve quem ab Ecclesia, & per consequens à participatione Ecclesiasticorum Sacramentorũ excludit, removere non potest.* Quid clarius dici poterat?

5. Item ex Extravag. *Etsi Dominici.*

Eandem veritatem docet Sixtus IV. Extravag. *Etsi Dominici* 5. de Pœnit. & remiss. ibi: *Et si Aliqui Confessorum prædictorum contra præsentem Constitutionem quemquam absolvere.... attentaverint, Absolutio..... huiusmodi nullius sit roboris vel momenti. Et contra facientes eo ipso excommunicationis sententiam incurrant, à qua (nisi in mortis articulo constituti) ab alio, quàm à Rom. Pontif. absolvi non possint.*

& cap. 2. de Pœnit. & remiss. in 6.

Accedat testimonium Bonif. VIII. cap. 2. de pœnit. & remiss. in 6. *Si Episcopus*, inquit, *suo subdito concesserit, ut sibi posit idoneum eligere Confessorem: ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitus potestatem.*

6. Aliisque juribus.

Omitto Clement. 1. de Privil. cap. *Si quis suadente* 17. q. 4. & similia multa jura, in quibus absolutio à pœna excommunicationis, per consequens à peccato, propter quod illa pœna infligitur, reservatur Summo Pontifici. Vide

Waldensis.

Waldensem to. 2. de Sacram. c. 149. ubi diffusè probat veritatem Catholicam contra Wiclef; cujus fundamentum erat, quòd reservatio sit contra charitatem proximi.

Reservatio casuum non est contra Charitatem proximi contra Wiclef.

Frivolum profectò fundamentum & minus solidum, ad imponendam molem tanti ædificii, ad negandam (inquam) Ecclesiæ, potestatem reservandi casus; quippe reservatio casuum, teste Trident. suprà c. 7. *magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est. Unde meritò* (prosequitur Conc.) *Pontifices Max. pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores, suo potuerunt peculiari iudicio reservare;* veluti rem aliquam non contra charitatem proximi, sed planè necessariam pro bono communi, nec non privato bono singulorum fidelium, qui illâ reservatione coërcentur quasi freno quodam à gravioribus peccatis, & à Prælatis meliùs corriguntur & ad emendationem juvantur.

Probatur potestas reservandi sua à jure.

Ratio à priori est; quia in hoc Sacramento requiritur jurisdictio, quam inferior accipere debet à Superiore. Poterit igitur Superior, sicuti nullam concedere jurisdictionem, ita eam limitare ad certos casus, prout visum fuerit expedire saluti animarum.

7. Objectio.

Nec dixeris; in hoc Sacramento debent pœnitentes omnia peccata confiteri, & ab omnibus simul absolvi. Respondetur quippe, dum alia peccata adjunguntur casibus reservatis, minister per se loquendo debet cessare ab usu jurisdictionis, etiam circa peccata non reservata; totum namque hoc includitur in reservatione: sin autem per accidens aliquando possit absolvere à non reservatis, neq; tali casu unum peccatum absolvetur sinè alio, saltem indirectè, quod sufficit; cùm integritas materialis Confessionis, id est, Absolutio directa omnium prorsus peccatorum, in multis casibus non obliget, ùt patet ex dictis proprio loco.

Sed cùm hæc satìs constent, id est, cùm omnes Catholici agnoscant in Ecclesia Dei potestatem reservandi casus; equidem nonnulla controversia inter ipsos exstitit de secunda parte Conclus. id est, de iis, quibus competit hæc potestas.

8. Potestas reservandi casus competit Summo Pontifici & aliis Episcopis.

Atque in primis clarum est, eam competere Summis Sacerdotibus. Patet ex verbis Trid. suprà relatis ex sess. 14. c. 7. Præterea Episcopis, ùt eodem cap. significatur hisce verbis: *Neque dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos traditâ supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est.* Quidni idem liceat per se loquendo aliis Prælatis tam sæcularibus, quàm Regularibus, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem? Nam & illis in subditos tradita est auctoritas supra reliquos inferiores Sacerdotes.

Ac Prælatis qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem.

Quæris quæ sit illa auctoritas? Respondeo; auctoritas concedendi jurisdictionem, sinè qua Absolutio nullius est momenti, ùt docet Trident. suprà c. 7. in principio. Proinde etiam Parochus videtur posse reservare casus respectu ejus, cui delegat suam potestatem; cùm enim hi non habeant jus aliquod ad illam delegationem, sicut hæc potest omnino non fieri, ita etiam videtur posse fieri solùm ex parte pro beneplacito delegantis.

Immo etiam Parochis;

Interim non solent Parochi reservare casus, quamvis id

quia,

non soleant eâ potestate uti. Suarez.

quia, ùt notat Suarez sup. n. 4. vel non audent tantâ auctoritate uti, vel ordinariè non expedit, quia tam idonei censentur coadjutores sicut ipsi. Accedit, quòd ordinariè illa reservatio foret inutilis, cùm ferè omnes accipiant jurisdictionem vel à Pontifice, vel ab Episcopo, de quorum licentia possunt absolvere à reservatis per Parochum, prout etiam de licentia Pontificis à reservatis per Episcopum; porrò ad absolvendum à peccatis reservatis per Papam, requiritur licentia ipsius Papæ, ùt latiùs Sect. sequenti.

9. Proponitur aliqua difficultas contra jam dicta.

Quod hìc posset movere aliquam difficultatem est, quòd Parochus non accipiat suam jurisdictionem immediatè ab Episcopo, sed à Pontifice; similiter Confessarii Regularium non habent suam jurisdictionem ab Episcopo, vel suis Superioribus, sed à Summo Pontifice; ergo hic solus poterit respectu eorum reservare casus, non autem Episcopus vel Prælatus Regularis. Et quàmvis aliqui Parochi dependeant ab Episcopo in fieri, utpote qui ab illo accipiunt beneficium Parochiale (ratione cujus à jure communi accipiunt jurisdictionem) attamen non in conservari, cùm tale beneficium, semel collatum, nequeat sinè gravissima causa ab eis auferri.

Responsio Suarii.

Ad hanc difficultatem respondet Suarez sup. n. 6. Episcopos habere hanc potestatem à Summo Pontifice. Itaque licèt distributio seu divisio Parochiarum, & jurisdictio ordinaria Parochorum sit ex institutione Summorum Pontificum, tamen ex eadem institutione manavit, ut Parochi in hoc essent quasi dependentes ab Episcopis, & illis subordinati: quia ad conveniens Ecclesiæ regimen id expediebat. Hæc ille, cum Vasquez q. 91. a. 3. dub. 1. n. 10. & Navar. in Sum. c. 27. n. 263.

10. Oppugnatur à Lugone.

Sed hæc responsio non videtur mihi (inquit Lugo Disput. 20. n. 4.) satis juxta mentem Trident. sic enim ait sess. 14. c. 7. *Neque dubitandum est* &c. vide suprà. Ubi Concil. potestatem reservandi peccata, videtur in jure potiùs fundare divino, ùt constat ex illis verbis: *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt*; & ex illis: *Pro data illis in subditos potestate.*

Episcopi potestas reservandi fundatur directè in jure divino, indirectè in voluntate Pontificis juxta Lugonem.

Ideo ipse n. 5. ait, fundari directè hanc Episcopi potestatem in jure divino, indirectè verò in voluntate Pontificis: ex institutione enim divina est, quòd sint Episcopi, qui potestatem habeant in suos subditos, & qui eos debeant pascere per se, vel per alios, quibus id munus possunt committere plùs vel minùs, prout visum fuerit. Quia tamen Summus Pontifex, ùt Supremus Pastor, debebat etiam Episcopos dirigere, & eorum ovibus providere, ideo ipse instituit Parochiarum divisiones, & voluit Parochos perpetuò durare in suo munere, & curam habere immediatam de suis parochianis, & habere potestatem in illos, sicut haberent ii, quibus Episcopi id committerent.

Unde non est dubium, quin, si Pontifex dedisset hanc potestatem Parochis absolutam, sicut eam dat Religiosis, quòd Episcopi non possent eam limitare per casuum reservationem. Cæterùm quia Pontifex noluit ita eximere Parochos à subordinatione Episcopis debita; reliquit eos sicut essent, si fuissent meri Vicarii ab Episcopo constituti. Hæc ille.

11. Sententia Auctoris.

Si autem quæratur, quid ego sentiam? Respon. parùm curandum de nomine, quando constat de re. Constat Episcopos habere potestatem reservandi casus, sive dixeris eam habere directè à Pontifice, sive indirectè, parùm refert. Ego dico, Episcopos nullam habere jurisdictionem immediatè à Deo, sed omnem suam jurisdictionem habere immediatè à Pontifice; per consequens cùm reservatio casuum sit actus jurisdictionis, dico Episcopos potestatem reservandi casus habere immediatè à Pontifice, mediatè autem à Deo, qui voluit, quòd in Ecclesia instituerentur Episcopi, cum proportionatâ jurisdictione seu potestate pascendi subditos suos per se vel alios. Potuissent autem pascere, tametsi non habuissent potestatem reservandi casus respectu Parochorum, cùm ipse Pontifex per se possit reservare casus, non tantùm respectu Parochorum, sed etiam Episcoporum.

Quòd Episcopus respectu Parochi possit reservare casus, oriatur immediatè à voluntate Pontificis.

Quòd ergo de facto possint reservare casus respectu Parochorum, immediatè (quidni etiam directè?) provenit à voluntate Pontificis, qui à Deo accepit potestatem dandi & limitandi & auferendi jurisdictionem Episcoporum, & consimiliter aliorum Prælatorum tam sæcularium, quàm Regularium: ergo sic potuit dare potestatem jurisdictionis Parochis & Confessoribus Regularium, ut tamen eam possent limitare Episcopi, & alii Prælati reservando sibi aliquos casus.

12. Prælatos Regulares posse reservare casus, probatur ex Decreto Clem. VIII.

Porrò fecisse quod potuit facere, satis probatur ex communi usu Episcoporum & aliorum Prælatorum, à Pontificibus approbato, ùt de Episcopis patet ex Trident. & aliis juribus suprà allegatis. De Prælatis autem Regularibus ex Decreto Clement. VIII. quod incipit: *Sanctissimus Dominus noster*, & habetur apud Cherubinum inter Constitutiones Urbanianas fol. 67. in quo Pontifex præcipit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum Absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quæ ibidem præscribuntur. Ergo supponit Pontifex & approbat reservationes aliquorum casuum, factas vel faciendas à Superioribus Regularium, de quibus infrà.

Nunc sufficiat, tam Episcopos, quàm Prælatos Regulares habere potestatem reservandi casus, etiam respectu eorum, qui ab ipso Pontifice accipiunt suam jurisdictionem (ita exigente debito ordine, & subordinatione ministrorum Ecclesiæ) nisi Pontifex aliud expresè declaret, eximendo aliquos à jurisdictione Episcoporum vel Prælatorum Regula-

rium, & sibiipsi soli immediatè subjiciendo, etiam in hoc puncto.

13. Habens potestatem reservandi, potest sibi unum, & alteri alterum casum reservare.

Ex dictis infertur; eum, qui habet potestatem reservandi casus, posse unum casum sibi reservare, & alterum alteri, unum Decano, & alterum Archidiacono; hoc enim nihil aliud est, quàm huic committere Absolutionem ab hoc peccato, & isti Absolutionem ab altero peccato, in quo nulla apparet repugnantia, immo prudenter sic potest fieri, ùt patet ex Trident. sess. 24. de Refor. cap. 6. ubi Episcopo & ejus Vicario, ad hoc speciater deputando, conceditur potestas absolvendi à quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, exceptâ hæresi, quæ soli Episcopo reservatur, ibi: *Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm* (Episcopis) *non eorum Vicariis, sit permissum.* Et simili modo posset alia distributio fieri, si expediret. *Conc. Trid.*

Nonne Superior potest sibiipsi reservare peccatum, & postea huic vel illi committere suam facultatem? Cur ergo à principio non possit culpam alteri reservare? Nam tunc unico actu duplicem illum effectum facit, scilicet reservationem respectu unius, & delegationem respectu alterius.

Quod intelligendum videtur, quando peccata illa essent in diversis personis: Lugo.

Addit Lugo suprà n. 8. id intelligi debere, quando peccata illa essent in diversis personis: nam si essent in eadem, cùm Confessio non possit dividi inter plures Confessarios; oporteret quòd ille, cui gravius peccatum reservatum est, haberet facultatem ad alia, vel certè recurrendum esset ad ipsum reservantem, atque adeò perinde esset, ac si soli sibi reservasset Absolutionem in eo casu. Hæc ille.

14. An qui potest à gravioribus reservatis absolvere, etiam possit à levioribus.

An autem, qui habet potestatem absolvendi à gravioribus peccatis reservatis, habeat hoc ipso etiam potestatem absolvendi à minoribus, pendet ex voluntate reservantis, de qua nihil certi habetur, nisi quòd ille, qui creditur sufficiens ad absolvendum à gravioribus peccatis, per se loquendo etiam sufficiens judicari possit & debeat, ad absolvendum à minoribus peccatis. Unde irrationabile videretur, per se loquendo, unam potestatem sinè alia concedere, & ideo, nisi aliud constet de mente reservantis, existimo, eum, qui potest absolvere à gravioribus, etiam posse absolvere à levioribus, non tamen è converso. Igitur potestas reservandi casus ostensa est.

In usu potestatis reservandi casus prudentia & moderatio necessaria est.

Cæterùm in usu ejus prudentia & moderatio necessaria est, ne potiùs cedat in destructionem, quàm in ædificationem, cùm tamen data sit in ædificationem, ùt patet ex Trident. superiùs allegato: eo semper salvo, ut licèt Superior in hoc aliquantulum excedat, non propterea ejus reservatio sit contemnenda, quia licèt sit imprudens, non tamen ideo statim est nulla, ùt jam edissero.

CONCLUSIO II.

Nimia reservatio semper est illicita, subinde etiam invalida; v.g. si Episcopus tot casus reservet, ut Parochus munere suo fungi non possit.

15. Probatur 1. pars Concl.

PRima pars est communis, & ratio patet; quia omnis potestas tam Pontificis, quàm aliorum Prælatorum sæcularium & Regularium, data est in ædificationem, & non in destructionem, teste Apost. 2. Cor. 13. v. 10. *Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam, secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.* Et Rom. 13. v. 1. ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem* (potestates) *sunt, à Deo ordinatæ sunt.* 2. Cor. 13. Rom. 13.

Nimia reservatio quando et in destructionem.

Et verò quis audeat dicere, Deum ordinasse aliquam potestatem in destructionem? Et quis ausit affirmare, nimiam reservationem non esse in destructionem? Quippe usum Sacramenti Confessionis, ex se satìs difficilem, reddit difficiliorem, adeòque nata est avertere peccatores ab usu Sacramenti, tam necessarii ad salutem, quod repugnat bono communi & saluti animarum, quam ex officio tenentur Prælati procurare. Igitur rationabilis requiritur causa, ut reservatio sit licita. Ex quo patet, quæ sit nimia reservatio, scilicet, quæ fit absque rationabili causa.

Quæ sit nimia reservatio.

16. Nimia reservatio semper est invalida. cap. 16. de Reg.

Si inferas; ergo etiam nimia reservatio semper est invalida, sicut dispensatio in lege aut voto sinè rationabili causa. Negatur Conseq. & statim opponitur Innoc. III. cap. 16. de Regul. dicens: *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Porrò unum ex istis multis, videtur esse nimia reservatio, per se loquendo (quare addam illam particulam, patebit ex dicendis) quod sic probo: Omnes accipiunt jurisdictionem à Pontifice mediatè vel immediatè: sicut ergo à principio poterat Pontifex validè, quàmvis illicitè, nulli mortalium dare jurisdictionem absolvendi à peccatis, ita ut nemo posset validè absolvere, nisi ipse solus, sic itidem potuit dare jurisdictionem limitatam ad certos casus, & auferre jurisdictionem antea datam, vel illam limitare pro suo libito. Siquidem Pontifex manet semper Supremus Pastor, & potest oves pascere per seipsum si velit; ergo potest validè privare alios suâ jurisdictione in totum vel in partem, nisi aliquid aliud obstet. Probatur.

17. Jurisdictio

Unde communiter non censetur concedere jurisdictionem per modum contractûs, quasi hæc

Episcoporum jugiter dependet à potestate Pontificis.

hæc cedat in dominium accipientis, sed cum jugi dependentia à suprema potestate, ùt patet ex usu & praxi quotidiana, quâ limitat jurisdictionem Episcoporum, aliquas personas sibi immediatè subjiciendo, & reservando certos casus, nullo unquam judicante, illam exemptionem vel reservationem esse invalidam, estò subinde alii conquerantur de nimia exemptione aut reservatione.

Quid miramur? Iurisdictio quippe datur, non ita pro bono vel in commodum accipientis, quàm in commodum & utilitatem aliorum; ac proinde alii majorem habent causam querelæ, quàm illi, qui suâ jurisdictione priùs habitâ privantur, aut quibus jurisdictio ab initio negatur.

18. Ad effectum privativum sufficit, quòd causa non influat.

Confirmatur; quia ad effectum privativum, qualis est carentia jurisdictionis, sufficit, quòd causa non influat. Patet in lege, quæ non ponitur, vel posita non permanet, deficiente voluntate Legislatoris, licitè vel illicitè; quoniam voluntas Legislatoris est anima legis, sive est causa essentialis. Ergo similiter deficiente voluntate Pontificis, à qua essentialiter dependet jurisdictio, necessariò deficit jurisdictio, id est, non ponitur; vel si posita est, non permanet, sed auferetur.

Et vice versâ, quamdiu manet voluntas Pontificis, manet jurisdictio, estò jure merito deberet auferri, nisi aliunde subjectum fiat incapax; sicuti manet obligatio legis, si verè Superior non dispenset, estò dispensare debeat, & illicitè neget dispensationem, nisi aliunde lex fiat injusta. Et quoniam lex videtur fieri injusta, quando cum aliquibus sinè causa dispensatur, ideo docent Multi, vel illam dispensationem non valere, vel legem hoc ipso ex toto esse abrogatam. Quod an verum sit, non est hujus loci disputare.

19. Non sequitur, Legislator non potest validè dispensare sinè causa, ergo nec Papa auferre jurisdictionem.

Sed dato, quòd Legislator non posset validè in propria lege dispensare sinè causa, adhuc non sequitur, quòd Pontifex sinè causa non possit validè auferre vel limitare jurisdictionem; quia cessat hìc illa ratio, propter quam, ùt dixi, aliqui Auctores docent, dispensationem in lege sinè causa esse invalidam; cùm illa ablatio vel limitatio non sit dispensatio in lege, sed potiùs debeat comparari abrogationi legis, quæ secundùm Omnes valet sinè causa.

Unde etiam non valet argumentum à dispensatione in voto sinè causa, ad reservationem casuum sinè causa; quia obligatio voti non pendet à voluntate Pontificis, sicut dependet concessio jurisdictionis, ùt nimis clarum est.

20. Objectio.

Nec dixeris; non valet Legislator ferre legem sinè justa causa; ergo nec valet Pontifex negare aut limitare jurisdictionem sinè justa causa. Negatur quippe Conseq. nam Antecedens intelligitur de lege obligante in conscientia ad aliquem actum, vel omissionem actûs; illa autem negatio vel limitatio non est talis lex, sed potiùs, sicut anteà dixi, comparari debet abrogationi legis.

Solutio.

Oritur quidem ex illa limitatione, seu non concessione, obligatio non absolvendi à peccatis, sed solùm per accidens; nam talis obligatio per se oritur ex reverentia debita Sacramentis; quæ prohibet invalidè Sacramenta administrare, ùt fieret in tali casu: illa ergo revocatio seu non concessio jurisdictionis solùm est conditio aliqua, quâ positâ nequit Sacerdos validè absolvere.

21. Quædam confirmatio communis doctrinæ ex Suario.

Non attingo hìc, quod Suarius Disp. 29. Sect. 4. n. 6. adfert in confirmationem suæ & nostræ sententiæ; quia, inquit, in aliis actibus jurisdictionis semper est efficax actus Pontificis; ùt in foro contentioso Ecclesiastico, si Pontifex ad se reservet cujusque causæ judicium; valida est reservatio, etiamsi sinè ulla alia ratione eam reservet, sed solùm ex suprema potestate, ùt constat ex cap. *Ad nostram*, de Appellationibus.

c Ad nostrã de Appel.

Omitto, inquam, hanc confirmationem, non quin vera sit quoad substantiam; sed quia in textu allegato nihil tale reperio. Subscribo verba textûs, si fortè doctior me hanc doctrinam, pro qua allegatur, possit exindè colligere: *Ad nostram.* Et infrà: *Quia verò remedium appellationis non ideo est inventum, ut alicui à Religionis & Ordinis observantia exorbitanti, debeat in sua nequitiâ patrocinium exhibere: Mandamus, quatenus, si quando quilibet subditorum tuorum ad remedium appellationis convolaverit, non ideo minus eum iuxta tenorem mandati, quod in prædicta regula continetur, & institutionem Ordinis coërcigas & castiges.* Ita Alex. III. Abbati S. Petri. Sed nihil ad propositum nostrum.

quæ per se vera est.

Interim, sicut dixi, credo confirmationem veram esse per se loquendo, id est, nisi Pontifex per modum contractûs alicui concessisset jurisdictionem in foro contentioso Ecclesiastico; nam talem jurisdictionem non posse sinè causa validè revocari, uti nec alia privilegia, simili modo concessa, docet communis sententia in Tract. de Legibus. Et idem existimo dicendum de jurisdictione in foro sacramentali.

22. Pontifex non instituit Episcopatus per modum alicujus contractûs.

Quando autem Pontifex concedat illas jurisdictiones per modum contractûs, nunc non attinet disputare, & ideo supersedeo. Hoc tantùm dico, Pontificem non instituisse Episcopatus per modum alicujus contractûs, & hinc etiam sinè ulla causa posse validè, etsi illicitè, Episcopos ab officio deponere, aliquem eximere ab eorum jurisdictione, abrogare legem latam, impedire & irritare ferendam, vel aliquid præcipere contra præceptum Episcoporum &c. quod sufficienter constat tum ex usu, tum etiam, quia expedit bono communi ad impedienda & tollenda schismata.

Et ratio suprà tacta est; quia licèt Pontifex Episcopis communicet jurisdictionem suam, semper tamen manet proprius & Supremus Pastor & Iudex, à quo cæteri inferiores pendent, & potest si velit per seipsum curare oves suas, vel judicare causas earum. Ergo ad propositum nostrum, reservatio casuum, à Pontifice facta, per se loquendo nunquam est censenda irrita ipso jure, quàmvis fortasse sinè causa & imprudenter fieret.

Vix unquam potest esse certum reservationem fieri sinè justa causa.

Accedat ad cumulum; quòd vix unquam in particulari possit esse certum, reservationem fieri sinè justa causa, sive reservationem esse nimiam; quia hæc causa non semper est gravitas peccati, sed aliæ multæ possunt esse in pectore Pontificis, quàmvis à subditis ignorentur; ergo vix unquam potest aliqua ejus reservatio in particulari prudenter judicari nulla.

23. An reservatio reddatur invalida per nimiam multitudinem casuum. Suarez.

Quòd si cum aliquibus DD. per nimiam reservationem intelligas nimiam multitudinem casuum reservatorum, hæc causa, inquit Suarez suprà n. 7. nunquam potest esse practicè sufficiens. Interrogo enim; an statim tota collectio nulla sit, ita ut jam nullus casus reservatus maneat validè, & hoc dici non potest probabiliter, tum quia decem casus v. g. possent validè reservari; ergo propter multiplicationem aliorum non fit statim invalida tota reservatio: tum etiam, quia hæc reservatio omnium non fit simul tota, sed paulatim: priores ergo reservationes validæ sunt: non ergo fiunt invalidæ solùm, quia superaddantur aliæ.

Vel dicitur reservatio nulla quoad aliquos casus determinatos: & hoc etiam dici practicè non potest, vel quia non est major ratio de his, quàm de illis: vel certè, quia non potest homo designare, quantus sit ille numerus casuum reservatorum, quo impleto, reservationes, quæ postea adduntur, nullæ sunt. Hucusque Suarius.

24. Sententia Lugonis.

Respondet Lugo Disp. 20. n. 38. non reddi invalidam reservationem antea legitimè factam; quia utile per inutile non vitiatur. Sicut si aliquis possit commutare decem vota, & iis commutatis, vellet iterum commutare alia decem, priorum commutatio non redderetur invalida, per invalidam commutationem posteriorum. Secùs esset si simul commutaret viginti: tunc enim tota commutatio esset invalida, cùm excederet facultatem, & non esset major ratio de his votis, quàm de illis, ut manerent validè commutata. Quod idem dici posset, si unicâ reservatione Episcopus vellet plura peccata reservare ultra mensuram suæ potestatis: tunc enim tota reservatio esset irrita, cùm non esset major ratio de his peccatis, quàm de illis, ut reservata manerent.

Quòd verò ille numerus, qui validè reservari potest, non possit à nobis certò designari, parùm refert: quia nec possumus certò designare quantitatem pecuniæ vel tritici v. g. cujus furtum sit peccatum mortale. Sufficit ergo, posse scire in confuso aliquem terminum, ad quem non possit licitè aut validè perveniri, licèt non possimus metaphysicè designare terminum, ad quem possit perveniri & ultra quem non possit progredi. Hæc ille.

25. Sententia Auctoris.

Satìs bene; si nobis designaret aliquem terminum ad quem non possit perveniri: sed cùm nullum talem designet, nec ab ullo hactenus sit designatus; veluti à Multis est designatus terminus seu quantitas pecuniæ, cujus furtum sit peccatum mortale, liquet profectò, illud simile nimiùm claudicare. Quapropter existimo in praxi difficillimum esse, dicere Pontifici in hac materia: *Non plus ultra*; sive spectes reservationem validam sive licitam.

26. Quid sentiendum de reservatione invalida Episcoporum. Lugo.

Idem existimat Lugo suprà n. 32. de reservatione invalida Episcoporum. Si enim, inquit, comparemus peccata, & casus, quorum Absolutionem sibi reservarunt Summi Pontifices sive in corpore Iuris, sive in Conciliis, sive in Bullis particularibus, absque proportione excedunt numerum peccatorum, quæ Episcopi sibi unquam reservarunt. Et tamen majus damnum timeri posset, in genere loquendo & ex natura rei, ex reservatione facta Summo Pontifici propter majorem ejus distantiam, & propter difficiliorem multò Absolutionem, quàm ex reservatione Episcopali; cùm Episcopus faciliùs adiri posset à pœnitente, vel per seipsum, vel per Confessarium. Si ergo illa non æstimatur nimia reservatio respectu Summi Pontificis, non apparet quomodo possit practicè judicari excessiva reservatio aliquorum peccatorum, quæ Episcopus sibi reservet. Ita Eminent.

Sed responderi posset; quia Summi Pontifices tam multos casus reservant, ideo reservationem Episcoporum faciliùs posse judicari nimiam; nam videtur sufficere ad Christiani populi disciplinam, reservatio Pontificia. Et quàmvis ex natura rei majus damnum posset timeri ex reservatione Pontificis, per accidens tamen minus damnum causatur, propter multitudinem eorum, qui habent potestatem absolvendi à casibus reservatis Pontifici; & è contra majus damnum ex reservatione Episcopi, propter paucitatem eorum, qui habent potestatem absolvendi à casibus Episcopalibus; si verum est, quòd Regulares ex privilegio Pontificio non habeant illam potestatem, ùt volunt Episcopi, de quo suo loco.

27. Excessus reservationis non tam ex multitudine, quàm qualitate reservatorum pensandus est.

Hoc bene advertit Lugo suprà n. 33. excessum reservationis non tam ex multitudine casuum reservatorum, quàm ex eorum qualitate pensandum esse. Unde ut reservatio Episcopi censeatur nimia, non requiritur quòd plures species peccatorum reservet, quàm Papa; sed attendendum est ad eorum qualitatem. Nam casus Summo Pontifici reservati communiter

muniter loquendo sunt rarò contingentes, & vix in mille pœnitentibus invenies unum, qui in ejusmodi peccata inciderit. Unde si Episcopus reservaret duo vel tria genera peccatorum, v. g. actus vel verba lasciva, omissionem Missæ in die festo, furtum rei gravis; multò gravior esset hæc reservatio, quàm tota reservatio Pontificia; quia propter majorem frequentiam horum peccatorum, multò difficilius redderetur subditis Sacramentum Pœnitentiæ. Hæc ille.

Addit: Sed neque ex reservatione alicujus peccati frequentis posset statim judicari excessiva reservatio Episcopi, cùm videamus reservatam Pontifici quamlibet percussionem vel manum violentam in Religiosum aut Clericum quemlibet injectam, quod peccatum frequentissimum est. Ita Eminent.

Si Romæ frequentissimum est, nescio, saltem in Belgio non est frequentissimum. Deinde si frequentissimum est, quomodo bene dicit idem Auctor eodem numero; vix in mille pœnitentibus invenies unum, qui in ejusmodi peccata inciderit?

28. Non est omninò certum, quòd nimia reservatio Episcoporum valeat respectu Parochorum.

Itaque de Episcopis res non est tam certa, id est, non est tam certum, quòd nimia eorum reservatio valeat respectu Parochorum, & aliorum, qui habent ordinariam vel delegatam potestatem à Pontifice, quamquam rarissimè judicanda sit & judicari possit nimia; quin etiam, quando manifestè foret nimia, adhuc probabilius valet; nisi tantus sit excessus, ut Parochus & alii nequeant moraliter loquendo fungi suis officiis, & satisfacere suæ obligationi.

Dixi; *Respectu Parochorum* &c. quia respectu illorum, qui habent potestatem delegatam ab Episcopis, tam certò valet reservatio nimia Episcoporum, quàm valet nimia reservatio Pontificis. Applica rationes factas, & non repugnabis. De Parochis autem est major dubitatio; quia hoc pendet ex modo institutionis & dependentiæ, quam ex voluntate Pontificis, jurisdictio Parochi habet ab Episcopo. De quo modo non satis videtur constare.

29. Vasquez docet eam non valere. Conc. Trid.

Et ideo Vasquez q. 91. a. 3. dub. 4. n. 4. docet absolutè, talem reservationem non valere, non propter verba Trid. sess. 14. c. 7. *Neque dubitandum est* &c. *quin idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi in ædificationem tamen, non in destructionem liceat*; quia eadem verba, ut superiùs vidimus, possent dici de Summo Pontifice; sed quia Parochi non habent suam jurisdictionem ab Episcopo, sed ex officio seu jure communi.

27. Excessus reservationis non tam ex multitudine, quàm ex qualitate reservationis gravitate delictorum est judicandus.

Sicut ergo sinè causa, hoc est, sinè demerito, non potest Episcopus auferre totam jurisdictionem, ita ut factum teneat, sic etiam neque illam coarctare potest sinè rationabili causa, ita ut factum teneat. Unde, inquit Vasquez, quando constaret de reservatione sinè legitima causa, inferior Pastor sinè consensu Superioris (id est Episcopi) ex officio suo, quod de jure competit, posset absolvere ab illius reservatis: ita docet Sotus (4. dist. 18. q. 2. a. 5.) & bene; cùm verò de abusu Superioris non constat, semper pro illo præsumendum est. Ita Vasquez. Sed, sicut dixi, totum dependet à voluntate Pontificis, quam hactenus non satis declaravit.

30. Episcopus non potest pro libito auferre jurisdictionem à Parocho.

Profectò nemo docet, Episcopum posse pro libito validè deponere seu privare Parochum suo officio, quod à Pontifice accepit; sed solùm ex causa propter ineptitudinem, vel in pœnam; ergo nec poterit pro libito suo auferre illi jurisdictionem necessariam ad exercendum suum officium: nam auferre talem jurisdictionem; perinde videtur se habere, ac si auferretur officium, cùm auferatur id, quod necessarium est ad Parochi officium exercendum.

Quando ergo reservatio casuum tanta esset, ut moraliter loquendo, videretur non manere ille Parochus simpliciter, quia propter notabilem diminutionem & limitationem potestatis, non videretur jam moraliter idem officium; cùm officium Parochi constituatur per potestatem ad tales & tales actus exercendos, consequens est, ut factâ mutatione notabili in ejusmodi potestate, censeretur facta moralis mutatio in ipso officio: quare sicut Episcopus non potest pro libito auferre illud officium; sic nec poterit sinè causa illud ita mutare aut diminuere; ut jam non censeatur moraliter perseverare illud officium, sed aliud diversum. Ita Eminent. sup. n. 37. ubi docet nostram Conclusionem. Lego.

31. Oppositum tamquam probabilius amplectitur Suarez.

Suarez autem quàmvis hanc sententiam existimet speculativè probabilem, equidem contrariam tamquam probabiliorem & securiorem amplectitur: nam, inquit, semper Episcopus manet ita Superior, ut possit causam aliquam sibi reservare; & quàmvis in conscientia teneatur id prudenter & ex causa facere, tamen si semel faciat, videtur magis expediens ad tollendas occasiones schismatis, & ad cavenda pericula animarum, ad quarum utilitatem omnis hæc potestas ordinatur, expedit, inquam, ut reservatio semel facta rata & valida habeatur. Hæc ille sup. n. 8.

Respondetur.

Expedit planè, nisi tanta sit reservatio, ut moraliter auferat ipsum officium. Sicut autem non expedit, ut Episcopus pro libito suo possit Parochum validè privare suo officio, & alium substituere; ita etiam non expedit, ut reservatio nimia, per quam moraliter privatur Parochus suo officio, semel irrationabiliter facta, rata & valida habeatur.

Interim placet doctrina Suarii hoc sensu, ut in particulari loquendo nunquam reservatio Episcopi contemnatur tamquam nulla, sed quando aut nimia aut irrationabilis apparuerit, recurratur ad Superiorem, ut illi rei provideat.

32. Episcopi

Caveant autem Superiores, ne per reserva-

graviter peccant contra charitatem abutendo suâ potestate.

tionem casuum, nimiùm onerosi sint subditis, vel exponant eos aliquibus periculis; quippe non habent hanc potestatem propter suum commodum, sed propter bonum ovium; ac proinde graviter peccabunt contra charitatem, abutendo suâ potestate. Sicut etiam malè facerent, non delegando absolutè hanc jurisdictionem ministris inferioribus cum eisdem incommodis ovium.

Præterea diligenter advigilent, ne postquam semel facta est delegatio, illius coarctatio aut revocatio, sinè rationabili causa facta, cedat in infamiam ipsius delegati: nam ex hac parte posset esse illicita; quod præsertim continget, quando ad certum tempus commissio est facta, & ante illud elapsum revocatur.

33. Bonum esset si casus reservati in concionibus proponerentur.

Hinc non abs re foret, si populo in concionibus proponerentur casus reservati in singulis Diœcesibus; etiam signo aliquo notificarentur Confessarii, habentes jurisdictionem absolvendi ab illis, ne conjiciantur pœnitentes in continuum periculum dimissionis absque Absolutione, & ita cogantur apud alium repetere Confessiones suas, quas cum tanta difficultate elicuerunt, ut periculum sit, non amplius, nisi fortè in morte, ea confitendi, tantâ quippe verecundiâ aliquæ personæ retinentur. Nonne in Religionibus publicantur casus reservati? Publicantur etiam illi, qui habent potestatem absolvendi à reservatis? Quidni ergo idem fieri deceat & debeat in Diœcesibus? Præsertim si Regulares, quibus maxima pars populi confitetur, non habeant ex privilegio Pontificio potestatem absolvendi à casibus Episcopis reservatis, de quo Sect. sequenti Concluſ. 12.

In hoc Episcopatu Mechlinienſi, inquit quidam Auctor, casus reservati Episcopo sunt hi tres: homicidium, incestus & sacrilegium, qui tamen in procuratione abortûs, & sacrilega luxuria ita frequentes sunt, ut nisi Mendicantes, quibus plerique confitentur, potestatem habeant absolvendi, opus sit tam frequenti remissione sinè impertita Absolutione, ut multi per annos plures non sint reconfessuri.

Quidquid sit de veritate hujus dicti, quam hìc non examino, planè judico conveniens, si non necessarium, quòd populo innotescant casus reservati; quin etiam Confessarii, qui habent potestatem ab illis absolvendi, ad evitandum prædictum incommodum, quod, salvo meliori, satìs magnum nobis apparet.

Cæterùm Pontifex Romanus summopere curavit, ne Prælati Regulares excederent in reservatione casuum, ùt patet ex quadam Constitutione Clement. VIII. suprà memorata, quam uberiùs expono Concluſ. sequenti, quæ talis est.

CONCLUSIO III.

Prælatus Regularis, sinè Capitulo Generali vel Provinciali, solùm undecim casus potest, non debet, reservare; fortè neque pluribus censuram reservatam apponere. Licitè tamen determinat certas pœnitentias pro quibusdam gravioribus peccatis, à Confessariis imponendas. Caveat autem, ne Confessiones subditorum audiat, nisi quando aliquod peccatum reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, ac proprio motu id petierint ab eo. Si negaverit potestatem reservatorum in casu particulari, poterit Confessarius pro illa vice absolvere, si judicet debere concedi.

HÆc Concluſio præter istam partem: *Fortè neque pluribus censuram reservatam apponere,* tantùm indiget relatione Constitutionis Clement. VIII. quæ sic incipit: *Sanctissimus Dominus noster, qui iam pridem perpendit, ac re ipsâ comperit, quòd reservatio facultatis absolvendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam gravioribus, nisi Superiores admodum prudenter ac moderatè illâ utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum & spiritualis remedii desperationem.* Ecce ratio motiva Pontificis. Sequitur §. 1. Constitutionis.

34. Probatur pars Concl. ex Const. Clem. VIII.

Ideo ut huic malo Sanctitas sua opportunè prospiceret, decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum Absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino iudicaverint.

Casus qui possint reservari à Religiosis.

1. *Veneficia, Incantationes, Sortilegia.* 2. *Apostasia à Religione sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit, ut extra septa Monasterii seu Conventûs fiat egressio nocturna, ac furtiva è Monasterio seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.* 3. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. Iuramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo.* 4. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum*

matum fœtum, etiam effectu non secuto. 5. *Falsificatio manûs, aut sigilli Officialium Monasterii aut Conventûs. Furtum de rebus Monasterii seu Conventûs in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.* 6. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.* 7. *Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personæ.* 8. *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.*

Sed non debent reservari.

Hos itaque casus, undecim numero, si benè rem consideres, potest Prælatus Regularis (non debet, ùt perspicuè manifestum est ex illis verbis, *Aut omnibus, aut eorum aliquot* &c.) reservare se solo, absque consensu Capituli Generalis, aut Provincialis.

35. In nostro Ordine omnes sunt reservati.

Suntque in Ordine nostro omnes reservati, ùt patet ex Statutis generalibus Barchinonenfibus, impressis Leodii anno 1635. cap. 6. §. 22. qui sic incipit: *Cùm casuum reservatio in Ecclesiæ Dei antiquissima, & sacrorum iure Canonum, & Sanctionibus Apostolicis, ac novissimè sacri Conc. Trident. auctoritate etiam probatâ, & in nostrâ Religione, ab ineunte Ordine usu receptâ, prout in ipsa Regula cap. 7. præscribitur* (hisce verbis: *Si qui Fratrum instigante inimico mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut recurratur ad solos Ministros Provinciales &c.*) *sit pœna delinquentium; Decernimus & sancimus, ut in illis casibus, qui reservati sunt, aut reservari contigerit, nemo temerè manum mittat, aut quemquam illis ipsis criminum vinculis irretitum absolvere præsumat, nisi à Generali vel Provinciali Ministro necessariam absolvendi facultatem habeat. Ut autem omnibus constet qui casus sint reservati, declarant Patres se præsenti statuto reservare omnes casus in Decreto Clement. VIII. expressos.*

36. Probatur ex Conc. Trid.

Præter pollutiones voluntarias de inobedientia contumax.

Insuper in eodem §. n. 3. reservantur pollutiones voluntariæ, & inobedientia contumax; utique de consensu Capituli Generalis, juxta præfatum Decretum Clementi; ibi: *Si quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiæ puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia maturâ discussione & consensu.* Atque hæc de prima parte Conclus. de qua proinde nulla potest esse controversia.

36. Probatur 3. & 4. pars Concl. ex eodem Decreto Clem.

Utì nec, de tertia & quarta parte, utpote expressis in eodem Decreto, eisdem ferè verbis: sic enim lego §. 2. *Non liceat Superioribus Regularium Confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte ac proprio motu id ab iis petierint.*

Casus qui possint reservari à Religiosis.

Et §. 5. *Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis, etiam non reservatis, à Confessariis imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint.*

An Prælatus Regularis absque consensu Capituli possit pluribus peccatis apponere censuram reservatam?

De quo ergo hìc disputatur? An Prælatus Regularis absque consensu Capituli Generalis vel Provincialis possit pluribus peccatis apponere censuram reservatam. Et videtur quòd non possit; quia hoc perinde est, ac peccatum reservare; præsertim si apponatur excommunicatio: quippe absolutio ab excommunicatione, præcedere debet Absolutionem à peccato.

Hanc sententiam, sinè dubio probabilem, amplectitur Sanchez lib. 6. Sum. cap. 1. n. 16. Quia, inquit, licèt Pontifex in eo Motu proprio loquatur de peccati reservatione, id factum est, quia frequentiùs solent Prælati, alii à Summo Pontifice, peccata reservare. At verba posita in lege, gratia frequentioris usûs, non restringunt legem, ne ad similes casus extendatur, ùt probavimus lib. 9. de Matrim. disp. 14. n. 16.

37. Negat Sanchez. & probat multipliciter.

Quod potissimùm procedit, quando est eadem ratio, atque ex Legislatoris mente ea extensio apertè deducitur; quod in præsenti contingit: nam ex procœmio legis ratio finalis decisionis deducitur, & juxta eam tota decisio extendi aut restringi debet, ùt docent Multi. At in procœmio ejus Motûs proprii, rationem prohibendi ampliorem peccatorum reservationem, assignavit Pontifex, ne nimia reservatio ansam præberet subditis fragilibus, timentibusque Superiorem adire, gratiâ Absolutionis procurandæ, incidendi in æternæ damnationis, ac spiritualis remedii desperationis periculum: quæ locum habet, sive peccatum reservetur directè, sive indirectè; & consequenter, reservando censuram, à cujus Absolutione pendet; nam in utroque casu necesse erit subdito Superiorem adire, quo saluti suæ spirituali prospicere possit, obtinendo Absolutionem.

Tandem quia ea excommunicatio cùm sit per sententiam generalem, non esset ex se reservata, seclusâ eâ speciali reservatione, juxta multò veriorem sententiam, ùt traditur in Tract. de Excommunicatione. Hactenus Sanchez.

38. Pro hac sententiâ affertur Declar. Card. *Diana. P. Leand.*

Alios Auctores pro eadem opinione, citat & sequitur Diana part. 3. tract. 2. resol. 49. dicens, ita determinasse Sacram Card. Congregationem die 7. Iulii 1617. ùt testatur P. Leone tract. de offic. & potest. Confessi. to. 2. recoll. 11. n. 5.

Subscribo verba Declarationis: *Cùm à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in Decreto fel. record. Clem. Papæ VIII. anno 1593. 16. Maii super qualitate casuum ab eorumdem Regularium Superioribus reservandorum edito, censuræ etiam comprehenderentur, ita ut eisdem Superioribus absque Capituli Generalis aut Provincialis consensu aliquibus peccatis, in Decreto huiusmodi non contentis, excommunicationem annectere, eiusdemq; absolutionem sibi reservare liceat? Sacra Congregatio Card. negotiis Regularium præpositorum, Illustrissimo Bandino referente, censuras in supradicto Decreto comprehendi censuit. Romæ 7. Iulii 1617. A. Mar. Episc. Astiensis, Card. Gallus. V. Theat. Secret.*

Ita refert Lugo disp. 20. n. 47. Propter quam Declarationem, & ipse illam partem amplectitur,

39. Propter

quam Lugo sequitur illam sententiam, contra Suarium, Villalobos & Alios.

plectitur ; contra Suarium disp. 29. sect. 3. n. 13. Villalobos in Sum. to. 1. tract. 9. diff. 58. n. 5. & Alios, quos citat Dia. suprà, qui illius Declarationis non meminerunt.

Quod non miror de Suario, utpote qui tomum 4. in 3. p. D. Tho. edidit anno 1604. antequam Declaratio illa emanasset. Et licet tom. 4. de Relig. ubi lib. 2. cap. 18. ad finem iterùm docet hanc opinionem, editus fuerit post Declarationem præfatam, scriptus tamen fuit ante eam, ùt notat Dicastillo disp. 11. n. 110. in fine.

Dicastillo.

De Aliis, qui scripserunt post editam illam Declarationem, satis mirùm est, quòd ejus non meminerint, ut proinde aliquis posset dubitare, an etiam sit authentica. Cur enim minùs meminissent præfati Auctores hujus Declarationis, quàm aliarum ?

40. Probatur sententia Suarii.

Et ideo in Conclus. addidi ly *Fortè* ; quia seclusâ illâ Declaratione sententia Suarii videtur non minùs probabilis, si non probabilior. Probatur autem à Suario suprà : quia Clemens expresè loquitur de reservatione culparum, ùt patet ex illis verbis : *Nemo ex Regularium Superioribus peccatorum Absolutiones sibi reservet.* In casu autem proposito non reservatur peccati Absolutio, sed censuræ, quæ longè diversa est, & ad diversum forum & jurisdictionem spectat.

Nec satis est, quòd per se loquendo non potest dari Absolutio à peccato, non ablatâ censurâ, hoc enim accidentarium est : sufficit enim, quòd non sint idem, ut ab una ad aliam non sit prohibitio extendenda, præsertim cùm respectu Superiorum sit onerosa, & usum jurisdictionis restringens. Hæc ille.

41. Decretum Clem. videtur potiùs restringendum quàm extendendum.

Sed nunquid etiam onerosa respectu subditorum ? Non puto, cum sit prohibitio reservationis, indubiè onerosæ subditis ; quoniam reddit illis usum Sacramenti difficiliorem. Ergo hæc prohibitio potiùs est favorabilis respectu subditorum. Ergo potiùs extendenda ad excommunicationes, quàm restringenda ad sola peccata ; negatur Consequentia.

Sufficit quippe, quòd sit onerosa Superioribus, ad hoc ut debeat potiùs restringi, quàm ampliari ; quoniam ante prohibitionem Superiores erant in possessione ferendi excommunicationes, easque sibi reservandi ; ergo illâ non debent privari per solam extensionem legis ob similitudinem rationis.

Non est eadem ratio censurarum & peccatorum.

Dico ; *Ob similitudinem*, quia paritas omnimoda non est ; nam excommunicationes in Religionibus rariores erant, imò rarissimæ, cùm tamen casus reservati forent satis frequentes, & ideo oportuit remedium adhibere reservationi casuum, secùs reservationi excommunicationum. Itaque ad peccata attendit Pontifex in suo Decreto, non ad excommunicationes ; argumento leg. 3. ff. de Legibus. *Iura constitui oportet, ùt dixit Theophrastus in his, quæ ùt plurimùm accidunt, non quæ ex inopinato.* Et leg. 4. eodem : *Ex his, quæ fortè uno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur.* Item leg. 5. *Nam ad ea potiùs debet aptari ius, quæ & frequenter & facilè, quàm quæ perrarò eveniunt.*

l. 3. 4. & 5. ff. de Leg.

Nemo, inquit Lugo sup. n. 47. negabit, quòd non obstante Decreto Clement. possit Capitulum Generale reservare omne peccatum mortale inobedientiæ contra præceptum obedientiæ à Prælatis impositum ; quâ reservatione factâ, sequi possent eadem inconvenientia : quia jam Prælatus posset antecedenter prohibere præcepto obedientiæ omnia peccata, quæ vellet sibi reservare. Cæterùm hoc per accidens sequeretur : & quia, quæ per accidens sequuntur, rarò sequuntur, non oportuit hunc etiam indirectum modum impedire, cùm possit adhiberi remedium, quando necessitas urgeret, per aliud Pontificium Decretum. Sic ergo dicendum erit circa potestatem ferendi excommunicationem, ex qua indirectè & per accidens, atque ideo non nisi rarò sequi possunt eadem inconvenientia. Ita Emin.

42. Capitulum Generale potest reservare omne peccatum mortale inobedientiæ contra Prælatos. Lugo.

Et sanè in nostro Ordine de facto reservata est inobedientia contumax, ùt suprà vidimus ex Statutis Generalibus. Prohibeat ergo Superior localis omnia peccata, quæ reservare vult, per obedientiam, & jam manent reservata, si subditus, trinâ monitione præmissâ, factis congruis intervallis, per diem naturalem inobediens perseveret. Sic enim inobedientiam contumacem explicant Statuta loco suprà citato n. 4. *Dicimus*, inquiunt, *inobedientiam contumacem, quando quis, trinâ monitione præmissa, factis congruis intervallis, per diem naturalem inobediens perseverat.* Quàm rarò autem hoc contingat, notum est omnibus Religiosis.

Quid sit obedientia contumax.

Et idem est de excommunicatione, quâ rarissimè utuntur Prælati ; ut proinde, sicut dictum est, non videatur Pontifex ad illam attendisse in suo Decreto ; cùm hæc reservatio utpote rarissima, non præbeat ansam subditis fragilibus, timentibusque Superiorem adire, gratiâ Absolutionis procurandæ, incidendi in æternæ damnationis ac spiritualis remedii desperationis periculum.

43. Præsumitur non voluisse ad excommunicationem extendere.

Unde sententia Suarii non amplectitur verba legis, contra voluntatem Legislatoris, adeoque de illa dici nequit, quod ait lex 3. Cod. de Leg. *Non dubium est in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem.* Nam neque ex verbis aut aliis circumstantiis præfati Decreti sufficienter potest colligi Pontificem voluisse prohibere reservationem excommunicationis, quæ non erat in usu.

Quin aliunde videtur, Pontificem non voluisse privare, vel coarctare potestatem Superiorum, quam habent ex jure communi excommunicandi, & aliis censuris cogendi subditos suos ad observantiam Regulæ & præceptorum Dei ; nam correctio juris communis vitanda est, quantùm fieri potest, & jura sunt juribus concordanda.

Verùm

44. Melius est non reservare censuram sine speciali Capituli Provincialis consensu ex Suario.

Verum est, inquit Suarez suprà, illam censuram non esse per sententiam specialem, sed per generalem, de qua est probabilis opinio, non magis esse de se reservatam, quam censuram à jure; verumtamen & opposita opinio non caret probabilitate: & præterea, qui fert sententiam, potest hanc intentionem suam & mentem declarare: & tunc non est dubium, quin id operetur præcisè circa censuram, & non circa culpam. Quare si ita fiat, non censeo hoc per se prohibitum ex vi hujus Constitutionis; quamquam meliùs censebimus, id non facere sine speciali Capituli Provincialis consensu; ad omnem dubitationem tollendam. Hæc ille.

Contrà arguit Lugo.

Sed illa additio: *Quamquam meliùs* &c. non placet Lugoni suprà n. 46. quia, inquit, licèt Pontifex permiserit Capitulo potestatem reservandi aliquod aliud peccatum; non credo tamen, quòd posset Capitulum concedere Prælatis facultatem generalem reservandi, quæ ipsi vellent: hoc enim esset apertè contra intentionem Pontificis, cùm statim redirent res ad statum antiquum, & idcirco solùm concessit Capitulo potestatem reservandi peccatum in particulari, ùt colligitur ex illis verbis: *Si quod aliud præterea peccatum grave* &c. in quibus de peccato particulari sermo est, circa quod desideratur discussio & examen ab ipso Capitulo faciendum: non ergo potest committere Capitulum hanc potestatem generalem Prælatis ad omnes casus, quos ipsi voluerint; & per consequens, si Prælatus non potest præcipere sub excommunicatione reservata, non poterit ex generali concessione Capituli id facere. Hucusque Eminent. contra Suarium, ùt putat.

45. Sed fallitur.

Ast fallitur: quia Suarius, ùt patet ex verbis allegatis, non loquitur de generali concessione Capituli, sed de speciali Capituli Provincialis consensu. Non enim solent Superiores quælibet peccata prohibere sub excommunicatione reservata, sed hoc vel illud in particulari; & quàmvis Suarius putet, hoc ipsos posse facere absque consensu Capituli; dummodo non reservent ipsum peccatum, sed solam censuram, tamen putat meliùs esse, id fieri de speciali consensu Capituli; quod indubiè verum est; sicut enim Capitulum potest consentire in reservationem hujus vel illius peccati, sic etiam in reservationem hujus vel illius censuræ.

Deinde sic argumentor; Capitulum generale secundùm Lugon. sup. n. 47. potest reservare omne peccatum mortale inobedientiæ contra præceptum obedientiæ, à Prælatis impositum; ergo etiam reservare omnem excommunicationem, annexam peccato mortali inobedientiæ contra præceptum obedientiæ, à Prælatis impositum; sed Prælati possunt prohibere præcepto obedientiæ omnia peccata, quæ volunt sibi reservare; ergo omnia illa peccata reservare, & per consequens omnem excommunicationem directè vel indirectè.

Itaque, ùt dicam, quod sentio, & finem imponam huic controversiæ, existimo (salvâ Declaratione Card. quæ tantùm loquitur de excommunicatione, non de aliis censuris) sententiam Suarii satis probabilem, propter rationes assignatas, interim non facilè practicandam, nisi necessitas boni communis urgeat. 46. Sententia Suarii non est facilè practicanda.

Propter quam necessitatem Rodrig. to. 1. qq. Regul. q. 21. a. 2. sic ait: Hæc Constitutio Clement. VIII. quàntùm ad istam restrictionem & limitationem, non video esse receptam in nostra Religione, cùm sæpè sæpiùs contingat evenire casus particulares, qui propter bonum regimen statim, ante Capitulum Generale, aut Provinciale, necessariò sunt reservandi, si enim non reservarentur, maxima Religio incommoda pateretur. Hæc ille. Rodriguez.

47. An Guardiani possint reservare casus.

Et idem notat, Constitutionem Alex. VI. quæ habetur in lib. Monument. Ord. 2. impress. fol. 56. concess. 66. & in Supplem. fol. 3. *Quòd Guardiani possunt reservare casus de occultis inter Religiosos, & quòd absolventes à talibus post huiusmodi reservationem, nullam faciunt Absolutionem, & incidunt in pœnam Absolventium à casibus non concessis*; hoc, inquam, Decretum non permanere in suo robore, & vigore in nostra Religione Reg. Obs. quia in Capitulo Generali Assisii celebrato a. 1526. sequens statutum auctoritate Apostolicâ factum est: *Ordinatur & mandatur auctoritate Apostolicâ & totius Capituli Generalis, quòd nullus Guardianus possit sibi reservare casum aliquē, sed solus Minister Provincialis id poterit.*

Meritò id eis esse prohibitum docet Rodriguez.

Et meritò quidem (prosequitur idem Auctor) hoc est ordinatum. Reservatio enim ad habentes jurisdictionem Episcopalem pertinet secundùm jus, & non ad Guardianos, qui Curatis comparantur, quibus jus Canonicum reservationem minimè commisit. Et certè reservatio casuum ad ædificationem, & non ad destructionem Religionis inducta est: quæ si cuilibet Guardiano committeretur, cederet in destructionem: cùm multi sint Guardiani & Prælati Conventuales, qui propter defectum ætatis & experientiæ in Religionibus, non habent eam maturam prudentiam & consilium, scientiam & zelum, quæ ad hujusmodi reservationem requiruntur, ut cedat in ædificationem & augmentum Religionis.

Immo ego aliquos vidi Provinciales, tam faciles & inconsideratos in his, quæ pertinent ad regimen & ædificationem Religionis, ut de eis, ad hoc ministerium peragendum ùt decet, parùm confiderem. Et ideo Sanctiss. D. noster Clemens VIII. hanc auctoritatem ipsis restrinxit, ut ita ligati, minimè aliis essent in scandalum & ruinam. Hucusque Rodrig.

48. Objectio.

Sed dicet aliquis; quid prodest illa restrictio Pontificis, si non est recepta in nostra Religione? Respondeo; id accipiendum esse de tempore necessitatis, quando urget bonum commune, & impossibilis est consensus Capituli, ùt patet ex verbis suprà relatis, Alioquin extra Solutio.

necessitatem restrictionem illam esse receptam, etiam in nostra Religione, ego satis video ex communi praxi, vel potiùs ex non praxi contraria, & ex statutis Generalibus Barchinonensibus superiùs allegatis n. 5. ubi sic statuunt: *Quòd si pro ratione temporis videatur aliquando alius casus reservandus, id fiat per Capitulum Provinciale*, nisi urgeat necessitas, quæ non habet legem.

49. Cæterùm, quia etiam periculosum judicabat Pontifex, arctare conscientias subditorum, ad confitendum peccata reservata Superiori in propria persona, in eodem Decreto §. 3. *Superiores*, inquit, *in singulis domibus deputent duos, tres aut plures Confessarios, pro subditorum numero maiori vel minori, iisq; sint docti, prudentes ac charitate præditi, qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum Absolutio committatur, quando casus occurrerint, in quibus eam committi ipse imprimis Confessarius iudicaverit.*

Superiores debent deputare aliquos ad absolvendum à reservatis.

Quòd si Superior rogatus ab illis Confessariis, facultatem absolvendi dare noluerit, liberè nihilominus Confessarius pro illa vice absolvat. Ita post suum Decretum declaravit Clemens VIII. ùt refertur apud Cherub. to. 4. Bullarum fol. 68. in principio hisce verbis: *Sanctitas sua demceps declaravit & declarat, ut si huiusmodi Regularium Confessariis, casus alicuius reservati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illâ vice pœnitentes Regulares, etiam non obtentâ à Superiore facultate, absolvere.*

Quid si Superior irrationabiliter neget licentiam absolvendi?

Quod ego intelligo, si dare noluerit sinè justa & rationabili causa: nec enim credendum est, Pontificem voluisse privare Superiores omni potestate audiendi illas Confessiones, quæ ex vi reservationis eis fieri debent. Siquidem non est finis reservationis, ut præcisè subditus petat licentiam per ordinarium Confessarium, quam semper teneatur Superior dare; id enim esset pura quædam ceremonia & defatigatio physica Confessarii ordinarii, quam parùm vel nihil curarent pœnitentes; sed finis reservationis est, ut aliquando teneatur pœnitens se sistere Superiori: si autem debet se sistere, nullus erit, qui non malit se in Confessione sistere, quàm extra illam; cùm ex Confessione major secreti obligatio oriatur in Superiore.

Quis sit finis reservationis.

50. Pro contraria sententia citatur Fagundez de 3. Eccles. præcepto lib. 3. c. 9. n. 17. ubi sic ait: Similiter deest copia Confessarii, quando Religiosus habet aliquem casum reservatum, & Superior non vult concedere pio Confessario licentiam, ut illum ab eo absolvat, nisi sub ea conditione, ut sibi præsentetur, & Absolutionem à se petat, aut nisi eam petat per alium Sacerdotem, de quo Superior majorem habet confidentiam; hoc enim casu dicunt communiter DD. posse hujusmodi Religiosum præmissâ Contritione communicare. Hæc ille, citans Henriquez lib. 3. de Pœnit. c. 13. n. 6. & alios Auctores, quos brevitatis causâ omitto.

An Superior aliquando possit rationabiliter velle, ut sibi confiteatur peccatum reservatum? *Fagundez.*

Deinde in fine illius periodi allegat verba Clement. VIII. *Non liceat Superioribus Regularium Confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte & proprio motu id ab eis petierint.* Quæ, inquit, verba sinè dubio comprehendunt omnem Confessionem tam de reservatis, quàm de non reservatis, juxta mentem Pontificis. Hactenus Fagundez.

Ex quibus verbis Lugo suprà n. 41. intelligit, eum dixisse, Clementem prohibuisse, ne Superior unquam audiat Confessionem subditi, etiam habentis casum reservatum. Quod si verum est, optimè redarguitur ex ipsis verbis Clement. quæ citat, in quibus manifestissimè excipitur casus, quando subditi peccatum aliquod reservatum admiserint: itemque casus, quando ipsimet subditi sponte & proprio motu id ab eis petierint. Lugo.

51. Unde vix possum credere, Fagundez hoc dixisse, præsertim cùm citet Henriquez, qui expressis verbis loco citato docet contrarium, sic enim ait: Dum casus absque excommunicatione reservantur, si pœnitens aut prudens Confessarius petat licentiam, debet Episcopus aut Prælatus Religionis æstimare subesse causam, & libenter eam concedere, ne Confessionis jugum de se suave, appareat durius: interdum tamen, si frequentior esset reincidentia, potest prudenter negare: quâ negatâ, cùm inferior Confessarius in ea reservata nihil proprio jure possit, persuadeat adire Prælatum. Ita Henriquez. Sententia affirmativa mentis docet Henriquez.

Quidquid sit de mente Fagundez, quæ mihi est obscura, non dubito, quin possit aliquando Superior justis de causis negare facultatem, & cogere subditum, ut sibi confiteatur casum reservatum, de quo infrà redibit sermo.

52. Hoc tantùm in præsenti noto, in Provincia nostra Clementinam non esse receptam quoad designationem illam duorum, trium, aut plurium Confessariorum, qui absolvant à non reservatis; nam ùt habetur in Statutis Provincialibus c. 7. §. 1. n. 1. *Omnes Confessarii approbati, valide absolvunt Patres & Fratres ab omnibus peccatis, exceptis reservatis. Vult tamen Provincia, ut servetur consuetudo, de semel confitendo in hebdomada alicui Confessariorum, in tabula expressorum.* Qui Confessarii eliguntur ab ipsis Religiosis. In Provincia nostra Clementina non est recepta quoad delegationem Confessariorum aut absolutionem à non reservatis.

Quantùm ad peccata reservata, Ministet Provincialis solet in singulis Conventibus aliquos probatos Confessarios deputare, qui sinè alio recursu ad ipsum, vel ad Guardianum aut Vicarium, possint ab eis absolvere. In casu tamen absentiæ vel impedimenti dictorum delegatorum, Guardiani poterunt alios pro isto tempore delegare, modò in fraudem non fiat. Ita Statuta Gener. sup. allegata n. 12.

Quæ ibidem n. 8. decernunt: *Omnes & singulos tam Custodes, quàm Guardianos eo ipso quo electi fuerint, commissam habere facultatem activam, passivam, ac etiam commissivam, absolvendi suos subditos, atque Fratres hospites, ad suos Conventus adventantes ab omnibus & singulis casibus* Quam potestatem habeant Guardiani & alii absolventi à reservatis.

suprà memoratis, in occulto dumtaxat admissis. Quoad verò peccata publica, quævis Provincia provideat, prout iudicaverit suo regimini expedire.

Et n. 9. *Vicarii etiam & Præsidentes in Conventu, Guardianis absentibus eandem auctoritatem habent absolvendi à casibus reservatis, & eâ uti possunt tam activè quàm passivè, modò in fraudem non expectetur absentia Guardiani.* Proindè optimè provisum est in nostra Provincia saluti subditorum in hac materia.

Si autem à me quæritur; An quando Capitulum Generale aut Provinciale solùm reservavit peccatum certum, Prælatus possit reservare peccatum dubium? Item quæ loca, & quas personas concernat hæc reservatio. Respondeo breviter:

CONCLUSIO IV.

Reservatio Prælatorum Regularium concernit etiam Novitios, sed tantùm in ordine ad Confessarium Regularem, eidem Prælato subjectum. Potest esse pro uno loco, & non pro alio. Si Capitulum solùm consentiat in reservationem peccati certi, Prælatus nequit reservare peccatum dubium.

53. Probatur ultima pars Concluſ.

INcipio ab ultima parte, quæ videtur clarè sequi ex Decreto Clement. VIII. licèt enim peccatum dubium non sit aliud à peccato certo, sed ejusdem planè speciei; equidem reservatio peccati dubii, alia est, à reservatione peccati certi, ùt patebit ex infrà dicendis, & nunc breviter ostendo. Quia quando Pontifex reservat aliquod peccatum, intelligitur de peccato certo, & non de dubio; quia dubium peccatum non est simpliciter peccatum, sed cum illo addito, *Dubium*; ergo in odiosis non venit nomine peccati. Iam autem Pontifex noluit, ùt fieret aliqua reservatio, extra casus, à se propositos, sinè consensu Capituli.

Peccatum dubium non est simpliciter peccatum.

Cùm ergo, ùt supponitur, Capitulum solùm consenserit in reservationem peccati certi, nequit Prælatus reservare peccatum dubium. Et per consequens peccata expressa à Pontifice, non potest Prælatus extendere ad peccata dubia, sinè consensu Capituli; quia Pontifex non censetur dare licentiam reservandi illa peccata, nisi eo modo, quo ipse solet peccata reservare: sed ipse non solet peccata dubia reservare; ergo &c.

Rursùm sequitur; si ex consensu Capituli, Generalis vel Provincialis, aliquod peccatum, præter enumerata à Pontifice, fuerit reservatum, ita tamen, quòd commiserit ejus Absolutionem Prælatis localibus, non posse Prælatos Superiores, sinè consensu Capituli, illam commissionem auferre; hoc quippe esset ex parte reservare de novo, seu restringere magis reservationem illius peccati; tantò siquidem magis est reservatum aliquod peccatum, quantò inferiores minorem habent potestatem illud absolvendi. Atque hæc satis certa sunt, & communiter recepta apud Auctores.

54. Pontifex in præfato Decreto Clem. non dat potestatem Capitulis reservandi peccata.

Solummodò adverte, Pontificem in præfato Decreto non dare potestatem Capitulis reservandi peccata; sed tantùm prohibere, ne Superiores, qui alioquin sinè consensu & discussione Capituli possent peccata reservare, ne, inquam, imposterùm aliquod peccatum, præter enumerata ibi, sinè discussione & consensu Capituli reservent: unde non auferitur potestas reservandi à Prælatis, & datur Capitulo; sed solùm restringitur potestas Prælatorum, respectu aliquorum peccatorum, ad discussionem & consensum Capituli, quâ discussione & consensu habito, adhuc liberum est, per se loquendo, Superiori, reservare, vel non reservare, quantùm est ex vi illius Decreti.

Patet ex verbis Pontificis: *Si quod aliud præterea peccatum grave, pro Religionis conservatione aut pro conscientiæ puritate, reservandum videbitur* (scilicet Regularium Superioribus, quibus §. 1. prohibet reservare alia peccata, præter enumerata) *id non aliter* (ab ipsis) *fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia maturâ discussione & consensu.* Sicuti si aliqua lex diceret: *Nemo fiat Iudex, nisi priùs examinetur & approbetur in aliqua Vniversitate.* Vel; *Nulla lex valeat, nisi eam priùs discutiant tales vel tales viri docti, & assentiantur expeditioni illius.* Non ideo illi habent potestatem condendi legem, sed tantùm conditam discutiendi & approbandi, ut vim habeat.

55. Sed nunquid, quia Pontifex suprà dicit: *Id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia* &c. bene infertur; ergo Generalis non potest reservare aliquod peccatum pro uno loco, seu pro una Provincia, & non pro alia; similiter Provincialis pro uno Conventu, & non pro alio?

Probatur 2. pars Concluſ.

Negat illam Sequelam secunda pars Concluſ. quæ etiam communis est, & probatur; quia fieri potest, ut pro una Provincia, vel pro uno Conventu sit necessaria reservatio alicujus particularis peccati, propter certas circumstantias, & non pro alia Provincia, vel pro alio Conventu: quis credat rebus sic constitutis, voluisse Pontificem auferre Superioribus jurisdictionem, reservandi peccatum aliquod pro uno loco, & non pro alio? Non est verisimile.

Itaque verba allegata non inducunt necessitatem reservandi collectivè in toto Ordine, vel in tota Provincia; sed necessitatem dumtaxat, non reservandi alia peccata in toto Ordine, vel in tota Provincia, hoc est, in aliqua ejus parte, sinè consensu Capituli Generalis vel Provincialis respectivè. Putas, quia non posset

Provincialis reservare casum de consensu Capituli pro tota Provincia, & postea ob certas rationes dare facultatem in omnibus locis absolvendi, excepto uno? Ergo etiam pro isto uno loco ab initio reservare, cùm sit par ratio.

56. An reservatio Prælatorum Regularium concernat Novitios? Negat Rodriguez, & probat.

Restat prima pars Conclus. quam docet Corduba lib. 1. qq. Theolog. q. 30. contra Rodrig. to. 1. qq. Reg. q. 21. a. 11. Ratio Rodriguez est; quòd Novitii non sint verè & realiter Religiosi; ergo non possunt ùt alii Religiosi ligari quoad hoc per Prælatos ad regulam vel statuta illius Religionis, ùt DD. communiter tenent, & deducitur ex jure cap. *Religioso* 21. de Sent. excom. in 6. ibi: *Quàmvis autem is, qui Religionem ingreditur, Religiosus censeri cum effectu non possit, donec sit tacitè vel expressè professus: si quis tamen violentas manus in eum iniciat, excommunicationis latæ à Canone vinculum non evadit.* Ita Bonif. VIII.

c. 21. de Sent. excom. in 6.

Igitur Novitius quantùm ad favores computatur inter Religiosos, quantùm verò ad odia minimè: jam autem reservatio casuum est odiosa, ac proinde quantùm ad illam Novitii non computantur inter Religiosos. Ecce præcipuum fundamentum sententiæ Rodrig. Ad quod

57. Responsio Cordubæ.

Respondet Corduba suprà: Bene stat, quòd Novitii non sint propriè & irrevocabiliter Religiosi, & quòd etiam quoad hoc teneantur astricti sub jurisdictione Prælatorum illius Religionis, utì sæculares, qui habent pro Curato Prælatum Religiosum; maximè dum sub eorum habitu cum aliis Religiosis commorantur.

Non est eadem ratio de præceptis Regulæ,

Nec est eadem ratio de præceptis Regulæ, quia Regulam nondum promiserunt; ergo non obligantur ad præcepta Regulæ, ita ut, illa transgrediendo, peccent contra Regulam: at verò obligantur jure divino & naturali de non faciendo injuriam Sacramento, & potestati Ecclesiasticæ spirituali, ut non procurent Absolutionem ab illo, qui non habet potestatem absolvendi, neque illam irritam faciant quantùm in se est. Quam quidem potestatem super eos, dum manere volunt in habitu Religionis, illi solùm Prælati, vel eorum vices habentes, tenent, qui alios professos absolvere possunt, ideò ab aliis Absolutio impensa nulla & sacrilega est.

58. Novitii liberè possunt ad sæculum reverti.

Dicitur notanter: *Dum manere volunt in habitu Religionis*; quia certum est, quòd Novitii liberè possint indè exire, si eis Religio non placeat; solùm enim ingrediuntur ad probandum vel experiendum, si mores Religionis illis placeant; cap. *Ad Apostolicam* 16. de Regul. ibi: *Licet tempus probationis à Sanctis Patribus sit indultum, non solùm in favorem conversi, sed etiam Monasterii: ut & ille asperitates illius, & istud, moves illius valeat experiri* &c.

cap. 16. de Regul.

Et cap. *Non solùm* 2. de Regul. in 6. ibi: *Nec constitutum infra huiusmodi annum* (probationis) *aliquatenus impedire, quò minùs infra ipsum ad aliam Religionem, quam maluerit, transeat: vel .... omnino ad sæculum redeat, sicut de sua voluntate processerit, præsumatis.* Ita Alex. IV. FF. Prædic. & Minor.

cap. 2. de Regul. in 6.

Cùm hoc tamen bene stat, quòd, dum ibi sub habitu ùt Novitii manere volunt, teneantur quoad hoc astricti sub jurisdictione Prælatorum. Alioquin quoad hoc, id est, quoad reservationem casuum, sub nullius jurisdictione erunt, nisi solius Pontificis, adeòque melioris conditionis, quàm professi, quod non est credibile.

Atque hæc sit probatio Conclusionis; nimirum quia Novitius subjectus est jurisdictioni spirituali Prælatorum Regularium, & exemptus à jurisdictione spirituali & temporali Episcoporum, quamdiu manet Novitius, ita quòd puniri possit & debeat à Prælato, & non ab Episcopo, aut alio Judice sæculari eo modo, quo professus, ùt cum Aliis docet Sanchez lib. 6. Sum. c. 10. n. 10. & 11. & certùm est, quòd possit absolvi sacramentaliter à Prælato; quare ergo similiter non posset ligari per reservationem casuum?

59. Probatur 1. pars Concl. Sanchez.

Nonne vagus & peregrinus subjacent reservationi Episcopi, in cujus Diœcesi confitentur, in ordine ad Confessarium illius loci? Planè, ùt videbimus Sect. sequenti. Quanrò magis Novitius, qui non vagus & peregrinus, sed quasi domesticus est Religionis, quam intendit profiteri, subjacebit reservationi Prælati illius Religionis, in ordine ad Confessarium Regularem, eidem Prælato subjectum? Non video ullam rationem disparitatis; imò majorem video rationem pro Novitio, quàm pro peregrino, cùm omnino certum sit, unumquemque subjacere reservationi Episcopi ejus loci, in quo habet domicilium aut quasi domicilium.

60. Confirmatur ex c. 1. de Privil. in 6.

Confirmatur ex cap. 1. de Privil. in 6. ibi: *Nisi forsan ipsi Monachi ad Monasteriorum suorum Prioratus, Ordinariis eisdem subiectos ..... fuerint destinati: tunc enim etsi liberè possint ad eadem Monasteria revocari, ac tam illorum, quàm ipsorum Prioratuum Monachi reputentur .... ratione tamen eorumdem Prioratuum, dicti Ordinarii suâ iurisdictione in ipsis, etiam quoad præmissa, quamdiu morantur in illis, licitè uti possint.*

Ergo similiter Prælati Regularium in Novitios, quamdiu morantur in Monasteriis, suâ jurisdictione uti poterunt. *Quia dignum est*, ùt loquitur Alex. III. cap. *Recolentes* 3. de Statu Monach. *ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam.* Et infrà: *Sic se in omnibus Religioni vestræ coaptent, ut quemadmodum gaudent se in societatem Ordinis & habitûs identitatem assumptas, sic etiam in paupertate sæcularium rerum, se latentur vestris institutionibus conformatas.*

c. 3. de Statu Monach.

Loquitur Pontifex de aliquibus domibus Religiosis, quæ se transtulerant ad Ordinem Cister-

Cistercienſem. Idem autem ego dico de Novitiis, qui ſe tranſtulerunt ad aliquam Religionem, & non ſolùm de paupertate, ſed & de aliis monaſticis diſciplinis.

61. Quid ad hæc reſpondeat Rodriguez.

Sed quid ad hæc Rodriguez? Dico, inquit, quòd Novitii ſubduntur Prælatis, non ùt Religioſi profeſſi, ſed ùt Novitii, qui obligati ſunt ad Religionis aſperitates ſupportandas, non ſub pœna peccati mortalis, ita ut peccent in eis deficiendo; ſed ſub pœna expulſionis à Religione, ita ut ad profeſſionem minimè admittantur. Et ſic poſſunt Prælati expellere à Religione Novitium, quem cognoverunt incontinentem, inobedientem, & ſubreptitiè eligentem Confeſſorem, præter nominatum ad Confeſſiones Novitiorum audiendas.

Et aliquibus interjectis ſic ait: Reſpondetur concedendo, ipſos Novitios poſſe incarcerari, ſi velint in Religione tempore noviatûs perſeverare: at ipſe carcer non eis tunc dabitur, ùt pœna judicialis, cùm Prælatus minimè ſit eorum Iudex, ſed ùt pœnitentia illis data & ab ipſis acceptata. Et ſimiliter in propoſito dicimus, quòd minimè poterunt abſolvi à Confeſſoribus, per ipſos electis, à caſibus reſervatis, nec ab aliis caſibus non reſervatis. At hoc non procedit ab obligatione coactiva, impoſita à ſuis Prælatis, ùt judicibus ſpiritualibus: non enim ipſis per profeſſionem ſunt ſubjecti; ſed procedit ab obligatione novitiali: quia Novitii, volentes perſeverare in Religione, obligantur ad Confeſſiones faciendas cum Confeſſoribus, pro ipſis deputatis. Et obligantur, etiam ſub pœna expulſionis à Religione, ad non eligendum alios Confeſſores extraordinarios, qui eos à reſervatis, & ab aliis abſolvant. Hæc ille.

62. Reſponſio impugnatur.

Sed ſatìs obſcurè; nam priùs dixerat, Novitios poſſe abſolvi ſinè licentia ſuorum Prælatorum à peccatis reſervatis; hìc autem dicit, minimè poſſe abſolvi à Confeſſoribus, per ipſos electis, à caſibus reſervatis & non reſervatis.

Si reſpondeas; priùs dixerat poſſe validè abſolvi, hìc autem dicit non poſſe licitè abſolvi; interrogo, peccatum iſtud ex quo oritur? Ubì non eſt lex, nec prævaricatio legis, ubì non eſt prævaricatio legis, nec eſt peccatum; ergo neceſſariò oritur illud peccatum ex aliqua lege. Rursùm quæro; vera lex nonne actus eſt juriſdictionis? Nemo ambigit. Et verò lex, quæ prohibet Novitio confiteri Confeſſoribus per ipſos electis, ſeu obligat confiteri Confeſſoribus pro ipſis deputatis, à quo lata eſt? Nonne à Prælatis? Igitur Prælati ſunt Iudices ſpirituales Novitiorum, volentium perſeverare in Religione.

63. Prælatus poteſt diſpenſare in votis Novitiorum.

Minimè, inquis, quia ſolùm eſt obligatio pœnalis, ſive ſub pœna expulſionis. Sed hoc eſt, quòd quæritur, & non ſatìs probatur à Rodrig. Putas, quia Prælatus non poſſit diſpenſare in votis Novitiorum? Probabilior ſententia concedit ipſi illam poteſtatem ſpiritualem; quàmvis non poſſit omnes actus juriſdictionis exercere, quia aliqui per jus commune excipiuntur, inter quos non eſt reſervatio caſuum.

Cur ergo non poſſit cogere Novitium aut impedire, ne cuilibet pro libito validè confiteatur? Suppoſito, quòd velit confiteri alicui ſubdito illius Prælati, qui poteſtatem ſubditi limitavit ad tales vel tales caſus, pro omnibus ſibi ſubjectis in hoc Sacramento, qualis eſt Novitius, ex hypotheſi, quòd velit in Ordine confiteri.

64. Novitius poteſt abſolvi à Sacerdote ſæculari.

Quod addo; quia non negamus, quin poſſit abſolvi à Sacerdote ſæculari. In quo utique procedit argumentum Rodrig. ſuprà, ſcilicet, quòd Novitius in favorabilibus ſit Religioſus, ſecùs in odioſis. Quippe poteſt validè confiteri illos caſus Sacerdoti ſæculari, quod non poſſet, ſi eſſet profeſſus; & inſuper poteſt confiteri Religioſo illius Ordinis, ſed illi tantùm, qui habet poteſtatem ſuper illos caſus, quibus innodatus eſt, niſi aliud conſtet de mente Superiorum, putà, quòd non velint eos comprehendere in reſervatione caſuum, ſicut velle poſſunt.

An autem generaliter velint eos non comprehendere, nobis haud ſatìs conſtat. Et ideò amplectimur ſententiam Cordubæ, & dicimus, per ſe loquendo non poſſe validè Novitios abſolvi à caſibus, in Ordine reſervatis, à Confeſſariis Ordinis, qui non habent poteſtatem reſervatorum; ſiquidem non apparet nobis aliqua efficax ratio, quare Superior non potuerit ita limitare eorum poteſtatem.

Dico *: *A Confeſſariis Ordinis*; quia alius Confeſſarius, qui ſæculares poteſt ab illis caſibus abſolvere, etiam poterit Novitium abſolvere, quia poteſt Novitius ſe illi validè ſubjicere, etiam ſinè licentia Prælatorum, ùt alibi diximus.

65. Novitii poſſunt à Prælatis puniri per poteſtatem coactivam ſeu judicialem, Sanchez.

Quod autem Rodrig. ſuprà dicit; hæc non procedere ex vi coactiva ſeu judiciali, frivolum videtur: aliàs enim, ùt ſuperiùs inſinuavi, exempti eſſent Novitii ab omni Iudice; cùm Epiſcopus non poſſit ipſos contra ſuam voluntatem judicare. Vide Sanchez lib. 6. Sum. cap. 10. Ubì, quàmvis teneat, Novitios non obligari ad præcepta Regulæ & Statuta; tamen docet, eos poſſe à Prælatis puniri, etiam per poteſtatem coactivam & judicativam, quoniam Prælatus eſt verus eorum Superior & Iudex in foro externo, ita quòd poſſit eos excommunicare & aliis cenſuris innodare, ſicut poſſet Epiſcopus, qui pro illo tempore non habet majorem poteſtatem in Novitios, quàm in Profeſſos, ſeclusâ liberâ voluntate Novitiorum.

Probabilitas itaque Concluſionis noſtræ certò oſtenſa eſt, quàmvis etiam oppoſita opinio Rodrig. ſuprà, Portel in dub. Reg. verb. Opinio Rodriguez & Aliorum eſt probabilis.

Novitii Absolutio. n. 34. Villalobos in Sum. to. 1. tract. 9. diff. 56. n. 6. Mirand. in Manu. Prælat. to. 2. q. 34. a. 16. in fine, & Aliorum, quos citat & sequitur Dian. part. 3. tract. 2. resol. 4. non sit improbabilis.

His ita constitutis de casibus, qui vel reservati sunt, vel reservari possunt Prælatis Regularium; quantùm ad casus reservatos Episcopis, Dico:

CONCLUSIO V.

Iure scripto nullum est peccatum Episcopis propriè reservatum, exceptâ procuratione abortûs. Casus alios alibi hi sibi reservant.

66. Procuratio abortûs est casus iure scripto reservatus Episcopis.

EXcipio procurationem abortûs, propter Bullam Greg. XIV. quæ incipit: *Sedes Apostolica* 8. apud Cherubinum, in qua §. 2. moderatur Constitutionem Sixti V. editam contra abortum quovis modo procurantes & eorum complices, sic, inquam, moderatur, ut peccatum istud, quod Sixtus V. reservaverat Sedi Apostolicæ, reservet soli Ordinario loci.

Constitutionem prædictam (inquit Greg.) *sic duximus moderandam, ut à peccato & excommunicatione, contra personas ibi expressas latâ, tam quoad eos, qui hactenus deliquerunt, quàm quoad illos, qui post nostram Constitutionem in eisdem casibus deliquerint, quilibet Presbyter tam sæcularis, quàm cuiusvis Ordinis Regularis, ad Christi fidelium Confessiones audiendas, & ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam & liberam in foro conscientiæ tantùm absolvendi habeat facultatem, eamdem prorsus, quam idem Sixtus prædecessor sibi ac suis successoribus reservavit.*

Ubi cùm requirat specialem deputationem per loci Ordinarium, satìs significat, ante talem deputationem, solum Ordinarium posse ab illo peccato absolvere; ergo procuratio abortûs est casus reservatus Episcopo à jure scripto, id est, ab illa Constitutione Greg. XIV.

67. Nulla alia reservatio legitur in jure communi.

Alias reservationes non lego in jure communi, estò Extravagans: *Super Cathedram* de Sepult. non foret revocata, sicuti reverà non est revocata, sed confirmata per Clement. *Dudum* de Sepult. ùt patet ex textu, ibi: *Aliam, à præfato Bonifacio editam, sacro instante & approbante Concilio innovamus; subiicientes tenorem illius, qui dignoscitur esse talis: Bonifacius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Super Cathedram &c.*

Hæc, inquam, Extravagans non contradicit Conclusioni nostræ, cùm in ea nulli casus reservati exprimantur, ùt perspicuè manifestum erit eam legentibus. Unde graviter errat Suarius Disp. 29. Sect. 3. n. 5. ibi: Tertius modus (quo intelligi potest fieri reservatio Episcopis) est jure communi, & ita solent quinque vel sex casus numerari, jure communi reservati Episcopis ex Extravag. *Super Cathedram* de Sepult. Hæc ille. Suarez.

Et n. 6. respondet: Ex dicta Extravag. non sumitur argumentum firmum; nam prorsus revocata est in Clement. *Dudum* de Sepult. Et licèt Aliqui contendant, non esse revocatam simpliciter, sed quoad aliqua, quod significat Glossa ibi, & Sylvester verb. *Casus*: tamen verba revocationis absoluta sunt: *Omninò cassamus*. Et quàmvis non esset universalis, haberet locum in hoc puncto: nam spectabat ad restringenda privilegia Mendicantium, quæ restrictio in alio textu tollitur.

Addo præterea; Pontificem ibi non condidisse novum jus de reservatione casuum, sed obiter retulisse casus, qui tunc erant reservati communi jure aut consuetudine; & fortasse tunc hi casus erant recepti: nunc autem ex vi illius juris non oportet reservationem durare. Hactenus Suarez. Sed, sicut dixi, graviter errat nisi sit vitium Amanuensis vel Typographi, qui transcripsit vel impressit, loco Extravag. *Inter cunctas* de Privil. Extravag. *Super Cathedram* de Sepult.

Itaque in Extravag. *Inter cunctas* de Privil. quinque vel sex casus reservati numerantur ibi: *Sicq. de casibus Episcopis & Superioribus, quos superiùs annotamus, ac Sedi Apostolicæ reservatis, se nullatenus intromittant.* Loquitur ùt patet, de casibus reservatis non tantùm Episcopis; de quibus hìc solùm agitur, sed etiam reservatis Sedi Apostolicæ. 68. Casus de quibus non est in usu.

Sequitur numeratio casuum. *Observent ergo solicitè dicti Fratres, ne ad Confessiones recipiant criminosos criminibus, pro quibus solemnis est pœnitentia indicenda.* Ecce primus casus, qui amplius non est in usu; quia pœnitentiæ publicæ jam sublatæ sunt, & si quæ supersunt, pertinent ad forum contentiosum, nec ratione earum censentur reservata peccata, nisi etiam habeant censuram annexam. Primus, quia non est in usu.

Secundus casus exprimitur his verbis: *Modo eodem excommunicatos respuant.* Adjungitur tertius: *Et Clericos, qui propter delictum irregularitatem aliquam incurrerunt.* 69. Secundus & tertius.

Sed veritas est, inquit Suarez suprà n. 8. dispensationem irregularitatis esse reservatam vel Pontifici, vel Episcopo, si sit occulta. Culpa autem per se reservata non est; immo stante irregularitate, potest quis absolvi à tali culpa à quolibet proprio: quia irregularitas (in quo inter alia differt ab excommunicatione) non impedit Sacramentorum susceptionem. Et hæc est etiam sententia communis. Ita Suarez. Suarez. Culpa per quam incurritur irregularitas, per se non est reservata.

Quantùm ad excommunicationem, quando simpliciter fertur in jure, nulla fit reservatio Episcopo, 70. Ac excom-

munication, quæ simpliciter fertur in foro, sit reservata. Suarez.

Episcopo, sed quilibet Parochus, vel alius æqualis illi in jurisdictione, potest & à culpa, & à tali excommunicatione absolvere, juxta cap. *Nuper* de Sent. Excom. in 6. Hæc Suarius.

Sed ly *In 6.* errore Typographi vel Amanuensis, ùt credibile est, additum fuit; quia nullum tale cap. habetur in 6. Ubì ergo? lib. 5. estque in ordine 29.

cap. Nuper de Sent. excom.

Et ad quæstionem: *Vtrùm qui nominatim excommunicatis scienter communicant, solvi ab excommunicatione possint per Confessionem à simplici Sacerdote, vel Episcopi seu Archiepiscopi sit ab eis absolutio expetenda?* Respondet cum distinctione: *Si in crimine communicet criminoso, ei consilium impendendo, auxilium vel favorem..... cùm.... per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnavit: ab eo vel eius Superiore, meritò delicti tunc erit absolutio requirenda: cùm facientem & consentientem par pœna constringat.*

Si autem solùm communicet *in oratione vel osculo, aut orando secum, aut etiam comedendo..... à suo* (inquit Pontifex Innoc. III.) *Episcopo vel à proprio Sacerdote poterit Absolutionis beneficium obtinere: quàmvis enim & tunc non Iudicis, sed iuris sententia excommunicato communicans sit ligatus: quia tamen conditor Canonis, eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.*

71. Non est reservata vi Extravag. Inter cunctas.

Ergo ex vi istius Extravag. non reservatur Episcopo quodcumque peccatum, quod habet annexam excommunicationem majorem; sed hoc solum est verum, quando excommunicatio per se est reservata Papæ, & in aliquo particulari casu committitur Episcopo in jure, utì fit in excommunicatione Can. *Si quis suadente*; argum. cap. *Pervenit* 17. de Sentent. Excom. *De his absolvendis, qui Clericis non enormem, sed modicam & levem iniuriam irrogarunt, tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendum.*

cap. 17. de Sent. excom.

Absolutio percussionis Clerici in casu committitur Episcopo.

Immo etiam committitur enormis, quando percutiens est legitimè impeditus adire Pontificem cap. *Ea noscitur* 13. eodem titulo. *Consultationi tuæ taliter duximus respondendum, quòd mulieres, senes, & valetudinarii seu membrorum destitutionibus impediti, licèt ad Apostolicam Sedem non veniant, ab Episcopis valeant fidelium communioni restitui &c.*

cap. 13. de Sent. excom.

72. Vti etiam ab omnibus aliis peccatis, reservatis Pontifici occultis Trident.

Idemque committitur Episcopis à Conc. Trident. sess. 24. c. 6. de Refor. in omnibus peccatis occultis. *Liceat*, inquit, *Episcopis ... in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum.*

Sed hæc non tam est reservatio, quàm delegatio seu commissio; quia supponitur peccatum reservatum Pontifici, & manet reservatum Pontifici, solumque delegatur seu committitur potestas absolvendi, si fuerit occultum, Episcopo.

Et ideo signanter posui in Conclusione ly *Propriè*; quia illud peccatum non est propriè reservatum Episcopo, prout suprà diximus, propriè reservatam procurationem abortûs, utpote quæ ampliùs non est reservata Pontifici, cùm sive sit publica, sive occulta, sive pateat aditus ad Sedem Apostolicam, sive non, Episcopus & quilibet alius Sacerdos, qui ad hoc fuerit ab Ordinario deputatus, possit ab ea absolvere eâdem potestate, quâ anteà poterat absolvere Pontifex. Atque hæc satìs de tertio casu.

Illa peccata non sunt propriè reservata Episcopo.

Quartus casus est de peccato incendiarii, & exprimitur his binis verbis: *Incendiarios etiam.* Sed jam dixi, inquit Suarez suprà n. 9. ex vi illius textûs nullam haberi reservationem.

73. Quartus casus de incendiariis. Suarez.

Prorsus dixisti: sed an bene, hoc quæritur. Dicis, revocationem factam per Clement. *Dudum.* locum habere in hoc puncto: nam spectabat ad restringenda privilegia Mendicantium, quæ restrictio in alio textu tollitur. Dicis quidem; sed alium textum, in quo tollitur illa restrictio, non commemoras.

Et dato; quòd Pontifex ibi non condiderit novum jus de reservatione casuum, sufficere videtur, quod referat illum casum, ùt tunc reservatum communi jure; immo sic referre, & non tamquam reservatum consuetudine, colligitur ex verbis sequentibus, quibus Pontifex explicat casus consuetudine reservatos dicens: *Eos*(3), *qui tam enormibus sunt intetiti peccatis, quod ea rationabilis consuetudo, præscripta canonicè, in Episcopatibus aliquibus reservavit Episcopis, similiter non admittant, quam consuetudinem (ex causa, quæ iustè ad id animum nostrum movit) solummodo circa voluntariè homicidas, falsarios,* (id est, qui faciunt scripturas falsas, vel ex falsis faciunt veras) *Ecclesiarum immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ violatores, & sortilegos approbamus.*

Ergo peccatum incendiarii tunc erat non consuetudine, sed jure potiùs scripto reservatum. Sed non ostenditur, ubì illud jus scriptum fuerit revocatum; ergo manet reservatum jure scripto, quodcumque illud sit.

74. An peccatum incendiarii adhuc sit reservatum.

Fortè illud jus erat Constitutio Innoc. II. & refertur 23. quæst. 8. cap. 32. hisce verbis: *Pessimam siquidem & depopulatricem & horrendam incendiariorum malitiam, auctoritate Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli omnino detestamur & interdicimus.* Et infrà: *Si quis ergo post huius nostræ prohibitionis promulgationem, malo studio, sive pro odio, sive pro vindicta, ignem apposuerit, vel apponi fecerit, aut appositoribus consilium vel auxilium scienter tribuerit, excommunicetur: & si mortuus fuerit incendiarius, Christianorum careat sepulturâ, nec absolvatur, nisi priùs damno, cui intulit, secundùm facultatem suam resarto, iuret se ulteriùs ignem non appositurum. Pœnitentia autem ei detur,*

c. 32. 23. q. 8.

ei detur, ùt Hierosolymis, aut in Hispania in servitio Dei per annum integrum permaneat. Si quis autem Archiepiscopus vel Episcopus hoc relaxaverit, damnum restituat, & per annum ab officio Episcopali abstineat.

75. Videtur quòd non.

Sed, inquit Suarez suprà n. 9. ibi nullam invenio reservationem, sed solum præceptum quoddam, ut talis peccator non absolvatur, nisi tali vel tali pœnitentiâ impositâ, in qua Episcopus dispensare non possit: ibi tamen non limitatur Absolutio, vel impositio pœnitentiæ ad solum Episcopum. Hæc ille.

Hoc peccatum non habet ipso jure annexam excommunicationem.

Ubì etiam bene advertit, hoc peccatum non habere ipso jure excommunicationem annexam, tamen si semel ab homine feratur excommunicatio, ratione illius statim manet reservatum Papæ, ex cap. *Tua nos* 19. de Sentent. Excom. ibi: *Fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd non solùm, qui in Clericos temerarias manus inicium, sed etiam incendiarii, ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro Absolutionis beneficio ad Apostolicam Sedem sunt mittendi.* Ita Clemens III.

cap. 19 de Sent. excom.

Ubì Glossa verb. *Publicati. Non credò*, inquit, *quòd omnes incendiarii generaliter ipso iure sint excommunicati, nisi de incendiario Ecclesiarum, cùm de aliis non inveniam. Et per hanc Decret. non probatur, quòd ipso iure sint excommunicati: sed illis primò excommunicatis ab Episcopis, subsecutâ publicatione ac denunciatione, Papa per hanc Decret. reservat sibi eorum Absolutionem ad terrorem.*

76. Itaque si jure scripto reservatum est hoc peccatum, certè non alio, quàm Extravag. *Inter cunctas*, quæ cùm revocata sit per Clement. *Dudum*, si non quoad omnia, saltem quoad aliqua; cur non erit revocata quoad reservationem illius peccati?

Episcopi in Constitutionibus Synodalibus reservant sibi incendium.

Quod probè scientes Episcopi, in Constitutionibus Synodalibus reservant sibi incendium, utì etiam homicidium, sortilegium & alia plura, ùt videre poteris apud alios Auctores, qui enumerant omnes casus, in singulis Episcopatibus specialiter reservatos.

Attendenda quoque consuetudo, quæ sicut potest dare jurisdictionem, ita etiam eam auferre, & per consequens aliquod peccatum reservare Episcopo, aliàs ex jure scripto non reservatum, de quo jure tantùm loquitur nostra Conclusio.

77. An Episcopi possint sibi reservare casus Pontificios.

Cæterùm si à me quæritur, an Episcopi possint sibi reservare casus Pontificios? Responsio negativa dicitur declarata per Cardinales apud Quarant. verb. *Casus reservatus*, quam Declarationem refert Lugo disp. 20. n. 151. dicens: Sacra Congregatio Card. de mandato Clement. VIII. in suo Decreto edito a. 1602. circa casus reservatos, prohibuit, ne de cætero Episcopi reservarent sibi casus, legi solitos in Bulla Cœnæ, nec alios Sedi Apostolicæ specialiter reservatos.

Pars affirmans est difficilis

Difficile est ad intelligendum, inquit Suarez Disp. 31. Sect. 4. n. 26. posse idem peccatum absque censura esse reservatum Papæ, & Episcopo, & sic de aliis cum proportione. Nam hoc ipso quòd Pastor Supremus seu altior sibi reservat peccatum, extrahit illud à jurisdictione omnium inferiorum: nihil ergo habent inferiores, quod possint sibi reservare. Quòd si hoc ita est, rectè sequitur, per facultatem ejusdem Pastoris Supremi tolli sufficienter reservationem: quia Superior potest jurisdictionem concedere, inferiore etiam renuente; atque hoc non solùm ex usu, sed etiam ex rigore juris verum est. Hæc ille.

Igitur reservatio casûs Pontificii, quæ fieret ab Episcopo, planè frustranea; nam cum sola licentia Episcopi nequit aliquis absolvere à tali casu, & cum licentia Superioris potest absolvere, etiam contra voluntatem inferioris.

Fingi tamen, inquit Suarez suprà, potest casus, in quo Episcopus aliquod peccatum reserver simul cum Papa pro illis temporibus, vel sub ea conditione, si Papæ reservatio cessaret; & è converso quòd Papa tollat suam reservationem, non simpliciter dando jurisdictionem aut facultatem, sed solùm quantùm est ex se non auferendo: & in eo casu verum est, ablatâ reservatione Papali, non auferri Episcopalem. Hic autem casus potiùs excogitatus est, quàm moraliter contingens; & ideo, quoad hoc verificari potest, quòd juxta communem usum ablatâ reservatione Papali, nulla manet inferior. Hactenus præfatus Auctor. Quem sequitur Lugo suprà n. 149.

Addit Eminent. n. 150. quando Prælatus inferior, v. g. Episcopus, prohiberet denuò sub excommunicatione sibi reservata peccatum, jam prohibitum à Prælato Superiori, v. g Papa, sub excommunicatione sibi reservata; tunc licet obtentâ Absolutione ab excommunicatione Pontificia, adhuc non auferatur excommunicatio Episcopi; fuisse tamen ablatam reservationem peccati: quia cùm Episcopus non potuerit reservare sibi peccatum, quod Papa sibi reservaverat; consequens est, ut solùm reservaverit excommunicationem à se latam: quare ablatâ excommunicatione Pontificis, qui sibi reservaverat peccatum, auferetur tota reservatio peccati. Hæc ille.

Sed in primis, Episcopum non potuisse sibi reservare peccatum, quod Papa sibi reservaverat, non videtur (quidquid sit de illa Declaratione Card. quæ fortè non est authentica post Constitutionem Urbanianam, de qua alibi mentionem fecimus) non videtur, inquam, usu receptum in nostris partibus, cùm in Archiepiscopatu Mechlinienſi, in Episcopatu Antuerpiensi, Brugensi, Gandensi, Ruræmondensi, & Iprensi reservata sit hæresis, quæ tamen reservatur à Pontifice in Bulla Cœnæ primo loco.

Deinde, estò in jure fundatum sit, altero ex duo-

duobus impedimentis sublato, alterum non tollitur.

ex duobus impedimentis sublato, alterum non tolli; argument. cap. *Ex tuarum* 5. de Auct. & usu pallii. ibi: *Dummodò is, ad quem Ecclesia pertinet, id permittat.* Ubi Glossa verb. *Permittat. Nota*, inquit, *quòd Papa licèt alicui det privilegium, non vult tamen, quòd utatur eo in præjudicium alicuius.*

Et clariùs leg. 21. ff. de Servit. præd. Urban. *Si domus tua ædificiis meis utramque servitutem deberet, ne altiùs tolleretur, & ut stillicidium ædificiorum meorum recipere deberet, & tibi concessero ius esse, invito me, altius tollere ædificia tua: quod ad stillicidium meum attinet, sic statui debebit: ut, si altius sublatis ædificiis tuis, stillicidia mea cadere in ea non possint, eâ ratione altiùs tibi ædificare non liceat; si non impediantur stillicidia mea, liceat tibi altiùs tollere.*

80. Consuetudo habet, ut ablatâ excommunicatione Papali, etiam auferatur Episcopalis. *Navar.*

Estò, inquam, in his juribus fundatum esset, quòd ablatâ excommunicatione Papali, adhuc maneat excommunicatio Episcopalis; videtur tamen, inquit Navar. in Man. c. 27. n. 261. usu indistinctè interpretatum, sublatam esse Episcopalem reservationem & censuram, sublatâ Papali. Porrò consuetudo est optima legum interpres. Hæc igitur in hujusmodi rebus maximè attendenda & sequenda.

Supereſt ut explicemus, quorum, & quæ peccata; mortalia, an etiam venialia; certa, an etiam dubia; externa, an etiam interna, soleant aut possint à Prælatis reservari. Equidem quod ad personas attinet, quarum peccata communiter reservantur, Dico:

CONCLUSIO VI.

Reservantur peccata eorum, qui in hoc foro subsunt reservanti, etiam impuberum, quando reservatio non est pœnalis. Quando est pœnalis, ab his non incurritur. Sed neque à pubere, qui ignorat invincibiliter prohibitionem Ecclesiæ circa aliquod delictum, in cujus pœnam imponitur reservatio.

81. Probatio 1. partis Concluſ.

PRima pars est communis, cùm enim reservatio, ùt dictum est, sit limitatio jurisdictionis, non potest concernere nisi eos, qui jurisdictioni illi subjecti sunt, & omnes illos concernit, nisi obstet aliqua specialis prohibitio Prælati superioris.

Probatur 2. pars.

Ex quo infero secundam partem; videlicet, reservationem non pœnalem concernere peccata impuberum, quia impuberes subsunt jurisdictioni reservantis, & nulla obstat specialis prohibitio. Quòd subsint jurisdictioni reservantis, nemo potest dubitare: specialis autem prohibitio vel exceptio Prælati superioris, ubi extat? Equidem illa ætas maximè requirit convenientes medicinas, cùm sibiipsis impuberes rarò sint sufficientes, cur ergo excusabimus eos à reservatione purè putè medicinali?

An fortè excusantur ab observatione disciplinæ populi Christiani? Cùm ergo reservatio juxta Trident. sess. 14. c. 7. pertineat ad Christiani populi disciplinam, quâ ipsi indubiè cum aliis obligantur, etiam cum aliis obligantur peccata sua atrociora & graviora, quibus nonnunquam implicantur, confiteri Summis Sacerdotibus, Episcopis, vèl aliis Prælatis.

Quidquid in contrarium Quidam doceant apud Dia. part. 2. tract. 1. Miscell. resol. 1. hâc solâ ratione: quia sicut minor ætas in foro exteriori excusat à pœna ordinaria, ita & in animæ judicio. Quæ ratio nullius momenti est; quia ad summum probat, eos excusari à reservatione pœnali, dum videlicet extraordinariè reservatur Absolutio alicujus peccati in odium illius, ùt fecit Sixtus V. contra malè promotos ad Ordines Bullâ: *Sanctum & salutare* 91. apud Cherubinum. 82. Ratio pro sententia opposita. *Diana.*

Dico, *Extraordinariè*, quia communiter reservatio refertur ad bonam Ecclesiæ gubernationem, estque lex quædam determinans certo modo, in quibus, pro meliori remedio applicando, debet recurri ad Prælatum pro Absolutione. Sive, quod in idem recidit, est dispositio legis de jurisdictione in commune bonum, & non propriè dicta punitio. Reservatio non est propriè dicta punitio.

Proindè, juxta veriorem sententiam, in universali seu communi reservatione includuntur peccata impuberum; immo & ignorantium reservationem. Veluti in universali irritatione alicujus actûs, includuntur actus ignorantium irritationem; quia tota causa legis irritantis, scilicet bonum commune, non minùs habetur ex irritatione actûs, qui fit cum ignorantia invincibili, quàm qui fit cum scientia hujusmodi legis: quippe non minùs repugnat bono communi, si quis inscius consanguinitatis contrahit cum consanguinea, quàm si conscius contrahat: ergo nulla est ratio, quare ille contractus ignorantium non sit irritus. 83. In universali irritatione alicujus actûs, includuntur actus ignorantiæ irritationem.

Consimiliter in præsenti casu, non minùs repugnat bono communi peccatum commissum ab ignorante reservationem, quàm commissum cum scientia reservationis; ergo nulla est ratio, quare potiùs unum peccatum sit reservatum, quàm aliud.

Interim in casu particulari si aliqua reservatio fuerit pœnalis, sicut esse potest, eodem modo ignorantia excusabit à reservatione, quo excusat ab irritatione pœnali, & ab aliis pœnis extra censuras. Nam de censuris secundùm aliquos DD. est dissimilis ratio: siquidem requirunt præsumptior specialem modum contumaciæ & scientiæ; argum. cap. 48. de Sentent. Excom. *Sacro* 84. Ignorantia excusat à reservatione pœnali, sicut ab irritatione pœnali.

approbante Concilio prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissâ ..... promulgare præsumat. Et

c. 26. de Appel. cap. *Reprehensibilis* 26. de Appell. ibi: *Præsenti Decreto statuimus, ut nec Prælati (nisi canonicâ admonitione præmissâ) suspensionis vel excommunicationis sententiam proferant in subiectos &c.*

Quàmvis autem hæc jura loquantur de censurâ ab homine ferenda, eadem tamen est ratio de censurâ à jure latâ (putà, quia censura ordinatur per se primò ad puniendum delictum, sed ad ejus emendationem, sive ad cogendum peculiari modo, ne committatur) nisi quòd in hac non requiratur alia monitio, quàm ipsum jus, quod continuè quasi monet hominem, probè scientem illud jus.

A censura excusat ignorantia solius censuræ.

Et propter hanc specialem rationem, DD. communiter existimant, excusare à censurâ ignorantiam solius censuræ; etsi id Plurimi negent de ignorantia alterius pœnæ, dummodò adsit notitia præcepti divini vel humani, cujus transgressio tali vel tali pœnâ vindicatur. Sicut enim hæc ignorantia non excusat à culpa; ita nec à pœna, pro illa culpa imposita; quoniam non cessante causâ, non cessat effectus.

85. Objectio.

Si dixeris: omnis pœna debet esse voluntaria, saltem in sua causa, ad quod requiritur, non solùm cognitio ejus, quod est causa, sed etiam quatenus est causa, sive sub ratione causæ.

Solvitur.

Respondetur; hoc principium neque per se esse notum, neque ullâ ratione sufficienter posse demonstrari. Satìs ergo est, quòd homo consentiat in culpam, quæ est causa pœnæ: nam ex vi culpæ ita subjicitur potestati Iudicis, ut possit ab illo puniri justâ pœnâ, vel juxta leges, si in illis contineatur, vel ejus arbitrio, si huic est commissa. Quòd verum existimant hi Auctores, sive pœna sit ordinaria, sive extraordinaria & rigorosa, modò non excedat proportionem delicti, etiam cum tali ignorantia commissi.

Nonne frequenter contingit quosdam malefactores pœnis aliquibus affici, quas priùs ignorarunt? Nonne Deus pœnâ æternâ punit peccatorem, tametsi nunquam ejus scientiam habuerit? Quid si nulla pœna lege sit statuta, putas, quia reus nullam pœnam determinatam scivit, ideo non poterit aliquâ pœna determinatâ plecti?

86. Objectio.

Dices; talis scivit saltem in genere pœnam esse debitam delicto; ergo censetur consensisse, saltem in pœnam ordinariam, licèt non in extraordinariam.

Solvitur.

Respondeo; consensisse in omnem proportionatam delicto; non enim est ratio, quare magìs in unam, quàm in aliam. Hinc quando ob ignorantiam pœnæ, moraliter ita mutaretur quantitas vel qualitas delicti, ut jam meritò censeretur pœna excedens modum, & proportionem delicti, libenter admitto, talem ignorantiam excusare ab illa pœna. Verumtamen pœna lege præscripta extra censuras, vel non excedit gravitatem illius delicti, facti cum ignorantia pœnæ; vel dic, non semper pœnam lege præscriptam, ita geometricè esse commetiendam delicto, ut si hoc aliquantulum levius fiat ex ignorantia vel alia causa, pœna quoque legis minuenda sit; quippe quod parùm est in moralibus, pro nihilo reputatur. Secùs quando excessus esset gravis.

Probabile ob ignorantiam solius reservationis pœnalis non excusare à reservatione.

Qualis utique excessus non reperitur inter peccatum reservatum, commissum cum ignorantia solius reservationis pœnalis, & ipsam pœnam reservationis, ut propterea hæc ignorantia debeat ab illa pœna excusare, dummodò peccans sciverit prohibitionem Ecclesiæ circa illud delictum, in cujus pœnam imposita fuit reservatio; v. g. in exemplo suprà posito, scivit specialem prohibitionem Sixti V. ignoravit reservationem, dico; probabilius est malè promotum incurrisse reservationem.

87. Quid si ignoraverit prohibitionem adhìc? vide Sanchez illam ignorantiam non excusare.

Quid si etiam ignoraverit ipsam prohibitionem? Sanchez lib. 9. de Matr. disp. 32. n. 18. existimat non incurrisse, estò sciverit se peccare.

Nec obstat, inquit ille, si objicias, per reservationem tolli jurisdictionem absolvendi, & ita ignorantiam non efficere, ut Absolutio illa sit valida; sicuti si bonâ fide quis simplici Sacerdoti fateretur. Dicendum enim est, aliud esse in reservatione simpliciter facta, quæ ad bonam Ecclesiæ gubernationem refertur, ut graviora delicta Superioribus reserventur: aliud verò de reservatione præcepta in lege, quæ est pœna & accessoria, atque adeò sequitur naturam principalis & pœnæ.

Sicut in simili, agens de legis promulgatione, distinguit Glossa in prœmio Clementinarum verbo *De cetero*, vers. *Hæc vera nisi dicas*: ubì ait, aliud esse in privilegio simpliciter dato, & aliud in privilegio in lege concesso, debet enim naturam legis, tamquam ipsi accessorium, imitari. Hucusque Sanchez.

88. Invincibilis ignorantia legis humanæ excusat à culpa & pœna. cap. 2. de Constit. cap. 2. de Appell.

Cùm ergo ignorantia invincibilis legis humanæ excusat à culpa, consequenter videtur etiam excusare à pœna, imposita pro illa culpa; argum. cap. 2. de Constit. *Rem quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit.* Et cap. 60. de Appell. *Cùm cessante causâ, cessat effectus.*

Porrò cessare causam, id est, culpam, colligitur ex cap. 2. de Constit. in 6. *Ut animarum periculis obvietur, sententiis, per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.* Et quàmvis aliqui per *Ordinarios*, ibi intelligant solos Episcopos, equidem eadem ratio militat in statutis & sententiis

tentiis Pontificiis, videlicet: *Ut animarum periculis obvietur.* Immo (inquit Sanchez suprà n. 11.) major est ratio: facilius enim jus Pontificium commune ignoratur.

cap. 1. de Constit. in 6. Sed hoc repugnare videtur ei, quod cap. 1. de Constit. in 6. dicitur: *Licèt Romanus Pontifex (qui iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem &c. quia tamen locorum specialium & personarum singularium consuetudines & statuta (cùm sint facti & in facto consistant) potest probabiliter ignorare &c.* Ergo faciliùs ignoratur statutum particulare alicujus Episcopi, quàm jus Pontificium commune.

89. In foro externo ignorantia juris communis præsumitur vincibilis. Reg. 13. de Reg. juris in 6. Sotus. Hinc in foro externo, ignorantia juris communis præsumitur vincibilis, adeòque non excusat in eodem foro, juxta Reg. 13. de Reg. juris in 6. *Ignorantia facti, non iuris excusat,* quia nimirùm ignorantia juris ordinariè est vincibilis, aut saltem talis præsumitur.

Et ita intelligo Doctorem Subtilem, quando 4. dist. 13. q. 2. n. 16. ait: *Ignorantia iuris non excusat, quia tenetur ille, qui se exponit ad tantum actum* (putà, consecrationem Eucharistiæ) *scire iura, secundùm quæ potest exercere tantum & talem actum, & ideo talis ignorantia iuris non excusat, sed fortè magis aggravat.* Quidquid sit de hoc, sufficit nobis, quòd eadem ratio militet in sententiis & statutis Pontificiis, quæ militat in sententiis & statutis Episcoporum, ut eadem ignorantia, scilicet invincibilis, excuset à culpa, & consequenter à pœna.

90. Objectio. Sed dicet aliquis; in casu proposito ignorantia non excusat à culpa, nam supponitur, malè promotus peccasse contra legem divinam, vel certè antiquam legem humanam, quam probè noverat, quàmvis ignoraret Constitutionem Sixti V. Ergo non excusatur à pœna reservationis, quoniam hæc constituta est, non solùm propter culpam contra novam prohibitionem; sed maximè ad puniendum peccatum contra legem divinam, vel contra antiquam legem humanam.

An ad incurrendas pœnas satis sit delinquentem nosse se peccatum admittere Hinc Multi probabiliter docent, ùt videre poteris apud Sanchez suprà n. 7. & n. 16. (quàmvis ipse n. 9. & n. 17. teneat oppositum, plurimis pro eo citatis Auctoribus; & allegatis juribus & rationibus) satis esse ad omnes pœnas incurrendas, delinquentem nosse se peccatum admittere, quàmvis prorsùs ignoret jus positivum prohibens sub illis pœnis.

91. Fateor Multi id docent; sed nobis cum Sanchio probabilius & verius apparet oppositum, nisi contrarium constet de mente Legislatoris, videlicet voluisse illâ pœnâ punire solam transgressionem legis divinæ, aut alterius legis humanæ, quod meo judicio (salvo meliori) potest velle.

Quantitas pœnæ metienda est ex delicti quantitate, argum. c. *Felicis* 5. de Pœnis in 6. ibi: *Illud autem non duximus omittendum, quòd si quis fuerit in præmissis nudo consilio, aut simplici favore culpabilis, Iudex in talem, pœnam metiatur ex culpa, ut secundùm quod excessus exegerit, vindicta procedat.*

Quantitas pœnæ metienda est ex delicto. cap. 5. de Pœnis in 6.

Et cap. 2. de His quæ fiunt à majori parte Capituli, ibi: *Sed si quis ex his deliquerit, Ecclesiasticæ correctioni subiaceat: cùm peccata suos Auctores tenere debeant, nec pœna sit ulteriùs protrahenda, quàm delictum fuerit in excedente repertum*

c. 2. de His quæ fiunt &c.

92. Legislator potest velle punire reservatione peccatum, factum cum ignorantia reservationis? Licèt, inquam, hoc verum sit; equidem potest esse sufficiens proportio seu commensuratio inter nudam transgressionem legis divinæ vel alterius legis humanæ ab una, & pœnam reservationis ex altera parte; cur ergo non poterit Legislator velle punire tali pœnâ illam transgressionem, absque nova prohibitione seu nova lege? Et quare tali casu peccans contra jus divinum, vel antiquum jus humanum; cum ignorantia pœnæ, non incurreret illam pœnam? Causa enim tunc non cessat; ergo nec effectus cessare debet, quàmvis ipse talem effectum ignoraverit.

sed non præsumitur id velle. Reg. 30. & 49. de Reg. Iur. in 6. Cæterùm, quia illa voluntas Legislatoris obscura est, & ùt habet Regula juris 30. de Reg. juris in 6. *In obscuris minimum est sequendum.* Et Reg. 49. eodem: *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* Sic interpretari possumus verba legis pœnalis, ut Legislator nolit infligere pœnam, nisi propter culpam commissam contra novam legem, prohibentem talem vel talem actum, sub hac vel illa pœna: cùm ergo in nostro casu malè promotus non peccet, defectu inculpabilis ignorantiæ, contra novam legem [illegible] V. sequitur, quòd etiam non incurrat pœnam reservationis, in illa lege constitutam, quam tamen incurreret, si sciret novam legem prohibentem, estò ignoraret pœnam. Atque hæc de ultima parte Conclus. satis pro hoc loco.

93. Excusantur impuberes à reservatione pœnali ex c. 1 de Delictis puerorum. Superest ut excusemus impuberes à reservatione pœnali. Nescio autem, quo jure meliùs excusari possint, quàm cap. 1. de Delictis puerorum, sequentis tenoris: *Pueris grandiusculis* (id est, doli capacibus, videlicet 7. annorum) *peccatum nolunt attribuere quidam, nisi ab annis 14. cùm pubescere cœperint: quod meritò crederemus, si nulla essent peccata, nisi quæ membris genitalibus admittuntur. Quis verò audeat affirmare furta, mendacia, & periuria non esse peccata? At his plena est pueritiæ ætas: quàmvis in eis non ita, ut in maioribus puniendâ videantur.*

& cap. 2. eod. Et cap. 2. eodem ibi: *Quoniam in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis provectioris ætatis, humanæ leges dicunt severiùs corrigendum. Mandamus, quatenus si constiterit, filium prædicti H. infrà decimum quartum ætatis suæ annum, eundem*

dem excessum commisisse, memoratum Abbatem moneas & compellas, ut ab eodem H. prædictos 100. solidos propter illam consuetudinem non exigat, nec ab ipso pro temporali pœna requirat.

94. Ergo nec pro pœna spirituali reservationis, aut simili, nisi jus expresè declaret contrarium; sicut Aliquibus videtur declarare de censuris latis à jure; argum. cap. 1. de Sentent. Excom. ibi: *Respondemus, quòd si Clerici infra puberes annos se ad invicem, aut unus alterum percusserint, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, quia eos ætas excusat.*

Aliquibus videtur, jus contrarium declarare de censuris c. 1. de Sent. ex com.

& c. 58. eod. Et cap. 58. eodem: *Quàmvis incidens in Canonem latæ sententiæ, propter violentam manuum injectionem, juxta proprias facultates eis satisfaciat, quibus injurias irrogavit, non tamen aliter, quàm per Sedem Apostolicam vel eius Legatum Absolutionis beneficium potest obtinere: nisi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitiâ aut inopiâ, pueritiâ vel simili ætate &c. retrahatur, quò minùs Romanum Pontificem possit adire.*

Item c. 60. eod. Item cap. 60. eodem: *Pueris, qui in Canonem inciderunt sententiæ promulgatæ, sive ante, sive post pubertatem postulent se absolvi, potest Diœcesanus Episcopus Absolutionis beneficium impertiri cùm propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus.*

95. Verùm enimverò cùm hæc jura solùm loquantur de Excommunicatione, ipso jure lata ob percussionem Clerici, existimat Castro Palao tom. 1. tract. 3. disput. 1. punct. 24. §. 2. n. 9. hanc solam excommunicationem, propter ejus gravitatem, contrahi à pueris, doli capacibus, ante pubertatem; de qua re alio loco diffusiùs egimus, & ideo hìc supersedeo, contentus hoc unico verbo; non licet semper argumentari à censuris ad alias pœnas, estò in positivis (quod non) semper valeret argumentum à paritate rationis; quia censuræ sunt pœnæ medicinales & gravissimæ, quæ duæ conditiones non semper inveniuntur in aliis pœnis.

Non licet argumentari à censuris ad alias pœnas.

Licèt ergo admitteremus, pueros incurrere excommunicationem propter percussionem Clerici, non sequitur; ergo incurrunt reservationem pœnalem; quia non est par ratio. Persisto itaque in Conclus. & quia nihil aliud, dignum refutatione aut explicatione occurrit, novam instituo Conclusionem de peccatis, quæ communiter solent reservari.

CONCLUSIO VII.

Reservari possunt, per se loquendo, peccata venialia, & mortalia aliàs confessa, etiam merè interna; de facto tamen solùm reservantur interna, quæ prodeunt in actum externum, per se mortalem, aliàs non confessa.

96. Probatur 1. pars Concl. RAtio primæ & secundæ partis est; quia, ùt diximus Sect. 2. Concl. 4. jurisdictio sive potestas absolvendi à venialibus & mortalibus confessis, datur Sacerdotibus ab Ecclesia, & non immediatè à Deo; ergo, per se loquendo, potest limitari non minùs, quàm jurisdictio, necessaria ad absolvendum à peccatis mortalibus non confessis.

97. Objectio. Si dixeris; reservare non est solùm auferre jurisdictionem, sed insuper obligare pœnitentem ex vi hujus Sacramenti, ad confitendum illud peccatum reservanti.

Respondeo. Respondeo; esse quæstionem de nomine, in qua nostra interpretatio seu locutio est magìs communis, scilicet reservationem solùm esse ablationem potestatis absolvendi ab hoc vel illo peccato.

Confirmatur à simili; Papa dicitur reservasse sibi concessionem Indulgentiæ plenariæ, auferendo seu subtrahendo illam potestatem Episcopis; estò illa Indulgentia non sit simpliciter necessaria, nec Pontifex obliget fideles, aut ex vi Indulgentiæ obligentur, ad eam lucrandam. Sufficit ergo, ut peccatum aliquod dicatur verè reservatum, quòd fideles non possint obtinere ejus Absolutionem sacramentalem, nisi à reservante.

98. Tridentinum ubi agitur de reservatione quæ de interna non facit ecclesiæ. Nec obstat; quòd Trident. sess. 14. c. 7. in quo agitur de casuum reservatione, solùm loquatur de gravioribus delictis ibi: *Magnopere verò ad Christiani populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibuslibet, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur.*

Non obstat, inquam; quia in illo capite agitur de reservatione, quæ de facto est in Ecclesia Dei; hæc autem solùm est de delictis gravioribus, ùt patebit ex dicendis. Et meritò; quippe reservatio venialium ferè esset inutilis, quoniam multis aliis remediis possunt expiari, & nulla est necessitas ea sacramentaliter confitendi, utì nec mortalia aliàs confessa. Ac proinde ex centum, immo fortè ex mille non unus confiteretur illa peccata reservanti. Reservatio venialium fere est inutilis.

99. Et ideo dixi in Conclusione: *Per se loquendo*, id est, præcisè spectando naturam reservationis, hoc est, ablationem jurisdictionis necessariæ ad validè absolvendum. Alioquin regulariter propter inutilitatem imprudenter taliâ peccata reservarentur. Equidem quia non omne, quod imprudenter fit, invalidè fit, idcirco si fieret reservatio, valeret. Si fieret, inquam, à Pontifice, qui omnibus Sacerdotibus dedit potestatem absolvendi ab illis peccatis. Et ideo regulariter imprudenter non reservantur.

Fortè

An etiam, si fieret ab Ordinario?

Fortè etiam, si fieret ab Ordinario, ex hypothesi, quòd Pontifex voluerit hanc potestatem concedere, cum subordinatione & dependentia ab immediato Superiore, utì suprà diximus de potestate absolvendi à peccatis mortalibus, aliàs non confessis; quod tamen non facilè crediderim voluisse. Nam admisso, quòd Ecclesia posset præcipere Confessionem alicujus determinati peccati venialis, aut mortalis ritè confessi; adeòque imponere necessitatem confitendi illud veniale vel mortale Superiori reservanti; equidem casus rarissimus est, & in Ecclesia inusitatus; proinde non est verisimile, Pontificem ad eum respexisse, quando generaliter dedit omnibus Sacerdotibus jurisdictionem absolvendi ab hujusmodi peccatis. Existimo ergo Ordinarium non posse restringere seu limitare illam potestatem, reservando sibi aliqua peccata venialia, aut mortalia ritè confessa.

100. Duplex ratio dubitandi de potestate reservandi peccata merè interna.

Quantùm ad peccata merè interna, de quibus loquitur sequens pars Conclusionis, duplex est ratio dubitandi. Prima, quòd Ecclesia non judicet de merè internis. Secunda, quòd propter hæc peccata nequeat imponere censuras.

Probatur illa potestas

Nihilominus opinio nostra est communis; quæ probatur: quia æqualis jurisdictio requiritur in Confessario ad validè absolvendum peccata merè interna, id est, quæ solâ cogitatione consummantur, quàm ad validè absolvendum peccata externa, id est, quæ exteriùs manifestantur; neque minùs tenetur pœnitens confiteri peccata merè interna, quàm externa; ergo si potest Superior, Pontifex, Episcopus, vel alius Prælatus, limitare jurisdictionem meam circa peccata externa, etiam poterit eandem limitare circa peccata merè interna.

101. Respondetur ad 1. rationem dubitandi.

Ad primam rationem dubitandi, Respondeo; Ecclesia non judicat de merè internis, in foro externo & contentioso, concedo totum; in foro interno seu sacramentali, oppositum perspicuè manifestum est; cùm pœnitens, ùt jam jam dixi, non minùs teneatur confiteri peccata merè interna, quàm externa, & per consequens, Confessionarius æqualiter absolvat ab externis, & merè internis.

Ecclesia reservando actum merè internum, non præcipit actum merè internum.

Ut omittam; Ecclesiam reservando peccatum merè internum, non præcipere vel prohibere actum merè internum, sed dumtaxat negare seu auferre jurisdictionem absolvendi à peccato merè interno, id est, prohibere Absolutionem à peccato merè interno, eamque irritare, quæ Absolutio indubiè est actus externus. Censes, quia Pontifex non possit sibi reservare dispensationem in voto merè interno? Et verò cur minùs possit eam reservare, quàm dispensare? Potest autem dispensare; ergo etiam dispensationem sibi reservare.

Papa potest sibi reservare dispensationem in voto merè interno?

102. Objectio.

Si dixeris; votum merè internum quando dispensatur, jam fit suo modo externum per petitionem dispensationis.

Solvitur.

Respondeo; sic itidem, quando peccata merè interna absolvuntur, jam fiunt suo modo externa per eorum Confessionem; ergo si potest reservari dispensatio voti merè interni, etiam Absolutio peccati merè interni.

Respondetur ad 2. rationem dubitandi.

Ex his patet Responsio ad secundam rationem dubitandi. Enimverò censura est pœna pertinens ad jurisdictionem fori externi & contentiosi; sicut ergo forum externum & contentiosum non extenditur ad actus merè internos, ita nec illa pœna; jam autem reservatio communiter non est pœna fori externi, sed mera limitatio jurisdictionis fori sacramentalis seu pœnitentialis, quæ per se cadit in actus merè internos, eodem modo, quo cadit ipsa jurisdictio.

103. Objectio.

Sed contrà; jurisdictio tantùm refertur ad bonum particulare cujusque pœnitentis, at verò reservatio ad bonam Ecclesiæ gubernationem, sive, ùt loquitur Trident. sess. 14. c. 7. *Ad Christiani populi disciplinam*; sicut ergo peccata merè interna non perturbant bonam Ecclesiæ gubernationem, neque destruunt Christiani populi disciplinam; sic neque eorum reservatio refertur ad bonam Ecclesiæ gubernationem, neque ad Christiani populi disciplinam; ergo Ecclesia non habet potestatem ea reservandi.

Solvitur.

Respondeo; Trident. loquitur de reservatione, prout est in usu. Deinde, finis reservationis non est sola externa gubernatio Ecclesiæ seu disciplina; sed etiam privata cujuscumque utilitas & salus æterna, siquidem occasione ejus avertitur seu coërcetur à gravioribus delictis. Cùm ergo sæpè peccata merè interna, sint graviora externis peccatis, posset Ecclesia, si ita judicaret expedire, etiam merè interna reservare, ut occasione illâ fideles coërcerentur à gravioribus illis delictis merè internis. Itaque veluti cessante fine legis inadæquato, non necessariò tollitur obligatio legis; sic quoque cessante fine inadæquato reservationis, seu potestatis reservandi, non propterea necessariò cessat ipsa reservatio, vel potestas reservandi.

Quis sit finis reservationis.

104. Ecclesia non reservat peccata merè interna, & quare.

Interim quia peccator internus, ut sic loquar, si reverà non resipiscit, citò progreditur ad actum externum: hinc Ecclesia non judicavit expedire, quòd reservarentur peccata merè interna, & ideo ea non reservavit, tametsi alioquin absolutè potuisset reservare, spectando præcisè naturam reservationis; nisi dixeris (quod non puto) Ecclesiam non posse negare jurisdictionem Sacerdotibus absolvendi à peccatis merè internis. Si autem eam à principio possit negare, etiam non est ratio, quare semel concessam, non possit limitare.

Non reservat nisi peccata mortalia ex objecto, aliàs non confessa.

Cæterùm, ùt docet sequens pars Conclus. de facto Ecclesia non reservat, nisi peccata mortalia ex objecto, id est, secundùm se, & non ex sola operantis intentione, idque externa, aliàs non confessa. Ita communiter DD.

Ratio jam est insinuata ; quia ut reservatio prudenter fiat (utì supponitur semper fieri) requirit necessitatem coercendi aut adhibendi remedium speciale, quæ utique necessitas rarissima est circa peccata venialia, vel merè interna, aut externa semel confessa, ùt patet ex dictis ; & docet quotidiana experientia.

105. Pontifex non solet reservare peccatum sinè censura ;

Et verò à Pontifice non solet reservari peccatum absque censura, excommunicatione majore, aut simili, quæ non incurritur juxta communem sententiam, nisi ob peccatum mortale secundùm se, & externum; quia, ùt dictum est, pœna illa spectat ad forum contentiosum & externum. Episcopi autem & Prælati Regularium, licèt reservent aliqua peccata absque censura, aut alia gravi pœna, attamen nisi aliud expresè significent, non nisi peccata externa & per se mortalia, ne reservatio potiùs cedat in destructionem, quàm in ædificationem; quoniam peccata venialia & interna mortalia frequentiora sunt, & non inferunt nocumentum aliis, nec moraliter loquendo, sicut statim dixi, indigent speciali curatione, quæ ab ordinariis Iudicibus adhiberi non possit.

secùs Episcopi & Prælati Regularium.

Aliqui Prælati reservant hæresim mentalem. *Suarez.*

Hoc autem non obstante (inquit Suarez Disput. 29. Sect. 3. n. 3.) nonnulli Prælati peccata aliqua merè interiora sibi reservare cœperunt, maximè hæresim mentalem. Quod factum aliqui viri docti non probant : quia est alienum ab universali Ecclesiæ consuetudine; quæ videtur declarare ex Pontificum & Ecclesiæ voluntate materiam hanc non esse capacem reservationis. Ego verò solùm nunc asserо, illam consulendam non esse, si tamen fiat, servandam esse. Hæc ille. Idem ego assero.

106.

Sed dicet aliquis: Quænam est hæresis mentalis non reservata? Et quæ est hæresis externa reservata? Nonne esus modicæ carnis in die prohibito, animo hæretico, est hæresis reservata? Quid si aliquis, solus existens in cubiculo, proferat has voces ; *Deus non est unus & trinus*? Quid si solùm dicat : *Non sunt tres personæ* ?

Quid requiratur ad hæresim externam reservatam.

Respondeo breviter; ad hæresim externam reservatam (idem est de aliis peccatis) requiritur Primò, signum aliquod externum hæresis internæ, sive adsit, qui illam percipiat, sive non. Secundò, ut illud signum externum sit de se sufficiens materia peccati mortalis, & non tantùm per respectum ad actum internum. Tertiò, ut illud signum externum sit confessio hæresis.

Esus modicæ carnis in die prohibito animo hæretico non est hæresis reservata.

Defectu 2. conditionis, esus modicæ carnis in die prohibito, animo hæretico, non est hæresis externa reservata. Patet, quia ille esus carnis solùm est peccatum mortale per respectum ad actum internum, cùm seclusâ hæresi internâ, non sit nisi peccatum veniale contra præceptum Ecclesiæ. Præterquam, quòd illa comestio non significet sufficienter hæresim internam, cùm etiam ob gulam, aut alium finem, aliquando fiat à Catholicis.

Defectu primæ conditionis, non est hæreticus externus, qui interiùs cogitans & credens Christum non esse hominem, exteriùs solùm dicit hæc verba : *Verè non est homo*, nullo alio verbo vel signo addito : quia illæ voces præcisè non significant hæresim.

107. Quid si quis quando dicat Maria esse Deiparam.

Sed quid si aliquis dicat : *Maria non fuit Virgo*, volens significare Deiparam? Dicastillo disp. 10. n. 46. putat esse eandem rationem istorum verborum, nisi ex circumstantiis determinentur, ut intelligantur de Matre Christi, vel nisi quis velit in tali exemplo præsumere dicta de Matre Dei : quia, ùt dici solet, analogum per se sumptum, supponit pro magis celebri significato. Hæc ille.

Eadem Sanchez esse hæresim eum existimat.

At verò Sanchez lib. 2. Sum. cap. 8. n. 26. Si quis, inquit, animo hæretico ita verba componat, vel amphibologicè eis utatur, ut possit subterfugere, est verus hæreticus exterior. Quia illa fictio non minuit culpam, sed per accidens occultat.

108. Idem docet Suarius.

Idem docet Suarius 5. tom. in 3. part. disp. 4. sect. 3. n. 17. Quia, inquit, illa actio exterior ex se satis exprimit interiorem animum. Quòd autem ab aliis non ita percipiatur, provenit, non ex defectu ipsius actûs, sed ex conjunctione alterius significationis vel sensûs, per quam non minuitur prior malitia ; sed additur nova simulati animi, seu hypocrisi affecti.

Hanc sententiam amplectitur Lugo disp. 11. & Lessius de Eucharist. sect. 6. n. 142. & disp. 13. n. 22. dicens, se id probasse ex consensu DD. Sed, ùt bene notat Dicastillo suprà, nec ipse affert Alios præter Suarium & Sanchium, nec Suarius nisi Sanchium, neque hic alium nisi Suarium.

109. Non est necessarium ad hæresim externam quod hæc sententia percipiatur mens interna.

Quidquid ergo sit de illo consensu DD. placet mihi ratio Suarii, & dico, non esse necessarium ad hæresim externam ; quòd adstantes percipiant ex meis verbis, aut alio signo, animum internum hæreticum, dummodò per se loquendo possent illum percipere, id est, dummodò verba illa, vel aliud signum reverà significet hæresim internam, estò hìc & nunc per accidens propter æquivocationem maneat occulta.

Probatio.

Probatur : quia tale signum æquivocum est sufficiens ad contrahendum matrimonium, ad hæredem instituendum, ad legata & similia; quæ tamen ad sui valorem requirunt, ut consensus internus vocibus vel aliis signis externis manifestetur.

l. 32. ff. Legat. 1.

Hinc Iurisconsulti fatentur, tali casu non deficere jus, sed probationem juris, ac propterea sæpiùs sustinent valorem, ùt in l. *Si quis à filio* 32. ff. de Legatis lib. 1. ibi : *Si quis plures Stichos habens, Stichum legaverit : si non apparet de quo Stichо sensit : quem elegerit debet præstare.*

l. 39. eod.

Et in leg. 39. eodem, ibi : *Scio ex facto tractatum : cùm quidam duos fundos ejusdem nominis habens, legasset fundum Cornelianum, & esset alter præs-*

pretii maioris, alter minoris: & hæres diceret minorem legatum, legatarius maiorem, vulgò fatebitur utique minorem eum legasse, si maiorem non potuerit docere legatarius. Itaque verba æquivoca non tollunt omnem valorem.

110. Validè contrahitur Matrimonium verbis æquivocis.

Nonne si aliquis verbis æquivocis duxisset uxorem, & fateretur consensum internum, cogeretur à Iudice permanere in eo conjugio? Item si Sacerdos ex malitia vellet consecrare vinum, quod est in mensa, & eâ intentione proferret verba consecrationis, quàmvis adstantes illam intentionem non cognoscerent, immo contrariam omnes apprehenderent, nihilominus verè consecraret.

Ergo consimiliter in casu proposito, si quis diceret: *Maria non fuit virgo*, volens significare Deiparam, quàmvis adstantes illam intentionem non intelligerent, imò apprehenderent ipsum loqui de Maria Magdalena, equidem foret hæreticus externus: quippe non minùs ad validam Consecrationem, quàm ad hæresim externam, requiruntur verba expressiva intentionis seu affectûs interni, ùt clarum est.

111. Verba consecrationis significant completè corpus & sanguinem Christi, quàmvis æquivocè.

Sicut ergo hæc verba: *Hic est Sanguis meus*, completè & perfectè significant Sanguinem Christi, quando eâ intentione à Sacerdote proferuntur, estò æquivocè, & ideo obscurè (quando illa intentio aliunde non cognoscitur) quia possent proferri aliâ intentione, & tunc non significarent Sanguinem Christi, sed sanguinem Sacerdotis; ita quoque illa verba: *Maria non fuit virgo*, completè & perfectè significant Deiparam, quando eâ intentione proferuntur, quàmvis æquivocè, & ideo obscurè (dum illa intentio aliunde non innotescit) quia possent proferri aliâ intentione, & jam significarent Mariam Magdalenam.

Quòd ergo impediatur notitia apud audientes, non sit defectu completæ significationis istarum vocum, sed propter fœcunditatem earum, quoniam possunt habere plures significationes. Quare si audientes non scirent ly *Maria*, significare aliquando Mariam Magdalenam, sed existimarent semper significare Deiparam, indubiè venirent determinatè in notitiam hæresis internæ. Quòd ergo jam non cognoscant determinatè hæresim internam, non provenit ex defectu significationis in verbis, sed potiùs ex abundantia.

112. Quare illa verba: *Non sunt tres personæ*, non constituant hæreticum externum.

Porrò in alio casu, quando cogito non esse tres personas in Divinis, & dico: *Non sunt tres personæ*; vel credo interiùs Christum non esse hominem, & dico exteriùs: *Verè non est homo*, quòd audiens non deveniat in notitiam hæresis internæ, provenit ex defectu significationis istorum verborum; quæ nunquam instituta fuerunt ad rem illam integram significandam; sed solùm ad consignificandum cum aliis vocibus, cum quibus complere possint integram propositionem vocalem. Deest ergo ipsis completa significatio, eò quòd desint verba consignificantia; quippe ponitur exteriùs media dumtaxat propositio, quæ integrat unam quodammodò cum conceptu interno.

At verò in priori casu ponitur exteriùs tota propositio, cujus significatio æquivoca seu multiplex, determinatur ad unam ex intentione proferentis. Et quàmvis hæc determinatio, quamdiu manet occulta, non sufficiat in ordine ad pœnam judicialem, & in foro contentioso imponendam, defectu utique probationis, quæ requiritur in hoc foro; equidem videtur sufficere ad incurrendam pœnam, impositam per legem in foro conscientiæ; ibi enim non requiritur alia probatio, quàm conscientia operantis.

113. Ad hæresim externam non requiritur probatio in foro externo.

Requiritur quidem actus externus, non tamen talis, qui in foro externo possit probari. Patet manifestè in hæresi externa omnino occulta, v. g. si aliquis in cubiculo solus, animo hæretico proferat has voces: *Deus non est unus & trinus*, communi calculo est hæreticus externus, & incurrit pœnam excommunicationis, estò in foro externo, defectu testium, non possit hæresis probari.

Ac proinde nemo dubitat, quin talis hæresis sit casus seu peccatum reservatum. Et idem est de aliis peccatis, adulteriis, fornicationibus, pollutionibus &c. Equidem si nullus esset casus reservatus, nisi qui in foro externo posset probari, vix daretur, & valde malè provisum esset disciplinæ populi Christiani.

114. Objectio.

Dices; disparitas est inter hæresim occultam defectu testium, & occultam propter æquivocationem verborum, quòd hæc sit occulta per se, illa autem tantùm per accidens: nam planè per accidens est, quòd nulli adsint, qui audiant ista verba, quòd si adfuissent, prudenter potuissent judicare, illum esse hæreticum: at verò quando verba sunt ambigua, nemo prudenter potest judicare, illum esse hæreticum, nisi sciat determinationem ejus, quæ per se est occulta seu merè interna.

Solutio.

Respondeo; qui sciret solam significationem hæreticam istorum verborum, prudenter judicaret, proferentem esse hæreticum, absque alia notitia internæ determinationis; quòd autem noverit etiam significationem Catholicam, per accidens est: ergo quòd hìc & nunc non possit prudenter judicare, talem esse hæreticum, per accidens est; non tam defectu notitiæ determinationis, quàm bene propter notitiam alterius significationis.

115. An sit hæreticus externus qui loquitur ambiguè absque animo hæretico.

Sed nunquid, interrogat quispiam, erit hæreticus externus, qui ita ambiguè loquitur absque animo hæretico, quando auditores apprehendunt significationem hæresis?

Respondeo; cùm verba illa, ùt supponitur, patiantur sensum Catholicum, non est ratio, quare aliquis non possit illis uti in tali sensu, præsertim quando auditores communiter illum apprehendunt; adeoque tunc non erit hæreti-

hæreticus externus, tametsi alioquin in animo suo esset hæreticus: v. g. si mimus in comœdia proferret voces, exteriùs significantes hæresim internam, si id faciat animo hæretico ad significandam suam internam hæresim, quàmvis auditores putent ipsum non habere talem animum, est nihilominus verè hæreticus externus: si autem solùm intendat repræsentare personam alterius hæretici, quàmvis etiam in animo esset hæreticus, si tamen animum suum non velit manifestare, etsi proferat easdem voces, non erit hæreticus externus; quia voces illæ ex intentione loquentis habent hanc vel illam significationem, cùm utramque aptæ sint habere ex institutione.

116. Quid si aliquis fingens se dormire, aut esse ebrium, proferat voces significantes hæresim internam? Idem dicito, si quis fingens se dormire, aut esse ebrium, proferat voces significantes hæresim internam; si quidem id faciat cum animo hæresim internam significandi, erit verus hæreticus externus; secùs si per illas non plus velit significare, quàm si à dormiente vel ebrio proferrentur.

Prima pars probatur: quia licèt audientes putent, illa verba proferri ab ebrio vel dormiente; tamen reverà sunt voces humanæ, sufficientes ad alios effectus, ad quos requiruntur verba externa humana; nam si ille esset Sacerdos, & ita proferret verba Consecrationis, verè consecraret: similiter si proferret formam Baptismi, verè baptizaret, & si legeret horas Canonicas, satisfaceret suæ obligationi.

Secunda pars probatur; quia per illas voces, prolatas ab ebrio vel dormiente, non significatur mens humana, id est, non significatur quid tunc sentiat homo de rebus præsentibus, præteritis vel futuris, estò etiam ad illum finem se inebriasset, aut ad somnum composuisset; ergo non significatur hæresis interna; ergo qui fingit se ebrium, & per voces, quas profert, non vult plus significare, quàm si reverà ebrius esset, non est hæreticus externus.

117. Objectio. Nec obstat, quòd homicidium, pollutio & similia in somno vel ebrietate prævisa & intenta, sint peccata reservata, & eisdem pœnis puniantur, sicut commissa in vigilia. Diluitur. Ratio quippe disparitatis est; quòd hæc retineant suam turpitudinem, & idem inferant damnum in vigilia & in somno; unde etiam in causa tenemur illos effectus vitare seu impedire: at verò nec verba hæreticalia, nec verba blasphemialia aut perjuria retinent in somno suam turpitudinem, cùm non sint verba humana: quare non est eadem obligatio, ea impediendi & præcavendi in causa. Plura de hac materia disputari possent, sed non sunt propria huic tractatui, & ideo lubens pertranseo.

Aperiens suam hæresim Confessario non est hæreticus externus. Unicum addo: aliquando contingere, ut aliquis hæresim suam internam Confessario aut alteri, consilii petendi causâ, manifestet, quæ manifestatio, cùm non sit peccatum mortale, immo nullum peccatum, si fiat cum animo acquiescendi Ecclesiæ, liquet profectò, non esse hæresim externam reservatam. Neque si fieret animo non acquiescendi, quia animus ille exteriùs non manifestatur, & externus actus est bonus, neque ordinatur ad hæresim profitendam, adeòque signum illud externum non est confessio seu protestatio falsæ fidei, sed potiùs detestatio.

118. Quando reservatur peccatum contra virtutem castitatis, in primis intelligitur peccatum externum; unde affectus internus efficax vel inefficax, quantumcumque fuerit peccatum mortale, non erit peccatum reservatum. Cæterùm, ex his quæ jam dicta sunt de externa hæresi reservata, facilè quisque intelliget, quid sit dicendum de aliis peccatis; v. g. reservetur peccatum contra virtutem castitatis, in primis intelligitur peccatum externum; unde affectus internus efficax vel inefficax, quantumcumque fuerit peccatum mortale, non erit peccatum reservatum.

Secundò intelligitur peccatum per se mortale; hinc si aliquis animo fornicandi proferat verbum turpe, ex se leve, quàmvis peccet mortaliter propter internam intentionem; equidem non censetur tale peccatum reservatum; quia cùm intentio illa sit merè interna, nam verbum illud turpe non significat illam intentionem, cùm sæpiùs absque ea proferatur, jam solùm peccatum internum foret reservatum. Secundò peccatum per se mortale.

Idem esset, si aliquis ex gravi odio leviter percuteret, ubi percussio est casus reservatus: quippe illa levis percussio non est signum externum gravis odii; & aliunde ex se non est peccatum mortale; ergo si esset peccatum reservatum, vel odium merè internum foret illud peccatum, vel venialis percussio; neutrum dici potest, ergo &c.

119. Hæc doctrinam immeritò censuravit Turrianus. Lugo. Henriquez. Granad. Suarez. Quam doctrinam, inquit Lugo disp. 20. de Pœnit. n. 15. immeritò censuravit Turrianus in Select. disp. p. 2. disp. 31. dub. 71. ùt improbabilem & non tutam: quia illa est doctrina gravissimorum DD. quam amplecti videntur Henriquez lib. 6. c. 14. n. 6. Granado 2. 2. cont. 1. tract. 15. disp. 13. n. 14. Eamque satis insinuat P. Suarez to. 4. de Relig. tract. 8. l. 2. c. 18. n. 12. ubi dicit; in casu reservato peccati contra votum religiosum castitatis, opere consummati, per illa verba non intelligi omnia peccata, quæ non sistunt in consensu interno; quia in eo sensu includerentur omnia peccata externa habentia malitiam mortalem ex ipsamet materia & actione externa, ùt sunt tactus impudici & similes.

Addit verò statim: Dixi autem; *Ex ipsamet materia & actione exterioris*: quia si materia exterior reverà sit levis, quàmvis ex pravitate intentionis fiat actus exterior peccatum mortale, non erit reservatum ex vi horum verborum: quia reverà dici non potest opere consummatum, Hucusque Eminent.

120. Sed posset aliquis dicere, Suarium non fuisse locutum de omni peccato reservato, sed de peccato reservato opere consummato. Quod autem

autem hìc quæritur est, an quando simpliciter reservatur peccatum contra votum castitatis, sine illo addito: *Opere consummatum*, intelligatur opus externum ex se veniale, ex intentione tamen interna mortale. Quidquid ergo sit de mente Suarii, existimo cum Eminent. & aliis Doctoribus, sententiam nostram esse probabilem & tutam in praxi; nisi reservans aliud expresè significet.

119. Quando peccatum reservatum contra votum castitatis est mortale per se tale.

Sit probabilis & tuta in praxi.

Et similiter assero, non sufficere quodcumque peccatum externum per se mortale, sed insuper, nisi expresè reservans aliud significet, reservationem intelligendam esse de peccato certo & consummato effectu secuto, ùt jam-jam edissero.

CONCLUSIO VIII.

De facto non reservantur peccata dubia; neque certa, non consummata in suo genere, nisi aliud exprimatur.

121. Probatur Concl. *Reg. 15. de Reg. iuris in 6.*

RAtio; quia reservatio est odiosa, ergo restringenda, juxta Reg. 15. de Reg. juris in 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari.* Iam autem ly *Peccatum*, omnino strictè acceptum, significat peccatum certum & consummatum effectu secuto.

Suarez.

Ita de peccato dubio docet Suarez de Censuris disp. 40. sect. 6. n. 5. ibi: Si aliquis casus reservatur Summo Pontifici vel alteri Prælato, v. g. homicidium, & incidat quis in dubium homicidii; talis casus non est censendus reservatus, etiamsi nihil aliud in illa lege exprimatur: quia cùm talis lex odiosa sit, verba ejus sunt strictè sumenda; casus autem de homicidio dubio; non est de homicidio simpliciter, & ideo non comprehenditur sub reservatione homicidii simpliciter dicti.

Neque in eo casu tenetur quis tutiorem partem sequi; qualis videri posset, accedere ad Prælatum; quia certissimùm est habere jurisdictionem; quia satis certum est, Confessionem inferiori factam esse validam, eò quòd casus dubius ex vi illorum verborum reservatus non sit. Ergo idem est in omni casu simili, nisi aliud fuerit in alio jure expressum. Hæc ille. Quem sequitur Lugo disp. 20. n. 18. cum Aliis, quos citat; estque sententia communis.

Lugo.

122. Irregularitas ex homicidio extenditur in jure ad casum dubium. c. 12. de Homic.

Unde irregularitas ex homicidio in jure extenditur ad casum dubium; cap. *Ad audientiam.* 12. de Homic. ibi: *Quia verò utrùm occasione vulneris decessisset, dubium habetur, vestræ discretioni duximus respondendum, quòd cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret* &c.

Et cap. *Significasti* 18. eodem, ibi: *Quòd si discerni non possit ex cuius ictu percussus interiit, in hoc dubio tamquam homicida debet haberi Sacerdos: & si forte homicida non sit, à Sacerdotali officio abstinere debet, cùm in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare, pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* Signum ergo est, quòd homicidium per se positum, stet pro homicidio certo.

& cap. 18. eod.

Negatur, inquis; Consequentia; sed potiùs vice versâ signum est, quòd homicidium per se positum comprehendat homicidium dubium: nam Pontifices non videntur ibi novum jus introducere; sed ex generali principio obligationem, quæ jam existebat, declarare, ùt patet ex his verbis: *Cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem.* Et ex illis: *Cùm in hoc casu cessare sit tutius* &c.

123. An in illis cap. Pontifex statuat novum jus?

Respondetur; Pontifices ibi introducere novum jus; allegare autem illud principium generale, non quasi per se obligans in omni casu, quod esset onus intolerabile, sed quasi sufficiens fundamentum, ad statuendam novam legem in præsenti casu. Quippe in hoc, quòd dubius de homicidio, quando constat de vulnere inflicto; abstineat à sacerdotali officio, solùm illud potest esse incommodum, quòd hoc sit onerosum tali personæ; & quòd aliquando possit contingere, ut ille, qui reverà homicida non est, abstinere cogatur: at hoc quasi nihil existimatum est à Pontifice, comparatum cum reverentia debita rebus sacris, & cum periculo, quòd aliquando homicida ministret.

Hæc autem ratiocinatio per se sola fortasse non esset sufficiens ad obligandum hominem dubium, ut in eo casu abstineret; fuit autem sufficiens, ut Pontifex lege suâ id decerneret. Maximè cùm ipse potuerit judicare, esse sufficientem causam ad imponendum hoc onus in tali casu, quòd homo suâ culpâ vel negligentiâ actionem fecerit, simili dubio expositam. Item cùm ad Summum Pontificem pertineat cavere omnem indecentiam circa ministeria sacra. Atque hanc existimo esse veram intelligentiam illorum jurium. Ita Suarius suprà n. 9.

Suarez.

Sicuti ergo irregularitas non incurritur propter peccatum dubium, nisi expresè Legislator id significet; pari ratione neque incurritur reservatio, nisi reservans id expressiùs declaret.

124. Peccatum dubium esse reservatum adscribitur Cordubæ.

Pro oppositâ nihilominus sententia citatur Corduba in Reg. S. Franc. cap. 7. q. 4. p. 1. cas. 5. (quem sequitur Bonæ Spei hìc disp. 10. n. 8.) ubi in fine sic ait: Notandum quòd quando in prædictis omnibus fuerit dubium, an talis tactus sit enormis ex tali circumstantia, an non; hoc judicare & determinare pertinet ad eum; qui habet auctoritatem absolvendi à tali casu reservato, qualis est Minister Provincialis; quia generaliter ad eum perti-

pertinet determinare in dubiis super aliquo casu, ad quem pertinet auctoritas absolvendi seu dispensandi super eo; & cui committitur principale, committitur & accessorium: ideo Guardiani, quibus hoc committitur communiter à Provincialibus, deberent esse instructi super his, vel habere declarationem à Ministro Provinciali, seu à Capitulo Generali, vel Provinciali; quia fortè aliqui eorum sunt minùs docti in his, quàm eorum subditi, & caveant ne in manifestè enormibus peccatis, judicent non esse enormia; aut è contrà, quia seipsos & alios in tali judicio manifestè erroneo deciperent. Hucusque Cordubensis.

A quo quæro; quid faciendum, si Guardianus nequeat determinare, sed & ipse sit & permaneat dubius super aliquo casu, nunquid obligor eum confiteri Guardiano, aut alteri habenti potestatem absolvendi peccata reservata? Non quæritur hìc, cujus sit in dubio determinare, an aliquis casus sit reservatus, vel non: quod nemo meliùs facere potest, quàm qui casum reservavit, immo solus authenticè facere potest; quin & ad illum recurrendum censeo, quando commodè fieri potest: sed quod hìc quæritur, est, an manente dubio casu, ità ut nemo probabiliter possit resolvere pro una aut altera parte; loquitur enim Conclusio de dubio negativo, v. g. si discerni non possit, nec à me, nec ab alio quopiam, ex cujus ictu, meo vel alterius percussus interierit, & ideirco homicidium manet dubium negativè, quæritur, inquam, an stante hoc dubio, sive an homicidium sic dubium (& idem est de aliis peccatis) sit casus reservatus, ubi homicidium simpliciter est peccatum reservatum, & Respondeo cum Suario, non esse peccatum reservatum, nec video contrarium docuisse Cordubensem suprà.

125. & apertè docet Bonæ Spei, ac probat.

Ut ut sit de mente Cordubæ, quæ saltem est dubia, apertissimè docet hanc sententiam Bonæ Spei loco suprà citato, & probat n. 9. dicens: Mortale dubium in nostra, & communi sententia, est materia Confessionis necessaria ex institutione Christi, ut vidimus to. 4. tract. 2. disp. 2. n. 184. & probat P. Herincx hìc disp. 3. n. 47. ergo dubium mortale reservatum consequenter esse debet materia Confessionis reservatorum necessaria.

Probatur Consequentia: tum quia procul dubiò Superiores intendunt reservare peccata, quæ in illa specie sunt materia Confessionis necessaria ex institutione Christi: tum quia, sicut Confessio sacramentalis ita est ad libertatem respectivè odiosa, ut tamen in ordine ad criminum Absolutionem sit favorabilis, juxta dicta to. 4. tract. 2. disp. 6. à n. 179. sic reservatio ita est odiosa &c. vel certè da rationem, cur hæc magìs sit odiosa, quàm illa; cùm tam illa sit restrictiva libertatis, quàm hæc, & illa interea, tam sit in ordine ad criminum quà reservatorum Absolutionem favorabilis, quàm hæc in ordine ad criminum quà criminum: item cur potiùs sub præcepto Confessionis mortalium simpliciter, nullâ factâ mentione dubii, comprehendatur dubium mortale, quàm sub reservatione mortalium simpliciter, nullâ factâ mentione dubii, comprehendatur dubium mortale reservatum: si enim reservatio usum Sacramenti reddat subditis difficiliorem: ergo &c. Unde non appareret, quâ Consequentiâ & ratione P. Herincx illud Antecedens loco citato admittat, & infrà disp. 6. n. 7. neget & improbet Consequentiam. Hactenus Bonæ Spei.

126. Reservatio est magis odiosa quàm obligatio confitendi peccatum dubium.

Respondeo; P. Herincx optimâ ratione negare & improbare illam Consequentiam; scilicet, quia reservatio est valde odiosa & strictè interpretanda: at verò obligatio confitendi peccatum mortale dubium, tametsi aliquo modo sit odiosa, non tamen valde, sive ita odiosa atque reservatio. Quod probo; quia ista obligatio solùm est odiosa pœnitenti; ast verò reservatio est odiosa tam pœnitenti, quàm Confessario, cujus jurisdictionem aufert; cùm tamen per istam obligationem potiùs ejus jurisdictio extendatur. Quid ergo mirum, si potiùs reservatio, quàm illa obligatio sit strictè interpretanda? Quàmvis, sicut alibi dixi, fortè & obligatio confitendi sit restringenda ad peccatum certum, quia licèt non sit tam odiosa, quàm reservatio, tamen aliquo modo odiosa est, si non Confessario, saltem pœnitenti. Vide disp. præced. sect. 8. concluf. 3.

127. Superiores non intendunt reservare omnia peccata in illa specie sunt materia necessaria Confessionis.

Quod autem suprà dicit Bonæ Spei: Procul dubio Superiores intendunt reservare peccata, quæ in illa specie sunt materia Confessionis necessaria ex Christi institutione; videtur non subsistere. Nam peccatum merè internum, v. g. hæresis merè interna, est peccatum in specie hæresis, seu ejusdem speciei cum hæresi externa. Et aliunde Omnes asserunt, eam esse materiam necessariam Confessionis ex Christi institutione, cùm tamen communis sententia (ùt Bonæ Spei admittit ibidem n. 4) doceat, eam non esse peccatum reservatum. Ergo tametsi dubium mortale reservatum, sit in illa specie materia necessaria Confessionis ex Christi institutione, minimè sequitur; ergo est materia Confessionis reservatorum necessaria.

Cæterùm ut nulla esset differentia inter obligationem confitendi, & reservationem, nulla, inquam, quoad odium, aut favorem, adhuc sufficienti ratione P. Herincx, admisso illo Antecedente, negavit & improbavit illo Consequentiam, putà, quia de obligatione confitendi peccatum dubium, habemus traditionem seu quasi traditionem, ùt loquitur præfatus Auctor sup. n. 10. de reservatione autem habemus sententiam DD. communissimam in oppositum.

Certè

128. Qui præter Bonæ Spei docent illam sententiam *Bardus. Armilla.*

Certè Bonæ Spei tantùm duos Auctores pro se affert, Cordubensem, cujus mens obscura, ùt suprà notavi, & Armillam verb. *Casus* n. 13. Qui, ùt ait Bardus disc. 6. c. 11. p. 4. §. 3. n. 5. solùm dicit, in eo dubio seciuriorem partem esse eligendam; at non declarat, an ex consilio, an verò ex necessitate fieri debeat.

Frias. Spinula.

Et dato, quòd isti duo Auctores id docerent, & Alii duo, quos Bardus suprà citat, scilicet Frias in tract. de modo audiendi Confess. p. 1. c. 8. cas. 2. & Spinula in opusc. de prud. elect. disp. ult. sect. 7. ver. *Quando autem quis.* Equidem non sunt audiendi contra torrentem DD. absque alio fundamento, quàm illud Bonæ Spei jam allegatum; vel id, quod præterea adduci posset, scilicet, quòd in administratione & receptione hujus Sacramenti tutior via est accipienda, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis: nam hoc periculum moraliter nullum est, cùm ordinariè aliud peccatum exprimatur, cujus absolvendi Confessarius certam habet potestatem; præterquam, quòd nostra sententia moraliter certa sit, saltem ita communis, ut meritò Ecclesia censeatur supplere jurisdictionem in singulis actibus, de qua supplètione plura suo loco diximus.

126. Reservatio est magis odiosa quàm obligatio continendi peccatum dubium.

Aliud fundamentum hujus sententiæ explicatur.

129. Objicitur Decretum aliquod S. Congr.

Sed dicet aliquis; ex speciali mandato Clement. VIII. Decretum à Sac. Congr. editum fuit die 9. Ian. a. 1601. per quod omnibus Sacerdotibus tàm sæcularibus, quàm regularibus, per universam Italiam, extra urbem degentibus, injungebatur, *ne quis eorum sub prætextu quorumcumque privilegiorum* &c. *ab ullo ex casibus clarè vel dubiè in Bulla Cœnæ contentis* &c. *Absolutionis beneficium impositum impendere audeat* &c.

127. Superiora non intelligunt reservare omne peccatum in illa specie sunt materia necessaria Confessionis.

Prima responsio.

Resp. in primis, indè confirmari sententiam nostram: si enim per se loquendo casus dubius comprehenditur sub reservatione, quid erat opus specialiter id decernere circa casus contentos in Bulla Cœnæ? Et cùm aliunde exceptio firmet regulam in contrarium, saltem licitum erit absolvere à casibus dubiè reservatis in aliis Bullis.

Secunda.

Resp. 2. anno sequenti 1602. die 26. Novemb. aliud Decretum emanasse immediatè ab ipso Clemente VIII. restrictivum seu moderativum prioris circa aliqua puncta, in quo Decreto omisit Pontifex qualitatem illam, nempè, *Clarè vel dubiè.* Unde res illa videtur esse reducta ad terminos ipsius Bullæ Cœnæ, in qua non inveniuntur illæ particulæ, adeòque de facto licitum adhuc esse, absolvere à casibus dubiè in Bulla Cœnæ contentis. Ita docet Bardus suprà §. 7. n. 6. quem sequitur De Scildere de Princip. consc. tract. 5. n. 14.

Bardus. De Scildere.

130. Contra 2. responsionem arguit Bonæ Spei.

Sed contrà, inquis; ideò Clemens VIII. particulas illas, *Clarè vel dubiè*, omisit; quia supposità receptâ sententiâ & quasi traditione, quòd peccata mortalia dubia sint confitenda, erant superfluæ; aut certè, quia in utramque partem acriter disputant Theologi pro oppositâ sententia contra traditionem illam; judicavit Pontifex, nondum disputationem illam, quamquam pro traditione stet, esse impediendam: sed hoc omnium verisimilius, quòd Summus Pontifex voluerit præcisè moderationem facere in numero casuum, relicto primo Decreto in suo vigore quoad eorum modum, *Clarè vel dubiè*: alioquin cùm hic modus sit tam speciali notâ dignus, quàm ipse casuum numerus, illius modi specialem moderationem fecisset, prout ipsius numeri fecit. Ita Bonæ Spei suprà n. 13.

Respondetur primò.

Respondeo: eo ipso fecisse specialem moderationem illius modi, quo illas qualitates omisit seu non expressit. Siquidem ex Iuristarum (quos citat Bardus sup. n. 7.) sententia, etiam in eadem dispositione, cùm in una ejus parte ponitur qualitas, omittitur verò in alia, non censetur repetita in secunda parte, si materia, de qua agitur, sit odiosa; v. g. si testator in una parte testamenti meminerit filios masculos, in alia verò parte simpliciter sit de filiis locutus, qualitas illa masculinitatis non censetur repètita, proinde etiam fœminæ essent comprehensæ sub dispositione. Cùm igitur qualitates prædictæ in casu nostro odium causent seu illud extendant, nam reservatio est odiosa, ut non semel diximus, idcirco non debent judicari repetitæ; repetitio enim extensionem sapit, materiæ autem odiosæ restringendæ & non extendendæ sunt.

131. *Secunda responsio.*

Et verò si Pontifex noluit illam disputationem, de obligatione confitendi peccatum mortale dubium, impedire, & ideo in suo Decreto omisit illas particulas, quare eas permisit addi in Decreto Sac. Congr.? Vel si per additionem illarum in primo Decreto non præjudicabatur huic disputationi (sicuti revera non præjudicabatur, quia poterat Pontifex præcipere Confessionem dubiè reservati, estò peccatum mortale dubium ex institutione Christi non foret confitendum, ùt clarum est) neque in secundo Decreto fuisset præjudicatum, sed adhuc libera mansisset illa disputatio. Ex quo patet, etiam admissâ obligatione confitendi peccatum mortale dubium, non fuisse illas particulas superfluas; ergo propter superfluitatem eas Pontifex non omisit.

Conclusio.

Manet igitur ex dictis; per moderationem secundi Decreti, abjicientem verba illa: *Clarè vel dubiè*, quæ apposita erant in primo Decreto, casus omnes, in eo Decreto comprehensos, tali qualitate minimè affectos, manere in dispositione juris communis quoad reservationem dubiam, ac si Decreta illa Clement. nequaquam edita fuissent. Ita Bardus suprà.

Bardus.

132. Objicitur aliud Decretum S. Congreg.

Si urgeas Decretum Sac. Congr. speciali mandato Pauli V. editum die 7. Ian. a. 1617. quod sic incipit: *Quoniam Sacra Congreg.* per quod confirmatur & innovatur Decretum Clement. VIII. & simul ejus declaratio seu moderatio.

Responsio Bardi.

Respondet præfatus Auctor n. 9. intentionem Pontificis fuisse, confirmare indivisibiliter utrumque Decretum Clementis, nempe primum Decretum, & simul ejus moderationem, præcipiendo, ut perfectè ad unguem servetur; & hoc, quia nonnulli, prætextu quorumdam privilegiorum, illud non servabant; at non fuisse intentionem, confirmare primum illud Decretum solitariè & sinè respectu ad moderationem.

Probatur.

Hanc autem fuisse mentem Pauli probatur; quia confirmatio & innovatio in forma communi non restituit ea, quæ revocata invenit, sed solùm corroborat, quod illæsum reperit. Iam autem Decretum istud Pauli V. continet confirmationem in forma communi, ùt patet, ipsum legenti; nulla enim reperitur in eo clausula expressiva & constitutiva formæ specialis, seu ex certa scientia; proinde solùm confirmat Decretum Clementis, ùt modificatum, atque adeò nihil nobis officit. Hinc rursùm assero, peccatum dubiè reservatum, posse validè absolvi à quolibet ordinario Confessario, nisi in casu particulari jus aliter disponat.

133. Limitatio sententiæ nostræ ex Sanchio, an sit admittenda.

Sed nunquid admittenda limitatio Sanchii? Sic enim ipse ait lib. 1. Sum. cap. 10. n. 74. Quod quidem intelligo, nisi in eo eventu esset præsumptio fori externi pro illius delicti admissi veritate: quia stante hac præsumptione, est pro certitudine delicti possessio, & illâ præsumptione est in utroque foro standum, dum contraria veritas non constat; v. g. hæresis externa reservatur, quando etiam mente ita sentitur, dubius autem eam proferens est, an ita mente senserit, vel an mente ita sentiente, protulerit exteriùs, animo ejus asserendæ, & sic sit verè externa, ac proinde reservata; an solius joci animo, censebitur in hoc dubio reservata.

Quia cùm verba sint naturaliter signa intentionis, & nullus præsumitur dicere, quod in corde non habet, nec aliter, quàm in eo habet, præsumptio est ac possessio in hoc dubio, ut hæresis illa processerit exteriùs ex vero interiori in illam consensu. Item, quia in hoc dubio hic judicaretur verus hæreticus in foro externo. Ergo idem in interno: quia hæc judicia non sunt diversa, nisi quando illud falsæ præsumptioni innititur, & in hoc constat contraria veritas. Hactenus Sanchez.

134. Non videtur esse limitatio, sed mutatio casûs,

Verùm enimverò, ut hæc limitatio sive doctrina vera foret, non est limitatio casûs nostri, sed mutatio casûs nostri in alium. Patet ex dictis; quia casus noster, est peccatum dubium negativè, quando mens manet pendula, sinè ratione assentiendi in alterutram partem. Iam autem illa præsumptio fori externi secundùm Sanchez suprà n. 13. est verisimilitudo quædam, sufficiens ad rem dubiam credendam, vel est probabilis conjectura, ex certo signo proveniens, quæ alio non adducto, pro veritate habetur, donec adversarius oppositum probet; & sic liquet, quòd non sit casus peccati dubii negativè, sed potiùs casus peccati probabilis, seu assensus in unam partem; quid ergo mirum, si pœnitens teneatur illud peccatum confiteri tamquam reservatum, cùm habeat rationem probabilem judicandi esse peccatum reservatum, nullam autem, ùt suppono, judicandi, non esse reservatum?

135. An præsumptio pro foro externi semper sufficiat in foro interiori.

Cæterùm, an illa præsumptio fori externi semper sufficiat in foro interiori, quando in hoc non constat contraria veritas, dubitat Dicastillo disput. 11. n. 92. fieri enim potest, inquit ille, ut signa seu conjecturæ externæ pro foro externo censeantur sufficientes, & prudentes, ut Iudices possint præsumere secundùm unam partem dubii, quia scilicet illæ conjecturæ, vel id unde conjecturæ sumuntur, constat; id verò quod posset pugnare contra talem conjecturam, seu contra id, unde conjectura sumitur, non constat plerumque in foro externo.

Sententia Dicastillo.

Ex quo fit, ut pro foro externo censetur illa conjectura sufficiens: ita ut nihil aliud constet, quod illam destruat. Nam si constaret aliquid, quod illam destrueret, vel infirmaret, non censeretur illa pro foro exteriori probabilis conjectura, neque staret præsumptio pro illa parte. In foro autem interiori, ubi constant etiam omnia, quæ in utramque partem causam reddunt dubiam, fieri potest, ut quod sufficiens videbatur in foro externo ad præsumendum, in foro interno non sufficiat, & quod ad judicium externum, politicamque gubernationem sufficere censebatur prudenti Iudici in foro externo, non censeatur sufficere in intetno. Hæc ille.

136. contra quam sentiatur.

Sed contrà facit; quòd forum externum, non obstante, quòd sciat dubium esse in foro interno, undecumque illud dubium oriatur, equidem judicet probabiliter pro una parte dubii, argum. Reg. 65. de Reg. juris in 6. *In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*, quæ Regula non solum habet locum in foro externo, sed etiam in foro interno; ergo hoc ipso, quòd in foro interno manet dubia veritas opposita, non tantùm in foro exteriori, sed etiam in foro interiori sufficit illa Regula, ad prudenter præsumendum pro una parte dubii, & ad omne dubium deponendum.

Reg. 65. Reg. Iur. in 6.

Si probabiliter judicet peccatum

Quidquid sit de hac controversia, de qua nolo hìc longiùs disputare, sufficiat quod priùs

non esse reservatum potest cuilibet illud confiteri.

priùs dictum fuit, scilicet, hunc non esse casum Conclusionis, quæ solùm loquitur de dubio negativo, omnibus consideratis. Nam si probabiliter judices, peccatum non esse reservatum, estò etiam probabiliter judicares, esse reservatum, non videtur Superior tali casu voluisse sibi reservare Absolutionem, sicuti Christus in tali dubio de peccato mortali, noluit obligare ad Confessionem, ùt suo loco ostendimus.

137. Multò magis si probabiliter judices non esse reservatum, & nullæ sint rationes probabiles pro reservatione. Sin autem probabiliter judices esse reservatum, absque ratione probabili pro non reservatione, nemo dubitat, quin sit obligatio illud peccatum confitendi Superiori, aut alteri habenti potestatem absolvendi à reservatis, cùm tunc quasi moraliter certum sit, peccatum esse reservatum.

Votum dubium materiæ reservatæ, non est reservatum. Sanchez.

Audiamus Sanchium lib. 4. Sum. cap. 40. n. 26. ubi sic discurrit de voto reservato: Quoties de voti valore fuerit morale dubium, sive sit dubium juris, sive facti, & sive sit negativum propter conjecturas, quæ non sufficiunt ad determinandum judicium, sive sit positivum ex opinionibus probabilibus contrariis, id votum cujuscumque materiæ reservatæ, non est reservatum; sed potest Episcopus in eo dispensare: & hoc est verum, quàmvis id dubium non sufficiat ad excusandum voventem à voti obligatione, quando enim excusat, non est opus ullâ dispensatione. Ratio est: quia cùm dispensationis reservatio sit odiosa, est restringenda ad casus certos: dubii enim non comprehenduntur sub reservatione.

138. Sive sit dubium juris.

Et eodem lib. c. 44. n. 3. Secunda, inquit, causa est, eò quòd dubitetur, an potestas dispensantis extendatur ad illud votum. Et tunc quando potestas est ordinaria, potest esse dubium juris aut facti, aut utriusque. Dubium juris erit, quando constat de voto emisso; at dubium est propter opinionum diversitatem, an id sit reservatum. Et in hoc casu potest dispensare. Quia tunc non censetur votum reservatum, ùt probavi cap. 40. n. 26.

Aut est dubium facti; quia vovens, sciens se peregrinationem vovisse, dubitat, an ea fuerit Compostellana, & sic reservata. Similiter certus est, se aliquid ad castitatem pertinens vovisse, dubitat tamen, an absolutam castitatem voverit, cujus votum est reservatum, an solam partialem, cujus votum non est reservatum.

139. Et in hoc dubio sic distinguendum apparet primâ facie. Si sit aliqua possessio pro voto reservato, non poterit inferior Pontifice dispensare: secùs si nulla sit possessio pro voto. Exemplum prioris partis sit; si ille certus sit, se vovisse castitatem, aut verba voti, quæ certus est se protulisse, sunt castitatis, dubitat tamen, an intenderit omnimodam castitatem; tunc enim possessio est pro voto plenæ castitatis. Exemplum posterioris partis, quando ille non meminit verborum; tunc enim possessio est pro voluntate, ut in hoc dubio intelligatur ad id, quod minùs est, ligata: & ideo præsumitur non emissum votum reservatum.

sive facti.

At re bene inspectâ dicendum est, in neutro casu votum esse reservatum: & à fortiori quando est dubium juris & facti. Quia c. 40. n. 26. eam regulam tradidimus, ut in dubio, quàmvis non sufficienti ad vitandam voti obligationem, nunquam censeatur votum reservatum. Et ideo, quando stat possessio pro illo voto castitatis, juxta tenorem verborum, licèt ea possessio sufficiat ad judicandam plenam castitatis obligationem, non sufficit tamen, ut votum judicetur reservatum. Hucusque Sanchez.

140. An sufficiat possessio hæresis, ut ipsa censeatur reservata.

Sed interrogo ego unum verbum; si possessio voti non sufficiat, ut votum judicetur reservatum, cur sufficiat possessio hæresis, ut hæresis judicetur reservata? Nonne in tali dubio plenæ castitatis, in foro externo vovens judicaretur obligatus ad plenam castitatem? Cur ergo hoc votum minùs sit reservatum, quàm illa hæresis?

An sufficiat præsumptio reservationis, ut casus sit reservatus. *Diana. Merolla.*

Et verò non sufficere præsumptionem fori externi, ut casus aliquis sit reservatus, probabile putat Diana, part. 4. tract. 3. resol. 4. cum Merolla in disp. Theol. tom. 1. disp. 3. cap. 3. dub. 2. coroll. 23. n. 370. ubi (inquit ille) impugnat supradictam Sanchez limitationem, existimans casum non censeri reservatum, nisi certò constet de reservatione, nec satis esse, quòd præsumatur reservatus.

Sententia satis benigna, si satis vera. Sed si hæc vera, multò magis Conclusio nostra, quæ loquitur, sicut dictum est, de peccato dubio negativè. Et perinde est, ùt patet ex dictis, sive sit dubium juris, id est, quando dubitatur, an sit reservatio facta, seu lex reservans, ut sic loquar, posita; sive dubium facti, quando constat de lege, v. g. de reservatione homicidii; dubitatur autem, an homicidium fuerit commissum, vel commissum cum sufficienti deliberatione ad culpam mortalem.

141. Dubium negativum sive juris sive facti non sufficit ad reservationem *Reg. 30 de Reg. juris in 6. l. 94. ff. eod.* Quænam in jure dicantur esse obscura. *Canisius.*

Et ideo rursum dico; stante tali dubio, non esse obligationem confitendi illud peccatum Superiori, aut alteri habenti potestatem in reservata; quia non censetur peccatum reservatum; juxta Reg. juris 30. de Reg. juris in 6. *In obscuris minimum est sequendum.* Et leg. 9. ff. hoc tit. *Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.*

Obscura hìc dicuntur (inquit Canisius in dictam Reg.) quorum sententia incerta est, quæque nunc in hanc, nunc in alteram partem pertrahi possunt. Ne igitur res propter obscuritatem pereat, benignè receptum est, ut saltem id, quod in sententia minimum est, hoc est, minùs noceat reo, sequamur. Quippe procliviores esse debemus ad liberandum,

quàm ad condemnandum, & favorabiliores sunt partes Rei, quàm actoris. Hæc ille.

142. Obscurum est quid intelligatur per ly *Homicidium* quando reservatur.

Ergo impræsentiarùm, cùm obscurum sit, quid intelligatur per ly *Homicidium* dum reservatur, Aliquibus opinantibus solùm intelligi homicidium certum, Aliis etiam homicidium præsumptum vel dubium, quod in sententia reservationis minimum est, hoc est, minùs nocet reo seu peccatori, sequimur; quià procliviores esse debemus ad liberandum, quàm ad condemnandum, & favorabiliores sunt partes Rei, id est, peccatoris, quàm actoris, id est, reservantis seu Superioris; præsertim cùm alia Regula juris dicat 57. de Reg. juris in 6. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.* Iam autem reservans apertiùs potuit legem dicere; ergo nisi expresserit homicidium præsumptum & dubium, contra eum est interpretatio facienda, id est, judicandum pro pœnitente, ipsum liberando ab onere recurrendi pro Absolutione ad Superiorem.

Reg. 57. de Reg. iuris in 6.

143. Intelligitur homicidium in suo genere completum.

Et consimiliter, tametsi Superior posset reservare homicidium solùm inchoatum si vellet, nisi tamen id clarè exprimat, contra eum fit interpretatio in favorem pœnitentis, intelligendo per homicidium simpliciter positum, homicidium in suo genere consummatum.

Hinc Clemens VIII. inter casus reservatos, de quibus suprà egimus, non simpliciter ponit homicidium seu occisionem, sed addit vulnerationem seu gravem percussionem; ne fortè, si solam occisionem posuisset, vulneratio etiam lethalis, morte non subsecutâ, à casibus reservatis meritò fuisset exclusa; sicuti excluditur à pœnis irregularitatis, excommunicationis & similibus, constitutis pro homicidio simpliciter, secundùm DD. communiter.

Præterea in eadem Bulla Clement. VIII. inter casus reservatos quarto loco numeratur: *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum*, & ne intelligeres, effectu secuto, sicuti per se illa verba intelligi solent, additur: *Etiam effectu non secuto.*

144. Objectio.

Dices: sexto loco ponitur: *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus*; ergo nisi addidisset Pontifex illam particulam; *Opere consummatus*, per lapsum carnis voluntarium, etiam venisset intelligendus, opere non consummatus.

Solvitur.

Respondeo Neg. Conseq. & dico; ideo Pontificem addidisse illam particulam, ùt clariùs significaret, quod per se intelligitur.

145. Quid intelligatur per lapsum carnis voluntarium opere consummatum.

Igitur per lapsum carnis voluntarium, opere consummatum, Aliqui intelligunt quodcumque peccatum carnis alicujus determinatæ speciei consummatum & ita sub eo comprehendunt voluntariam pollutionem; quia pollutio habet propriam speciem, secùs aspectus aut tactus inhonestos, qui solùm sunt dispositiones ad pollutionem, fornicationem, & alias species luxuriæ.

Neque contrarium docet Dia. part. 4. tract. 4. resol. 61. (ùt perperàm asserit Bonæ Spei tract. 5. de Pœnit. Sacram. disp. 10. n. 59.) Quippe eò loci non tractat aut quærit, an pollutio voluntaria sit lapsus carnis opere consummatus, sed simpliciter: *An pollutio cogitando tantùm turpia sit peccatum reservatum, & quid si sequatur ex aspectu nimiùm libidinoso?* Et sic incipit suam resolutionem. Dian. Bonæ Sp.

Aliquando Superiores Regulares reservant sibi pollutionem voluntariam, etiam sinè complice; quæritur, an si sequatur voluntariè ex turpibus tantùm delectationibus morosis, vel ex aspectibus libidinosis sit peccatum reservatum. Et ad hæc dubia respondet Georgius Kiene in tract. de cas. reser. p. 3. c. 6. n. 4. ubi sic ait: Quæres primò, utrùm Religiosus cogitando turpia, iisque morosè delectando in pollutionem prolapsus, sinè proprii corporis aspectu aut contactu libidinoso, ullaque motione instrumentali, casum reservatum incurrat? 146. An pollutio voluntaria ex cogitatione turpium sit reservata. Kien.

Respondet Suarez affirmativè; sed non improbabiliter Alii negant: putant enim, quòd ad hujusmodi reservationem non solùm externa actio in sua specie consummata, sed etiam externa respectu mediorum requiratur, & procuretur non tantùm per interiorem delectationem, tamquam causam adæquatam; sed potissimùm per opus externum; v. g. libidinosum contactum. Suarez

Et quemadmodùm ille non incidit, qui tangit personam, quantumcumque libidinosè exercendo varios impudicitiæ actus absque seminis profusione aut copula, quàmvis mortaliter peccet; ita quoque qui sinè tactu proprii corporis, aut alio instrumento ob veneream turpitudinem mentalem polluitur, nisi perveniatur ad consummationem illius actûs impudici, quem peccans intendit, vel in quem naturâ suâ ordinatur, id est, copulam carnalem.

Quæris secundò; utrùm aspectus libidinosus in fœminam directus, ex quo apta est sequi pollutio, sit casus reservatus? Resp. Primò, si aspectus aliquâ quidem libidine quasi inadvertenter informatus à pulchritudine faciei aut formæ fœminæ, aut personæ superbè convestitæ proveniat, non esse utì nec mortalem; ita neque reservatum. Ratio est; quòd hujusmodi aspectus de se leviter tantùm in libidinem provocet. 147. Utrùm aspectus libidinosus in fœminam directus, ex quo apta est sequi pollutio, sit casus reservatus?

Respondeo 2. quando in gravem tentationem, & indè in pollutionem prolaberetur, necdum culpam reservatam probabiliter committit, etiamsi ex prava affectione & intentione ad libidinem concitaretur, ob affectum corporis externi, quòd per se oculus impudicus non possit censeri propinquè lapsus carnis, opere consummatus.

Respondeo 3. aspectus denudati in fœmina corporis, aut potioris partis ad libidinem allicientis,

cientis, in qua pudicitia locum tenet, cum pollutione junctus, videtur sine præviis oculis aut contactu casus reservatus. Ita Kiene loco citato. Vide etiam Homobonum de cas. reser. p. 3. c. 5. excep. 6. Molfesium in Sum. to. 1. tract. 7. c. 20. n. 104. & Coriolanum de cas. reser. p. 2. cas. 9. §. 10. n. 15. asserentem, pollutionem ortam ex turpibus cogitationibus nunquam esse casum reservatum, sed tantùm peccatum mortale. Hucusque Diana.

Kiene. Homobonus. Molfesius. Coriolanus.

148. Non quælibet pollutio voluntaria ell lapsus carnis opere consummatus;

Solùm referens sententiam Kiene & Aliorum, asserentium, non quamlibet pollutionem voluntariam esse casum reservatum; sed illam solùm, quæ præviis tactibus, aut etiam inhonestis aspectibus corporis nudati fœminæ procuratur. Ergo perperàm citatur Diana, quasi hoc loco generaliter doceat, voluntariam sui pollutionem, non esse lapsum carnis voluntariam, opere consummatum.

sed secundum Aliquos solus concubitus carnalis. *Marchant.*

Sed quàmvis Diana hoc non doceat, Alii tamen docent. Vide Marchantium in Expos. Reg. FF. Min. cap 7. dub. 5. ubì quærens, quis censeatur lapsus carnis opere consummatus? Respondet: Omnis concubitus sive coitus carnalis, sive fiat secundùm naturam, ùt in fornicatione, adulterio, incestu, sacrilegio; sive contra naturam, ùt in sodomia, bestialitate & id genus nefandis criminibus.

Deinde movet quæstionem; An pollutio voluntariè procurata in propria persona, vel per tactus impudicos solos, absque coitu in secunda persona, sub lapsu carnis comprehendatur? Et Respondet, quòd Alii negant, Alii affirmant. Securiùs, inquit, est, & malitia ipsa peccati meretur, ùt per Capitula Generalia, aut Provincialia reservetur, sicut in diversis Provinciis ad majorem securitatem & mali detestationem fieri vidi.

149. An in tali concubitu debeat fieri seminatio in vase.

Rursumque interrogat: An in concubitu, sive lapsu isto reservato, necessariò debeat fieri seminatio in vase? Respondet, quòd non; sed sufficit, inquit, coisse; etsi seminatio extra vas compleretur.

Bonæ Spei.

Quæro ego, quid si nulla seminatio sequeretur copulam? Respondet Bonæ Spei suprà, casus ille non incurritur; quia hic nulla lapsûs carnis consummatio, ùt notant Pellizarius, Grafius, Diana & Alii.

Pellizarius. Grafius. Diana.

150. Quid intelligatur in Bulla Cœnæ per defensionem Hæreticorum.

Non gravetur Lector, si adhuc unam proposuero quæstionem. In Bulla Cœnæ cas. 1. reservatur favor, defensio & receptatio Hæreticorum. Recepi Hæreticum in domo mea, dedi ei consilium, arma, pecunias ut evaderet, non evasit; quæro, an talis favor, defensio, aut receptatio sit casus reservatus?

Sanchez.

Negat Sanchez lib. 2. Sum. cap. 10. n. 9. Quia, inquit, excommunicatio Bullæ Cœnæ primariò & principaliter fertur in Hæreticos; & quasi accessoriè derivatur & extenditur ad fautores, defensores, receptatores eorum, ùt optimè docet Suarez de Cens. dis. 21. sect. 2. n. 8.

Suarez.

Et constat ex tenore Bullæ Cœnæ excommunicantis Hæreticos in primo loco, & deinceps in ipsorum odium reliquos. Qui idem tenor servatur in jure excommunicando Hæreticos & eorum fautores &c. At ubì principaliter aliquis excommunicatur, & accessoriè mandantes, consulentes, vel faventes: hi non incurrunt effectu mandati, consilii aut favoris non subsecuto, ùt tradunt communiter DD. in tract. de Excom. Ita Sanchez.

151. Tenor Bullæ.

Subscribo tenorem Bullæ: *Excommunicamus & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostrâ quoscumque Hussitas, VViclephistas, Lutheranos, Zunglianos, Calvinistas, Vgunottas, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana Fide Apostatas, ac omnes & singulos alios Hæreticos, quocumque nomine censeantur, & cujuscumque Sectæ existant, ac eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quoslibet eorum defensores* &c. Ubì, ùt vides, secundo loco ponuntur: *Credentes, receptatores* &c.

An credentes &c. solùm accessoriè excommunicentur.

An autem propterea solùm accessoriè, posset esse quæstio. Nam cap. *Sicut ait* 8. de Hæreticis, videntur hi principaliter, & non accessoriè ad Hæreticos ipsos excommunicari; ibi: *Et sub anathemate prohibemus, ne quis eos in domo vel in terra sua tenere, vel fovere, aut negotiationem cum eis exercere præsumat.*

Quàmvis etiam eodem cap. secundo loco ponantur, ibi: *Quia in partibus Tholosanis Hæreticorum, quos Alii Catharos, Alii Patavenos, & Alii aliis nominibus vocant, invaluit damnanda perversitas: eos* (scilicet Hæreticos) *& defensores, & receptatores eorum, anathemati decernimus subjacere.*

152. Aliqui putant hos omnes esse excommunicatos, etsi non sequatur effectus. *Sayro.*

Equidem, teste Sanchez suprà, Sayro Thesaur. cas. to. 1. lib. 3. c. 5. n. 4. ait esse valde probabile, hos omnes incurrere excommunicationem & jure communi, & Bullâ Cœnæ, in eos latam. Priùs probat, quia cap. *Sicut ait*, de Hæreticis, videntur hi principaliter & non accessoriè ad Hæreticos ipsos excommunicari. Posteriùs autem; quia cùm Ecclesia hos tam ingenti odio prosequatur, verisimile est, eam voluisse hos principaliter excommunicari. Ita Sanchez.

Sed ego nihil simile invenio apud Sayro noviissimæ editionis loco citato; quàmvis & eundem locum citet Suarius de Fide disp. 24. sect. 1. n. 14. ubì huic sententiæ adhæret, dicens: Quàmvis res videatur dubia, ego huic posteriori sententiæ adhæreo, tamquam probabiliori & securiori: tum quia magis favet Fidei, & detestatur hæresim, quod jura intendunt; tum etiam, quia applicata contraria opinio casibus particularibus, videtur incredibilis & contra praxim. Nam qui non denuntiat Hæreticum, cùm tenetur, excommunicationem incurrit, etiamsi alter denuntiet, & consequenter

Suarez.

quenter prior non consequatur effectum ; & idem est de illo, qui per testimonium falsum hæreticum liberare procuravit, & non potuit, quia per alios testes convictus est.

Tum denique, quia illa regula, in qua fundatur prima sententia, non rectè explicatur; procedit enim, quando mandatum vel auxilium ordinantur ad executionem ejusdem delicti, v. g. homicidii, hìc autem non ita est: nam favor per se non ordinatur, ut alter committat hæresim ; immo illam supponit, & ad tuitionem hominis jam hæretici ordinatur, & ita hoc delictum in suo genere est consummatum, quàmvis effectus non sequatur. Solet autem dici, hæc prohibitio secundariò pertinere ad hæresim, quia propter illam præcipuè sit, non quia quasi per hæresim consummetur delictum, cui annexa est hæc censura. Hactenus Suarius. Meo judicio satìs bene.

153. Duo effectus possunt considerari in favore qui præstatur hæretico,

Solùm adverto (& magìs explico hanc sententiam) duos effectus posse considerari in favore. v. g. qui præstatur Hæretico. Primus est, ipsa hæresis illius Hæretici, vel hæresis; in aliis eâ occasione futura vel conservanda. Et de hoc effectu loquitur Suarius, negans eum esse necessarium ad incurrendam excommunicationem, & per consequens casum reservatum.

Secundus effectus est, favor vel tutela Hæretico & hæresi exhibita. Et de hoc effectu intelligo primam sententiam, ut vera sit, id est, nisi favor Hæretici & hæresis re ipsâ ponatur; non incurritur hæc excommunicatio, & per consequens non est casus reservatus. Ratio est; quia qui solùm voluit favere, nonest simpliciter fautor.

154. Quid requiratur ut favor censeatur re ipsâ præstitus.

Porrò ut favor censeatur re ipsâ præstitus seu positus, requiritur primò, actio aliqua ex parte faventis. Secundò, passio seu receptio favoris ex parte Hæretici ; v. g. aliquis mittit pecunias Hæretico, ut hoc modo ei faveat, sed pecuniæ in itinere pereunt, aut ipse jam obierat antequam pecunias acciperet, non est favor præstitus, seu re ipsâ positus & ideo non est casus reservatus ; quia non est peccatum in genere suo consummatum. Misisti pecunias Hæretico, & ipse pecunias recepit, sed paulò pòst, antequam illis uteretur, furto ablatæ fuerunt; item in domo tua Hæreticum recepisti, sed paulò pòst extractus fuit; falsum testimonium dixisti, ut ipsum à morte liberares, interim convictus aliis testibus, condemnatus fuit; ecce peccatum favoris & receptationis in suo genere consummatum, & ideo casus reservatus.

Probatur ; quia in his & similibus casibus verè favor præstitus fuit & acceptatus, quàmvis parùm Hæretico profuerit. Iam autem effectus prohibitus, seu id, quod prohibetur, non est liberatio Hæretici, non est concursus ad hæresim, sed receptio & favor Hæretici, qui esse potest sinè liberatione, & in exemplis propositis à parte rei est.

155. Discrimen inter favorem præstatum hæretico & homicidæ.

Ex quo patet diversitas, suprà à Suario allegata, inter favorem, qui præstatur Hæretico, & favorem, qui præstatur v. g. homicidæ; hic enim favor nihil est aliud, quàm concursus ad ipsum homicidium, qui concursus in re ipsa non ponitur, nisi in re ipsa ponatur occisio. Unde sicuti ipse, qui occidere voluit, & casu impeditus fuit, non incurrit censuram, nec casum reservatum, estò etiam exteriùs mortaliter peccasset, ponendo causam per se occisionis; quia peccatum non fuit in genere suo consummatum effectu secuto, ita nil mirum, si nec ille incurrat censuram, aut casum reservatum, qui solùm consuluit, aut favorem præstitit isti actioni exteriori.

At verò in nostro casu favor, qui prohibetur, non est concursus ad hæresim, ùt dictum est, nam qui Hæreticum jam conversum ad Fidem, aut mortuum defenderet, ne puniretur vel condemnaretur, incurreret censuram. Quid ergo? Subministratio consilii, pecuniæ, armorum &c. ut Hæreticus evadat justam punitionem, sive sit periculum ulterioris hæresis, sive non.

156. An peccatum debitum semel absolutum à peccato reservato possit iterum, eodem debito, absolvi.

Atque hìc fuisset finis Conclus. nisi hæc quæstio succurrisset : Aliquis absolvitur ab inferiori à peccato, de cujus reservatione dubitabat, post Absolutionem certò cognoscit reservationem, nunquid tenetur ad iteratam Confessionem faciendam ei, qui habet potestatem absolvendi à peccatis reservatis?

Respondeo ; nequaquam : quia directè fuit ab illo peccato absolutus, non tantùm sub conditione, si non foret reservatum, sed etiamsi foret secundùm se reservatum ; quia in illis circumstantiis verè non erat reservatum, quoniam Superior noluit reservare peccatum dubium ; sed dumtaxat certum. Cur ergo obligabitur ad iteratam Confessionem ? Nam semel confessus fuit illud peccatum tamquam non reservatum, sicuti à parte rei non erat reservatum, & ab illo sic confesso fuit directè absolutus; peccatum autem semel directè absolutum non redit, ùt clarum est.

157. Idem quæritur de excommunicatione, de qua dubitatur.

Et idem est de excommunicatione, de qua dubitabatur, an esset reservata : nam & illa semel directè absoluta, non redit absque novo peccato, quale hìc supponitur non intervenire; quippe non est data Absolutio ad reincidentiam, ùt vocant, utpote quæ non potest dari, nisi in casibus in jure expressis, qualis non est hic. Tali ergo casu absolvit inferior ab illa excommunicatione eo modo, quo absolvit ab omni alia, quæ certò constat non esse reservata. Ratio patet ex dictis : quia tali casu cessat omnis reservatio propter dubium circumstans.

Item de dispensatione in voto.

Sicut qui dispensat in voto, de cujus reservatione dubitatur, non dispensat sub conditione,

dubiè reservato.

tione, si non est votum; quia tunc non est opus dispensatione; vel sub conditione, si non est votum reservatum: quia supponitur stante illo dubio non esse reservatum, sed dispensat in illo voto simpliciter & absolutè, sicut in quocumque alio voto non reservato; & ideo, estò postea certò constaret de reservatione, haùd equidem esset necessaria nova dispensatio.

158. Quid si stante dubio non absolvitur aut dispensatur?

Interim tamen, si stante illo dubio de reservatione peccati, excommunicationis aut voti, non absolveretur aut dispensaretur, adveniente certitudine reservationis, inferior nec posset absolvere, nec dispensare; quia rediit reservatio. Probatur à simili; in Jubilæo cessat reservatio, quo transacto redit reservatio sinè nova culpa: quippe reservatio non est aliud, quàm ablatio potestatis; potest autem potestas auferi pro certo tantùm tempore, quo elapso potestas redeat, & similiter potest concedi potestas pro certo tantùm tempore, quo elapso expiret talis potestas. Quàmvis ergo excommunicatio, quæ est pœna peccati, nunquam redeat absque novo peccato; reservatio tamen excommunicationis, utì etiam peccati, redire potest; ùt jam ostensum est.

Sed nunquid sola censura reservari potest? Nunquid solum peccatum? Attende quod sequitur:

CONCLUSIO IX.

Sola censura reservari potest, utì & solum peccatum: attamen à Pontifice ordinariè non reservatur peccatum sinè censura; quâ proinde non contractâ, vel sublatâ, non contrahitur, vel aufertur reservatio peccati.

159. Alia est reservatio censuræ, alia peccati.

Reservatio, ùt statim dixi, non est aliud, quàm ablatio potestatis seu jurisdictionis; sicut ergo alia est jurisdictio necessaria ad absolvendum à censura, alia ad absolvendum à peccato; ita alia est reservatio censuræ, alia autem reservatio peccati; ergo sicut solum peccatum potest reservari, ita etiam sola censura. Quæ enim repugnantia?

Solum peccatum posse reservari, probatur ex Trident.

Herculè solum peccatum posse reservari haùd obscurè significat Concil. Tridentinum sess. 14. cap. 7. ibi: *Magnopere verò ad Christiani populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur.*

Et infrà: *Neque dubitandum est..... quin hoc idem Episcopis omnibus..... liceat..... præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est.* Si præsertim quoad illa, ergo etiam quoad alia, quibus excommunicatio aut alia censura annexa non est. Si Episcopis, etiam Pontificibus, de quo nemo potest dubitare. Et ita de facto multa peccata, quibus non est annexa ulla censura, reservantur tam ab Episcopis, quàm à Prælatis Regularibus, ùt omnibus est manifestum.

160. Aliqui existimant, Pontificiam reservationem immediatè cadere in solam censuram.

Quantùm ad reservationem solius censuræ, sunt qui existimant, Pontificiam reservationem immediatè cadere in solam censuram, & solùm mediatè in culpam: quia nimirum nullus possit à peccatò absolvi durante censurâ. Et licèt contraria sententia sit communior, ùt statim videbimus, interim non potest assignari aliqua; vel in speciem repugnantia in eo, si fieret.

Nonne Aliqui docent, Prælatos Regulares, estò non possint sinè consensu Capituli reservare alia peccata, præter enumerata à Clement. VIII. nihilominus posse reservare quaslibet censuras?

Ità quippe lego in Statutis nostris Generalibus Barchinonensibus (impressis Antuerpiæ apud Gerardum Wolschatium an. 1624.) cap. 6. §. 22. n. 11. *Insuper decernimus, Prælatos prædictos per se solos, absque Capituli consilio & consensu, posse sibi reservare quaslibet censuras: & huiusmodi reservationem esse validam & tenere; cùm Decretum Pontificis tantùm loquatur de peccatis, quæ longè distant à censuris.*

Et n. 14. *Eâdem pœnâ plectatur, quicumque ausus fuerit affirmare, Prælatos Generales & Provinciales respectivè, non posse reservare sibi casus, in Constitutione Clementis VIII. expressos, extrà Capitulum, vel quarumcumque censurarum absolutionem.*

161.

Quidquid sit de his Statutis, quæ postmodum recognita & iteratò impressa fuerunt, omissis illis duobus numeris, hæc sententia non est ex ratione improbabilis; sed neque ab ipsius probabilitate pendet veritas Conclusionis: verùm à principio generali ab Omnibus admisso, putà, jurisdictio necessaria ad absolvendum à censura, communicatur per Pontificem & Prælatos Ecclesiæ; ergo potest hæc limitari & restringi; ergo sola censura potest reservari, eodem modo quo solùm peccatum.

A Pontifice ordinariè non reservatur peccatum sinè censura.

Attamen (ùt habet sequens pars Conclusionis) *à Pontifice ordinariè non reservatur peccatum sinè censura.* Intellige de Pontifice, quatenus est Supremus Pastor, sive quatenus

reservat aliqua peccata quoad universalem Ecclesiam. Probatur auctoritate negativâ: quia nec in toto corpore juris Canonici, neque in Bullis Pontificiis, præterquam fortè in Extravagan. *Inter cunctas.* de Privileg. nunc talis reservatio invenitur.

162. In Extrav. *Inter cunctas*, videtur reservari peccatum sinè censura.

Dico; *Præterquam fortè* &c. quia in dicta Extravag. sic scriptum habemus: *Duos tamen casus excipimus, si Sacerdos asserat eum excommunicatum, aut notoriè peccatorem. Sed videat ne id dicat mendaciter, aut in dolum vel in fraudem: quia si hoc egerit, à delicto tali, nisi plenè satisfecerit (præterquam in morte) absolvi nequeat, nec de illo ad pœnitentiam aliter admittatur.* Ecce reservatio Pontificia sinè censura.

Quàmvis enim non exprimatur, cui fiat, tamen cùm absolutè fiat, manifestum est, inquit Suarez disput. 29. sect. 2. n. 4. auctori Canonis fieri, qui est Summus Pontifex. Et licèt illa Extravag. cassata fuerit per Clement. *Dudùm* de Sepult. fortasse quoad hanc partem revocata non est; quia solùm videtur derogari quoad ea, quæ spectant directè ad facultates & privilegia Religiosorum. Hæc ille. Suarez.

163. Objectioni occurritur.

Nec obstat, quod non videatur absoluta reservatio, sed sub ea conditione: *Nisi plenè satisfecerit*; nam illa satisfactio (inquit idem Auctor) non est solùm ea, quæ præcisè necessaria esset ad veram pœnitentiam & veram Contritionem vel Attritionem habendam; aliàs non oportuisset addere exceptionem de articulo mortis; immo & tota illa clausula supervacanea fuisset: nam constat neminem post injuriam illatam posse absolvi, etiam in articulo mortis, nisi factâ satisfactione, eo modo quo fieri potest juxta opportunitatem occurrentem; igitur aliquid ampliùs in ea conditione postulatur: id autem nihil aliud est, nisi ut tale peccatum reservatum maneat, donec re ipsâ plena satisfactio exhibeatur. Hactenus Suarius. Sed quia hæc non adeo certa sunt, quin ab Aliquibus possent negari, ideo addidi ly *Fortè*.

164. In Motu proprio Sixti V. contra Clericos malè promotos, reservatur peccatum sinè excommunicatione.

Quod attinet ad Motum proprium Sixti V. an. 1589. contra Clericos malè promotos, qui incipit: *Sanctum & salutare* 91. apud Cherubin. estò in eo reservetur illud peccatum Pontifici, §. 4. ibi: *Inhibentes ne à quoquam sæculari, vel cuiusvis Ordinis Regulari Presbytero vel Prælato, quâvis auctoritate fungente..... personæ sic, ùt præfertur, delinquentes, tam scilicet Antistites seu Abbates promoventes, quàm Clerici malè insigniti seu ordinati, à reatibus & excessibus præfatis absolvi, præterquam in mortis articulo, possint aut debeant.*

Equidem non absque omni censura, ùt patet ex §. 3. qui sic incipit: *Et nihilominus felicis recordat. Pii II. & aliorum Romanorum Pontificum nostrorum prædecessorum, qui per suas Constitutiones, aut in Cancellaria Apostolica publicatas regulas, contra huiusmodi Clericos postiàs malè promotos, ab executione, ministerio & exercitio Ordinum susceptorum, & ab omni spe & facultate ascendendi ad alios Superiores perpetuò suspensos declaramus.*

Saltem ex hoc Motu proprio habemus aliquam reservationem Pontificiam, sinè annexa excommunicatione. Quippe non totaliter revocatus est, sed solùm moderatus à Clement. VIII. Bullâ: *Romanum Pontificem* 40. apud Cherubin. sub hac forma verborum: *Nos animadvertentes* &c. *Motu proprio & ex certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hâc nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione, supradictas literas ad terminos sacrorum Canonum ac Constitutionis felicis memor. Pii Papæ II. etiam prædecessoris nostri, quæ incipit:* Cùm ex sacrorum Ordinum (7. apud Cherubin.) *sub data videlicet quinto decimo Cal. Decembr. Pontif. sui an. 4. cuius tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, & ad dispositionem Decretorum Sacri Trident. Concilii restringimus & reducimus, nec non censuras & pœnas in eisdem Sixti literis contra quoscumque, præterquam contra simoniacè ordinantes, & ordinatos, inflictas, quas volumus in suo robore permanere (aliis etiam pœnis & censuris per eosdem Canones ac Constitutionem Pii II. Concilium & Tridentinum iniunctis salvis & firmis remanentibus) moderamur & abolemus.* Ergo adhuc vi Motûs proprii Sixti V. peccatum, simoniacè ordinantium, & ordinatorum, est reservatum Pontifici sinè annexa excommunicatione, quàmvis non sinè omni censura, quia cum annexa suspensione. 165. Hic motus non est totaliter revocatus per Clem. VIII.

Ex eodem Motu Sixti V. colligitur communis sententia, quæ docet, reservationem Pontificiam, non solùm immediatè cadere in censuram, sed etiam in ipsam culpam: cùm enim priùs dixisset Pontifex: *Tam absolvendi (à suspensione) quàm dispensandi (in irregularitate) facultatem in casibus superiùs expressis, etiam in foro conscientiæ, nobis & successoribus nostris duntaxat perpetuò reservamus.* Subjunxit: *Inhibentes* &c. ùt suprà. 166. Ex eodem Motu proprio patet, reservationem Pontificiam immediatè cadere in ipsam culpam.

Confirmatur ex Trident. sess. 14. c. 7. ibi: *Magnoperè verò* &c. ùt suprà in principio Concluf. ex quibus verbis deduximus, peccata absque censura posse reservari; ergo etiam peccata simul cum censura reservari possunt, ita ut reservatio immediatè cadat in peccatum & censuram. Agit enim ibi de potestate reservandi, prout in usum jam sæpiùs exivit seu exire solet; & tamen in prioribus verbis, in quibus agit de reservatione Pontificia, non meminit censuræ, sed tantùm graviorum criminum; ergo signum est, quòd quando Pontifices reservant graviora crimina cum annexa censura, reservatio non tantùm cadat immediatè in censuram, sed etiam in ipsum peccatum. Confirmatur ex Trid.

Acce-

167. Item ex c. *Si quis suadente* 17. q. 4.

Accedat antiquissimum exemplum ex c. 29. *Si quis suadente* 17. q. 4. in quo fertur prima omnium reservationum Papalium, & ideò videtur esse veluti exemplar cæterarum omnium, & tamen ibi de percussione Clerici primùm dicitur: *Si quis suadente Diabolo huius sacrilegii reatum incurrerit, quòd in Clericum vel in Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat.* Et postea subditur: *Et nullus Episcoporum illum* (percussorem Clerici vel Monachi) *præsumat absolvere, nisi mortis urgente articulo; donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat.*

Suarez.

Ubi adverto, inquit Suarez suprà n. 9. absolutionem, quæ reservatur, nullo modo referri ad censuram tantùm, sed simpliciter ad ipsum peccatorem, anathematis vinculo subjacentem: ergo simpliciter totum hoc reservatur, scilicet tam peccatum, quàm censura.

168. & cap. 29. de Sentent. excom.

Claudat agmen Innoc. III. cap. *Nuper* 29. de Sent. excom. ibi: *In primo quidem articulo cùm talis communicet crimini, & participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnavit: ab eo vel eius Superiore meritò delicti tunc erit absolutio requirenda.* Ubi absolutio refertur non tantùm ad censuram, sed expressissimè ad ipsum delictum.

Et quàmvis ibi non agatur de reservatione Papali, sed potiùs Episcopali vel Archiepiscopali, est tamen eadem omnium ratio. Quæris quæ sit ista ratio? Respondet Suarez suprà; intentio Pontificum, quæ ex eorum verbis & Decretis à nobis colligitur, quam interpretationem maximè confirmat communis usus Ecclesiæ, & communis sensus Interpretum.

Ratio est intentio reservantium.

169. Oppositam sententiam tenet Durandus.

Interim non desunt, qui oppositum teneant; scilicet solam censuram immediatè reservari, culpam autem tantùm mediatè, quatenus pœnitens non potest, saltem licitè, absolvi à peccato, nisi priùs fuerit absolutus à censura. Ita Durandus 4. dist. 17. q. 15. n. 13. ibi: Ecclesia Romana nunquam retinuit sibi Absolutionem ab aliqua culpa directè; sed solùm retinuit sibi Absolutionem à quibusdam excommunicationibus, & dispensationem super quibusdam irregularitatibus, quas incurrunt quandoque propter aliquas culpas, & auctoritatem commutandi quædam vota, vel dispensandi in eis: & propter prædictam retentionem non oportet recurrere ad Sedem Apostolicam, nisi propter Absolutionem à sententiis, vel propter dispensationem super irregularitatibus, & in votis, quibus obtentis, Prælati possunt de omnibus peccatis absolvere. Hæc ille.

Eamque insinuat Cajetanus.

Eandem sententiam insinuat Cajetan. in Sum. verb. *Casus reservati.* ibi: Casus reservati Sedi Apostolicæ, clari sunt; nam sunt soli illi, quos Ecclesiastica censura, hoc est, excommunicatio, reservat Apostolicæ Sedi. Et infrà: Et scito, quòd si excommunicatus ob simoniam v. g. obtinuit à Papa Absolutionem ab excommunicatione, poterit Confessor simplex ipsum absolvere à peccato simoniæ: quia ex quo ratio reservationis cessat, consequens est, ut ipsa reservatio annexi peccati cesset. Ita Cajet. significans his verbis, censuram esse quasi adæquatam rationem hujus reservationis.

170. Probatur ex cap. 22. de Sentent excom.

Probatur autem hæc opinio ex Decretis, in quibus hujusmodi censuræ feruntur; nam primò propter culpam imponitur censura, & deinde dici solet: *A qua absolvi non possint nisi à Rom. Pontif.* vel, *in ea permaneant, donec Apostolico conspectui se præsentent.* cap. *Conquesti* 22. de Sent. Excom. ibi: *Quoniam igitur gravia sunt, nec clausis oculis debent prateriri: Mandamus quatenus si est ita, memoratos sacrilegos excommunicatos nuntietis & faciatis sicut excommunicatos arctiùs evitari, donec pœnis iniuriam congruè satisfaciant, & damna pro eis data restarciant, & cum literis vestris, rei veritatem continentibus, Apostolico se conspectui repræsentent.*

& cap. 29. eod.

Et cap. *Universitatis* 24. eodem ibi: *Tam qui tales verberari præcipit, quàm illi, qui verberant* (*etiamsi causa subesset*) *excommunicationis sententiam, donec ad Apostolicam Sedem veniant, nequaquam evadunt.*

Item ex Bulla Cœnæ.

Sufficiat Bulla Cœnæ, in qua reservatio fit sub hac forma verborum: *Cæterùm à prædictis sententiis* (id est, excommunicationibus) *nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstitâ, absolvi possit . . . . . Quòd si fortè aliqui, contra tenorem præsentium, talibus, excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui Absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententiâ innodamus.*

171. Responsio.

Respondeo; ideo Pontifices aliquando sic loqui, quia supponunt ex aliis Decretis, & ex praxi Ecclesiæ, satis omnibus constare in reservationibus Papalibus hæc duo conjuncta esse culpam & censuram; & ideo uno expresso, vel culpâ vel censurâ, utrumque ab omnibus intelligi reservatum.

Pontifices solent dare simpliciter potestatem absolvendi à casibus reservatis,

Hinc etiam simpliciter solent dare potestatem absolvendi à casibus reservatis, non specificando censuram, vel peccatum; quia videlicet utrumque comprehenditur seu intelligitur sub casibus reservatis, non ex natura rei, quia posset, ùt dictum est, censura reservari absque peccato; & similiter peccatum absque censura; sed ex usu Pontificum, qui non solent unum sinè altero reservare: & ideo si aliquando concedant potestatem absolvendi à censura, non factâ mentione peccati, vel à peccato, nullâ factâ mentione censuræ,

nihilominus censentur concedere potestatem absolvendi tam à censura, quàm à culpa: sicut enim à principio habent hanc connexionem quasi in fieri, ut sic dicam, ita etiam in conservatione seu in duratione sua; connexionem, inquam, ex voluntate reservantis seu Pontificis.

172. Ratio à posteriori oppositæ sententiæ.

Ex quo patet responsio ad rationem à posteriori oppositæ sententiæ, quæ talis est: Ablatâ censurâ, statim manet peccatum non reservatum; ergo signum est, solùm fuisse ablatam jurisdictionem circa censuram, aliàs etiam ablatâ censurâ, adhuc manere posset reservatio culpæ; quippe potest aliquis absolvere à censura, & non à culpa, ùt Iudex Ecclesiasticus, vel qui tantùm habet jurisdictionem fori contentiosi.

Responsio.

Planè sic potest fieri ex natura rei, & de facto in exemplo allegato fit: interim quando Pontifex concedit alicui Sacerdoti potestatem absolvendi à censura reservata, etiam censetur concedere potestatem absolvendi à peccato reservato, & vice versâ; non quòd unum sit ratio adæquata reservationis alterius, sive quòd unum solùm sit immediatè reservatum; sed quia non vult unum esse reservatum sinè alio, & per consequens vult utramque jurisdictionem in foro interno conjunctim dare.

173. Objectio.

Dices; ut homo absolvi non possit, etiam à culpa, satis est reservatio censuræ, & sufficit ad salvanda verba Decreti reservantis, & alioquin cùm res sit odiosa, est mitiori modo interpretanda; ergo &c.

Solvitur.

Respondeo; satis est reservatio censuræ, ut homo absolvi non possit licitè, transeat; validè, Omnes negant, qui docent, Sacramentum Pœnitentiæ, quod excommunicatus suscipit sinè nova culpa mortali, valere; immo habere effectum gratiæ, sive excommunicatio sit reservata, sive non, quæ est communior doctrina, teste Suario disp. 10. de Censuris sect. 3. n. 9. & unico verbo probatur: quia per excommunicationem pœnitentis nihil tollitur, quòd sit de substantia Sacramenti: patet quia non materia, neque forma, neque intentio, neque jurisdictio; ergo si ex parte suscipientis non intervenit aliud impedimentum, sola censura non poterit irritare Sacramentum.

Excommunicatus validè potest absolvi à peccatis, *Suarez.*

Probatur.

174. Objectio.

Dices; tollitur jurisdictio, non quidem ex natura rei, alioquin Pontifex non posset absolvere excommunicatum priùs à peccatis, quàm ab excommunicatione, quod videtur incredibile, nec hactenus aliquis docuit; sed ex jure positivo cap. ult. de Clerico excommunic. ibi: *Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta: sed ab eo collata, virtutis non carent effectu: cùm non videatur à collatione, sed participatione Sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione) remotus.* Loquitur autem de excommunicatione minori.

cap. ult. de Clerico excom.

Neque ly *Remotus*, potest intelligi de mera prohibitione; quia per prohibitionem remotus est etiam à collatione, quandoquidem conferendo peccet, ùt ibidem expresè dicitur; ergo illa remotio incapacitas quædam est, per quam non est remotus à collatione, utpote quam validè exerceat.

Respondeo; illam remotionem esse quamdam incapacitatem suscipiendi effectum virtutis, id est, gratiam sacramentalem, quæ non confertur indispositò per peccatum actuale mortale, quod committit excommunicatus, scienter suscipiendo seu percipiendo Sacramentum. Ergo non potest validè suscipere Sacramentum Confirmationis, Eucharistiæ, Ordinis, Extremæ Unctionis & Matrimonii, hæc Consequentia communi calculo non valet. 175. Solutio.

Ergo non potest validè suscipere Sacramentum Pœnitentiæ: neq; hæc Consequentia valet, si possit dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe; sin minùs, ùt puto, distinguo Consequens; non potest validè suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, defectu jurisdictionis in ministro, Nego Consequentiam; defectu debitæ Contritionis, Concedo totum.

Sed quid tum? Profectò fieri potest, ut pœnitens bonâ fide procedat, ignorans suam excommunicationem; tunc autem validè, adeòque cum effectu virtutis, absolveretur à peccato, estò priùs non fuisset absolutus à censura reservata, si verum est, quòd sola censurâ immediatè reservetur; hoc autem est contra intentionem reservantis, qui non solùm absolutionem à censura, sed etiam ab ipso peccato sibi reservat, ùt patet ex verbis Decreti reservantis, suprà allegatis; Absolutionem, inquam, non solùm licitam, sed etiam validam.

Et quàmvis hæc res sit odiosa, ideòque restringenda; attamen intrà proprietatem verborum, & juxta intentionem reservantis. Proinde stante reservatione censuræ, dico, Absolutionem à peccato, non solùm illicitam, sed etiam invalidam esse, estò foret valida in præsentia censuræ non reservatæ; invalidam, inquam, esse, si absolvens non habeat potestatem ordinariam vel delegatam absolvendi à peccatis reservatis. 176. Suarez sentit censuram solum peccatum invalidè absolvere, habere tamen reliquum effectum.

Si autem à me quæritur, quis talem potestatem habeat? Hæc quæstio exigit novam Sectionem, quæ erit

SEC.

SECTIO QUINTA.

De Ministro Absolutionis à peccatis reservatis.

1. DIximus de personis, quæ possunt reservare peccata, & de peccatis, quæ possunt reservari; sequitur agendum de eo, qui potest absolvere à peccatis reservatis. Sicut autem duplex est minister Absolutionis à peccatis non reservatis, unus ordinarius, alius delegatus; ita quoque duplex est minister Absolutionis à peccatis reservatis, unus ordinarius, alter delegatus; ordinarius quidem, qui absolvit ex vi officii sui; delegatus verò, qui absolvit ex commissione ordinarii, & non ex vi officii sui. Incipio à ministro ordinario tamquam digniore, & Dico primò:

Duplex est minister Absolutionis à peccatis reservatis.

CONCLUSIO 1.

Potestate ordinariâ absolvit à peccatis reservatis reservans, ejus Superior, ac Successor, &, si quis est alius, cui potestas absolvendi ratione officii data est.

2. DOcent communiter Theologi in Tract. de Legibus; legem, etiam à Superiore confirmatam; abrogare potest, quisquis eam tulit, ejus Superior, ac Successor; argum. c. 1. de Reg. juris: *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Intellige vel per æquivalentes, qualis est Superior Legislatoris & Successor.

Quis possit abrogare legem.

Cap. 1. de Reg. juris.

De Successore habetur cap. 1. de Constit. in 6. *Licet Romanus Pontifex (qui iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) Constitutionem condendo posteriorem, priorem, quàmvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur.* Reputatur quippe quasi eadem persona, ratione ejusdem officii.

c. 1. de Constit. in 6.

Si æqualis Successor id potest, quidni etiam Superior in jurisdictione? Siquidem voluntas inferioris, subjecta est voluntati Superioris; ergo etiam lex, quæ est actus voluntatis inferioris, subjecta debet esse voluntati Superioris. Nonne Superior potest dispensare in lege inferioris? Ita testatur communis praxis & usus totius mundi; ergo & legem ejus revocare: non enim est major ratio abrogationis seu revocationis partialis, quàm totalis. Utraque autem revocatio fundatur in subordinatione illarum voluntatum; etenim voluntas Superioris est causa universalis, voluntas inferioris causa proxima; æquè autem, immo fortè magis dependet res à causa universali, quàm proxima.

3. Dices; quomodo ergo Legislator potest revocare propriam legem à Superiore confirmatam? Nam per illam confirmationem fit lex Superioris, quam inferior non potest revocare, propter debitam subordinationem istarum voluntatum.

Quomodo Legislator possit revocare propriam legem à Superiore confirmatam.

Respondeo; communem sententiam intelligendam esse de confirmatione accidentali seu propriè dicta, id est, quæ non requiritur ad constitutionem legis, sed tantùm petitur & adhibetur ad majorem auctoritatem & robur. Per illam autem confirmationem non fit lex Superioris, sed manet lex inferioris, sicut anteà erat; ergo sicut ante confirmationem Superioris, poterat revocari ab inferiori, ita etiam post confirmationem: per hoc enim non præjudicatur auctoritati ac potestati Superioris, cùm à sola voluntate inferioris essentialiter & simpliciter illa lex fuerit constituta & conservata; quippe per illam confirmationem lex non mutavit naturam suam, neque procedit per se à jurisdictione Superioris; ergo hæc confirmatio definet, ad desitionem fundamenti seu subjecti, id est, legis; argum. Reg. juris 42. de Reg. juris in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.*

Duplex est confirmatio legis, una accidentalis;

Reg. 42. de Reg. juris in 6.

Principale appellamus, inquit Canisius ibi, quod in re præcipuum est, & quasi causa illius, quod accedit. Horum itaque ea inter se connexio est, ut principali posito vel infirmato, itidem accessorium ponatur vel infirmetur. Hæc ille. Iam autem in casu proposito lex inferioris principale est, quia in re præcipuum, & quasi causa illius confirmationis, ùt clarum est; ergo lege infirmatâ, itidem confirmatio infirmatur.

Canisius.

Sed nunquid eadem est ratio confirmationis essentialis? Eam voco, quæ est veluti forma, dans esse legi, ut quando inferiores non habent potestatem ferendi legem, sive obligandi, nisi priùs lex à Superiore, v. g. Pontifice, confirmetur. Quæ est confirmatio improprie dicta, quia potiùs est ipsa legislatio; nam ante illam confirmationem non supponitur esse lex, adeòque potiùs dici debet lex Superioris, quàm inferioris.

4. altera essentialis.

Et de hac confirmatione intelligi potest, De essentiali

loquitur c. 22 de Præb. in 6.

quod dicitur cap. *Si Apostolicæ* 22. de Præbendis in 6. *Certum est quòd (cùm ipsa provisio ipsius Legati post impertitam à nobis auctoritatem , nostra censeatur effecta) omnibus , quibus postea mandavimus* &c.

De accidentali autem c 8. de Constit.

De confirmatione autem accidentali intelligo , quod legitur cap. *Cùm accessissent* 8. de Constit. ibi : *Quocirca mandamus , quatenus si vobis constiterit Tullenses Canonicos , ne ulteriùs in Tullensi Ecclesia primiceriatûs esset officium , communiter statuisse , ac statutum ipsum auctoritate Sedis Apostolicæ fuisse postmodum (sicut dicitur) confirmatum , vos illud faciatis in suo robore permanere , nisi postea dicti Canonici contravenerint, aliquem videlicet in primicerium eligendo.*

5. Notabile aliquod ex c. 25. de Præb.

Pro quo nota , quod habetur cap. *Dilecto* 25. de Præbend. ibi : *Nisi forte statutum aliquod obviaret , quod esset iuramento firmatum : vel cui Sedis Apostolicæ confirmatio accessisset : huiusmodi clausulâ prohibitionis adiectâ , ut si quidquam contra id fieret, non valeret.*

Glossa in illud cap.

Ubi Glossa verb. *Huiusmodi clausulâ. Immo etsi clausula illa non esset adiecta , tamen sinè eius auctoritate non videtur , quòd possint contravenire, ex quo confirmatio Papæ accessit , suprà de Constit. c. 1. & 2. Nam ubi Princeps confirmat , idem est, ac si ferat sententiam C. de veter. iur. enuc. l. 1. §. Sed neque vers.* Omnia nostra fecimus *&c. Verùs est quòd non obstat eis talis confirmatio , cùm eorum favore facta sit , quin possint contravenire, si volunt , sup. de Constit.* Cùm M. *&* c. Cùm accessissent , *nisi clausula huiusmodi sit apposita , decernatis irritum & inane.*

Alia Glossa in c. 1. de Confir.

Et alia Gloss. cap. 1. de Confir. verb. *Confirmationem* sic ait : *Nota, quòd confirmatio impetrata sub forma communi , sive etiam innovatio nihil novi iuris tribuit , sed solummodò vetus conservat* 12. *dist.* Præceptis. *argum.* 13. *q.* 3. *c. ult. & infrà eodem* Cùm dilecta, *&* c. *seqq. & infrà de Privil.* Quia intentionis : *Vnde per talem confirmationem vel innovationem non impeditur petitio alterius , vel Iudicis cognitio. infrà de concess. præbend.* Quia diversitatem. *infrà eodem :* Bonæ ..... *quia hoc facit Papa sinè præiudicio alicuius , ut patet per iura prædictâ. Quid ergo valent huiusmodi confirmationes ? Parùm valent , nisi quia solet plus timeri. quod specialiter &c.* 23. *dist. Quamquam.* Hactenus Glossa.

6. Probatur Conclus.

Sed quorsum hæc omnia ? Ad probandam utique Conclusionem nostram ; si enim Legislator , ejus Superior & successor in eadem potestate possunt revocare legem latam , & in eadem dispensare , quidni reservans aliquod peccatum , ejus Superior & successor in eadem potestate , possint ex vi officii sui ab illo absolvere ? Est quippe par ratio. Profectò nemo sibi ipsi potest auferre jurisdictionem ; neque Superiori , cùm inferior non habeat imperium in Superiorem ; neque successori , cùm par in parem non habeat imperium. Alioquin si illi non possint absolvere, quis igitur poterit, cùm per reservationem inferiores priventur suâ jurisdictione?

Potestas absolvendi ab omnibus casibus reservatis Episcopis à casibus reservatis Parochis

Igitur Pontifex potest absolvere ab omnibus casibus reservatis ; Episcopi à casibus reservatis Parochis , supposito , quod Parochi possint reservare , & aliquando reservent, de quo suprà egimus; Generales Ordinum à casibus reservatis per Provinciales & Guardianos , & sic de cæteris ; eo semper salvo , ut habeant potestatem Ordinis : aliqui enim Superiores habent jurisdictionem , quam & aliis possunt communicare vel negare , & tamen per seipsos non possunt eam exercere absolvendo sacramentaliter ; quia non sunt Sacerdotes.

7. Nisi Papa ex temerit. confult. &c.

Excipio etiam casum , quo Pontifex v. g. essentialiter confirmasset reservationem factam à Prælato inferiori ; tunc enim neque ipse reservans , neque Superior , præter Pontificem, neque successor possent ex vi officii sui absolvere. Patet , quia tunc esset reservatio Pontificia ; v. g. si Papa statuisset , ut casu quo inferior Episcopus reservaret aliquod peccatum, illud esset reservatum ipsi Papæ.

Secùs si solùm confirmasset accidentaliter. Secùs Si confirmando.

Nonne Urb. VIII. Bullâ , *Ad Eximios*, præfixâ Statutis nostris Generalibus , confirmavit Constitutiones Capituli Generalis Toletani, celebrati die 14. Maij a. 1633. & per consequens confirmavit Statuta nostra Generalia Barchinonensia, de quibus suprà fecimus mentionem ; utpote ab illo Capitulo Generali specialiter approbata & confirmata ? Quis propterea audet dicere , à casibus in illis reservatis , solum Pontificem posse absolvere ?

Et tamen Pontifex dicit : *Apostolicâ auctoritate tenore præsentium approbamus & confirmamus* (constitutiones prædictas) *illisq; inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus , ac omnes & singulos , tam iuris , quàm facti defectus , si qui desuper quomodolibet intervenerint , supplemus. Mandantes propterea in virtute S. Obedientiæ , ac sub arbitrii nostri , in constitutionibus prædictis contentis pœnis , omnibus & singulis Fratribus prædictis , cæterisq; ad quos spectat , & pro tempore quomodolibet spectabit , ut constitutiones prædictas , iuxta præsentium literarum nostrarum tenorem , inviolabiliter observent. Decernentes irritum & inane , si secùs super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.*

Hâc, dico , confirmatione Pontificiâ non obstante ; constitutiones illæ nequaquam censentur constitutiones Pontificiæ , neque casus in eis reservati censentur casus Pontificii ; quia non est confirmatio essentialis , sed dumtaxat accidentalis.

8. Reservans Superior & successor habent potestatem absolvendi à casibus

Igitur de reservante , ejus Superiore, ac successore in eadem jurisdictione , quin possint absolvere à casibus reservatis , tamquam ministri ordinarii , non est dubitandum. Et sicut possunt alios absolvere , ita & aliis possunt dare potestatem absolvendi se & alios, adeoque habent

habent potestatem activam, passivam, ac etiam commissivam ex vi officii sui.

Quam potestatem habeant Episcopi vi Trident. absolvendi à casibus Papalibus.

Addidi in Conclus. *Et si quis est alius, cui potestas absolvendi ratione officii data est*: quoniam Episcopis licet *in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumq; sibi subditos in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ salutari.* Ita Conc. Trident. sess. 24. de refor. c. 6. Ac continuò adjungit: *Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis, sit permissum.*

Ubi imprimis nota, crimen hæresis per se & immediatè esse reservatum, & non solùm mediatè ratione excommunicationis, cujus in illis verbis nulla fit mentio.

9. Nota 2. licèt Multi dubitent, immo resolvant, facultatem ibi concessam absolvendi ab hæresi, esse revocatam per Bullam Cœnæ (quod tamen Alii negant) equidem Omnes admittere debent, quoad alios casus, extra Bullam Cœnæ, non esse revocatam; cùmque hìc non eligatur industria alicujus personæ particularis, sed cujuscumque habentis jurisdictionem Episcopalem, nam omnibus Episcopis indifferenter committitur; sequitur, hanc potestatem non esse delegatam, sed ordinariam, utpote concessam à Concil. Trident. non personæ; sed dignitati vel officio, idque in perpetuum.

An illa facultas sit ordinaria.

Breviter; hæc potestas competit Episcopis jure speciali ordinario, ergo est potestas ordinaria. Antecedens probatur: quia si solùm competeret jure speciali delegato seu ex commissione, Concil. id exprimeret his aut similibus verbis: *Liceat Episcopis tamquam delegatis Sedis Apostolicæ*, vel, *liceat Episcopis auctoritate Apostolicâ* &c. prout exprimit potestatem delegatam sess. 5. de refor. c. 2. ibi: *Quo casu Episcopus auctoritate Apostolicâ, & tamquam Sedis Apostolicæ delegatus procedat.* Hìc autem simpliciter dicit: *Liceat Episcopis in irregularitatibus* &c. *dispensare* &c.

10. An competat solis Episcopis privativè.

Ex quo colligunt multi DD. hanc potestatem non competere solis Episcopis privativè seu exclusivè quoad omnes alios; sed etiam Capitulo Sede vacante, & Prælatis Regularibus, qui habent potestatem quasi Episcopalem. Ita de Capitulo Sede vacante docet Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 4. n. 10. Rodrig. to. 1. qq. Reg. q. 61. a. 9. & Alii; quos citat & sequitur Dian. part. 7. tract. 2. resol. 3.

Negat Sanchez, Rodriguez & Alii, contra Suarez.

Pro quo affertur declar. Card.

contra Suarium de Cens. disp. 41. sect. 2. n. 13. & Alios, qui pro se allegant declarationem Card. dicentem, illam esse facultatem solius Episcopi privativè quoad omnes alios.

Ratio ejus.

Ratio autem illius declarationis fuit, quòd hæc concessio ex ea parte, quâ derogat juri communi, est odiosa, & ideò limitanda ad proprietatem verbi, *Episcopi*. Maximè cùm Capitulum Sede vacante solùm succedat in jurisdictionem ordinariam Episcopi, non autem in extraordinariam, qualis est hæc.

Sed ad hoc patet responsio ex dictis. Ad declarationem Card. dicitur, de illa post Urb. VIII. non constare authenticè. Neque ratio declarationis subsistit; quia etiam potestas delegata dispensandi, & per consequens absolvendi à casibus reservatis, est favorabilis, adeòque latè interpretanda; quantò magìs potestas ordinaria?

11. Responsio.

Immo ipsa dispensatio exorbitans à jure est latè interpretanda, quando est clausa in corpore juris; idque quia tunc est lex, multò magìs potestas dispensandi, clausa in corpore juris. Iam autem Trident. constituit jus commune: adeòque hæc potestas non exorbitat à jure communi. Ut proinde Congreg. Card. sub die 22. Ian. an. 1602. apud Barbosam lib. 1. Iuris Ecclesiast. universi c. 32. n. 82. nostram sententiam declaraverit, quam ibidem tenet hic Auctor.

Declaratio Card. pro sententia Sanchez, Barbosa.

12. An hæc facultas extendatur ad Abbates & alios Prælatos. Diana.

Et propter eandem rationem extenditur hæc potestas ad Abbates, & alios Prælatos, tam Regulares, quàm sæculares, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem. Ita Diana suprà resol. 4. & 5. cum Aliis, quos citat. Alioquin non videretur ita benè provisum eorum subditis; si in hujusmodi casibus pro Absolutione & dispensatione deberent recurrere, vel ad Summum Pontificem, vel ad Episcopos; unde essent pejoris conditionis hi Prælati, & eorum subditi, cum aliquo animarum detrimento, quàm alii fideles.

13. Occurritur objectioni.

Nec obstat; quòd hi Prælati non habeant Diœcesim, quam Concil. videtur requirere, dum ait: *Et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua* &c.

Non obstat, inquam; quia Concilium loquitur ibi primario de Episcopis, qui propriè dictam Diœcesim habent: sicut autem alii Prælati habent jurisdictionem quasi Episcopalem, & ideo participant ea, quæ sunt illius jurisdictionis; ita etiam habent quasi Diœcesim, id est, proprium territorium, quod non est pars Diœcesis alicujus Episcopi, sed est veluti propria Diœcesis, distincta à Diœcesi Episcoporum; nam Monasteria illorum Prælatorum sunt exempta, & immediatè subjiciuntur quòad jurisdictionem in utroque foro eisdemmet Prælatis, & consequenter sunt æquipollentes Diœceses, sicuti Prælati æquipollenter sunt Episcopi, quod sufficit, ut Decretum illud favorabile ad eos extendatur.

14. Prælati videntur habere hanc potestatem vi indulti alicujus Pii V.

Et gratis concesso; quòd Prælati Regulares non haberent hanc potestatem vi Concil. Trident: haùd equidem eâ carent, sed habent eam vi alterius indulti Pii V. dati ad petitionem Provincialis Provinciæ Castellæ Ord. Prædicat. cujus tenor sequitur: *Pius Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis*

circum-

circumspecta benignitas honestis petentium votis, quæ personarum sub Religionis iugo altissimo famulantium, statum, & salubrem directionem respiciunt, ad exauditionis gratiam libenter admittit, & favoribus prosequitur opportunis. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Prior Provincialis Provinciæ Hispaniæ Ord. FF. Prædicat &c. Et insuper quia Sacrum Oecumenicum generale Trident. Conc. concessit Episcopis, ut absolvere possint in foro animæ seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout sess. 24. c. 6. habetur, ne Prior Conventualis & superiores Prælati dicti totius Ordinis, tam in dicta Provincia, quàm extra eam ubilibet in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici aut sæculares existant, eisdem Priori Conventuali, & superioribus Prælatis, ut ipsi per seipsos idem omnino possint in Fratres, & Monales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt Episcopi in Clericos & laicos sibi subiectos, tam quoad absolvendi & dispensandi huiusmodi, quàm alias quascumque Facultates, eadem auctoritate & tenore etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, ac etiam declaramus. Decernentes præsentes literas perpetuò durare & valere &c. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 21. Iulii 1571. Pontif. nostri anno 6. Hæc Pius V. apud Cherubinum Bullâ 132. & 13. apud Rodrig.

15. Obiectio diluitur.

Si inferas; ergo vi Trident. Prælati Regulares non poterant absolvere aut dispensare. Negatur Consequentia: quia, sicut non semel diximus, subinde privilegia seu indulta specialia data sunt à Summis Pontificibus ad quietandas conscientias Regularium, qui timebant, ubi non erat timendum; quantò magis hic, ubi meritò poterant timere, propter Multorum contrariam opinionem?

Deinde; non utitur Pontifex solo verbo: *Concedimus, & indulgemus*, sed addit, *Ac etiam declaramus*, scilicet hanc fuisse mentem Concil. Tridentin. Ut omittam, fortè per illud Breve extendi hanc potestatem ad illos, qui non habent potestatem quasi Episcopalem, putà ad Priorem Conventualem, & non solùm ad Priorem Provincialem.

16. Rodriguez existimat Decretum hoc Concil. Trid. extendi ad Prælatos Regulares, saltem quoad aliqua.

Cæterùm Rodriguez to. 1. qq. Reg. q. 61. a. 9. Decretum Concil. extendit saltem quoad aliqua ad Prælatos Regularium, dicens: Hoc Decretum non est lex exorbitans, quæ strictè sicut odiosa debeat interpretari, immo est constitutio, reducens ad jus antiquum communem jurisdictionem Episcoporum. Ipsi enim Episcopi, si non essent prohibiti, & eorum jurisdictio non esset à Sede Apostolica limitata, omnia possent in suis Diœcesibus respectu suorum Diœcesanorum, quæ potest Summus Pontifex in toto orbe: prout jam in superioribus q. 17. latè dictum est, & colligitur ex traditis à Sylvestro.

Iurisdictio Episcoporum permanet illimitata, in quibus

Et sic in superioribus, ex communi omnium sententia, resolutum est sæpè, quòd in his, in quibus à Summo Pontifice non limitatur Episcoporum jurisdictio, ipsa illimitata permanet, quod optimâ ratione fundatur. Nam Apostoli, secundùm opinionem Cajetani, in quantum Apostoli, omnes fuerunt æquales, & immediatè à Christo potestatem jurisdictionis in totum orbem acceperunt. Unde cùm Episcopi in locum Apostolorum succedant per suas Diœceses, in his Diœcesibus potestas jurisdictionis, in ipsis Episcopis residens, à Summo Pontifice commissa, deberet esse æqualis in suis Diœcesibus potestati Summi Pontificis, si ab ipso non limitaretur, reservando sibi aliquos casus.

Ex quibus concludo, quòd sicut constitutio correctoria, reducens constitutum ad terminos juris communis, amplè, secundùm DD. communiter, interpretatur; ita Decretum Conc. Trident. correctorium debet amplè interpretari, & extendi ad Prælatos Regulares, jurisdictionem similem cum Episcopis habentes, cùm in eo definitum, reducat potestatem Episcoporum aliquo modo ad similitudinem illius, quam Apostoli in sua primæva ordinatione acceperunt. Hæc ille.

Dixi consultò: *Saltem quoad aliqua*: nam eodem to. q. 20. a. 10. Licèt, inquit, Episcopis concedatur Absolutio ab hæresi occulta in foro conscientiæ, non indè sequitur, ipsam concedi Prælatis Regularibus, habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem. Episcopi enim, ultra id, quòd sint Episcopi, habent modò titulum Inquisitorum: immo sunt Inquisitores hæreticæ pravitatis. At Prælati Regulares minimè sunt Inquisitores respectu suorum subditorum. Præterea ipsis Episcopis sublata fuit, quoad crimen hæresis, jurisdictio, ut possint suos Diœcesanos absolvere; & hæc jurisdictio per Conc. Trident. fuit ipsis restituta.

Ex quibus hoc conficio argumentum: Si communi sensu Episcopis fuit sublata talis jurisdictio respectu criminis hæresis; ergo etiam fuit sublata Prælatis Regularibus, cùm eorum jurisdictio sit quasi Episcopalis, seu ad instar jurisdictionis Episcopalis, & videmus supradictam jurisdictionem restitutam à Conc. Trident. Episcopis tantùm, & non eorum Vicariis, habentibus jurisdictionem ordinariam. In quo Decreto nulla fit mentio neque in generali, neque in speciali de Prælatis Regularibus, jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus; ergo quoad ipsos non est restituta. Unde concludendo dico, ipsos Prælatos Regulares per supradicta, minimè hanc habere auctoritatem.

Neque his obstat, quòd Regulares non sint pejoris conditionis, quàm sæculares. Unde cùm ipsi sæculares possint absolvi ab hæresi occulta à suis Episcopis, videtur dicendum, quòd Regulares possint absolvi ab eodem crimine occulto ab eorum Prælatis, jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus. Nam respondetur, non esse pejoris conditionis in hoc Regulares, quàm sæculares; cùm ipsi Regulares possint

possint submitti jurisdictioni Episcoporum, renuntiando privilegium exemptionis quoad hoc, & sic absolvi ab eisdem. Sic ille.

19. *Responsio ad argumentum Rodriguez.*

Quia autem opposita sententia magis mihi placet, ideo respondeo ad illa, quæ hoc loco allegat, & dico, Conc. Trident. sess. 24. de Reform. c. 6. ubi concedit Episcopis potestatem absolvendi ab hæresi occulta, nullam facere mentionem Inquisitionis vel Inquisitorum, sed dumtaxat officii seu jurisdictionis Episcopalis, quam cùm participent Prælati Regulares, quod propter eam conceditur Episcopis, etiam debet censeri concessum, propter eandem, Prælatis Regularibus.

20. *Non sequitur, jurisdictio non est restituta Vicariis Episcoporum, ergo nec Prælatis Regularium.*

Nec bene sequitur: Vicariis Episcoporum, habentibus jurisdictionem ordinariam, non est restituta supradicta jurisdictio; ergo etiam non est restituta Prælatis Regularium: quia Prælati Regularium non sunt Vicarii Episcoporum, sed quasi Episcopi suorum subditorum. Et aliunde sufficienter erat provisum subditis Episcoporum per hoc, quòd solis Episcopis erat restituta illa jurisdictio. Non sic Religiosis seu subditis Prælatorum Regularium, quia licèt possent se subjicere jurisdictioni Episcoporum, renuntiando privilegio exemptionis, non tamen sinè consensu Prælatorum, & sinè gravi damno regularis disciplinæ; quia præberetur Religiosis vagandi occasio. Ergo planè conveniebat, ut etiam Prælatis Regularium supradicta jurisdictio restitueretur. Ergo restituta est; quoniam Summi Pontifices in suis concessionibus & privilegiis plurimùm volunt favere bono Religionis, & quieti personarum Regularium, ùt patet ex Bulla Pii V. suprà allegata.

Quæstio restat; an sicut Episcopi & Prælati Regularium alios possunt absolvere à casibus occultis, Pontifici reservatis, ita etiam ab iisdem casibus à proprio Confessario possint absolvi? Resolutio erit

CONCLUSIO II.

Episcopus potest absolvi à suo Confessario ab omnibus illis casibus, à quibus ipse licitè absolvit suos subditos. Consimiliter Superior Regularis, nisi specialiter id ei sit prohibitum. Utì etiam confiteri extra Ordinem, & suis subditis dare illam potestatem.

21. *Respectu propriæ peccati nulla est reservatio.*

NOn quæro hìc de casibus reservatis ab ipsis Episcopis vel aliis Prælatis; quia nemo potest suum peccatum reservare; sic enim seipsum ligaret, nec posset confiteri cui vellet, cùm tamen hoc ipso quòd reservat, possit non reservare, & per consequens unicuique dare potestatem ab illo peccato absolvendi: ergo ipse potest confiteri cui vult; ergo respectu proprii peccati nulla est reservatio.

De quo ergo hìc disputatur? Respondeo; de illis casibus, qui à Pontifice v. g. sunt reservati Episcopis, vel à Generalibus sunt reservati Provincialibus, aut à Provincialibus Guardianis &c. Unico verbo, quæritur, an Episcopi vel alii Prælati possint absolvi à propriis Confessariis, à casibus eis commissis per Trident. suprà; si enim ab illis possint absolvi, æquè, si non magis, ab aliis. Quia aliquid speciale apparet in his casibus, eò quòd Concil. dicat, Episcopos posse absolvere *delinquentes quoscumq; sibi subditos*, nemo autem est subditus sibiipsi.

22. *Episcopus potest absolvi à suo Confessario à casibus sibi commissis per Trid. ex Declar. Card. Suarez.*

Hoc dubium, inquit Suarez, disp. 30 sect. 2. n. 15. propositum fuit Romæ in Congregatione Cardinalium sub his verbis: *An Episcopo in aliquod delictorum, de quibus hoc capite, prolapso, liceat ad se absolvendum proprium Confessarium deputare cum eadem auctoritate, quam ipse posset ex eodem capite in sibi subditos exercere.* Responsum autem fuit; *Congregatio censuit id Episcopo licere.*

Cumque Congregatio non distinguat inter casum hæresis, & alios casus, neque nos distingere debemus; estò ibi dicatur, Absolutio ab hæresi Episcopis tantùm, & non eorum Vicariis permissa. Hoc enim intelligitur de Vicario respectu subditorum, non verò respectu ipsius Episcopi: nam proprius Confessarius eâdem auctoritate potest absolvere Episcopum, quâ ipse Episcopus potest absolvere suos subditos.

23. *Solvitur difficultas in oppositum.*

Ex quo evanescit difficultas, suprà proposita ex illis verbis: *Delinquentes quoscumque sibi subditos.* Quàmvis enim Episcopus non sit subditus sibi, est tamen subditus in foro Pœnitentiæ proprio Confessario; cur ergo non possit illum delegare vel deputare pro seipso? Ex hac enim Declaratione liquet, illam potestatem non tantùm datam esse pro sibi subditis, sed etiam pro seipso, id est, reservationem Papalem ablatam esse ab his casibus occultis. Et ideo respectu Episcoporum non reputari ùt reservata, sed ùt comprehensa sub clausula generali eligendi Confessorem ex jure communi cap. fin. de Pœnit. & remiss. de quo suprà egimus.

A quo Confessarius tali casu habeat potestatem. Suarez.

Quapropter existimat Suarez suprà, Confessorem sic electum, ad absolvendum Episcopum ab his casibus, non habere illam potestatem delegatam ab ipso Episcopo eligente, sed immediatè à Papa ex vi juris communis. Sed parùm refert à quo habeat, dummodò reverà habeat, ita ut Episcopum validè & licitè ab illis absolvat. Si à casibus commissis à Trident. etiam ab aliis, quia eadem est ratio; neque illa responsio Card. est nova concessio, sed tantùm declaratio juris communis. Igitur qui ex jure communi aut jure ordinario potest alios

absolvere à casibus reservatis per se vel per alium, & ipse ab illis potest absolvi ab eo, quem ipse pro se deputaverit.

24. An quod Episcopus, idem possit Vicarius Episcopi. *Lugo. Iac. de Graffiis. Diana.*

Quod extendit Lugo disp. 20. n. 58. ad Vicarium Episcopi, qui habet potestatem subdelegandi casus Episcopales; quàmvis id neget Iacobus de Graffiis in Append. ad decis. aur. lib. 3. c. 8. n. 22. multis adductis argumentis, quæ videri possunt apud Dia. part. 3. tract. 4. resol. 142. omnia autem reducuntur ad voluntatem delegantis, qui non præsumitur, velle ipsum Vicarium comprehendere in facultate, illi concessa, ne sic det occasionem peccandi, quod foret perniciosum concedenti; qui enim occasionem peccandi dat, ipse damnum dedisse videtur. Deinde verba generalia arctantur semper ad solita concedi, & ad id, quod est de jure; sed semper potestas absolvendi, cum potestate subdelegandi, intelligitur data in personam aliorum; & nemo potest auctorizare seipsum; & in generali sermone excipitur persona, cui loquimur; ergo &c.

Argumenta pro parte negativa;

25. quæ videntur habere locum etiam in Episcopis.

Sed hæc omnia argumenta etiam locum habent in Episcopis, & nihilominus Pontifex seu Concil. Trident. censetur ipsis concedere illam potestatem, non tantùm in personas aliorum, sed etiam in seipsos; ergo idem dicendum est de Vicariis. Et ideo sententiam Lugonis docent Ugolinus de Potest. Episc. c. 39. n. 2. & Floronus de cas. reser. p. 1. c. 3. §. 1. n. 3. apud Dia. suprà.

Ugolinus. Florenus.

Responsio autem ad argumenta in contrarium, patet ex dictis; si enim Pontifex non dat occasionem peccandi sibi perniciosam, dando talem potestatem Episcopis, neque Episcopus dabit, concedendo Vicariis talem potestatem, & sic de cæteris argumentis.

26. Occurritur objectioni. *Diana.*

Nec valet dicere, inquit Dian. suprà, in tali casu Vicarium seipsum quodammodò absolvere, cùm delegatus delegantis officio fungatur. Nam respondeo; quòd id locum haberet, ubi jurisdictio delegata est ab eo, cui jurisdictio competit ordinaria: at Vicarius hìc subdelegat i, subdelegatus autem fungitur vice primi delegantis, ac perinde est, ac si ipse primò delegans delegasset, quo casu sinè dubitatione Vicarius absolvi posset. Hæc ille.

Ego autem dico, nullum esse inconveniens, quòd in tali casu Vicarius seipsum quodammodo absolvat; si nullum est inconveniens, quòd in tali casu Episcopus, qui habet potestatem ordinariam, seipsum quodammodo absolvat.

Habens potestatem delegatam universalem dispensandi, potest secum dispensare. *Sanchez.*

Et sanè, si ille, qui habet delegatam dispensandi potestatem in universum cum aliqua communitate, cujus ipse est pars, potest secum in iisdem rebus dispensare, ùt docet Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 3. n. 10. ne pejoris sit conditionis, quàm cæteri ex ea communitate; quidni Vicarius, qui accepit ab Episcopo potestatem ad constituendos Confessarios pro tota Diœcesi, tam pro casibus non reservatis, quàm pro casibus reservatis, quidni, inquam, poterit eâdem facultate uti circa seipsum, & constituere aliquem, qui se absolvat à reservatis, & non reservatis?

27. An idem dicendum de Prælatis Regularium, & eorum Vicariis cum simili potestate?

Sed nunquid idem dicendum de Prælatis Regularium, & eorum Vicariis cum simili potestate? Affirmat secunda pars Conclusionis, nisi specialiter id eis sit prohibitum. Quæ enim ratio disparitatis? Unde sic legimus in nostris Statutis Generalibus c. 6. §. 22. n. 8. *Quàmvis neque Custodes, neque Guardiani ex vi officii sui possint absolvere à prædictis* (casibus reservatis per Capitulum Generale) *nisi per Ministrum specialiter eisdem committatur; ne tamen ob absentiam Ministrorum, & alias causas, Fratrum conscientiæ periclitentur, Decernimus omnes & singulos, tam Custodes, quàm Guardianos, eo ipso quo electi fuerint, commissam habere facultatem alterum, passivam, ac etiam commissivam absolvendi suos subditos, atque Fratres hospites, ad suos Conventus adventantes, ab omnibus & singulis casibus suprà memoratis, in occulto dumtaxat admissis. Quoad verò peccata publica, quàvis Provincia provideat, prout judicaverit suo regimini expedire.*

Vicarii etiam & Præsidentes in Conventu, Guardianis absentibus eandem auctoritatem habent absolvendi à casibus reservatis, & eâ uti possunt tam activè, quàm passivè, modò in fraudem non expectetur absentia Guardiani. Hactenus Statuta.

Quid de potestate passiva absolvendi?

Sed quid est passiva facultas absolvendi, aut quid est uti passivè illâ auctoritate? Nihil aliud, quàm posse proprium Confessarium deputare ad se absolvendum à casibus reservatis, à quibus ipse alios potest absolvere.

28. An Prælatis omnes vi juris communis facultatem eligendi Confessarium, qui absolvat à casibus reservatis Diœcesanis.

Atque ut Guardianis non foret concessa illa potestas passiva, putas quia non possent eligere Confessarium, qui eos absolveret à casibus reservatis? Dicastillo disp. 11. n. 284. existimat cap. ult. de Pœnit. & remiss. dari potestatem omnibus Prælatis (inter quos numerantur Guardiani, ùt alibi ostendimus) eligendi Confessarium, qui absolvat à casibus, etiam Pontifici reservatis. Nam, inquit, pro eligendo sibi Confessario ordinario non videntur indiguisse tali indulto & declaratione.

Potest pars affirmativa.

Quis quæso unquam audivit, tempore Gregorii IX. id est, post annum 1227. aliquot annis post fundatas Religiones S. Dominici & S. Francisci, Episcopos non habuisse facultatem eligendi Confessarium, sed debuisse habere à Papa, à Metropolitano seu Patriarcha designatum Confessarium pro Confessione ordinaria? Ergo ne detur inanis lex & vacua concessio, & aliquid concedatur illo privilegio seu lege, & præcaveatur diuturna carentia Confessionis, & animarum periculum, aliqua facultas censenda est ibi concedi, quæ anteà non habebatur, & per cujus carentiam poterat esse Confessionis carentia & tale periculum.

Non restat verò aliud, nisi indultum, ut sive

sive cum onere se sistendi, sive absolutè concedatur de præsenti talis facultas eligendi Confessarium, etiam pro reservatis, quam eò usque non habuissent. Datur ergo ibi potestas etiam, ut possint absolvi à reservatis, à quibus ipsi possunt suos subditos absolvere, & dare facultatem, ut absolvantur, ne in hoc sint ipsi pejoris conditionis, quàm sui subditi. Hæc ille.

29. Cap. ult. de Pœnit. & remiss. aliquid videtur concessum Prælatis, quod antea non poterant.

Enimverò aliquid fuisse concessum Prælatis in illo jure, quod anteà non poterant, significat Gloss. ibi verb. *Permittimus*, dicens: *Sic ergo videtur, quòd Episcopi, vel alii inferiores Prælati exempti ante istam permissionem non poterant se subjicere alicui Confessori, sinè licentia sui Superioris suprà eod. c.* Omnis utriusque. *quia nullus Clericus, sinè licentia sui Episcopi, potest eligere iudicium non sui Iudicis, personæ, vel rerum sup. de foro compet.* Si diligenti & c. Significasti. & 3 q. 6. Non liceat: *ergo multò minùs iudicium animæ, quod maius est.*

Atqui ante istam permissionem, poterant se Episcopi & alii Prælati inferiores subjicere communibus & ordinariis, à se designatis Confessariis, & ab eis absolvi à non reservatis; ergo permissio debuit esse Absolutionis à reservatis, eò usque non permissæ.

30. Ratio pro parte negativa Lugonis.

Contrarium nihilominus docet Card. Lugo disp. 20. n. 64. Ratio, quæ ipsum movet, hæc est: quia Episcopi in primis, de quibus potissimùm ibi sermo erat, non habebant casus reservatos, nisi soli Summo Pontifici: nam alii omnes reservabantur ipsi Episcopo, qui poterat facilè tollere reservationem, quæ ab ipso pendebat, nec habebat alium Superiorem in hoc foro, nisi Summum Pontificem.

Certum est autem, quòd per illud indultum non fuit data illis facultas eligendi Confessarium, qui eos absolveret ab omni censura, & peccato reservato Sedi Apostolicæ: nam licèt Aliqui post Trident. concedant, posse Episcopum absolvi à delictis occultis, reservatis Papæ; anteà tamen non poterant, nec possunt etiam nunc à delictis non occultis. Non fuit ergo indultum illud pro Absolutione à reservatis, sed pro Confessione ordinaria de aliis peccatis.

31. Probatur etiam ex c. 2. de Pœnit. & remiss. in 6.

Ad quod facit textus in cap. *Si Episcopus* 2. de Pœnit. & remiss. in 6. in principio: *Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere Confessorem, ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitùs potestatem: cùm in generali concessione illa non veniant, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus.* Ergo licentia data Episcopis, & aliis Prælatis exemptis, eligendi Confessarium, non fuit ullo modo ad casus reservatos.

Responsio ad hanc probationem.

Resp. Neg. Conseq. do rationem disparitatis: quia ille, de quo agitur in isto textu, ante illam concessionem non habebat potestatem eligendi Confessarium, qui illum absolveret à non reservatis, sicuti habebant Episcopi ante illud indultum Greg. IX.

Ad rationem Lugonis dico; neminem concedere Episcopis generalem licentiam eligendi Confessarium pro quibuscumque peccatis reservatis; sed pro illis tantùm, à quibus ipsi possunt suos subditos absolvere; & dare facultatem, ut absolvantur, ne in hoc sint ipsi pejoris conditionis, quàm sui subditi. Et idem est de aliis Prælatis inferioribus Regularibus & sæcularibus exemptis, nisi aliunde eorum potestas per altiorem potestatem fuerit restricta; qualiter restricta videtur in Societate Iesu, in qua Prælatis designantur certi Confessarii, qui ipsos absolvant à casibus reservatis, ùt docet Dicastillo suprà n. 273. & Lugo suprà n. 60.

32. Respondetur ad rationem Lugonis.

In Societate Iesu Prælatis designantur certi Confessarii reservatorum. *Dicastillo. Lugo.*

Ut autem Eminent. ostendat, quomodo illa restrictio, seu designatio certi Confessarii, non repugnet juri communi, conatur, sicut diximus, explicare indultum Greg. IX. de peccatis non reservatis.

Quomodo illa designatio non repugnet juri communi.

33. Explicatio juris communis ex Suario.

Suarez verò disp. 27. sect. 2. n. 10. ait, illum textum intelligendum esse cum aliqua limitatione, scilicet, nisi juxta specialia privilegia vel institutionem, à Pontificibus probatam, Prælatus inferior Religionis habeat Confessorem designatum à suo Prælato superiore, qui jam est veluti ordinarius Iudex & Pastor ejus in hoc foro: quia tunc nec ratio hujus textûs locum habet; neque est verisimile, per hoc generale jus derogari specialia jura, spectantia ad convenientem ordinem Religionis; argum. c. 2. de Pœnit. & remiss. in 6. Quod multò certiùs erit, si privilegia Religionis post illud commune jus concessa vel confirmata sint.

Quoties verò contigerit Prælatum Religionis non habere à Superiore Confessorem designatum, sive quia id non est in more Religionis, sive quia de facto contingit, ut non habeat; tunc uti poterit hâc facultate. In quo etiam servare debet, ut alia etiam propria jura seu privilegia Religionis custodiat, eligendo Confessorem intrà ipsam Religionem, & non extra, propter easdem rationes. Hæc ille.

34. Explicatio Dicastillo.

Quibus non contentus Dicastillo, suprà n. 282. ulteriùs expendit verba illa textûs: *Præter sui Superioris licentiam*, ita ut illud, *Præter*, sit idem, quòd, *Sinè*, aut, *Absque*. Non dixit autem, *Contra*, nempe pro casu, in quo jam Superior providisset plenè de idoneo Confessario, & is adesset; tunc enim non solùm *præter*, sed, *contra* sui Superioris licentiam & voluntatem operaretur, & se subduceret à sibi dato legitimo Confessario, & hoc est, quod dicimus non concedi in illo textu. Præsertim cùm post illum textum, multis annis anteà conditum, venerit Societas, & obtinuerit confirmationem cum omnibus derogatoriis derogatoriarum, etiam mutando, innovando & supplendo expressam mentionem eorum, quibus derogat, ubi opus est. Ita Dicastillo.

Viderint illi, quorum interest, Conclusioni nostræ hæc limitatio Societatis, & si quæ similis in aliis Religionibus invenitur, nullatenus repugnat, ùt patet ex illis verbis: *Nisi specialiter id ei sit prohibitum*, scilicet cum sufficienti derogatione juris communis.

35. Diana putat illi juri non esse derogatum in suo Ordine contra Peregrinum.

Porrò hanc derogationem putat Diana part. 3. tract. 2. resol. 1. &. 2. Item part. 4. tract. 4. Miscell. resol. 1. & 2. non esse factam in suo Ordine (quidquid in contrarium doceat Peregrinus in Comment. ad Constit. illius Ordinis Constit. 5. part. 1. c. 9. lit. C. §. 1.) per illa verba, quæ habentur in Decretis Capitulorum Generalium part. 1. c. 6. n. 1. *Nemo nostrum sua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, sed iis tantummodò nostratibus Confessariis, qui à Præposito domûs fuerint designati, non obstante quocumque privilegio, cui nunc totus Religionis nomine renuntiamus ac cedimus.*

Probatio.

Et probat: quia privilegium insertum in corpore juris, ùt est illud Greg. IX. reputatur jus commune; argum. leg. 34. ff. de Testam. militis, ibi: *Militia missus intrà annum testamentum facere cœpit, neque perficere potuit; potest dici, solutum ita esse testamentum, quod in militia fecit, si iure militiæ fuit scriptum; alioquin, si valuit iure communi, non esse iure rescissum.*

l. 34 ff. de Testam. militis.

Unde in generali derogatione non comprehenditur sub nomine privilegii, quia eò quòd insertum est in corpore juris, habetur pro jure & lege; & ideo Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 9. diff. 55. n. 3. loquens de privilegio Religiosorum in Clement. *Dudum*, de Sepult. sic asserit: Tametsi Conc. Trident. in illo Decreto revocet privilegia; non tamen illa, quæ sunt inserta in corpore juris, quia illæ sunt leges Ecclesiasticæ; & non intelliguntur sub nomine privilegii: unde lex, quæ de novo instituitur, non revocat illa privilegia, licèt apponat quascumque clausulas generales, si non faciat de illis expressam mentionem. Ita Dia.

Villalobos.

36. Quomodo intelligendum Decretum quod videtur illi juri derogare.

Quæris ab eo, pro quibus ergo hoc Decretum factum sit? Respondet; pro gaudere volentibus privilegio Bullæ Cruciatæ, vel aliis licentiis & indulgentiis confitendi cuicumque, etiam externo Sacerdoti, inscio Superiore. Plura de hac controversia vide apud Dia. locis suprà allegatis; quibus supersedeo; quia perinde est ad veritatem nostræ Concluf. quis litem vicerit, Peregrinus, vel Diana.

Modus derogandi illi juri.

Hoc tantùm addo; quando in aliqua Religione Capitulum Generale vellet restringere, aut limitare potestatem Prælatorum, ne extra Ordinem, vel ipsi confiteantur, vel licentiam dent aliis confitendi, sive reservata, sive non reservata, omnino consulo ad evitandas omnes quæstiones, ut expressam mentionem faciat juris communis seu indulti Greg. IX. specificè illis prohibendo, ne utantur illo privilegio. Et ita factum esse in Religione Cistercienfi (teste Dianâ suprà) notavit Hieronymus Llamas in Meth. part. 1. c. 5. §. 5.

Llamas.

Præterea notandum; quando Superior Regularis concedit alicui subdito ratione itineris potestatem confitendi extra Ordinem, Confessorem electum non posse absolvere hunc Religiosum ab aliquo reservato; argum. cap. *Si Episcopus* 2. de Pœnit. & remiss. in 6. suprà allegati: non enim verisimile est, Superiorem Regularem plus velle concedere suo Religioso verbis illis generalibus, quàm Episcopus suo subdito; si ergo Episcopus non vult concedere electo potestatem absolvendi reservata, ùt ibi dicitur; neque Superior Regularis. Ratio quippe illius textûs, etiam in hoc casu militat, scilicet Reg. 81. de Reg. juris in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.*

37. Quando Regularis in itinere confiteri extra Ordinem non potest absolvere hunc Religiosum ab aliquo reservato.

Reg. 81. de Reg. juris in 6.

Hinc ex generali commissione non potest Officialis inquirere, corrigere, deponere, & punire subditorum excessus, cap. 2. de Offic. Vicar. in 6. *Licèt in Officialem Episcopi per commissionem officii generaliter sibi factam, causarum cognitio transferatur: potestatem tamen inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos à suis beneficiis, officiis, vel administrationibus amovendi, transferri nolumus in eundem: nisi sibi specialiter hæc committantur.*

38. Officialis ex generali concessione non potest punire delictum excessus.

c. 2. de Offic. in 6.

Et cap. 3. eodem, non potest conferre beneficia: *Cum in generali concessione nequaquam illa veniant, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus: nec regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio, etiam libera est concessa: Officialis aut Vicarius Generalis Episcopi beneficia conferre non possunt, nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa.*

Sed contra confirmatur.

c. 3. eod.

Quæritur aliquis, quomodo scietur, quæ sint illa, quæ verisimiliter in specie non diceretur quem concessisse?

39. Quemnam veniant in religioso sub generali obligatione.

Respondet Gloss. in prædictam Reg. verb. *In generali. Potest hoc cognosci ex impossibili; vel inhumana vel dura separatione, utputà ministeria artis suæ, vel quæ ad affectionem pertinent, generali obligatione non veniunt.* Ut in leg. *Obligatione* 6. ff. de Pignoribus, cum 3. legibus sequent. *Obligatione generali rerum, quas quis habuit, habiturusve sit, ea non continebuntur, quæ verisimile est quemquam specialiter obligaturum non fuisse: utputà supellex; item vestis relinquenda est debitori, & ex mancipiis, quæ in eo usu habebat, ut certum sit eum pignori daturum non fuisse, proinde de ministeriis eius, perquàm ei necessariis, vel quæ ad affectionem eius pertinent, vel quæ in usum quotidianum habentur* &c.

l. 6. ff. de Pign.

Item in eo, si alicui tertio præjudicent; argum. leg. 1. §. *Merito.* & §. *Si quis* ff. Ne quid in loco publ. Vel turpia, inhonesta sive impossibilia sint; argum. cap. 2. de Iurejurando in 6. Vel salvâ dignitate fieri non possint; argum. leg. *Nepos Proculo* 125. ff. de verb. signif. Vel denique si majoris momenti sint; argum. cap. fin. de Offic Vicarii in 6. suprà allegato.

Iam

Iam autem, Absolutio à reservatis indubiè majoris momenti est, & ideo generalibus verbis confitendi sua peccata extra Ordinem, non censetur comprehensa; cùm equidem illa verba habeant suam utilitatem: nam concedunt Absolutionem à non reservatis, quæ aliàs foret illicita & invalida.

40. Objectio solvitur. *l. 147. ff. de Reg. juris.*

Nec obstant lex 147 ff. de Reg. juris: *Semper specialia generalibus insunt*, & similes textus; nam restringendi sunt & intelligendi, nisi ex verisimili conjectura loquentis vel disponentis seu concedentis, aliud colligatur, sicut impræsentiarùm colligitur.

41. An Regularis habens potestatem passivam reservatorum possit eâ uti in fineve extra Ordinem.

Non gravetur Lector, si adhuc unum aut alterum casum proposuero. Religiosus habet à suo Provinciali auctoritatem passivam, ut absolvatur à reservatis à quovis legitimo Confessore, toties quoties; positus extra Conventum ratione itineris, cum licentia tacita vel expressa confitendi extra Ordinem, quæro, an possit à Clerico sæculari vel Religioso alterius Ordinis absolvi à peccatis reservatis?

Portel.

Respondeo cum Portel verb. *Confessor ergà Fratres* n. 12. affirmativè: quia nihil deest ad validam Absolutionem. Præsertim accedente privilegio, concesso Patribus S. Hieronymi in Hispania (teste Portel suprà n. 13.) ut existentes extra Conventum possint eligere Confessorem Regularem vel sæcularem, qui eos absolvat ab omnibus casibus, à quibus absolvi possent existentes in Monasterio. In Compend. dicti Ordinis verb. *Absentes à Monasterio* §. 10. Et in eodem Compend. verb. *Absolvere* §. 2. illis conceditur, ut absentes à Conventu possint absolvi per Confessorem sæcularem ab omnibus casibus excommunicationis, & aliis qualitercumque incursis, reservatis Episcopis per jus sive per constitutiones, sive per consuetudinem.

Sed nota, inquit prædictus Auctor, quòd per hoc non conceditur Absolutio à reservatis Prælatis Ordinis. Quippe Pontifices per sua privilegia non volunt præjudicare potestati Superiorum Regularium, nisi clariùs id exprimant.

42. An possit confiteri Religioso alterius Ordinis, qui solum est Confessor Fratrum? Affirmant Portel,

An autem Regularis extra Conventum habens licentiam confitendi cuivis Confessori approbato, possit confiteri Confessori alterius Ordinis, qui est Confessor tantùm Fratrum, & non sæcularium, affirmat Portel suprà n. 14. Nam, inquit, Concil. Trident. sess. 23. c. 15. quando in Confessore requirit approbationem Episcopi, loquitur tantùm de Confessionibus sæcularium, etiam Sacerdotum. Nihil verò loquitur de Confessionibus Religiosorum ad invicem: unde cùm talis Confessor, de quo proximè, sit approbatus pro Regularibus, & Prælatus subdito id non vetet, immo virtualiter permittat in illo verbo generali (*Confessori approbato*) valida videtur talis Confessio. Hæc ille.

Consonat Rodrig. to. 1. qq. Regul. q. 62. a. 5. licentia enim Prælatorum, inquit ille, secundùm jus commune debet regulari, secundùm quod Religiosi non astringuntur confiteri approbatis ab Episcopis. & Rodrigues,

43. Ratio dubitandi.

Prorsùs non adstringuntur secundùm jus commune; sed quæstio, an per Prælatos non possint astringi, & an illud verbum generale: *Confessori approbato*, non astringat; cùm per Confessorem approbatum, communiter intelligatur approbatus ab Episcopo. Unde adverto, Rodrig. non uti illo verbo, sed verbo generaliori, scilicet, *Cuicumq; Confessori Regulari*: ut autem aliquis sit Confessor Regularis, non requiritur approbatio Episcopi. Ast dubium est; an ut aliquis sit Confessor approbatus, non requiratur approbatio Episcopi, ùt patet ex alibi dictis; ubi de Confessario eligendo vi Iubilæi.

Auctor subscribit sententiæ Portel.

Interim, sicut ibi diximus, sufficere Confessarium approbatum à Prælato Regulari, tametsi Iubilæum requirat Confessarium approbatum, ità hìc consequenter placet sententia Portel, nisi Prælatus clariùs expresserit suam mentem.

44. An duo Fratres itinerantes, quorum neuter est Confessor Fratrum, possint se invicem absolvere? *Portel.*

Si autem quæritur, an duo Fratres, itinerantes de licentia Prælati, quorum neuter est Confessor Fratrum, possint se invicem licitè & validè absolvere? Respondet Portel suprà n. 14. attendendam esse praxim Religionis; in nostra enim Franciscana, in qua frequentiores sunt egressus similium Fratrum Sacerdotum simplicium, hoc nunquam vidi practicari, & res omnino nova apud nos videbitur; maximè quia Guardianus apud nos non potest facere cum sua licentia Confessores Fratrum, sed id solus Provincialis potest facere. Quòd si in aliqua Religione vel Provincia obtinuit consuetudo ita faciendi, non condemnabo; quia, ùt docent Navar. Rodrig. & Suarez, potest Prælatus dare licentiam subdito itineranti, ut confiteatur cuilibet Sacerdoti idoneo, non approbato ab Episcopo.

Et præterea; illud pro tunc non est Prælatum localem approbare in Confessorem absolutè, sed uti epicheia, & uti illo, quod secundùm jus commune aliàs posset facere, nisi foret restrictum; sed pro nunc videtur concessum. Sed tamen, ùt dixi, apud Franciscanos non consulo, propter rationem tactam, & inauditam consuetudinem. Hæc ille.

45. Aliquando id concessum fuit in nostra Provincia.

Ego dico; aliquando licitum fuit in nostra Provincia confiteri in termino Sacerdoti non approbato; quàmvis jam illa licentia revocata sit per Statuta Provincialia cap. 7. §. 1. n. 1. ibi: *Non possint autem* (Patres & Fratres) *confiteri Sacerdoti non approbato, nequidem in termino, revocatâ licentiâ circa hoc aliquando habitâ.*

Iam autem non possunt id ampliùs facere.

Igitur itinerantes, quàmvis aliquando potuerint confiteri Sacerdoti non approbato, hodie tamen non possunt, ita ut eorum Absolu-

tio non tantùm sit illicita, sed etiam invalida defectu jurisdictionis, quam Confessarius Regularium debet accipere à Prælato Religionis, vel à Summo Pontifice: non accipit autem à Prælato Religionis, nam ille revocat suam licentiam, per quam anteà accipiebat jurisdictionem; neque à Summo Pontifice, ùt nimis clarum est; ergo &c.

46. Confessarius approbatus ab Episcopo, non potest absolvere Regulares sine licentia Prælatorum.

Atque hæc etiam est ratio, quare Confessarii approbati ab Episcopis, licèt possint audire Confessiones Presbyterorum sæcularium, & aliorum Christi fidelium, equidem nisi de licentia Prælatorum invalidè absolvant Regulares; ratio, inquam, est, defectus jurisdictionis, quam debent accipere vel à Summo Pontifice, cui immediatè Regulares subjiciuntur, vel ab ipsorum Prælatis.

A Summo Pontifice non accipiunt; nam Clemens IV. ùt refertur in Monument. Ord. in 1. impress. fol. 58. & in 2. fol. 42. concess. 338. *Inhibuit universis Ecclesiarum Prælatis, & aliis quibuscumque, ne Confessiones FF. Min. præsumant, eorum Prælatis invitis, audire.* Et in 2. impress. fol. 188. conc. 75. idem habetur quoad Carmelitas. Et idipsum quoad Fratres Prædicatores in eisdem fol. 258. conc. 563. continetur. Rodriguez. Ita Rodrig. to. 1. qq. Reg. q. 62. a. 4. Neque eam habent à Prælatis Regularium, ùt nimis evidens est, si, ùt supponitur, absque ipsorum licentia absolvant; ergo &c.

Sed quoniam de itinerantibus sermo incidit, quæro generaliter, quid agendum cum peregrinis, habentibus peccatum reservatum? Pro responsione instituo novam Conclusionem.

CONCLUSIO III.

Vagus & peregrinus subjacent reservationi Episcopi, cujus subditis confitentur. Peregrinus exemptus est à reservatione proprii Episcopi, saltem quando non fit in fraudem.

47. Quis dicatur vagus.

VAgum dicimus, qui nuspiam habet fixum domicilium. Hic ergo vel nullius Episcopi reservationi subjacet, quod videtur absurdum, vel subjacet reservationi Episcopi, cujus subdito confitetur, sicuti obligatur jejunio, & aliis legibus illius Diœcesis, in qua pro tempore moratur.

Reservatio potiùs localis est, quàm personalis.

Enimverò reservatio, localis potiùs est, quàm personalis, neque ita concernens pœnitentes, quàm bene ipsos Confessarios, quibus subtrahitur jurisdictio absolvendi ab hoc vel illo peccato. Sicuti ergo Confessarius, cui omnis omnino jurisdictio subtrahitur, neque vagum, neque peregrinum, neque incolam potest validè absolvere ab ullo peccato; pari, dico, ratione, cui subtrahitur jurisdictio absolvendi ab hoc vel illo particulari peccato, neminem potest sive vagum, sive peregrinum, sive incolam ab eodem peccato absolvere. Et per consequens Confessarius, cui plena jurisdictio relinquitur, potest tam vagum, quàm peregrinum & incolam absolvere ab omnibus peccatis, nullo prorsùs excepto.

Ergo nulla est ratio, quare vagus non posset 48. absolvi à peccato, alibi solùm reservato, cùm vagus de jure communi possit confiteri in loco, in quo pro tempore moratur, & aliunde Episcopus reservans, non potuerit restringere jurisdictionem Confessarii, sibi non subditi. Et consimiliter non apparet, quo jure vagus possit absolvi à peccato hìc reservato, tametsi non alibi; cùm Episcopus reservans, potuerit restringere jurisdictionem Confessarii, sibi subditi.

Probatur pars Conc.

Breviter, neque Pontifex, neque Episcopus censetur Confessariis concedere majorem jurisdictionem in vagos, quàm in alios; sed prorsùs eandem. Ergo quidquid possunt cum aliis, etiam cum vagis, & non plùs vel minùs.

Ratio ab. tanto dict. para.

De peregrinis est major difficultas, cùm ex 48. sola Episcopi, vel Parochi interpretativa licentia, extra Diœcesim confiteri possint, ùt plures docent, & hic pro reservatis non possit dare licentiam, ille autem non velit, ne aliò proficiscentium conditio melior sit, quàm domi confitentium.

Accedit generalis dispositio juris Canonici cap. 2. de Pœnit & remiss. in 6. *Si Episcopus sua* c. 2. de Pœn. & rem. in 6. *subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere Confessorem, ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitùs potestatem.*

Nihilominus Conclusionem nostram pro 49. utraque parte docet Suarez disp. 30. sect. 1. n. 4. & 5. (post Cajet. in Sum. verb. *Absolutio* 2. Palud. dist. 17. q. 3. D. Antoninum 3. part. tit. 17. c. 4.) fundamentum, inquit, est; quia ille, qui sic versatur in alieno Episcopatu, non ideo ibi confiteri & absolvi potest, quia utitur facultate eligendi Confessorem; sed quia hoc ipso, quòd versatur in alieno Episcopatu, potest ibi absolvi more incolarum illius Diœcesis, & ita se gerere, ac si esset subditus Episcopi illius loci: hoc enim sensu intelligi debet consuetudo suprà declarata, & ab Eugenio IV. approbata. Quia Confessores alterius Diœcesis non tenentur scire, quinam casus reservati sint alteri Episcopo: ergo debent hunc audire & judicare juxta ritum sui Episcopatûs; ergo & facultas ab alio data, seu consuetudo, quæ in hac parte prævaluit, in hunc modum interpretanda est. Hæc ille.

Probatur pars Conc. Suarez, Cassalius, Palud. Antoninus, Navarrus.

Quibus subscribit Henriquez & Villalobos, quos citat & sequitur Dia. part. 3. tract. 5. resol. 103. Item Card. Lugo disp. 20. n. 72. Lugo.

Arriaga

Arriaga. Dicastillo. Herincx.

Arriaga disp. 40. n. 33. Dicastillo disp. 11. n. 239. Herincx disp. 6. n. 13. & plerique Alii.

Itaque peccatum, quod peregrinus confitetur, vel est reservatum in utroque Episcopatu, & Omnes admittunt, non posse absolvi à communi Confessario, non habente potestatem circa reservata; quia à neutro Episcopo habet delegatam jurisdictionem, ùt constat. Vel est reservatum in proprio Episcopatu, & non in hoc Episcopatu, in quo confitetur, & potest, juxta Auctores jam allegatos, remitti à communi Confessario; non vi particularis licentiæ proprii Episcopi, eligendi Confessarium, sed vi generalis consuetudinis, quæ ut esset utilis, sic introducta videtur, ut Confessarius solùm attendere debeat ad locum, in quo fit Confessio; neque enim singulos interrogare tenetur, an sint peregrini, an casus illi sint in proprio Episcopatu reservati, cùm ipse pœnitens sæpissimè idipsum ignoret.

51. Responsio ad argumentum in contrarium, desumptum ex jure canonico.

Ex quo patet responsio ad argumentum suprà in contrarium, desumptum ex jure Canonico: nam illud jus non loquitur de casu nostro, sed loquitur de speciali licentia, concessa alicui subdito, eligendi in propria Diœcesi idoneum Confessarium, quæ licentia rationabilis est & utilis, tametsi non extendatur ad casus reservatos; quia electus potest & debet scire casus reservatos proprii Episcopatûs, & hoc ipso, quòd eligitur, novit particularem licentiam pœnitentis, atque adeò, se totam suam jurisdictionem habere ex solo beneplacito Episcopi pœnitentis.

Hinc si aliquis, habens talem licentiam, in itinere eligeret aliquem, qui alioquin de per se in loco itineris non habet potestatem audiendi Confessiones, existimo, quòd non posset ab eo absolvi à casibus reservatis in proprio Episcopatu; quia tunc non confitetur illi tamquam peregrinus, quia ùt talis non posset ab eo absolvi, etiam à non reservatis, ùt suppono, sed ùt eligens illum ex speciali proprii Episcopi licentia, quæ, ùt dicitur in illo jure, non extenditur ad casus reservatos.

52. Responsio ad aliud argumentum.

Ad aliud argumentum Adversariorum Respondeo; Episcopum velle concedere talem licentiam seu potestatem; talis enim concessio rationabilis est, ùt ostendimus, & contraria concessio foret penè inutilis.

Conditio proficiscentium non est melior, quàm domi confitentium.

Neque ideo melior est conditio proficiscentium, quàm domi confitentium: quia, ùt habet prima pars Conclus. proficiscentes seu peregrini subjacent reservationi Episcopi, cujus subditis confitentur; ut proinde non possint absolvi à communi Confessario, si habeant peccatum reservatum in loco, ubi confitentur, estò in propria Diœcesi possent absolvi, utpote in qua peccatum non sit reservatum. Nam ùt ait Reg. juris 55. de Reg. juris in 6. *Qui sentit onus, sentire debet commodum, & è contra*, qui sentit commodum, sentire debet onus. Ergo si talis persona possit absolvi à quocumque Confessore à peccatis reservatis à suo Episcopo, si ibi reservata non sint; planè congruit, ut è converso à peccatis ibi reservatis non possit absolvi à quocumque Confessore, etiamsi reservata non sint à suo Episcopo. Et ratio est; quia licèt ille aliàs non sit subditus talis Episcopi, tamen tunc judicatur ùt subditus, & ùt incola illius loci: ergo juxta modum & jurisdictionem ibi concessam.

Reg. 55. de Reg. juris in 6.

53. Objectio.

Si inferas; ergo proprius Parochus non posset hìc suum parochianum absolvere à peccato, non reservato in propria Diœcesi.

Solvitur.

Resp. Neg. Conseq. do disparitatem; quòd proprius Parochus non habeat suam jurisdictionem ab Episcopo hujus loci; adeòque hic non potuit limitare ejus potestatem, sicuti aliorum Confessariorum, sibi subditorum.

54. Quare addatur in Concl. *Saltem quando non sit in fraudem.*

Sed dicet aliquis; ad quid additur illa particula in fine Conclus. *Saltem quando non sit in fraudem?* Nam semper præsumi potest fraus, id est, præsumi potest quòd propterea iter ingressus fuerit, ne cogeretur Superiori suo se sistere, sed in aliena Diœcesi posset à quocumque Confessario absolvi.

In foro interno cessant præsumptiones.

Respondeo; in foro interno, quale est forum Confessionis, cessant præsumptiones, & creditur conscientiæ pœnitentis pro se, & contra se loquentis. Hæc ergo conscientia consulenda est, & siquidem ex eo præcisè fine pœnitens recesserit à loco reservationis, ut fugeret conspectum Superioris, communis sententia docet, in aliena Diœcesi non posse absolvi à communi Confessario; pro qua apud Dia. part. 5. tract. 7. resol. 57. citatur Sacra Congreg. Card. die 19. Mens. Novemb. 1616.

Diana.

55. An qui in fraude peregrinatur, possit absolvi à reservatis à communi Confessario.

Sed, ut verum fatear, hæc res non caret difficultate, si verum est, quòd seclusâ fraude peregrinus absolvatur, non ex concessione proprii Episcopi; sed potiùs vi juris seu consuetudinis communis, approbatæ ab Eugenio IV. Nam licèt quis in fraudem seu ex industria, ut fugeret conspectum proprii Pastoris, transferret se in aliam civitatem, ibique peccata non reservata confiteretur, validè absolveretur vi istius consuetudinis ab illis peccatis non reservatis ùt Aliqui docent; ergo similiter à reservatis.

Affirmat Baunii.

Concedit totum Stephanus Baunii in Theol. Mor. p. 1. tract. 4. de Minist. Pœnit. q. 8. dub. 5. *An si Religiosus, habens casum reservatum, eò appellat, ubi non est reservatus, de eo absolvi possit à quolibet de expositis in eo Cœnobio?* Respondendum (inquit ille) posse; est causa, quòd in absolvendo, leges quisque suæ Provinciæ, Cœnobii aut Episcopatûs sequi debeat, & non alterius: ergo si in eo Conventu, ad quem ex itinere Regularis deflexit, peccatum, cujus est ipse conscius, non est de numero reservatorum in eo Cœnobio, de eo à Confessario quolibet, qui auctoritatem ad cætera remit-

remittenda communem habet, absolvi poterit, etiamsi deditâ operâ eò prædictus pœnitens venisset, ne se Superiori petendæ veniæ causâ cogeretur sistere. Ita Baunii.

56. & favet Cajetanus.

Et Cajet. suprà, nullâ factâ mentione fraudis, simpliciter & generaliter sic ait: Memini aliàs me legisse, Eugenium IV. concessisse seu declarasse vivæ vocis oraculo, viatores, ubì se invenerint in Paschate, censendos tamquam adeptos incolatum, quoad Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ; & secundùm hoc non est opus in Paschate hujusmodi interpretativâ licentiâ, sed possunt tunc ab illis Confessoribus, à quibus incolæ absolvuntur, absolvi etiam à casibus Episcopalibus, prout Episcopus loci disponit. Hæc ille.

Sed communis sententia stat pro parte negativa.

Sed tu tene communem sententiam; quia non videtur consuetudo aut Pontifex, qui eam approbavit, voluisse favere hujusmodi fraudi, & dare occasionem liberiùs peccandi; præsertim accedente Declaratione Card. si authentica est, de quo mihi non satìs constat.

57. Explicatur hæc sententia.

Præterea intelligo hanc doctrinam de illis Confessariis, qui non habent jurisdictionem absolvendi peregrinum, nisi præcisè ex illa consuetudine, seu, ùt Alii, ex sola Episcopi interpretativa licentia. Nam si aliunde habeant jurisdictionem ordinariam vel delegatam à Pontifice, quoslibet peregrinos, etiam contra voluntatem proprii Episcopi, absolvendi, nescio (nisi Pontifex oppositum expresè disposuerit, quod relinquo Aliis examinandum) nescio, inquam, quare non possent eos absolvere à casibus reservatis in proprio Episcopatu, si in loco, ubì confitentur, non sint reservati; estò etiam id fieret in fraudem.

Qui in fraudem mutat domicilium potest à Parocho domicilii absolvi à reservatis prioris domicilii.

Sicuti si quis in fraudem mutet domicilium, quis propterea dicit, non posse Parochum domicilii eum absolvere à peccatis reservatis, commissis in priori domicilio, si in hoc domicilio non sint reservata? Idque quia tali casu Parochus novi domicilii, non ex licentia Episcopi antiqui domicilii, sed ex officio suo absolvit, adeòque nemo potest ejus jurisdictionem limitare, nisi proprius Episcopus, vel Summus Pontifex. Hic non limitat, ùt supponitur; nam loquimur de casu Episcopali, neque iste, cùm sit casus Episcopalis antiqui domicilii; ergo &c.

58. Similiter qui in fraudem fit Religiosus à Confessario Religionis.

Putas, quia si quis in fraudem fieret Religiosus, putas, inquam, quòd ordinarius Confessor Religionis non posset eum validè absolvere à peccatis, in sæculo tantùm reservatis? Noli putare; quippe hoc ipso mutavit domicilium, & jam subjicitur reservationi Prælati Regularis: neque ille Confessor Religionis jurisdictionem suam habet ab Episcopo, sed à suo Prælato; ergo non ille, sed hic solus potest eam limitare, nisi aliud Pontifex disposuerit; porrò aliud non disposuisse respectu Religiosorum, Omnes fatentur.

59. Quid si quis veniat ad Religionem cum peccatis carnis, quæ in ea reservata sunt, nunquid debebit petere licentiam à Superiore, sicuti peregrinus, qui cum hujusmodi peccatis confitetur in loco peregrinationis, in quo reservata sunt, etsi in loco domicilii non sint reservata?

Reservata Assunpt.

Respondetur; in Religione non sunt reservata ulla peccata, nisi quatenus commissa intrà ipsam Religionem, sive à personis Religiosis: cùm ergo in casu proposito supponantur ea admissa in sæculo, sive à personâ non Religiosa, erunt eodem modo non reservata in Religione, quo fuerant non reservata in sæculo. At quando in aliquo Episcopatu certa peccata reservantur, non requirit Episcopus ad hoc, ea peccata committi intrà Diœcesim suam, sed universaliter dicit: *Nolo ut Parochus ullus meus in meo Episcopatu habeat potestatem absolvendi à sodomia v. g. ubicumque ea fuerit commissa*; quâ voluntate positâ, clarissimè intelligitur, quomodo ille peregrinus nequeat in eo Episcopatu absolvi à Parocho ejusdem loci à sodomia, estò commissa, ubì nulla erat reservatio. Ita Arriaga disp. 40. n. 34.

60. Contra quos agat hic.

Sed quæro ego; quid repugnat etiam Prælatum Regularem habere similem voluntatem? Cur non & ipse universaliter dicit: *Nolo ut Religiosus ullus meus habeat potestatem absolvendi aliquem Religiosum à pollutione voluntaria v. g. ubicumque ea fuerit commissa*? Quâ voluntate positâ, clarissimè intelligitur, quomodo ille Religiosus nequeat in ea Religione absolvi à Religioso ejusdem loci à pollutione voluntaria v. g. estò commissa in sæculo, ubì nulla erat reservatio. Quæ ergo disparitas?

Non video aliam, nisi communem sensum seu judicium DD. qui Episcopo tribuunt illam voluntatem, & non Prælatis Regularibus; cùm tamen & Episcopis possent negare, & Prælatis Regularibus tribuere. Cur autem potiùs uni negent, quàm alteri, fateor me nescire, ipsorum expectabo resolutionem, interea subscribens:

CONCLUSIO IV.

Superior sinè urgenti necessitate illicitè audit sola peccata reservata, & ab iisdem sacramentaliter absolvit, remittens pœnitentem pro aliis ad inferiorem. Absolutus non tenetur iteratò confiteri reservata inferiori.

61. Omnes.

Hæc doctrina oppidò controversa est, multis DD. non infimæ notæ, oppositum ejus affirmantibus. Inter quos non ultimas tenet

nus & probat. tenet Cajet. in Sum. verb. *Confessio* condit. 10. ubi in primis sic ait: Confessio illa, quâ quis, habens multa mortalia, confitetur Episcopo vel ejus Vicario unum mortale reservatum, est Confessio non integra; at per accidens & materialiter: quia non ex voluntate pœnitentis provenit non integritas, sed ex parte talis Confessoris reservantis &c. Et propterea hujusmodi Confessio, quàmvis non integra, sancta est: sic namque sanctæ Matris Ecclesiæ usus habet, nec oportet sapere plus, quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem. Cave autem ne erres; dicendo, Absolutionem illam, quam impendit Episcopus huiusmodi peccatis, non esse sacramentalē.

Ex hoc namque, quòd Confessio illa partialis est sacramentalis (quod patet, & ex eo, quòd sigillum Confessionis illius est sacramentale: potest enim Episcopus, sicut quilibet Confessor jurare, se nihil scire; & ex eo, quòd aliter pœnitentes essent delusi: quia non intendunt nisi confiteri, nec tenentur nisi Confessione sacramentali ire ad Episcopum) consequens necessariò est, ut Absolutio quoque sit sacramentalis: nec est hoc vertendum in dubium. Hucusque Cajet.

61. Probatur 1. pars Concl. Ubi videtur temeritatis seu erroris notarē primam partem nostræ Conclusionis, quæ tamen hodie est communior & longè probabilior: quoniam integritas Confessionis, ût alibi ostendimus, & ab Omnibus admittitur, est juris divini; ergo non est violanda absque urgenti necessitate: sed nulla est urgens necessitas, regulariter & per se loquendo, audiendi sola peccata reservata, & ab illis sacramentaliter absolvendi: ergo &c.

Officium Superioris per se non est causa sufficiens dimidiandi Confessionem. Probatur Subsumptum; nam si aliqua esset necessitas, foret officium seu occupatio Superioris; sed hoc non. Siquidem videmus Superiores in Religionibus non rarò sæcularium Confessiones audire, Principum Confessarios esse, concionari, docere, aliaque similia munia obire, id permittente Prælaturâ. Cur ergo credendum est, propter solam officii occupationem, sufficienter eum impediri, quò minùs possit integram subditi Confessionem audire, & ab omnibus simul peccatis tam reservatis, quàm non reservatis absolvere?

Præterea, estò occupatio eorum non permitteret auditionem integræ Confessionis, equidem nulla foret necessitas sacramentaliter absolvendi; sed possent committere Absolutionem sacramentalem inferiori Confessario, auferendo solùm reservationem: aut certè possent à principio in totum committere causam alicui inferiori, de cujus prudentia & scientia confidant; atque hâc ratione non erit necesse dimidiare Confessionem.

63. Potest dari casus in quo Superior licitè absolvat à solis reservatis. Interim posset dari causa rationabilis id aliquando faciendi, & absolvendi sacramentaliter à solis reservatis; v. g. si pœnitens dicat, se indigere Absolutione Superioris, vel ejus licentiâ ad confitendum alteri, nec vellet dicere nisi in Confessione sacramentali speciem peccati, quia non vult duobus manifestare idem peccatum: & aliunde Superior non posset ipsum audire, nec pœnitens posset ampliùs expectare, propter necessitatem urgentem ad communicandum, vel quid simile: ac denique Superior judicaret necessarium personaliter audire reservatum; quia propter aliquam circumstantiam ita valde expediret: tunc posset dari causa audiendi & absolvendi dimidiatâ Confessione; qui tamen casus rarissimus est.

solis reservatis.

Atque in eisdem circumstantiis, etiam privilegiatus, id est, qui ex solo privilegio potest absolvere à reservatis, posset dimidiare Confessionem, eodem modò sicut quilibet Confessarius posset dimidiare Confessionem non reservatorum, quando similis necessitas occurreret. Quia reservatio non tribuit Superiori aliquod novum jus, sed dumtaxat aufert ab aliis jus absolvendi à peccatis reservatis; ergo nisi alia necessitas indè resultet, sola reservatio non est causa sufficiens dimidiandi Confessionem, contra obligationem juris divini integrè confitendi & absolvendi. Alioquin etiam idem poterit privilegiarius, cùm & hic habeat jus absolvendi à reservatis, quod tamen non admittitur ab Adversariis. Immo quilibet sic poterit vellè absolvere solùm graviora peccata, & reliqua remittere aliis, tametsi nulla reservatio præcesserit; quod constat esse falsum.

Idem posset privilegiatus.

64. Quæ sit quoad hoc consuetudo Ecclesiæ Rom. Sylvester. Quantùm ad consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, quam allegat Cajet. contrariam potiùs testatur Sylvester (qui fuit Pœnitentiarius in Basilica S. Petri, & Magister Sacri Palatii) verb. *Confessio* 1. q. 19. ibi: Sed tamen, quia secundùm S. Tho. regulariter Confessio debet esse integra: quando peccator priùs vadit ad Superiorem secundùm Hervæum, quidquid senserit Pet. de Palud. non absolvit propriè eum à peccatis, nisi totum dicat: sed ab obligatione confitendi sibi; si verò priùs vadit ad inferiorem, absolvit eum à peccatis: sed non ab obligatione confitendi Superiori: & sic, inquit, Absolutio non dividitur, immo nec Confessio: & ita practicatur: & ita tene. Ita Sylvest.

Lugo. Lugo autem disp. 20. n. 76. (ubi docet nostram Conclusionem cum Aliis, quos citat) ait, hunc non esse vestigium talis consuetudinis in Ecclesia Romana. Et addit: Reservata, pro quibus ad Romanam Curiam venitur, sunt reservata Pontifici: hæc autem reservantur ratione excommunicationis, quâ sublatâ, tollitur reservatio. Quare suspicor hanc fuisse consuetudinem illam, quam Cajet. testatur, nempe absolvendi ab excommunicatione reservata, & remittendi ad inferiorem pro Confessione & Absolutione sacramentali; & ideo oportebat inferiori confiteri omnia peccata, ut ab iis omnibus sacramentaliter absolveret.

Unde etiam potuit Navarrus dicere; ex utraque Absolutione conflari unam Absolutionem integram; loquendo de Absolutione prout

includit absolutionem à censuris, & à peccatis: quæ quia utraque solet de facto dari simul in Confessione, & tunc dividebatur; poterat dici integrari aliquo modo Absolutionem & Confessionem ex utraque parte. Hucusque Eminen.

65. Quid si Superior sequatur oppositam sententiam, & audiat sola reservata, ab iisque sacramentaliter absolvat? Nonne Absolutio erit invalida? Num pœnitens iteratò tenebitur peccata reservata simul cum aliis non reservatis confiteri inferiori?

Quid si Superior sequatur sententiam Cajetani?

Respondeo ad primum; si pœnitens procedat bonâ fide, ita ut non peccet mortaliter in tali Confessione, valet Absolutio; sicut si bonâ fide confiteretur aliqua tantùm peccata non reservata, existimans propter certas circumstantias, id sibi licitum, & Confessarius sive bonâ, sive malâ fide ab illis absolveret, indubiè valeret Absolutio; quia nec deest materia, nec forma, nec intentio, nec jurisdictio. Ergo similiter in casu proposito. Neque enim jurisdictio Confessarii limitata est ad integram Confessionem, ùt patet in multis casibus, in quibus validè, imò & licitè absolvit ab aliquibus tantùm peccatis, de quibus alibi tractavimus. Et quàmvis extrà necessitatem illicitè faciat, non tamen indè rectè infertur; ergo etiam invalidè: nam, ùt non semel dixi: *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*, cap. *Ad Apostolicam* 16. de Regul. Meritò autem inter illà multa numeratur talis Absolutio, cùm non satìs constet ex jure divino de ejus irritatione.

Si pœnitens procedat bonâ fide validè absolvitur.

cap. 16. de Regul.

Dixi: *Si pœnitens procedat bonâ fide*; quia si peccet mortaliter, dimidiando suam Confessionem absque sufficienti causa, jam Absolutio est invalida, defectu materiæ seu quasi materiæ, id est, debitæ Contritionis, quæ includit propositum non peccandi de cætero mortaliter, adeòque excludit omne peccatum mortale actuale.

66. Consequenter ad secundum Respondeo; nullam manere obligationem iteratò confitendi peccata reservata inferiori, eo semper supposito, quòd Superior sacramentaliter ab eis absolverit, quidquid suprà Cajet. in contrarium dixerit. Ratio est; quia in omni alio casu, in quo pœnitens materialiter dimidiat Confessionem vel propter oblivionem, vel sinè oblivione propter rationabilem causam, sive ex parte pœnitentis, sive ex parte ministri ortam, non tenetur ampliùs confiteri illa peccata, quæ illo modo confessus est, & à quibus est per se & simpliciter absolutus; ergo idem erit in præsenti: est enim eadem ratio, nimirùm; quia ille pœnitens coram Deo & Ecclesia absolutus est directè, & per se virtute Clavium, & ab habente absolutam jurisdictionem: ergo nulla est ratio imponendi illi hoc onus.

Neque manet ulla obligatio iteratò confitendi peccata sic absoluta.

Ad rationem Cajet. putà, quia pœnitens debet proprio Sacerdoti, non Sacerdotibus omnia sua peccata integrè confiteri, de Pœnit. & remiss. *Omnis utriusque sexûs*. Respondeo; illam esse veram per se loquendo: ex accidenti verò satìs esse, quòd omnia peccata Clavibus subjiciantur, etiamsi Confessores distincti sint.

Ratio Cajetani in oppositum.

Responsio.

Dixi; *Eo semper supposito, quòd Superior sacramentaliter ab eis absolverit*; nam si tantùm absolveret ab excommunicatione, aut certè simpliciter auferret reservationem, sicut facere potest, & facere censetur, nisi constet de opposito, clarum est, quòd teneretur illa peccata confiteri inferiori, quia nondum virtute Clavium directè ab illis est absolutus.

Itaque per Absolutionem sacramentalem intelligo non tantùm illam, quæ ordinatur ad Sacramentum, qualis indubiè est illa Absolutio ab excommunicatione, aut simplex ablatio reservationis; sed quæ reverà est Sacramentum, conferens gratiam sanctificantem, seu remissivam peccatorum tam confessorum, quàm non confessorum, ita ut directè remittat peccata confessa; indirectè autem non confessa: & tunc dico nullam esse obligationem iteratò confitendi illa peccata reservata sic confessa, & absoluta à Superiore.

Secùs dicendum foret, si primò aliquis confiteretur peccata reservata & non reservata inferiori; hic enim quàmvis absolutus sacramentaliter ab inferiori, equidem iteratò teneretur peccata reservata exponere Superiori; quia licèt ea confessus fuerit inferiori, tamen non fuit directè ab eis absolutus, defectu jurisdictionis, sed tantùm indirectè.

Et fortè hoc solùm voluit Cajet. suprà, ubi sic ait: Confessio suaptè naturâ debet esse integra, ac per hoc fieri uni Sacerdoti: alioquin non esset Confessio, sed Confessiones; sed quoniam per accidens est, quòd Sacerdos iste, cui hic confitetur, non habet potestatem absolvendi ipsum ab omnibus, quæ commisit, ideo per accidens & peccatum reservatum huic confessum, reconfitendum est Episcopo. Hæc ille.

Indubiè reconfitendum est; sed de hoc casu hìc non quæritur. De quo ergo? De casu, quo pœnitens primò confessus est reservata Superiori, & ab illis sacramentaliter absolutus, & in illo procedit nostra Conclusio, quæ ùti communior, ita verior.

Si autem à me quæritur; an Superior, qui non absolvit sacramentaliter, sed solummodò tollit reservationem, vel simpliciter, vel absolvendo ab excommunicatione, obligetur sigillo Confessionis? Respondeo affirmativè; nam ad sigillum sufficit, ut quàcumque ratione res dicatur, in ordine ad inchoandam vel consummandam Confessionem, alicui ùt Iudici, habenti potestatem Clavium in hoc foro, ùt latiùs dicam Sect. seq.

Alias difficultates, quæ hìc ab Aliquibus tractantur, v. g. an Superior auditis omnibus peccatis possit validè absolvere à solis reservatis; item, an habens peccatum reservatum, & aliud mortale non reservatum, teneatur ante Communionem etiam reservatum confiteri inferiori, in defectum Superioris, nos alibi

alibi expedivimus, ultimam quidem Disp. 4. Sect. 10. Concl. 5. primam autem Disput. 7. Sect. 3. Concl. 7. videantur ibi dicta. Impræsentiarùm autem quæro; an habens jurisdictionem in reservata, tollat reservationem, licèt ob defectum aliquem absolvat invalidè? Respondeo:

CONCLUSIO V.

Qui habet jurisdictionem in reservata (nisi tantùm habeat sub conditione validæ Confessionis) tollit reservationem à peccatis confessis per Absolutionem invalidam.

70. In quo fundetur Conclus. HÆc Conclusio fundatur in præsumptâ voluntate Superioris seu reservantis, qui potuit velle auferre reservationem à peccatis confessis, & invalidè absolutis. An autem voluerit, quod potuit velle, de hoc in præsenti disputatur. Et mirum est, quòd, cùm Superiores hanc disputationem probè noverint, & unico verbo possent litem terminare, nullus eorum hactenus dignatus fuerit tantum bonum præstare Ecclesiæ, aperiendo suam voluntatem pro una aut altera parte. Quia ergo, scientibus & tacentibus Prælatis, cùm alioquin facilè possent contradicere, diversi diversa, immo contraria sentiant de hac materia, signum manifestum est, Prælatos velle condescendere subditis, relinquendo eis liberam electionem hujus, vel illius probabilis opinionis.

Diversæ Regulæ juris. Et quoniam secundùm Reg. juris de Reg. juris in 6. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* Reg. 49. Et, *In obscuris minimum est sequendum.* 30. Item, *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.* 57. Hinc amplectimur, quod est minimum, & benignius, & contra reservantem.

71. Quomodo intelligenda Concl. Itaque Conclusio intelligitur de invalida Absolutione, sive defectu doloris, sive defectu integritatis, etiam culpabili, dummodò non sit circa ipsum peccatum reservatum. Est sententia Suarii disp. 31. sect. 4. n. 9. Vasq. q. 91. a. 3. dub. 5. n. 33. quos sequitur Lugo disp. 20. n. 106.

Suarez. Vasquez. Lugo, Arriaga. Unde non approbo, quod ait Arriaga disp. 41. n. 9. Secundus casus, in quo tolli potest reservatio interpretativè, juxta Multorum sententiam, est, quando pœnitens confitetur quidem suo legitimo Superiori casum reservatum, Absolutio tamen invalida est ex aliquo defectu substantiali: ita sentiunt Suarez, Vasquez, Lugo, & Alii. Vasquez tamen & Suarez eam limitant, dummodo non fuerit defectus culpabilis in integritate ipsius Confessionis. Hæc ille.

72. Sed illam limitationem ego non invenio apud illos Auctores, nisi quando ille defectus foret circa ipsa peccata reservata. Sic enim scribit Suarez: Rursus potest Absolutio esse nulla, propter defectum circa Confessionem ipsius peccati reservati, & tunc si defectus esset in integritate, sinè dubio non auferretur reservatio, quia non esset satisfactum intentioni Superioris, neque esset coram illo sufficienter comparitum: at verò si defectus tantùm sit in interiore dolore, non videtur obstare: quia intentio reservationis solùm est, ut satisfiat Superiori in hoc judicio, quatenus externum judicium est. Hæc ille.

An auferatur reservatio, quando est defectus in integritate Confessionis. *Suarez.*

Similiter loquitur Vasquez, dicens: Verissimum existimo ..... si aliquis confiteatur Superiori peccata reservata, & ab illo impositâ pœnâ recipiat Absolutionem, etiamsi Confessio fuerit nulla aut informis ex aliquo defectu, ut denique non consequatur gratiam, quale impedimentum provenire potest, aut ex defectu integritatis, aut doloris. ... jam illa peccata non manere reservata. *Vasquez.*

73. An per Absolutionem invalidam delegati aliâ fertur reservatio. Et post pauca addit: Nec hoc tantùm verum existimo, quando Confessio facta est Superiori, habenti potestatem ordinariam in casus reservatos, sed etiam ei, qui haberet delegatam ex privilegio; quàmvis enim solus habens ordinariam, qui reservavit peccatum, possit tollere reservationem extra Confessionem & Absolutionem sacramentalem; qui verò delegatam, solùm in Absolutione sacramentali, quæ habet effectum, quia ipse non reservavit peccatum; tamen factâ Confessione, quâ non conferretur etiam gratia, coram habente potestatem delegatam ex privilegio, jam Superior, qui illam concessit, videtur remittere reservationem illius peccati; quia ad hoc tantùm videtur præcipuè reservasse, ut judicio suo, aut sui delegati pœna debita & medicina applicaretur illi peccato: unde ex quo factum est hoc, jam non vult peccatum ampliùs reservari. Hucusque Vasquez. Ubi nullam facit distinctionem inter defectum culpabilem, & inculpabilem.

74. Sententia Suarii. Et quàmvis Suarius non ita explicitè n. 9. loquatur de illo, qui solùm habet potestatem delegatam; tamen ex illis, quæ scribit n. 6. satis colligitur ipsum generaliter esse intelligendum de utroque. Etenim n. 6. ita incipit proponere difficultatem, ad quam in consequentibus respondet: His, inquit, expositis circa peccata reservata, semel remissa per directam Absolutionem, dicendum superest de aliis casibus, in quibus Confessio quidem fit Superiori aut habenti facultatem ejus: Absolutio tamen non cadit directè in ipsam culpam reservatam.

Cùm ergo in resolutione illius casûs, nullam faciat distinctionem inter ordinarium, & delegatum ministrum, signum est, de utroque suam sententiam intellexisse, quod magis constabit ex dicendis.

75. Ex dictis autem facilè quilibet cognoscet, quæ

Probatio primæ partis Concl.

quæ sit ratio præsumendi, quòd in hoc casu Superior intendat auferre reservationem; nimirùm, quia ex quo subditus comparuit coram Superiore, aut habente facultatem ejus, eique peccatum integrè revelavit, ipseque Superior, aut habens facultatem ejus, convenientem medicinam & satisfactionem imposuit, suo muneri satisfeciſſe videtur, quantùm ad reservationem spectat; & pœnitens etiam videtur feciſſe satis, intentioni & fini reservationis: ergo quàmvis contingat, Superiorem, aut habentem facultatem ejus absolvendi, verè non absolvere à peccatis, nihilominus absolvit seu liberat à reservatione: quia dum oppositum non declarat, satis significat, simpliciter absolvendo, se esse in ea parte contentum: relinquit ergo pœnitentem liberum ab eo onere reservationis.

76. Objectio ex Arriaga,

Sed contrà; non facilè mihi possum persuadere, inquit Arriaga suprà, quòd Superior religiosus ac prudens, & Deum timens, velit illi subdito, qui nequiter accedit ad Confessionem, committendo sacrilegium grave, ac reticendo mortale non reservatum, ac proinde nec Confessionem seriam faciendo, huic, inquam, velit reservationem tollere; quæ ablatio est in se sat magnum beneficium, cùm potiùs deberet ob illud factum eum gravissimè punire.

& responsio ad eam probationem.

Et respondens ad rationem, mox assignatam ait; finem reservationis non esse, ut Superior sciat ea peccata; nam si Superior vidisset illum committentem hujusmodi peccatum, jam eo ipso illud sciret, non tamen propterea abstulisset ab eo reservationem. Reservatio ergo eò tendit, ut Absolutio sit difficilis, & ex eo capite homo difficiliùs illud peccatum committat. Deinde ut Superior meliùs possit pœnitentiam congruentem imponere; ideo licèt Superior sciat meum casum reservatum, non tamen ideo mihi jam est liberum confiteri illud cuicumque ordinario Confessario.

77. Confirmatur 1,

Confirmatur: potuit Superior validè, & verò licitè & valde sanctè ac meritoriè dicere: *Nolo tollere reservationem, si iniquè confiteris*: quæ voluntas coram Deo sinè dubio esset magis grata, quàm ea altera, quâ diceret: *Estò iniquè & graviter peccans confitearis, tollo tibi reservationem.* Ergo si ea Confessio seipsâ non tollit reservationem, nisi, ut sic dicam, per modum congruitatis & petitionis, profectò ea longè magis meretur pœnam, quàm præmium.

Confirmatur 2,

Deinde quando Superior contrarium aliundè non ostendit, non debeo de illo præsumere volitionem minùs perfectam, sed potiùs perfectiorem, & Deo magis gratam; maximè quando potest haberi tam facilè hæc secunda nobilior, quàm illa minùs nobilis. Ergo longè probabiliùs est, non tolli reservationem, quando Confessio est vitiosa & culpabilis respectu pœnitentis.

Quòd si habeat alium defectum invincibiliter ab eo ignoratum, ita ut ille in ea Confessione sincerè se gerat, potest probabiliter dici, tolli reservationem; non quidem omnium, sed illorum, quæ confessus est. Nam cùm tunc bonâ fide pœnitens processerit, & Superiori jam constet de illis peccatis, non est credendum, velle obligare subditum ad secundò ea sibi dicenda: quæ ratio cùm non habeat locum respectu eorum, quæ oblitus est pœnitens, non censetur tunc respectu illorum ablata reservatio. Sic argumentatur Arriaga suprà n. 10. & 11.

Sed non possum ei acquiescere, nisi in unico puncto, scilicet tolli reservationem illorum, quæ confessus est pœnitens bonâ fide. Unde respondeo ad alia, tam difficilè est homini, revelare sua peccata Superiori in Confessione invalida & culpabili, quàm in Confessione valida, aut invalida inculpabili, & Absolutio æquè est difficilis, ac Superior in utraque æqualem pœnitentiam potest imponere; adeòque ex eo capite homo difficiliùs illud peccatum committit. 78. Adjicitur responsio Arriagæ.

Ergo quando Superior vidit me hujusmodi peccatum committentem, eo ipso per suam scientiam abstulit ab illo reservationem; qualis Consequentia? Nunquid, quia Superior vidit peccatum meum, ideo Absolutio est difficilior, & ex eo capite homo difficiliùs illud peccatum committit, aut Superior per suam visionem, congruentem pœnitentiam imposuit?

79. Ratio ejus solutionis ex sententia Conclus.

Fateor, sacrilegus ille nullam meretur gratiam seu beneficium præcisè, quia sacrilegus est; neque ideo tollitur reservatio, sed quia præstitit, quod Superior præcepit; id est, præsentavit se Superiori, ut condignam acciperet pœnitentiam & medicinam, quam etiam accepit. Audiamus Suarium suprà n. 11. ubi loquens de tanto defectu doloris, ut peccator perseveret in proposito committendi talem culpam, aut non exhibendi satisfactionem vel pœnitentiam à Superiore impositam, adhuc existimat, in eo casu sufficere, mutare propositum, & verum dolorem concipere, ut ab inferiori Sacerdote seu simplici Confessore absolvi possit: quia, inquit, propositum illud internum non est peccatum reservatum: de alio verò peccato præterito satisfactum est Superiori, & ille sinè ulla conditione videtur subditum liberum reliquisse.

Et explicatur: nam si subditus apertè proposuisset suo Superiori casum illum, non ut absolveretur Sacramentaliter, sed solùm ut liberaretur ab eo onere; tunc Superior audiens illum, & imponens satisfactionem, censeretur liberum eum relinquere ab onere reservationis: sed quando confitetur sacramentaliter, hoc in re ipsa postulat simul cum Absolutione; ergo licèt Absolutio in ratione Sacramenti non fuerit valida, potest esse sufficiens signum satisfactionis Superioris quoad reservationem.

Hactenus Suarez. Utrau-

80. Respondetur ad confirmationes Arriagæ.

Ut autem contraria voluntas Superioris foret perfectior, & magis grata Deo, quod non satis probatur, nulla est necessitas eam præsumendi; quandoquidem Superiores sciant communem præsumptionem voluntatis minùs perfectæ, & taceant, cùm possent facilè contradicere. Ergo probabiliùs est tolli reservationem, tametsi Confessio sit vitiosa & culpabilis respectu pœnitentis.

An tali casu pœnitens teneatur implere pœnitentiam?

Eo semper salvo, ut pœnitens obligetur explere eam pœnitentiam, quam Superior pro peccatis reservatis imposuit: videtur enim cum eo onere Superior abstulisse reservationem, quòd facere potuit in Sacramento, sicuti potuisset facere extra Sacramentum; sicuti ergo si extra Sacramentum Superior auferret reservationem, impositâ certâ pœnitentiâ, peccator maneret obligatus ad illam pœnitentiam exequendam, quidni etiam maneat obligatus, quando eam imponit in Sacramento invalidè?

81. Pars affirmans videtur Lugoni difficilis.

Sed hoc difficilè apparet Lugoni suprà n. 107. cùm, inquit, tota obligatio debeat procedere à Confessario, ùt Iudice in hoc Sacramento.

Respondeo cum distinctione; ut obligatio illa, seu satisfactio, ad quam est obligatio, habeat effectum ex opere operato remissionis pœnæ temporalis, concedo; ut illa obligatio seu satisfactio tollat reservationem peccati, nego; ex hypothesi, quòd Superior possit tollere reservationem extra Sacramentum.

82. Partem negativam amplectitur Vasquez.

Cùm autem hoc mihi certum sit, non assentior Vasquezio, qui suprà n. 36. ait: Licèt ille pœnitens, quia fuit nullum Sacramentum, non teneatur observare pœnitentiam impositam; tamen inferiorem tenetur admonere, ut sequatur judicium illud Superioris in imponenda sibi pœna, quam Superior imposuit; aliàs si neque pœnam impositam à Superiore exequeretur inferior, nec pœnitens, eluderetur judicium Superioris.

Nec satis esset, si pœnitens ipse propriâ auctoritate assumeret pœnam illam impositam, quia reservatio ad hoc est, ut debita pœna imponatur arbitrio prudentioris & Superioris, non tantùm ut pœna communis in medelam, sed in satisfactionem illius ex virtute Sacramenti. Ita Vasq.

83. Opposita doctrina probatur ab Arriaga ex Bulla Clem. VIII.

Sed non assentior; nisi probaverit, quod dicit: non probat autem; ergo &c. Quin contrarium ego probo; si enim Superior, invalidè absolvens, potest obligare ad manifestandam pœnitentiam inferiori, cur non etiam possit obligare ad eam exequendam? Absolutè autem utrumque posse, est mihi (inquit Arriaga suprà n. 12.) certum ex Bulla Clementis VIII. in ea enim expresè dicit Pontifex, posse Superiores, dantes licentiam ad absolvendum, determinare pœnitentias, quas postea Confessarii debeant imponere pro eis casibus reservatis. Supponit ergo Pontifex, posse Superiorem, estò sacramentaliter non absolvat, dum tamen dat facultatem absolvendi, obligare ipsos etiam Confessarios ad imponendam talem pœnitentiam; ergo à fortiori potuit obligare ipsos pœnitentes ad talem pœnitentiam faciendam. Ratio à priori est, quia cùm ea ablatio reservationis, quæ est in bonum magnum pœnitentis, detur liberaliter à Superiore, potuit sanè in ea donatione conditionem illam onerosam apponere. Hæc ille.

Potuit omnino, reponit quispiam, condi- Responsio. tionem illam onerosam apponere, id est, imponere pœnitentiam, sed exequendam ex virtute Sacramenti; & ideo obligat pœnitentem, ut eam manifestet inferiori, sinè qua manifestatione non potest eam exequi ex virtute Sacramenti. Sic etiam obligat Confessarios ad imponendam determinatam pœnitentiam, non extra Sacramentum, sed in Sacramento, seu ex virtute Sacramenti.

84. Præclara responsio! Sed quæ supponit, quod non probat; scilicet, Superiorem non posse tollere reservationem, nisi in Sacramento, seu per Pœnitentiam sacramentalem; quod ego constanter nego; & per consequens nego, pœnitentiam impositam in Sacramento invalidè, non sufficienter tollere reservationem, nisi fuerit virtute Clavium elevatâ ad effectum ex opere operato. Gratis autem dicitur, Superiorem non voluisse aliter tollere, cùm ad finem reservationis perinde sit, sive fiat virtute Sacramenti, sive ex simplici præcepto Superioris extra Sacramentum.

sed quæ supponit, quod non probat, scilicet, Superiorem non posse tollere reservationem extra Sacramentum.

Interim credo, faciliùs fore pœnitenti, pœnitentiam impositam dicere inferiori, quàm tacere, & eam nihilominus implere; cùm enim illa peccata, estò ampliùs non reservata, maneant subjecta Clavibus, inferior pro illis novam proportionatam imponet pœnitentiam, ad quam proinde pœnitens obligabitur, non obstante priori obligatione ad pœnitentiam impositam à Superiore; nisi dixeris cum Aliquibus, inferiorem, imponendo novam pœnitentiam, hoc ipso validè commutare, seu auferre pœnitentiam Superioris, de quo vide dicta Disput. præced. Sect. 13. Concl. ult.

85. Objectio.

Sed dicet aliquis; si illa peccata adhuc maneant subjecta Clavibus; ergo manent æquè reservata, ac anteà. Nam si quis hoc modo confiteatur peccata mortalia communia suo Parocho, & ab eo invalidè absolvatur, non potest propterea confiteri illa peccata simplici Sacerdoti; quia illa peccata adhuc sunt materia necessaria Sacramenti. Iam autem ita se gerit inferior Confessor circa peccata reservata Superiori, sicut Sacerdos simplex circa peccata mortalia communia; ergo &c.

Respondeo; nimis clarum est, posse pecca- Solutio. ta manere subjecta Clavibus Ecclesiæ, & non reservata, quando nimirum Superior tollit reservationem extra Sacramentum. Ad exem-

plum adductum, negatur similitudo : quia simplex Sacerdos omnino caret jurisdictione: proprius verò, per se loquendo, habet illam in omnia peccata, nisi aliquod per reservationem extrahatur ; & ideo, ablatâ reservatione, statim jurisdictio illa extenditur, seu quasi reducitur ad proprium statum : in nostro autem casu ablata est reservatio, propter rationem factam.

86. An Confessarius electus virtute Iubilæi, tollat reservationem per invalidam Absolutionem?

Addidi autem in Concluſ. *Nisi tantùm habeat* (jurisdictionem) *sub conditione validæ Confessionis* ; quia putant Aliqui Confessarium, electum virtute Iubilæi, non tollere reservationem à peccatis confessis per Absolutionem invalidam, quando pœnitens advertit illum defectum ; secùs si non adverterit. Ratio est; quia Summus Pontifex concedit facultatem absolvendi à reservatis in ordine ad susceptionem Indulgentiarum; sed qui scienter facit Confessionem irritam, Indulgentias minimè consequi potest ; ergo &c. Et idem asserunt de privilegio Bullæ Cruciatæ. Hanc sententiam putat probabiliorem Vallalobos in Sum. to. 1. tract. 27. §. 2. n. 16. citans Acostam in Bul. q. 45. Eidem (apud Dia. p. 1. tract. de Bulla Cruciatæ resol. 18.) subscribit Ledesma in Sum. to. 1. tract. de Pœnit. cap. 13. concluſ. 2. dub. 7.

Villalobos.
Acosta.
Diana.
Ledesma.

87. Pro sententia affirmativa perperàm à Comitolo citatur Cajetanus, Sylvester, & Alii.

Non reticeam tamen (inquit Dia; suprà) multos DD. contrarium asserere probabiliter, quos adducit & sequitur Comitolus in Resmor. l. 1. q. 30. n. 2. ubi sic ait : Num qui tempore Iubilæi fictè confessus est de casu reservato, nec quidquam ei profuit Confessio ad salutem, post Iubilæum meliore mente quærere possit quemlibet Confessarium, qui tum ab aliis casibus, tum à reservatis eum possit absolvere ? Cajet. in Sum. verb. *Casûs reservatio* in calce. Armilla eodem verb. n. 4. Sylvest. verb. *Confessio* 1. q. 19. in extr. seu n. 21. à quo Paludanus & D. Antoninus nominantur opinionis Auctores, aiunt, eum qui fictè confessus est reservatum casum, posse à quovis Confessario absolvi, propterea quòd legi Ecclesiasticæ reservationis jam satisfecit, quàmvis legi divinæ confitendi nullâ ratione satisfecerit. Quare jure divino debebit iterum Sacerdoti illud ipsum peccatum, & reliqua omnia cum detestatione, & pio animi dolore declarare. Ita Comitolus.

Verùm non advertit, Auctores, quos citat, non loqui specialiter de tempore Iubilæi, de quo ipse loquebatur, & de quo ab Aliis movetur specialis difficultas, quam nontangit, multò minùs solvit.

88. An Suarius faveat illi sententiæ.

Sed nunquid Suarius favet huic opinioni? Hic Auctor disp. 31. sect. 4. n. 22. circa finem, docet, per Absolutionem validam, licèt informem, etiam tempore Iubilæi tolli reservationem à peccatis confessis, nam, inquit, quoad illa usus Iubilæi seu privilegii, per illum concessi, validus fuit, semelque habuit effectum, qui non ampliùs revocatur, & ideo peccata illa non solùm non manent reservata ; verùm neque sunt materia necessaria Confessionis.

Rogas ; quid ergo, si Confessio nequidem fuerit valida ? Respondet ibidem, non tolli reservationem tempore Iubilæi, quia tunc Absolutio à peccato reservato conceditur per modum indulgentiæ & favoris ; & una ex conditionibus requisitis ad talem gratiam consequendam est, ut quispiam confiteatur, quod saltem intelligi debet de Confessione valida ; quia alia non est sacramentalis Confessio. Et ideo per illam nec remittitur culpa ; quia absolutio est nulla ; nec tollitur reservatio, quia non satisfit intentioni Superioris, neque Indulgentia ulla ab illo concessa comparatur. Hæc ille.

89. Quid dicendum sentiat Lugo.

Idem docet Card Lugo disp. 20. n. 109. quando pœnitens advertit defectum. Si autem non adverterit defectum, existimat probabile n. 110. quòd auferatur reservatio, saltem si postea cætera requisita ponat : quia, inquit, probabile est non peti necessariò Confessionem in ejusmodi Iubilæis, si pœnitens facto examine, judicat non esse sibi necessariam ; quia non invenit peccatum grave non confessum. Sed factâ illâ confessione invalidâ, jam pœnitens, facto examine, non invenit peccatum grave, quod debeat confiteri ; ergo si ponat alia omnia requisita, facit, quod exigitur ad obtinendam facultatem & privilegia, quæ in Iubilæo conceduntur. Ita Eminent.

Addit n. 113. etiamsi pœnitens advertat defectum Confessionis ; aliquando tamen posse habere intentionem lucrandi Iubilæum, & ponendi omnia requisita ; si v. g. habeat animum confitendi postea validè ante finem hebdomadæ ; & tunc videtur validè absolvi ab excommunicatione & censuris reservatis ; quia hæc absolutio priùs datur, quàm absolutio à peccatis, & ejus valor non dependet à valore futuræ absolutionis ; præsertim cùm dari possit extra Sacramentum. Hæc ille.

Quidni etiam tali casu auferatur reservatio peccatorum ? Probabile videtur Lugoni ibidem, eam auferri, quoties defectus non est in integritate circa ipsa reservata.

90. Quid dicendum de facultate concessa per Bullam Cruciatæ.

Et hæc quidem de privilegio concesso per Bullam Iubilæi. Porrò de facultate concessa per Bullam Cruciatæ, existimo, inquit idem Auctor n. 109. licèt confessio fuerit ficta vel nulla, nihil referre : quia facultas vel ablatio reservationis non ponitur à Confessario absolvente ; sed ab ipso Pontifice, positâ illâ unicâ conditione sumendi Bullam & dandi eleëmosynam. Cùm ergo conditio posita sit, jam pœnitens acquisivit jus, & privilegium eligendi Confessarium, qui eum absolvat ab omnibus reservatis, tunc incursis ; quod jus remanet in eo ratione conditionis positæ. Hæc ille

Itaque

In Jubilæo datur jurisdictio absolvendi à peccatis reservatis sub conditione validæ Confessionis.

Itaque in Iubilæo datur jurisdictio absolvendi à peccatis reservatis, sub conditione validæ Confessionis, vel præsentis, vel futuræ; & ideo virtute Iubilæi non tollitur reservatio peccatorum per Absolutionem, quam pœnitens novit invalidam, vel validam sed informem, nisi sub conditione validæ Absolutionis, seu Confessionis faciendæ, durante tempore Iubilæi, validæ, inquam, & formatæ, ut sic loquar; quia informis Absolutio non sufficit ad lucrandam Indulgentiam. Ita intelligo doctrinam Suarii, ut vera sit.

91. Quid dicendum de Absolutione à censuris reservatis.

Cæterùm quæ hactenus dicta sunt de Absolutione à peccatis reservatis, consimiliter dici debent de Absolutione à censuris reservatis, de quibus est eadem, si non major, ratio; cùm Absolutio censuræ, sicut statim dictum est, præcedat Absolutionem à peccatis, adeòque valida esse possit, licèt Absolutio à peccatis subsequens sit invalida.

Potest aliquis validè absolvi à censuris, etsi invalidè absolvatur à peccatis.

Ponamus casum, quòd aliquis pœnitens, post legitimam Confessionem peccatorum, absolutus ab excommunicatione & aliis censuris, ante Absolutionem à peccatis peccet de novo mortaliter; num, quia Absolutio à peccatis, defectu debitæ Contritionis, est invalida: ideo etiam erit invalida Absolutio à censuris? Quid si ergo Confessarius, ante datam Absolutionem à peccatis, moriatur, num idcirco Absolutio præcedens à censuris erit invalida? Non habet apparentiam veritatis; estò etiam vera foret sententia, quæ docet, virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi, non posse quempiam extra Confessionem absolvi à censuris; quia hæc Absolutio data est in Confessione, saltem legitimè inchoata.

92. Potest quis virtute Iubilæi vel Bullæ Cruciatæ absolvi à censuris extra Confessionem, *Villalobos.*

Immo extra omnem Confessionem posse dari, docet Villalobos to. 1. tract. 16. difficult. 20. n. 15. ubi sic ait: Sextò, circa alteram clausulam, quæ solet venire in Bullis & Iubilæis, quæ dicit, quòd possint absolvere, *Auditis eorum Confessionibus*, adverte, quòd est unum dubium inter DD. putà, si possit Confessarius, virtute illarum concessionum, absolvere à censuris extra Confessionem. Circa quod sunt duæ opiniones. Prima dicit, quòd non. Hanc tenent Navar. Corduba, Frat. Ludovicus Lopez & Suarez, fundantes se in verbis Bullæ, & etiam in eo, quòd Pius V. in Bulla Iubilæi, concessa an. 1568. declaret, quòd illæ Absolutiones debeant dari *in foro interiori & pœnitentiali.*

Navarrus. Corduba. Lud. Lopez.

Henriquez. Victoria. Pena. Medina.

Contrariam sententiam tenet Henriquez cum Victoria, Peña, Medina & Aliis, & dicunt, quòd sic declaraverit Commissarius Generalis Cruciatæ, & etiam P. F. Manuel. cum Armilla & Soto. Qui dicunt, quòd possit absolvere per Bullam à censuris extra Sacramentum Pœnitentiæ, & quòd illa verba: *Auditis eorum Confessionibus*, debeant referri ad Absolutionem à peccatis, quæ ibi conceditur, & non ad absolutionem à censuris; quia verba debent accommodari materiæ, de qua loquuntur, & sicut censuræ possunt absolvi extra Sacramentum, & non peccata, ita ad hæc debent referri, præsertim cùm absolutio à censuris semper præcedat Absolutionem à peccatis.

Manuel. Armilla. Soto.

93. Privilegium Principis est latè interpretandum. *cap. 16. de verb. signif. l. 3. ff. de Const.*

Et favet huic sententiæ, quòd privilegium Principis sit latè interpretandum, sicuti constat ex jure cap. *Olim.* 16. de verb. signif. ibi: *Cum beneficia Principum sint interpretanda largissimè.* Et leg. 3. ff. de Constit. *Beneficium Imperatoris, quod à divina scilicet eius indulgentia proficiscitur, quàm plenissimè interpretari debemus.*

Responsio ad quamdam Declar. Pontificis.

Ad Declarationem Pontificis respondent, eam habere locum in illo Iubilæo, in quo conceditur facultas tali modo, & non in aliis. Hæc secunda sententia mihi videtur magis probabilis, & potest practicari, licèt prima sit magis secura, & secluso omni inconveniente, melius sit eam sequi. Hucusque Villalobos. Quem sequitur Diana part. 1. tract. de Bulla Cruciatæ resol. 25. ubi plures Alios citat pro illa sententia, & etiam nobis magis probatur.

Quapropter estò admitterem (quòd non) ministrum delegatum non posse absolvere à peccatis reservatis, aut potiùs non posse directè tollere reservationem à peccatis, invalidè confessis, adhuc concederem, posse tollere reservationem censuræ; immo absolvere à censura reservata, & per consequens indirectè tollere reservationem peccati, cui censura annexa erat, saltem tunc, quando illud peccatum Confessario explicasset.

94. An absolvatur ab excommunicatione reservata, qui malitiosè tacuit causas. *Lugo.*

Quod addo; quia Lugo suprà n. 115. ait: Si pœnitens solùm explicat in genere excommunicationem reservatam, & malitiosè tacet causas, perinde erit, ac si taceret etiam excommunicationem. Sicut ergo qui malitiosè tacet excommunicationem, ab ea nullatenus absolvitur, ita etiam qui malitiosè tacet causas.

Dicastillo.

Quam doctrinam admittit Dicastillo suprà n. 179. nisi absolvens, qui alioquin potest absque ulla Confessione tollere excommunicationem, solâ positâ petitione Absolutionis, velit illum liberare à quavis excommunicatione, concedendo sinè limitatione Absolutionem pro omni casu, qualem pro aliquo effectu, & valore alicujus actûs Pontifices solent concedere, dum dicunt, se absolvere à quavis excommunicatione ad effectum præsentium dumtaxat. Hæc ille.

95. Potest Superior eum absolvere si velit.

Et indubiè, sicut Superior potest illum liberare à quavis censura tam reservata, quàm non reservata, tametsi nullam explicet, ne quidem in genere, ùt patet in exemplo Pontificis allegato; ita quoque, si velit, potest illum liberare à quavis excommunicatione, tametsi nullam in specie exprimat, sed malitiosè taceat causas.

An au-

Non videtur velle quando inquirit causam.

An autem velit, hoc est, quod quæritur; & cur non censeatur velle, quando expressâ excommunicatione in genere, simpliciter ab ea absolvit, non inquirens peccatum seu causam excommunicationis? Sin autem causam inquirat, & pœnitens malitiosè eam taceat, planè existimo absolutionem non valere, defectu intentionis absolventis, qui vult absolvere ab excommunicatione, annexa illi peccato, quod expressit pœnitens, & per consequens non vult absolvere ab excommunicatione, annexa alteri peccato, quod malitiosè tacuit.

Sed quid, si pœnitens, inculpabiliter oblitus peccati reservati, confiteatur alia, non reservata, Superiori, aut alteri habenti potestatem absolvendi à reservatis, num per absolutionem validam non reservatorum, censetur ablata reservatio peccati reservati?

CONCLUSIO VI.

Qui habet jurisdictionem in reservata, tollit reservationem à peccatis, inculpabiliter omissis, per validam absolutionem à peccatis non reservatis. Quod magìs verum est de omissis tempore Jubilæi, estò postea pœnitens illud non lucretur.

96. Fundamentum Concl.

HÆc Conclusio, utì præcedens, fundatur in præsumpta voluntate absolventis, qui potest, si velit, tollere reservationem à peccatis inculpabiliter omissis; an autem velit, hìc quæritur, & ab Aliquibus negatur; quia, inquiunt, reservatio ad hoc fit, ut peccata reservata exprimantur habenti potestatem in illa, ut de illis judicet, pœnitentiam & medicinam convenientem adhibendo, & ab eis directè absolvendo: ergo quando non exprimuntur, nec directè & distinctè explicantur, non satisfit eorum reservationi.

Ratio in oppositum.

Non convincit.

Sed hæc ratio non satìs convincit; licèt enim hic sit finis reservationis, tamen nemo negat, Superiorem posse tollere reservationem, sinè expressa Confessione peccati reservati. Probandum ergo manet, Superiorem per illam Absolutionem non velle liberare pœnitentem à reservatione peccati, inculpabiliter omissi.

97. Censura potest tolli solâ auctoritate Iudicis absolventis.

Et quidem, si agatur de peccato reservato cum censura, constat, censuram posse tolli solâ auctoritate Iudicis absolventis, tam in foro interno, quàm externo, sinè ulla Confessione, immo renitente ipso peccatore (nisi Privilegiarius per accidens habeat potestatem restrictam ad volentes aut petentes) ita ut nulla ampliùs maneat obligatio, explicandi talem censuram pro illo foro, in quo impensa est absolutio.

Quando Superior absolvit generaliter, censura nulla manet.

Quando ergo Superior absolvit à censuris, & habet intentionem absolvendi ab omnibus, à quibus potest absolvere, nulla manet nec reservata, nec non reservata, etiamsi pœnitens nullius meminerit, & per consequens, juxta magìs communem sententiam, tollitur reservatio ab omnibus peccatis sive confessis, sive non confessis, quæ erant reservata cum censura.

Atqui Superior per absolutionem generalem à censuris, his verbis expressam: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti in quantum possum & tu indiges*, quam præmittit Absolutioni à peccatis, vult auferre omnem censuram tam reservatam, quàm non reservatam, tam oblitam, quàm expressam; ergo per eadem verba tollit reservationem omnium peccatorum, cum censura reservatorum, sive expressa fuerint, sive oblita.

98. An etiam tollat reservationem peccatorum?

Ergo etiam tollit reservationem peccatorum, sinè censura reservatorum, sive expressa fuerint, sive oblita, utpote quæ communiter leviora sunt, quàm illa, quæ cum censura reservantur. Item, quia plus est velle tollere excommunicationem & reservationem culpæ, quàm solam reservationem.

Suarez.

Ita argumentatur Suarez disp. 31. sect. 4. n. 16. non quidem universaliter, sed in casu, quo Confessio fuit facta Superiori, vel habenti jurisdictionem ejus, ad finem exonerandi omnino conscientiam & consequendi Absolutionem peccatorum reservatorum, si quæ fortassè pœnitens habeat, & illam suam intentionem pœnitens manifestavit Superiori.

99. Probatur pars affirmativa in sensu quo est.

Hæc enim, inquit, intentio Superioris, sufficienter in eo casu colligitur ex eo, quòd sciens subditum ad ipsum accedere eâ intentione, ut quoad fieri possit, liber maneat ab omni onere peccatorum suorum, videnſque illum bonâ fide confiteri quidquid sibi occurrit, eumque simpliciter absolvens & satisfactionem imponens, satìs profectò indicat, velle illum liberum relinquere quantùm potest: cùm ergo possit tollere vinculum reservationis, illud tollit.

Confirmatur.

Et confirmatur; quia est hoc valde consentaneum rationi & pastorali muneri: quia jam ille subditus facit, quod in se est, & moraliter se præsentat Superiori quantum potest, & Superior imponit ei satisfactionem accomodatam, juxta moralem dispositionem ejus; ergo debet Superior esse illâ manifestatione contentus pro omnibus peccatis, usque ad illud tempus commissis. Ita Suarez n. 15.

100. Quid si delegatus sic absolvat?

Quòd debeat esse contentus, non puto; quòd autem censeatur esse contentus, nisi aliud explicet, benignè creditur; non solùm quando ipse Superior absolvit, sed etiam quando ipsius delegatus; hoc quippe modo potuit Superior committere vices suas, ut si vel ipse, vel alius, habens

habens potestatem in reservata, tali casu absolveret, relinqueretur peccatum illud sub generali lege & jurisdictione aliorum peccatorum mortalium.

Unde tunc peccatum illud non manet commissum cuicumque Sacerdoti; quia nec fuit directè per Absolutionem remissum, neque per talem modum fit specialis, &, ut sic dicam, positiva delegatio, sed solùm est quasi ablatio impedimenti; ac proinde, qui ante reservationem non poterat ab eo absolvere, neque poterit eâ ablatâ.

101. Quid si pœnitens concurrit ad Superiorem, & ei confitetur tamquam ordinario Confessario de peccatis communiter occurrentibus, absque ulla mentione vel intentione speciali casuum reservatorum. Et tali casu existimat Suarez suprà n. 18. Absolutionem simili modo datam non satis esse, ut peccatum oblitum, quod anteà erat reservatum, postea maneat non reservatum, & sine onere non confitendi illud Superiori.

Negat Suarez tolli reservationem.

Probat autem ratione, in principio Conclusionis allegatâ, existimans esse valdè absurdum, dicere, voluisse Superiorem tollere reservationem, cùm de casibus reservatis nihil omnino in ea Confessione ageretur, neque in ordine ad illos, sive certos, sive dubios, sive manifestos, sive occultos Absolutio postularetur.

102. Quem sequuntur Sanchez & Vasquez.

Hanc sententiam sequitur Sanchez lib. 8. de Matrim. disput. 15. n. 17. & Vasquez q. 91. a. 3. dub. 5. ubi n. 18. sic ait: Si loquamur de Sacerdote, qui habet jurisdictionem vel ordinariam vel delegatam in peccata reservata, sibi gratiâ sui concessam; falsissimum existimo, pœnitentem, qui oblitus fuit alicujus reservati tantùm, aut omnium reservatorum, sive alia confessus fuerit reservata peccata, sive tantùm communia, semper manere ita absolutum à peccatis, ut jam nulla reservata maneant.

Et n. 21. ex oppositâ, inquit, sententia sequeretur, quòd qui Pontifici, aut suis Pœnitentiariis, aut Religiosis mendicantibus, habentibus multa privilegia, aut Superiori in sua Religione, confiteretur unum peccatum reservatum inter alia communia, & non confiteretur aliud reservatum, quod habebat, ex oblivione, jam maneret liber ab obligatione illius, ut deinceps jam esset commune peccatum, quod apertè cum ratione pugnare videtur: immo etiamsi nullum reservatum ex oblivione confiteretur, sed tantùm communia, jam absolutus maneret à reservatione oblitorum; quòd enim explicet unum reservatum, vel nullum explicet, non videtur differentia, quia semper est intentio Superioris, auferendi peccata omnia, etiam reservata, quoad culpam; nunquam tamen est intentio tollendi reservationem ab oblitis, nisi aliunde hoc constet. Ita Vasquez.

103. Confirmatur à simili.

Confirmatur hæc sententia à simili: si quis obliviscatur mortalis alicujus non reservati, & indirectè ab eo absolvatur, non propterea eximitur ille ab obligatione illud confitendi habenti jurisdictionem supra mortalia; ergo &c.

Probatur Consequentia; quia sicut se habet peccatum reservatum respectu ordinarii Confessarii, ita se habet peccatum mortale respectu Sacerdotis, non habentis jurisdictionem in mortalia non confessa. Cùm ergo in utroque casu fuerit oblivio inculpabilis, in utroque facta sit Confessio ei, qui habebat jurisdictionem in peccata oblita; cur quæso in uno casu retroceditur, ut sic dicam, uno gradu ad Confessarium, qui non habet jurisdictionem in reservata; in alio verò non etiam retroceditur uno gradu ad Confessarium, qui non habet jurisdictionem in mortalia?

104. Opposita sententia est tuta in praxi, Arriagæ.

Hoc argumentum sic deductum, meo judicio, inquit Arriaga disp. 41. n. 4. esset evidentissimum, si res hæc non esset dependens à voluntate Superiorum, qui possunt pro libitu, hoc vel illo modo dare licentiam pro eis Absolutionibus, & in una materia negare, in altera, etsi omnino pari, concedere. Hinc præfatus Auctor ibidem; si pro praxi, inquit, sit considerandâ hæc difficultas, cùm sententia prima (quæ est Conclusio nostra) sit adeò communis, est sinè dubio tutissima in praxi; adeòque sinè ullo scrupulo potest quis ei se accommodare.

quæ hîc maximè attendendâ est.

Et ideo nos eam elegimus, quia in his quæstionibus magis attendenda est praxis, quàm speculatio. Quamquam ex praxi, etiam speculativa veritas Conclusionis nostræ non modicum probetur; cùm enim, ut præcedenti Conclusione adhuc dixi, Superiores sciant communem sententiam, sciant praxim conformem, & taceant, cùm possent uno verbo suam voluntatem significare, & significando litem dirimere, consentire videntur communi sententiæ; adeòque velle, quod possunt, id est, velle auferre reservationem peccati inculpabiliter omissi; intelligo omissum sive ex oblivione, sive ex alia justa causa; quæ enim ratio differentiæ?

105. Ratio hujus sententiæ ex Lugone.

Hanc sententiam amplectitur Lugo disput. 20. n. 91. reddens rationem universalem n. 95. quia quoties subditus bonâ fide, & cum simplicitate confitetur Superiori, & detegit ei latebras cordis sui, jam facit quantum est ex se, ut Superior adhibeat ejus conscientiæ remedia necessaria; non est ergo cur non sit contentus Superior ejusmodi manifestatione, & tollat reservationem.

Certè non est credibile, quòd si subditus fecit Confessionem generalem totius vitæ cum Superiore, velit adhuc Superior obligare illum, ut quoties ei aliquid occurrerit, circa illam Confessionem addendum, v. g. circa aliquam circumstantiam non satis explicatam, vel quid simile, toties redeat ad ipsum. Quid enim si cum Pontifice Summo vel ejus Summo Pœnitentiario facta esset Confessio? Numquid hi etiam volunt, ut redeat pœnitens ad ipsos, quoties oritur aliquod dubium circa ea, quæ explicari debebant?

106. Confirmatur. Confirmatur; quia si subditus explicitè diceret, se desiderare absolvi ab omni vinculo, quantùm fieri posset, jam Superior præsumeretur velle auferre reservationem, ùt fatetur Suarez. Sed quoties confitetur Prælato, desiderat & petit implicitè Absolutionem & remissionem majorem, quam habere potest; ad hoc enim venit omnis pœnitens ad Confessarium, ut solvatur quantum fieri possit: ergo præsumitur etiam Superior velle solvere quantum potest juxta desiderium pœnitentis. Cur enim non præsumemus, eum velle facere id, quod faceret absque ulla difficultate, quoties à pœnitente explicitè peteretur? Certum est autem, quòd si subditus dicat: *Pater, ego non sum mihi conscius alicuius casûs reservati; sed tamen ad cautelam desidero solvi à vinculo reservationis*, Superior hoc illi nunquam in Confessione negaret; ergo cum magno fundamento præsumimus, ita velle absolvere semper, ut solvat quantùm potest. Hucusque Eminent.

107. Contra hanc confirmationem arguit Auctor. Sed quod ipse certum vocat, de hoc ego valde dubito: fortè enim non pauci Superiores invenirentur, qui dicerent: *Fili, quando occurrerit memoriæ casus reservatus, venias ad me, quia hoc tibi melius est, ut accipias salutaria monita & congruam pœnitentiam ac medicinam, quàm ut cuilibet alteri confitearis.* Deinde multi inveniuntur Superiores, qui rogati licentiam, hoc vel illud faciendi, libenter eam subditis concedunt, qui tamen planè sunt inviti, ut absque prævia interrogatione, subditi hæc vel ista faciant.

Arriaga. Si in re dubia (inquit Arriaga suprà n. 5.) divinare licet, profectò dicerem, majorem partem Superiorum non habere eam voluntatem, quando planè pœnitens nihil de reservatis dicit; & reverà, si antequam de hac quæstione tractassem, contigisset me esse Superiorem, interrogatusque essem post auditam talem Confessionem, utrùm in tali casu saltem implicitè voluissem auferre reservationem, ego sinè ulla omnino dubitatione dixissem, nullo modo me id voluisse, immo nec ea de re cogitasse. Rogo ergo, vi cujus voluntatis tunc temporis debuisset censeri ablata ea reservatio in eo, qui mihi ita confessus fuisset? Non ex aliqua lege aut voluntate altiori, quia si talis esset lex, tunc cessaret tota quæstio; non item ex voluntate actuali, quia talem non habui; non ex præsumpta, quia potiùs contraria præsumeretur: ergo &c.

Et quoad hoc est satis magna differentia inter Absolutionem ab excommunicatione, & Absolutionem à peccatis: nam ab excommunicatione absolvo, estò planè nihil de ea mihi dicatur, & verba ipsa denotant, me velle absolvere in quantum possum, & pœnitens indiget: unde quoad hanc Absolutionem per accidens omnino est, quòd excommunicatio sit occulta Sacerdoti. Aliter in peccatis contingit, quia ab iis non absolvo directè, immo nec possum, nisi quatenus sunt mihi dicta; ergo absolutio illa non est directa: per indirectam autem non tollitur reservatio, ùt patet, quando non recordatus peccati reservati, confiteor alia ordinario Confessario; tunc enim etiam indirectè absolvor à reservatis, & tamen non tollitur reservatio. 108. Differentia quoad hoc inter absolutionem ab excommunicatione & à peccatis.

Quòd autem Superior habeat potestatem ad tollendam reservationem, nihil probat; quia in verbis absolutionis, neque in intento, quo illa proferuntur, quidquam includitur de ablatione reservationis: eo enim casu, diversum quid est: *Absolvo te sacramentaliter à tuis peccatis*, etiamsi addat, *in quantum possum*; & aliud longè: *Tollo tibi reservationem eorum, quæ es obnoxius*: hæc enim ablatio propriè loquendo non est actus sacramentalis; quomodo ergo quæso illa licentia confitendi ea cuilibet, poterit inferri ex Absolutione sacramentali? Ita interrogat Arriaga.

Respondet Bonæ Spei hìc disp. 10. n. 94. quia Confessarius semper virtualiter intendit, absolvendo non peccare; peccaret autem, non intendendo illàm licentiam. Sed hoc ego non credo sinè probatione. Illam ergo expectabo à præfato Auctore. Bona Sp.

Interea Respondeo ad interrogationem Arriagæ; poterit inferri non præcisè ex Absolutione sacramentali, sed ex Absolutione sacramentali data à Superiore, seu alio habente potestatem in reservata, qui non solùm intendit absolvere sacramentaliter, sed etiam tollere omnia vincula peccatorum in quantum potest; unum autem est reservatio, quam potest tollere, estò planè nihil de illa ei dicatur, simili modo, quo potest tollere excommunicationem; ergo vult reservationem tollere; ergo eam tollit per illa verba: *Ego te absolvo à peccatis tuis*, quæ significant non solùm sacramentalem Absolutionem, sed etiam ablationem reservationis, ùt patet, quando per invalidam absolutionem tollitur reservatio peccati confessi, juxta dicta Conclus. præcedenti. 109. Explicatur ratio Arriagæ.

Quàmvis ergo ablatio reservationis proprièloquendo non sit Absolutio, sed neque actus sacramentalis, quia totum Sacramentum fieri potest perfectissimè, sinè ea ablatione, Ablatio reservationis non est pars Absolutionis.

tione, ùt patet, quando pœnitens nullum habet peccatum reservatum; & è contrario tota ablatio reservationis fieri potest sinè ullo Sacramento, ùt Omnes fatentur; equidem non repugnat, quòd Superior eisdem verbis absolvat sacramentaliter, & etiam tollat reservationem peccatorum: immo de facto fit, quando pœnitens expresè significavit Superiori voluntatem suam, accipiendi Absolutionem à reservatis, si fortè alicujus fuerit oblitus.

110. Objectio. Fateor, inquis, sed tunc aliunde, quàm præcisè ex illis verbis constat de intentione Superioris; in hoc autem casu nihil aliud adfertur pro præsumptione illius intentionis.

Solvitur. Respondeo; adfertur absolutio generalis à censuris, per quam tollitur reservatio à peccatis reservatis cum censura; & à fortiori idem dicendum est de peccatis reservatis sinè censura, ùt suprà vidimus ex Suario, qui sentiens difficultatem hujus argumenti,

Prima responsio Suarii ad hanc solutionem. Respondet Primò Neg. Assumptum; scilicet per illam absolutionem tolli censuram reservatam; quia juxta cap. 2. de Pœnit. & remiss. in 6. sub generali clausula non comprehenduntur, quæ specialia sunt. Et ideo qui dat potestatem generalem, ad absolvendum à censuris, non censetur illam dare; ad absolvendum à censuris reservatis: ergo similiter qui absolvit tantùm generatim ab excommunicatione, non censetur absolvere à reservata.

111. Impugnatur. Sed contrà; cap. 2. de Pœnit. & remiss. in 6. pro ratione decisionis, ibi factæ, non allegatur, *Quia sub generali clausula non comprehenduntur, quæ specialia sunt*, sed: *Cùm in generali concessione illa non veniant, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus.*

Ex quibus verbis sic argumentor contrà Suarium; si pœnitens expresè petiisset absolutionem ab excommunicatione reservata, verisimiliter Superior eam concessisset, ùt ipse admittit; ergo in generali concessione illa venit: si enim non veniant; quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus, à contrario sensu illa veniunt, quæ esset quis verisimiliter in specie concessurus.

Sanè, ùt ibidem bene notat Suarez, illa absolutio ab excommunicatione præmitti solet, in ordine ad Absolutionem sacramentalem concedendam: ad hunc autem finem necessarium est tollere, non tantùm excommunicationes non reservatas, sed etiam reservatas; ergo omnes tolluntur, quia licèt sub generali clausula non soleant specialia comprehendi, tamen quando sunt connexa, in ordine ad finem intentum, necesse est comprehendi. Hæc ille.

112. Secunda responsio Suarii. Et ideo respondet 2. per talem absolutionem auferri excommunicationem etiam reservatam; non tamen simpliciter; sed tantùm ad illum effectum obtinendi Absolutionem sacramentalem à peccatis confessis, & ideò post illum effectum statim excommunicationem redire. Unde in hujusmodi Absolutione multi dicere solent: *Absolvo te in quantum possum, & indiges*: cùm ergo ad illum effectum non sit necessarius alius modus absolutionis, non est cur concedamus, alio modo auferri per generalem tantùm absolutionem.

Vel si hoc nimis rigorosum videtur, saltem dici posset, in eo casu non tolli excommunicationem, in ordine ad reservationem peccati tollendam, sed generali quodam modo; & ideo limitandum seu explicandum esset illud axioma; quòd ablatâ excommunicatione, auferatur reservatio culpæ, ut intelligatur, quando auferitur excommunicatio reservata, ùt talis est, seu intuitu reservationis; non verò si solùm generali illo, & quasi materiali modo tollatur: nam incredibile est, per talem absolutionem auferri reservationem culpæ, in ordine ad forum Pœnitentiæ; est enim id contra finem, per talem reservationem intentum. Hucusque Suarius.

Sed contrà: finis, per talem reservationem intentus, est disciplina populi Christiani; ùt patet ex Trident. sess. 14. c. 7. ibi: *Magnopere verò ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina, non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur.* Iam autem ad istum finem satis est, ut, per se loquendo, debeant atrociora & graviora crimina aperiri summis Sacerdotibus, ad imponendam satisfactionem, & medicinam adhibendam; alioquin etiam contra finem reservationis faceret Superior, qui tolleret reservationem, quando subditus petit expresè ad cautelam Absolutionem à reservatis: cùm nec tunc imposuerit satisfactionem, nec medicinam adhibuerit, & tamen Omnes admittunt, tali casu per Absolutionem à peccatis non reservatis, Superiorem tollere reservationem à reservatis; ergo similiter in casu nostro.

113. Impugnatur. Enimvero cùm peccata illa atrociora & graviora rariùs excidant memoriæ, per accidens planè contingit, quòd aliquis sinè impositione congruæ pœnitentiæ, & adhibitione specialis medicinæ ab eis absolvatur; & aliunde, quòd debeant illa per se loquendo aperire Superiori, sufficienter eos retrahit & coërcet à peccatis istis atrocioribus & gravioribus, cùm, sicut dixi, rariùs eveniat, ut eorum obliviscantur, aut aliàs inculpabiliter omittant in Confessione aliorum peccatorum: ergo non est incredibile, per talem absolutionem auferri reservationem culpæ, in ordine ad forum Pœnitentiæ.

114. Quomodo intelligendum, quòd ablatâ ex- Et ideo non est limitandum seu explicandum illud axioma, quòd ablatâ excommunicatione, auferatur reservatio culpæ, ut illud limitat Suarius; sed simpliciter intelligendum, sicuti

communicatione, auferatur reservatio culpæ.

sicuti ab Aliis intelligitur de ablatione excommunicationis reservatæ, etiam ùt talis est, nisi Superior aliud expresè declaret. Non declarat autem per illa verba: *Absolvo te in quantum possum & indiges*; quia licèt non sit necessaria absolutio ab excommunicatione reservata, ùt talis est; equidem Superior potest eam dare, & non tantùm absolvit, in quantum debet absolvere, sed etiam in quantum potest absolvere.

115. Quare Confessor dicat: Absolvo te in quantum possum,

Deinde dicit Confessarius: *Absolvo te in quantum possum*; quia potest fieri, ut indigentia pœnitentis superet potentiam absolventis, v.g. si pœnitens habeat censuram reservatam, & Confessor tantùm possit absolvere à censura non reservata.

& indiges.

Addit: *Et indiges*; quia non potest absolvere, nullatenus absolutione indigentem; porrò in casu proposito, pœnitens indiget absolutione à censura reservata; ergo ab illa vult Superior absolvere, & ex consequenti (licèt hoc non sit necessarium pro Absolutione sacramentali) vult tollere reservationem peccati, argum. Reg. 42. de Reg. juris in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis*; tali autem casu reservatio peccati est quasi accessoria ad reservationem censuræ.

Reg. 42. de Reg. juris in 6.

116. Censuræ oblitæ directè tolluntur per absolutionem generalem ex Suario.

Hinc Suarius de Cens. Disput. 7. Sect. 5. n. 19. absque ulla limitatione ait: Hâc ergo ratione, censuræ oblitæ, etiamsi reservatæ sint, per se directè tolluntur per absolutionem generalem censurarum, datam ab eo, qui potestatem habet vel ex se, vel per privilegium, vel virtute Iubilæi, & consequenter etiam tollitur culparum reservario. Atque ita sentiunt communiter Scriptores, ùt refert & sequitur Covarruvias in cap. *Alma*, part 1. §. 11. n. 12. ubi citat Paludanum, Gabrielem, Adrianum, Angelum, Sylvestrum & Navarrum. Idem Navarrus in Sum. c. 26. n. 13. ubi Alios refert. Hæc ille. A qua sententia communi non debemus recedere, propter illa verba: *In quantum possum, & indiges*; neque propter finem reservationis, ùt patet ex dictis.

Covarr. Palud. Gabriel. Adrianus. Angelus. Sylvester. Navarrus.

Si autem Superior vult tollere reservationem à peccatis reservatis cum censura, quæ ordinariè atrociora sunt, etiam vult eam tollere à peccatis reservatis sinè censura: quia vult illum, qui bonâ fide confitetur, absolvere ab omni prorsùs vinculo in quantum potest, & confitens indiget; indiget autem ablatione reservationis à peccatis oblitis, ne cum magno suo incommodo rursùm teneatur accedere Superiorem pro Absolutione directa ab illis peccatis.

117. Objectio,

Si inferas; ergo etiam tollit vinculum peccati mortalis obliti, ut possit deinceps confiteri simplici Sacerdoti, ùt suprà argumentabatur Arriaga,

Diluitur,

Resp. Neg. Conseq. quia quàmvis Superior hoc posset facere, tamen sic velle facere, unde probatur? Nam hactenus nemo talem voluntatem scripto aut verbo expressit, cùm tamen communis sententia constanter affirmet voluntatem auferendi reservationem.

Alia Solutio.

Deinde disparitas est; quòd simplex Sacerdos nunquam habuerit jurisdictionem absolvendi ab illo peccato mortali, adeòque necessarium foret concedere novam jurisdictionem; quo facto, jam ille Sacerdos non absolvet, ùt simplex Sacerdos, sed ùt Confessarius, delegatus à Superiore, ad Absolutionem talis peccati; non est autem verisimile, Superiorem per suam Absolutionem velle dare potestatem delegatam cuicumque simplici Sacerdoti.

At verò in casu nostro non conceditur nova jurisdictio, quasi Confessarius per illam Absolutionem fiat delegatus Superioris, sed tantùm tollitur vinculum aliquod jurisdictionis præexistentis; quo ablato, eodem jure sive ordinario, sive delegato, quo anteà talis Confessarius absolvebat ab illo peccato, eodem, inquam, jure jam absolvit. Ergo sicut se habet peccatum reservatum respectu Confessarii, non ita se habet peccatum mortale respectu Sacerdotis simplicis.

118. Quòd dari debeat facultas pro casu illi

Quæ cùm ita sint, dico rursùm; satis probabile esse, quòd etiam delegatus tollat reservationem à peccatis reservatis, inculpabiliter omissis, per validam Absolutionem à peccatis non reservatis. *Quod magis verum est* (ùt habet sequens pars Conclusionis) *de oblitis tempore Iubilei*: sive generaliùs loquendo, quando aliquis absolvitur virtute privilegii in favorem suum concessi, quod privilegium vel uno actu extinguitur, vel ad certum tempus limitatur, intrà quod pœnitens quidem confitetur & absolvitur, alicujus tamen peccati reservati oblivisci tur.

Tenetur manere in statu gratiæ

Tunc enim, inquit Suarez disp. 31. sect. 4. n. 20. dicendum est, illum manere liberum à reservatione, ut possit postea illud peccatum confiteri cuilibet simplici Sacerdoti, habenti communem jurisdictionem. Ratio est; quia Superior concedens facultatem hanc in favorem pœnitentis, quantùm in se est, voluit illi auferre reservationem, si illo privilegio intrà signatum tempus uteretur ad Indulgentiam consequendam; sed pœnitens etiam, quantum in se est, usus est illo privilegio; ergo &c. Et licèt per accidens, propter oblivionem, non fuerit directè absolutus sacramentaliter à peccato reservato intrà illud tempus, tamen, ùt ita dicam, acquisivit jus per ipsum Iubilæum, ut posset postea liberè confiteri tale peccatum. Ita Suarez & Alii communiter.

119. An præcisè per ipsam Absolutionem tollatur reservatio,

Differentia tantùm est inter DD. an præcisè per ipsam Absolutionem tollatur reservatio, ita ut si non fuisset confessus, vel quia putabat se non habere ullum peccatum mortale, non priùs remissum per aliam Absolutionem, vel quia

quia non habebat copiam Confessarii, an, inquam, etiam tali casu possit, transacto Iubilæo, absolvi à peccatis reservatis per ordinarium Confessarium.

Negat Diana. Negat Diana part. 3. tract. 4. resol. 150. quia, inquit, non fuit ullo modo ablata reservatio, cùm nulla Absolutio peccatorum data fuerit: non enim Iubilæum tollit ipso facto reservationem, sed tantùm confert facultatem Confessario electo, illam auferendi media Absolutione, quæ in casu nostro non est data. Ergo &c.

120. Citans Sanchium & Suarium, sed perperàm. Pro hac sententia citat Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 15. n. 21. & Suarium disp. 31. sect. 4. n. 9. & 24. Sed perperàm; nam Suarez locis citatis nihil dicit de hac re: Sanchez autem loquitur de pœnitente, qui defectu Confessionis non obtinuit Iubilæum, sic quippe ait: Hoc tamen intelligo (loquitur de peccatis oblitis tempore Iubilæi) si aliquam Confessionem tempore Iubilæi præmiserit pœnitens: secùs si nullam præmisit, eò quòd non haberet conscientiam culpæ lethalis. Quia non est ablata reservatio illa, nisi per Absolutionem sacramentalem, tempore Iubilæi factam, aut eo transacto, virtute ejus faciendam. At nulla tempore Iubilæi facta est, nec eo transacto impendi potest; quia privilegium vim non habet, eò quòd Iubilæus non est comparatus.

Et confirmatur; quia Iubilæus non aufert ipso facto reservationem casuum, sed confert Confessario facultatem auferendi mediâ Absolutione, quæ tunc non est impensa, nec modò impendi valet. Hæc ille. At verò Dia. agit de pœnitente, qui consecutus est Iubilæum, non tamen confessus.

121. Arriaga putat Sanchii docuisse sententiam Diana. Sed nunquid sententiam Dianæ docet Sanchez in Sum. lib. 4. c. 34. n. 46.? Affirmat Arriaga disp. 29. n. 11. Nam, inquit, tribus aut quatuor numeris antè agebat supponendo, sinè Confessione posse obtineri Iubilæum, ubi necessariò in tali homine, habente reservata, debebat supponere, habuisse tunc Contritionem, quandoquidem si in mortali mansisset, non potuisset acquirere Iubilæum; ergo quando postea n. 46. nullâ mentione factâ defectûs alterius operis, requisiti pro Iubilæo, sed solâ deficiente Confessione, ait, posteà non posse eum hominem absolvi ab eis casibus reservatis, quorum fuerat oblitus, loquitur clarè, supponendo illum habuisse Contritionem; alioquin extra controversiam esset, quòd non potuisset Iubilæum obtinere; ergo concedit etiam eum, qui lucratus est Iubilæum, non posse postea absolvi. Ita Arriaga.

Addicque: Fateor Sanchez sibi esse intrà duas columnas planè contrarium, quod valde miratus sum.

122. Sanchez Respondeo; valde mirum foret, virum tam doctum intrà duas columnas sibi esse planè contrarium; & ideo dico, nullatenus sibi esse contrarium; nam n. 46. expressis verbis supponit, Iubilæum non fuisse comparatum, ibi: Cùm ergo nulla tunc impensa fuerit (Absolutio) nec modò impendi valeat, eò quòd Iubilæus non est comparatus, manebit reservatio. Quid clariùs? non est sibi ipsi contrarius.

At verò n. 41. sic scribit: Secundò deducitur, retentâ opinione probabili, dicente, non esse necessariam Confessionem ad lucrandum Iubilæum, quando quis sufficienti examine præmisso, se à culpa lethali liberum reperit, dicendum subinde esse, hunc qui nullam Confessionem tunc fecit, bene tamen alia opera in Iubilæo præscripta, posse transacto Iubilæo à peccatis reservatis oblitis Absolutionem & votorum commutationem reservatorum, & aliorum in Iubilæo concessorum, obtinere: quod tum Aliquibus defendi lib. 8. de Matrim. disput. 15. n. 19. Quia (ùt diximus n. 39.) semel obtentus Iubilæus dat jus omni tempore eligendi Confessoris pro iis, quæ usque ad finitum Iubilæi tempus reservata sunt. At oppositum est probabilius, eò quòd sit communius & probabilius, hunc non lucrari Iubilæum, ùt dixi. Hactenus Sanchez.

Igitur n. 46. non docet planè contradictorium, ùt falsò ait Arriaga suprà n. 12. sed respondet secundùm sententiam, quam ipse n. 41. judicaverat probabiliorem. Manet ergo tam Suarium, quam Sanchium malè citari à Dia. pro sua sententia.

123. Melius citatur Henriquez pro sententiâ Diana. Melius citatur Henriquez lib. 6. cap. 16. n. 6. ubi generaliter asserit: Si tempore Iubilæi, qui venialium tantùm meminerat, nullam fecit Confessionem, eo lapso non potest à priùs reservatis absolvi; quia jam expiravit delegationis tempus. Et lib. 7. cap. 10. n. 8. docet, ei, qui habet solùm venialia, non opus esse, ut confiteatur pro lucranda Indulgentia. Satis, inquit, est, in fine hebdomadæ seu in Dominica confiteri ante Communionem, si habet conscientiam peccati mortalis.

Clariùs in Gloss. ibi: Greg. XIV. anno 91. in Iubilæo adjecit, ut Communio fiat in sequenti Dominica post Sabbathum, aut in alio die sequentis hebdomadæ; quare qui in 2. hebdomada fecerunt diligentias, possunt communicare etiam alio die 3. hebdomadæ. Ita declaravit Episcopus præmissâ consultatione cum Sapientibus Salmant. At si habent tantùm venialia, non opus est confiteri pro Indulgentia. Navar. not. 30. n. 6. cum Ant. 1. p. tit. 20. c. 3. §. 5. Gloss. in Extravag. 1. de Pœnit. & remiss. Hæc ille.

124. Ut etiam Portel. Consimiliter loquitur Portel (quem etiam adfert pro se Diana) verb. *Indulg. pro Iubilæo.* n. 19. ibi: Unde colliges, quòd si pro Iubilæo lucrando non est confessus, quia non habet mortale; ùt Aliqui dicunt, posse facere (& nos olim diximus hoc eodem verbo n. 6.) iste talis

non poterit postea absolvi ab illo reservato, quia non est ablata reservatio illa.

Meritò ergo illi duo Auctores citantur pro sententia Dia. nisi velis eos explicare de illo, qui non solùm non fuit confessus, sed nequidem elicuit actum perfectæ Contritionis, adeoque non fuit justificatus, per consequens non potuit lucrari Iubilæum.

125. Opposita sententia videtur verior.

Cæterùm verior nobis apparet sententia affirmans, eum, qui consecutus est Iubilæum, estò non fuerit confessus, quia peccati mortalis non erat sibi conscius, vel ob aliam causam, transacto Iubilæo, à peccatis reservatis, ante illud commissis & oblitis, absolvi posse ab illo Confessario, à quo poterat absolvi tempore Iubilæi.

Diana. Sanctarellus, Dicastillo. Sanchez, Suarez.

Quam sententiam probabilem vocat Diana suprà, citans pro ea Sanctarellum de Iubilæo c. 13. dub. 2. & Alphonsum de Leone tract. de Iubilæo part. 2. q. 17. n. 197 quos sequitur Lugo disp. 20. n. 102. Arriaga dip. 29. n. 12. & Dicast. disp. 11. n. 165. estque doctrina Sanchii suprà n. 41. sed & Suarez suprà n. 20. eam indicat, dicens in fine, post verba superiùs à nobis relata: Et hæc est differentia inter hunc, qui hoc modo confessus est, & usus privilegio intrà tempus signatum, & alium, qui nullo modo lucratus est Indulgentiam, nec est confessus tempore in Iubilæo præscripto. Hæc ille.

126. Ergo si aliquo modo lucratus fuisset Indulgentiam, estò non fuisset confessus, nulla foret differentia; sed posset, transacto Iubilæo, absolvi ab omnibus casibus oblitis, absolvi, inquam, ab eodem Confessario, à quo poterat absolvi tempore Iubilæi; quia jam obtinuit privilegium, ut à casibus reservatis absolvatur, quod privilegium ad Iubilæi tempus non est limitatum magis, quàm privilegium, ut vota, ante Iubilæum emissa, dispensari possint aut commutari: sicuti ergo hoc privilegio uti potest, qui Iubilæum obtinuit, etiam eo transacto, ùt communiter docent Theologi; ita & privilegio Absolutionis à peccatis reservatis. Quæ enim ratio disparitatis?

Probatio ejus.

Quia, inquis, Iubilæum non tollit ipso facto reservationem peccatorum, sed tantùm confert Confessario electo facultatem, illam auferendi mediâ Absolutione, quæ in casu nostro non existit.

127. *Si Iubilæum obtentum ipso facto tollit reservationem votorum, etiam peccatorum.*

Respondeo, & quæro; Iubilæum tollit ipso facto reservationem votorum? Si affirmaveris, affirmo & ego, Iubilæum obtentum ipso facto tollere reservationem peccatorum, ut proinde nemo mirari debeat, ordinarium Confessarium posse absolvere post Iubilæum transactum à peccatis alioquin reservatis; quia jam tunc reverà reservata non sunt, ablatâ per Pontificem reservatione, eodem modo, quo vota, Iubilæo obtento, non ampliùs sunt reservata, ablatâ per Pontificem reservatione, & ideo per ordinarium Confessarium commutari aut dispensari possunt, etiam Iubilæo transacto.

Dixi: *Iubilæum obtentum*; quia Iubilæum, dumtaxat obtinendum, non aufert ipso facto reservationem à peccatis oblitis (de his enim loquimur) sed mediâ Absolutione ab aliis peccatis, non præcisè quia per illam Absolutionem indirectè remittantur peccata oblita, sed quia Confessarius vult pœnitentem liberare ab omni vinculo quantum potest, & ipse indiget: potest autem non tantùm absolvere directè à reservatis, sed etiam tollere reservationem ab illis peccatis, à quibus defectu Confessionis non potest directè absolvere; non censetur autem tollere nisi per Absolutionem sacramentalem, juxta DD. communiter. 128. Iubilæum obtentum ipso facto non tollit reservationem, nisi dependenter à Iubilæo.

Hinc si quispiam non confiteatur, quia non recordatur alicujus peccati mortalis, nisi sinè Confessione lucretur Iubilæum, non potest, transacto Iubilæo, peccatum reservatum confiteri ordinario Confessario; quia neque à Pontifice immediatè reservatio fuit ablata, utpote qui non aufert reservationem, nisi sub conditione Iubilæi obtenti, neque à Confessario, ùt supponitur.

Arriaga disp. 29. n. 12. putat, reservationem non auferri à Confessario, aut per Confessionem, sed antecedenter per ipsum Pontificem: aufertur enim (inquit) ad hoc, ut ego possim ad quemlibet accedere, & jam facta sunt peccata omnia ejusdem rationis: Confessarius enim dans Absolutionem, non facit sibi potestatem, ut possit absolvere, sed utitur data à Papa, & tollit peccata quoad culpam, non quoad reservationem. Hæc ille. 129. An remittatur per Confessionem. Arriaga.

Respondeo; tollit peccata confessa, concedo; oblita, nego: hæc enim non potest directè tollere quoad culpam; ergo si aliquo modo tollit virtute Iubilæi, necessariò tollit quoad reservationem. Quòd autem aliquo modo tollat, probatur ex jam dictis; quia si præcesserit Absolutio, potest transacto Iubilæo ea directè absolvere quoad culpam; *Esto*, ùt habet ultima pars Conclusionis, *pœnitens postea Iubilæum non lucretur*; secùs si non præcesserit Absolutio.

Igitur per Absolutionem tollitur reservatio à peccatis oblitis, si non ùt per causam formalem, saltem ùt per conditionem sinè qua non; id est, Pontifex non intendit auferre reservationem peccatorum, nisi dependenter à Iubilæo vel in re acquisito, vel saltem inchoato per bonam Confessionem, ex animo illud acquirendi. Quamquam hoc ultimum, quando re ipsâ deinde non ponuntur cetera requisita, non careat difficultate. 130. Pontifex non intendit reservationem, nisi dependenter à Iubilæo.

Quæstio hæc, inquit Arriaga disp. 29. n. 8. utpote pendens unicè à mente Pontificis, concedente Indulgentiam, qui sinè dubio potuit reincidentiam reservationis intendere in pœnam mutati animi, & qui potuit tollere reservationem 131. An tollat animus in eventum Iubilæum?

vationem sinè ullo eo onere, solo contentus serio animo lucrandi Iubilæi, non potest à nobis, nisi (ùt sic dicam) divinando de ejus mente, decidi.

131. Sententia Arriagæ.

Ego quidem (ut verùm fatear) satìs propendeo ad judicandum, tacitè intelligi eam reincidentiam; quia illa reservatio solùm est ablata in ordine ad finem Iubilæi, neque videtur rationi conforme, ut per eam fraudem obtineat talis homo tantum favorem, si non impleat cætera, quæ sunt odiosa. Nihilominus, saltem propter auctoritatem extrinsecam, dicendum est, non redire; quia cùm reditus hic sit odiosus, non debet concedi, nisi verba ipsa Bullæ eum contineant.

Ad rationem ergo in oppositum dico; eo ipso quòd, dum fit Confessio, requiratur serium propositum obtinendi Iubilæi, non posse esse fraudem ullam, saltem eo tempore: quòd autem deinde mutet animum, est per accidens; & verò saltem est obtentus ille finis, quòd fuerit hic homo rectè dispositus ad gratiam, & se Deo reconciliaverit; per quod licèt Indulgentiam non obtinuerit, effecit saltem multùm ad obtinendum à Deo id, quod per tale Iubilæum intenditur, nempe placare Deum &c. Hucusque Arriaga.

quam approbat Auctor, si intelligatur de peccatis directè absolutis.

Satìs verè, si intelligatur de peccatis reservatis confessis & directè absolutis, cùm gravissimum onus sit, iteratò confiteri hæc peccata, habenti potestatem in reservata; quod onus haud imponendum judico, nisi clariùs & expressiùs de illo constet, cùm alioquin non censeantur pœnitentes in illud consentire; qui tamen consensus requiritur, ut Pontifex imponat obligationem iteratæ Confessionis eorumdem peccatorum, semel directè per Absolutionem sacramentalem remissorum, ùt constat ex dictis Disp. 7. Sect. 6. Conclus. 5.

132. Probatio.

Mirum ergo foret, si Pontifex vellet reincidentiam reservationis, quòd expressis verbis eam non significaret; veluti significavit reincidentiam in eandem censuram, à qua in articulo mortis pœnitens absolutus fuit per simplicem Sacerdotem, si cessante periculo mortis, contempserit se præsentare Superiori, à quo aliàs absolvi debebat; cap. 22. de Sent. Excom. in 6. ubì sic ait Bonif. VIII. *Eos qui à sententia Canonis vel hominis (cùm ad illum, à quo aliàs de iure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolvuntur: si cessante postea periculo, vel impedimento huiusmodi, se illi, à quo bis cessantibus absolvi debebant, quàm citò commodè poterunt, contempserint præsentare ..... Decernimus (ne sic censuræ illudant Ecclesiasticæ) in eandem sententiam recidere ipso iure.* De quo infrà latiùs.

cap. 22. de Sent. excom. in 6.

Nihil autem simile in jure exprimitur de peccatis vel censuris, virtute Iubilæi absolutis, si postea pœnitens, vel ex malitia, vel ex aliqua rationabili causa Iubilæum non lucretur, utì tamen facilè in Bulla Iubilæi exprimi posset, si illa foret mens Pontificis.

Et ideo contra Pontificem est interpretatio facienda; argum. Reg. 57. de Reg. juris in 6. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.* Præsertim cùm Reg. 49. eodem dicat: *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* Hæc autem reincidentia reservationis pœna esset. Cùm ergo de illa non clarè constet ex verbis Bullæ, non est imponenda juxta Reg. 30. eodem: *In obscuris minimum est sequendum.* *Reg. 57. 49. & 30 de Reg. juris in 6.*

133. An idem dicendum de peccatis oblitis?

Quæ ratiocinatio idem probat de peccatis oblitis; quàmvis de his posset esse major difficultas, cùm nondum directè absoluta sint, & ideo non imponatur grave illud onus iteratæ Confessionis, sicuti in præcedenti casu. Nihilominus communior sententia est, etiam reservationem horum peccatorum, per validam Absolutionem ita tolli virtute Iubilæi, ut non redeat reservatio, tametsi postea ex malitia, pœnitens non lucretur Iubilæum.

Probatur sententia affirmans ex Suario.

Quam sententiam amplectitur Suarius disp. 31. sect. 4. n. 24. & probat; quia hæc ablatio reservationis statim conceditur ac homo absolvitur à peccatis; ergo sive postea faciat reliqua opera necessaria, sive non, ille fructus comparatus manet, nec postea revocatur.

Et continuò attexit: Video responderi posse, hunc effectum auferendi reservationem (à peccatis oblitis) non esse propriè sacramentalem, & ideo non esse inconveniens, esse dependentem à futuro eventu, ità ut, si postea reliqua necessaria fiant ad obtinendam indulgentiam Iubilæi, auferatur reservatio; non verò si omittantur. Sed hoc valde scrupulosum est, & nullâ sufficienti ratione fundari potest; & ideo meliùs dicitur, supposito tali privilegio, satisfieri voluntati Superioris reservantis, ideoque statim auferri reservationem, quidquid postea eveniat. Hæc ille.

134. Contra probationem ait Auctor.

Sed ego in hoc nullam invenio scrupulositatem; & hoc sufficienti ratione fundari posset; quia in pœnam delicti. Nam existimat idem Auctor suprà n. 5. probabiliter hujusmodi hominem graviter peccare, si post Absolutionem peccatorum, virtute Iubilæi obtentam, voluntariè omittat reliqua opera, necessaria ad indulgentiam Iubilæi obtinendam: quia, inquit, illud etiam est in fraudem Iubilæi, & contra virtuale pactum inclusum in facultate, ad illum finem concessa; nam consequenter imponere videtur onus & obligationem faciendi cætera necessaria ad prædictum effectum, & videntur se habere tamquam pœnitentia injuncta, & acceptata in satisfactionem pro talibus culpis.

Hæc autem culpa (prosequitur idem Auctor) qualiscumque illa sit, non manet iterum reservata;

reservata; quia nullo jure hoc cavetur: potest ergo ab illa absolvere quilibet Sacerdos, habens communem jurisdictionem. Sicut quando quis confitetur peccatum reservatum Superiori, & ab illo accipit condignam satisfactionem, quæ quodammodò videri potest manere reservata, quatenus à nullo inferiori Sacerdote tolli vel commutari potest; nihilominus licèt debito tempore implere omittat, & in eo graviter peccet, nihilominus peccatum illud non manet reservatum eidem Superiori, nisi hoc ipsum ab eodem Superiore exprimatur & declaretur; quia nullo jure hoc statutum est, imò ordinariè nimiùm rigorosus censeretur Superior, qui id faceret. Hucusque Suarius.

135. Post obtentam Absolutionem virtute Iubilæi, reliqua opera voluntariè omittere, nullum est peccatum juxta Henriquez & Sanchez.

Et quidem hanc culpam (si tamen culpa est) non esse reservatam, Omnes admittunt; quidquid sit de reservatione pœnitentiæ impositæ pro peccatis reservatis, de qua alibi egimus. Interim Aliqui negant omnem culpam in tali omissione. Ita Henriquez lib. 6. cap. 16. n. 6. quem sequitur Sanchez de Matrim. l. 1. disp. 43. n. 9. & lib. 8. disp. 15. n. 24. Item in Sum. lib. 4. c. 44. n. 54. Quia, inquit, hic nihil promisit, nec obligationem aliquam illi imposuit Confessarius, nec Iubilæus talem obligationem petit; nec de tali Pontificis intentione constat: & si ea esset, facilè posset eam explicare. Nec aliquâ ratione probatur ex natura rei includi id pactum in ea actione; sed satìs est propositum bonâ fide.

Sicut etiam ad Absolutionem à peccatis obtinendam, satìs est propositum bonâ fide abstinendi imposterùm ab illis, absque nova obligatione alia, præter antiquam, vitandi illa, quæ consurgat ex Absolutione impensa virtute illius propositi. Quare non est, cur præceptum imponatur absque urgenti fundamento: eò vel maximè, quòd ubì dubium est de præcepti impositione, judicandum sit in favorem libertatis, in eo dubio possidentis. Hæc ille.

136. Arriaga docet, saltem non esse peccatum mortale.

Saltem non esse gravem obligationem, docet Arriaga disp. 29. n. 10. satìs est, inquit, si ea negligentia mulctetur postea privatione Indulgentiarum ipsarum. Et aliunde contingere potest, ut materia neglecta in se sit parva, v. g. omissio orationis, quæ, etiam juxta ipsum Suarez, sufficit, etiamsi levissima sit. Quòd autem sit causa, ne homo ille lucretur Indulgentias, non facit illam peccatum grave; alioquin & qui non est fruitus ullo privilegio Absolutionis à reservatis, si omitteret illam orationem, etiam peccaret mortaliter: id quod nec à Suario, nec ab ullo alio asseri probabiliter potest; ille autem eodem modo tunc se privaret eo fructu, ac alter, qui absolutus est à reservatis.

Nec denique grave peccatum esse potest ex ullo pacto oneroso & quasi contractu implicito; quia si hic intervenisset, ad summum indè sequeretur, quòd revivisceret reservatio: cùm enim materia illa, quæ omittitur, sit levis, ac proinde solùm possit ea necessariò requiri ad durationem contractûs; non ideo peccabitur nunc de novo graviter: sæpè enim dixi, ad valorem & durationem contractûs alicujus, posse à contrahentibus requiri etiam rem, quæ non sit materia gravis peccati, quæ si non servetur, rescindetur contractus, sinè peccato tamen. Ita Arriaga.

Sed quæro ego; quid si ergo omittat jejunia, quæ sunt res gravis? Deinde, estò oratio foret res levis, equidem ipsa Indulgentia est res gravis; ad illam autem, ùt vult Suarez, obligatur ex vi impliciti contractûs. Sicuti, si lucratio Indulgentiæ esset imposita per Confessarium in Satisfactionem sacramentalem, indubiè peccaret mortaliter, qui levissimam orationem omitteret; non quia illa oratio in se sit materia gravis; sed quia ejus omissio est causa, ne pœnitens ille lucretur Indulgentiam, quæ est materia gravis, necessaria ex præcepto Confessarii; unde sicut hic non peccaret graviter præcisè, quia privat se fructu Indulgentiæ, sed quia privat se illo fructu, ad quem consequendum ex præcepto obligatur; ita & in casu proposito, non ideo præcisè peccat graviter absolutus à reservatis, quia privat se fructu Indulgentiarum; sed quia privat se eo fructu, ad quem consequendum ex implicita promissione seu pacto obligatur, non sub conditione reviviscentiæ reservationis, nam supponitur, reservationem non reviviscere; sed absolutè; & ideo quod adfertur de valore & duratione contractûs, nihil ad propositum, supposito quòd reservatio non reviviscat, sicut Suarez & Alii communiter supponunt.

Assero itaque; vel nullam esse obligationem, vel esse obligationem gravem. Et quia non sunt multiplicandæ obligationes, præsertim graves, absque urgente fundamento, quale hic non video, ideo malo subscribere, & subscribo sententiæ Sanchii; utì etiam, tamquam probabiliori, subscribit Lugo disp. 20. n. 100. & Dicastillo disp. 11. n. 162. qui tamen dicit, pœnitentem satìs malè facere, postea non præstando reliqua. Sed faciliùs est dicere, quàm probare, ex hypothesi, quòd non peccet mortaliter. Unde maneo in priori resolutione, & iterùm dico; vel nullo modo peccare, ex hoc præcisè, quòd, obtentâ jam Absolutione à reservatis, non lucretur Iubilæum, vel peccare mortaliter. Atque hæc sufficiant de peccatis oblitis.

Sed quid dicam de occultis? Constat ex Conclus. 7. præced. Sect. ea esse reservata, nisi forent merè interna. Interim

CON-

CONCLUSIO VII.

Concilium Tridentinum concessit Episcopis potestatem absolvendi in foro conscientiæ à quibuscumque casibus occultis; etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua per seipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum: sed ab hæresi occulta tantùm per se.

139. Probatur Concl. ex Trident.

HÆc Conclusio habetur in Concil. Trident. sess. 24. de Reform. cap. 6. sub eadem ferè forma verborum: *Liceat*, inquit, *Episcopis ..... in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua, per seipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere; impositâ pœnitentiâ salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis, sit permissum.*

Potest Episcopus pro singulis vicibus aliquem deputare qui absolvat ab hæresi occulta Sanchez.

Vicariis, inquam, specialiter deputandis, ad generaliter absolvendum. Nam durante illâ concessione Concilii Trident. potest Episcopus pro singulis vicibus aliquem deputare, qui absolvat ab hæresi occulta, ùt docet Sanchez in Sum. lib. 2. c. 11. n. 23. dicens: Probabiliùs censeo, posse Episcopum committere Absolutionem ab hæresi alicui specialiter ad eum hæresis casum deputato. At non posset generaliter alicui committere vices suas ad absolvendum ab hæresi.

Quare id est discrimen constitutum in eo Decreto inter hæresim, & cæteros casus Papæ reservatos, ut horum Absolutionem possit committere, seu committendo vices suas circa casum specialiter oblatum, vel generaliter committendo vices suas alicui quoad hoc speciale munus absolvendi ab his casibus. Nam utroque modo dicitur Vicarius ad hoc specialiter deputatus, prout requirit Trident. in eo Decreto. At casum hæresis non potest posteriori modo delegare, sed solo priori. Ita hic Auctor, & Alii plures, quos citat.

140. Probatio.

Probatur; quia, ùt suprà vidimus, potestas, ibi concessa Episcopis, absolvendi ab omnibus casibus occultis, est ordinaria, utpote competens non personæ, sed dignitati seu officio; adeòque per se delegabilis est; ergo dum restringitur facultas absolvendi ab hæresi occulta, ne possit delegari Vicario specialiter deputando; ea restrictio accipienda est, ut quàm minimùm fieri possit, jus commune corrigat.

Cùm ergo intelligi possit de solo Vicario specialiter deputando ad omnes hæresis casus, non autem de specialiter deputando ad specialem oblatum hæresis casum, & sic optimè salvetur differentia in Trident. tradita, hic intellectus eligendus est. Unde sic specialiter deputatus, vel non esset simpliciter Vicarius, vel certè esset Vicarius specialissimus (ut ita loquar) qui non censetur prohibitus.

141. Objectio.

Dices; ly *Tantùm*, est particula exclusiva omnium aliorum. Ideòque in Summulis propositio exclusiva: *Petrus tantùm currit*, explicatur & resolvitur in has: *Petrus currit*, &, *Nullus alius à Petro currit*. Propositio ergo illa: *Episcopus tantùm possit absolvere*, resolvi debet per has: *Episcopus tantùm*, &, *Nullus alius præter ipsum possit*. Ac proinde quod in aliis casibus conceditur Vicariis, negatur in hoc casu.

Propter hoc argumentum, oppositam sententiam, cum Aliis, quos citat, amplectitur Card. Lugo de Fide Disp. 23. Sect. 3. n. 79.

Lugo.

Solvitur.

Sed responderi potest; in materia morali non ita attendendum esse, quid in Summulis significet ly *Tantùm*, sed magis ad sensum & mentem loquentium; quæ utique, cùm censeatur esse conformis juri communi, sic accipienda est, ùt ly *Tantùm*, non excludat omnes alios, sed solùm illos Vicarios, quos Episcopus potest deputare ad absolvendum ab aliis casibus, id est, simpliciter Vicarios seu Vicarios speciales, qui possint passim ab omnibus casibus occurrentibus absolvere; non autem Vicarios specialissimos, id est, deputatos ad unum particularem casum.

142. Alia objectio.

Si rursùm objicias, & dicas cum Lugone suprà n. 80. hanc non esse propriè correctionem juris communis, & ejus restrictionem; sed potiùs concessionem novam, factam Episcopis contra jus, quo Absolutio ab hæresi reservata erat soli Summo Pontifici; ergo potiùs amplianda est illa limitatio, quàm restringenda.

Responsio.

Respondeo; etiam illam reservationem hæresis esse contra jus commune, adeòque & hanc ipsam strictè interpretandam. Consequenter concessio absolvendi est secundùm jus commune, ac proinde limitatio addita corrigit jus commune, & ita strictè est interpretanda; siquidem magis attenditur jus commune in illa materia, quàm particulare, quod est contra jus commune.

143. Tertia objectio.

Arguis tertiò, & infers cum præfato Auctore; ergo Episcopus poterit deputare Vicarium ad omnes casus hæresis occultos, quia adhuc tunc esset differentia inter hæresim & alios casus; quia in ordine ad alios potest Episcopus deputare Vicarium specialem cum facultate generali ad omnes casus reservatos occultos: at in ordine ad hæresim, non sufficeret ea deputatio, sed requireretur Vicarius specialior, deputatus ad hæreses occultas, qui

Vicarius esset specialior, quàm ille alius, deputatus ad omnes casus.

Solvitur. Respondetur; ille Vicarius non esset specialior ad casus hæresis, quàm alius ad casus v. g. homicidii; jam autem Trident. non solùm constituit differentiam inter casum hæresis, & omnes alios casus copulatim acceptos, sed etiam inter casum hæresis, & omnes alios casus copulativè (ut sic loquar) acceptos. Et aliunde quid vetat, ut aliqua fiat restrictio, & non omnis possibilis, ut utrique sententiæ aliquid concedatur?

144. Quarta objectio ex c. fin. de Offic. deleg. Quod præterea objicitur ex jure Canonico de Offic. Delegat. cap. fin. ibi: *Cæterùm (salvâ Legatorum Sedis Apostolicæ auctoritate) nulli cui commissum fuerit prædicare crucem, excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel injungere pœnitentias, liceat hæc de cætero aliis demandare.*

Diluitur. Hoc, inquam, solvitur ex verbis immediatè subsequentibus: *Quia non sibi jurisdictio, sed certum ministerium potiùs committitur in hac parte.* Iam autem in nostro casu Episcopis non committitur nudum ministerium, sed vera jurisdictio, idque ordinaria, ùt suprà dictum est; quia committitur officio seu dignitati in perpetuum.

145. An hic eligatur industria Episcopi. Lugo. Unde non approbo, quod ait Lugo suprà n. 81. In prædicto Decreto eligitur industria Episcopi ad absolvendum ab hæresi, qui ideo designatur, ut per seipsum tantùm absolvat. Hoc, inquam, non approbo; quoniam tunc solùm videtur eligi industria Episcopi, quando non officio Episcopali, sed ipsius personæ in particulari, Petro v. g. vel Ioanni, committitur hoc vel illud faciendum, quod constat non habere locum in casu proposito. Quoniam Concilium concessit hanc potestatem Episcopo, quocumque nomine appelletur, docto pariter ac indocto, prudenti juxta ac imprudenti, bono & malo. Quomodo ergo eligitur industria personæ, nisi quia Pontifex supponit, ordinariè Episcopos esse tales, qui morbo adeò periculoso opportunam possint adhibere medicinam? Hoc autem possunt facere, tametsi per alium absolvant; quia possunt Vicario specialissimo præscribere pœnitentiam imponendam; ergo ex hoc capite non bene infertur: ergo non potest id alteri committere. Estò etiam impositionem pœnitentiæ, seu qualitatis & quantitatis ejus, committeret suo Vicario, quia potest talem eligere, cui id meliùs fidat, quàm sibipsi.

146. Probatio nostræ sententiæ ex nimio rigore & difficultate. *Rodriguez.* Cæterùm probant Aliqui hanc sententiam ex nimio rigore & difficultate, incommodis & inconvenientiis alterius sententiæ, quasi foret moraliter impossibile, semper recurrere ad ipsum Episcopum pro Absolutione ab hæresi occulta. Ita Rodrig. qq. Reg. tom. 1. q. 20. a. 11. ubi docet nostram sententiam, & exemplificat in Moniali, quæ, propter votum, aut præceptum clausuræ, Episcopum minimè adire potest, neque Episcopus ad eam recurrere commodè potest, ut eam absolvat; quo casu, inquit ille, si ipsa necessariò per Episcopum esset absolvenda, in maximis angustiis constitueretur, & ejus anima in probabili periculo collocaretur.

147. Rationis. Sed, ut veritatem dicam, hoc argumentum facilè solvi potest, & ab ipsomet Rodrig. solvitur eodem articulo in fine, ubi sic ait: Est etiam advertendum, quòd Episcopus potest absolvere in absentia ab excommunicatione extra Sacramentum Pœnitentiæ, incursa ratione hæresis occultæ; sicut potest absolvere ab aliis excommunicationibus, ùt affirmat Navarr. Ex quo sequitur, quòd potest absolvere ab excommunicatione dictam Monialem absentem, quæ absoluta ab excommunicatione, potest absolvi à crimine hæresis à quocumque Confessore, ab eodem Episcopo ad hoc specialiter approbato. Peccata enim Sedi Apostolicæ reservata, ratione excommunicationis reservantur, quâ sublatâ, jam non sunt dicenda reservata. Hæc ille.

Quæ si vera sunt, ut puto, jam videtur cessare istud inconveniens alterius sententiæ, quòd dicta Monialis, in maximis angustiis constitueretur, & ejus anima in probabili periculo collocaretur. Nolo itaque hoc argumento uti ad confirmandam meam Conclusionem: maximè cùm (secundùm Lugonem ibi sup. n. 81.) Episcopus non possit pro casu particulari vices suas alteri committere, nisi de illo casu particulari habeat notitiam, prout etiam de impedimento personæ, ne ad ipsum veniat: quod etiam difficile est, cùm subditus in Diœcesi ampla possit nimiùm distare, & Confessarius etiam, cui danda esset facultas: in iis ergo, & aliis similibus casibus, sicut Episcopus posset in nostra sententia dare facultatem alicui pro illa vice; ita æquè facilè poterit subditum absentem, intrà Diœcesim existentem, absolvere à censura; ablatâ autem censurâ, Confessarius ordinarius poterit absolvere à peccato.

148. Vera ratio hujus sententiæ. Quæ ergo ratio hujus sententiæ? Quia verba Tridentini sic commodè intelligi possunt, ergo sic intelligenda, ad evitandam correctionem juris communis, aut divini, secundùm Quosdam: quippe Episcopi jure communi, aut divino, nisi expressè limitentur, habent pro subditis, quidquid habet Papa pro tota Ecclesia. Quæ proinde limitatio strictè est interpretanda, ùt diximus; semper tamen intrà proprietatem verborum, naturalem vel civilem; nisi ad evitandum absurdum: jam autem ly *Vicarius*, strictè acceptum, ad minùs videtur significare illum, qui haberet generalem potestatem absolvendi ab omni casu occultæ hæresis.

Sed

149. Proponuntur aliquæ controversiæ.

Sed progrediamur ad alias controversias, concernentes hanc potestatem Episcoporum, quarum princeps est ; an revocata sit quoad casus Bullæ Cœnæ. Secunda ; an extendat se ad casus post Trident. Papæ reservatos. Tertia ; an hâc potestate utatur Episcopus non Sacerdos. Quarta ; an Episcopus utatur hâc potestate etiam respectu Religiosorum exemptorum, aliorumque advenarum & peregrinorum. Antequam autem ad has quæstiones ordine respondeo, præmittendum judico ; quid in prædicto Decreto intelligatur per casus occultos.

150. Quid sit peccatum occultum ex Navarro.

Itaque peccatum occultum est, secundùm Navar. in Man. c. 27. n. 254. quod non est publicum. Publicum autem secundùm eundem Auctorem n. 255. triplex est ; notorium, id est, quod nititur scientiâ majoris partis communitatis ; manifestum, id est, quod nititur famâ ejusdem majoris partis, ortâ à scientibus ; & famosum, quod nititur famâ majoris partis, ortâ ex uno scienti, vel ex indiciis, vel præsumptionibus illi æquipollentibus.

Triplex est peccatum publicum,

& triplex occultum.

Occultum item triplex est, scilicet quod non est probabile suaptè naturâ, qualia sunt sola mentalia ; & quod est probabile suaptè naturâ, sed non potest probari, quia coram nemine factum est ; & quòd probari quidem potest, sed adeò à paucis, quòd nulla indè fama orta est, nec est in judicium deductum.

151. Quid intelligatur per Communitatem,

Per Communitatem autem intelligitur, non tantùm Provincia, Civitas vel Parochia, sed etiam Vicinia, Collegium, vel Monasterium, modò saltem decem inveniantur in eo.

Notat ibidem, ut delictum dicatur publicum, non sufficere, ut actus, qui est delictum, sit publicus, nisi etiam publicè sciatur esse delictum : Missa enim facta coram populo ab excommunicato occulto, actus publicus & delictum est, non tamen delictum publicum, quia nescitur publicum esse delictum. Hæc ille. Et Alii communiter.

152. An delictum, hoc ipso quòd deducitur ad forum contentiosum, censeatur publicum. Suarez.

Bene autem notanda sunt hæc verba : *Nec est in judicium deductum* ; quia hoc ipso, quòd aliquod delictum deducitur in judicium, seu ad forum contentiosum, estò à paucis sciatur, publicum censetur à Concilio, ùt docet Suarez de Cens. disp. 41. sect. 2. n. 6. ex illis verbis : *Et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum.*

Quid, inquit, necesse fuit excipere casus deductos ad forum contentiosum, cùm manifestum sit, illos non esse occultos ? Hoc adnotaverim, ut intelligatur Concilium non loqui tantùm de casibus omnino occultis, qui à nemine sciuntur ; sed absolutè de occultis, prout à publicis distinguuntur, etiamsi probabilia sint : ob hanc enim causam addidit Concilium dictam exceptionem. Nam si delictum occultum non tantùm probabile sit, sed etiam jam sit deductum ad forum contentiosum, hoc ipso reputatur à Concilio sufficienter publicum, ut ejus dispensatio Episcopo non concedatur.

153. Delictum fit publicum per solam legitimam accusationem,

Dicitur autem delictum hoc modo publicum, statim ac denuntiatio seu accusatio de tali delicto coram legitimo Iudice juridicè facta est : nam Concilium non requirit, quòd delictum sit probatum, aut declaratum per sententiam Iudicis, sed tantùm, quòd sit deductum ; deducitur autem per denuntiationem vel accusationem. Ita Suarius.

154. dummodo sit reo intimata Sanchez.

Nec refert sive justè, sive injustè res sit in judicium delata. Exigitur tamen, inquit Sanchez in Sum. lib. 2. c. 11. n. 21. ut reo sit intimata delatio, sive ut reus sit citatus ; nam citatio est primus judicii actus. Quòd si delinquens sit, defectu plenæ probationis, in foro externo absolutus, etsi fallis testibus defenderit se, sive definitivè absolutus sit, sive ab instantia seu observatione judicii, non dicitur delictum ad forum externum delatum. Quia (ùt ait idem Auctor lib. 8. de Matrim. disp. 34. n. 57.) per eam sententiam interlocutoriam id judicium est terminatum, ac sublata eâ infamia, ex deductione in id forum orta. Id enim tantùm interest inter absolvi diffinitivè, & solùm ab instantia seu observatione judicii, quòd in priori casu nunquam potest id crimen iterum in judicium deduci. At in posteriori potest quidem, sed ex novis indiciis, noviscque probationibus. Quare in utroque casu id judicium omnino terminatum est, ac res in primum statum redacta. Hæc ille. Res autem, ùt supponitur, in primo statu erat occulta ; ergo manet occulta post judicium terminatum.

Quid si reus absolvatur ?

Differentia inter absolvi diffinitivè & ab instantia,

155. Quid si delictum, à quo absolvitur reus, fuerit semiplenè probatum ? Suarez.

Consentit Suarius suprà, quando delictum nec plenè, nec semiplenè probari potuit : nam, inquit, quando aliqua probatio intercedit, res videtur magis dubia. Quia ex semiplena probatione, in foro contentioso facta, generatur publica infamia & publica notitia, imperfecta quidem, tamen qualis sufficiens videtur, ut res non maneat occulta, sicut anteà erat : quod secùs est, quando delictum nullo modo probatum est. Hæc ille.

Equidem certum est, publicam infamiam sufficere, ut crimen aliquod non maneat occultum, estò etiam ad forum contentiosum nunquam fuisset deductum. Interim probandum manet Suario, quòd ex semiplena probatione in foro contentioso facta, generetur publica infamia.

156. Manet ea quidem delictum occultum Reg. 30. de Reg. juris in 6.

Et quia illud non probat, subscribo sententiæ Sanchii, donec aliquis id clarè probaverit : Quia *In obscuris minimum est sequendum* Reg. 30. de Reg. juris in 6. Et procliviores esse debemus ad liberandum, quàm ad condemnandum ; argum. leg. 47. ff. de Oblig. & act. *Arrianus ait, multùm interesse, quæras, utrum aliquis obligetur, an aliquis liberetur. Vbi de obligando quæritur, propensiores esse debere nos, si habeamus occasionem ad negandum. Vbi de liberando, ex diverso, ut facilior sis ad liberationem.*

l. 47 ff. de Obl. & act.

Cùm ergo in præsenti quæratur de obligatione recurrendi ad Sedem Apostolicam, pro Absolutione à peccato, semiplenè tantùm probato, propensiores esse debemus, si habeamus occasionem ad negandum: habemus autem occasionem negandi, quia per sententiam judicium terminatum est; & res in primum statum redacta.

157. Quid si delictum alicubi sit publicum, hìc autem ubì petitur Absolutio occultum? *Suarez.*

Sed quid si delictum alicubi sit publicum, ibi verò, ubì Absolutio petitur, sit occultum? Existimat Suarez hìc disp. 30. sect. 2. n. 2. in fine, non posse absolvi per hanc facultatem. Nam, inquit, quod alicubi publicum est, simpliciter est publicum, & non occultum; & præsertim moraliter & regulariter loquendo, quod in aliquo loco est publicum, ad alia loca facilè defertur.

Sanchez.

At verò Sanchez in Sum. suprà n. 20. probabile, inquit, credo (quod scio viros doctissimos Salmanticæ consultos sensisse, quos refert & sequitur Avila de Cens. p. 2. c. 7. disp. 1. dub. 11. concluſ. 3.) si delictum in loco ita distanti publicum sit, ut non sit spes fore, ut ad alium deferatur, dici occultum in eo loco, in quo Absolutio aut dispensatio petitur; ac proinde subjici facultati Episcopi, in eo Decreto sibi concessæ. Quia (ùt bene aiunt Dur. 4. dist. 18. q. 5. in fine, & ibi Palud. q. 6. a. 1. n. 5.) non ex hoc, quòd aliquis sit publicus excommunicatus in uno loco, censeri debet publicus in alio. Deinde, quia communis sententia docet, non teneri restituere manifestantem publicum alicujus delictum: at quando in aliquo loco publicum est, non censeri publicum in alio ita distanti, ad quem non est spes fore, ut facilè fama perveniat. Ita Sanchez.

His præmissis pro clariori intellectu illorum verborum, quibus utitur Trident. in præfato Decreto: *In quibuscumque casibus occultis:* Respondeo ad primam & secundam quæstionem suprà propositam, & Dico:

CONCLUSIO VIII.

Potestas absolvendi à casibus occultis, concessa Episcopis per Trident. sess. 24. de Refor. c. 6. Aliquibus videtur non esse revocata quoad hæresim. Extenditur ad casus post Trident. Papæ reservatos.

158. Ultimæ parti Concl. objicitur Responsio quædam Greg. XIII.

SI aliquid obstet ultimæ parti Concluſ. est responsio Greg. XIII. quam refert Suarius hìc Disp. 30. Sect. 2. n. 12. hisce verbis: Propositum legitur in Congregatione Card. an hoc Decretum locum habeat in casibus, post Conc. Trident. ex nova lege Sedis Apostolicæ reservatis. Responsio autem, quæ ad nostras manus fide dignâ auctoritate pervenit, sic continebat: *S. D. N. Greg XIII. auditâ relatione Congregationis, respondit, non habere locum.* Ita Suarius.

Sed hæc responsio, post Decretum Urbanianum, non est authentica. Atque ut esset, dico cum Suario suprà n. 14. quamdiu de mente Apostolicæ Sedis certiùs non constiterit, & sub illius censura, videtur probabile, responsionem illam intelligendam esse de casibus, postea reservatis cum aliqua clausula, aut verbis sufficientibus, per quæ huic Decreto derogari videatur.

Enimverò, ùt idem Auctor bene notat n. 13. Concilii mens videtur fuisse, ponere regulam generalem, & quasi ordinarium jus circa reservationes Pontificias, ut scilicet intelligantur esse de criminibus publicis; de occultis verò non omnino; sed cum moderationibus positis in hoc Decreto: non ergo tantùm reservationes priores ad hanc formam redactæ sunt, sed etiam omnes subsequentes sub illa fieri intelliguntur.

Antecedens suadetur; tum quia optimè potuit lex illa hoc sensu constitui, cùm fieret Pontificiâ auctoritate; tum quia ratio legis eadem est in casibus reservatis & imposterum reservandis, & aliundè verba Concilii hunc sensum admittunt: nam quoad suspensiones & irregularitates absolutè loquitur de omnibus, ex delicto occulto provenientibus, sive ratione legis antiquæ, sive novæ. Eodem ergo sensu loquitur de Absolutione à casibus reservatis, quos ita nominat, vel quasi per anticipationem, juxta communem appellationem; vel quia reservati dicuntur non respectu temporis, quo editum est Concil. sed respectu temporis, quo de illis danda est Absolutio.

Denique, sicut hic sensus favorabilior est & satìs proprius, ita videtur communi consuetudine receptus & approbatus. Ita Suarez. Iam autem consuetudo est optima legum interpres: ut omittam, Decretum hoc tamquam favorabile, utpote restituens Episcopis jus suum antiquum, sinè cogente fundamento non esse restringendum, sed potiùs extendendum. Itaque ex responsione Greg. suprà allegata, nullum generatur præjudicium ultimæ parti Conclusionis.

Sed quid dicam de prima parte? Quamplurimi Auctores (quos citat & sequitur Dian. part. 1. tract. 5. resol. 2.) existimant, per Bullam Cœnæ revocatam esse hanc potestatem Episcoporum quoad hæresim, propter ipsius Bullæ verba subsequentia: *Excommunicamus omnes & singulos hæreticos quocumque nomine censeantur, & cuiuscumque secte existant, ac eis credentes, eorumque receptores, fautores, & generaliter quoslibet eorum defensores, ac eorundem libros*

libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sinè auctoritate nostra & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publicè vel occultè, quovis ingenio vel colore; nec non schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis, obedientia pertinaciter subtrahunt vel recedunt.

Deinde de Absolutione subjungitur: *Cæterùm à prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Ro. Pontif. nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstitâ absolvi possit prætextu quarumvis facultatum & indultorum quibuscumque personis Ecclesiasticis sæcularibus, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium ac Militiarum Regularibus, etiam Episcopali vel aliâ maiori dignitate præditis &c. per nos & dictam Sedem ac cuiusvis Concilii Decreta, verbo, literis aut aliâ quacumque scripturâ in genere & in specie concessorum & innovatorum, ac concedendorum ac innovandorum.*

Episcopus non posse absolvere ab hæresi, prout habetur ex verbis Bullæ Cœnæ. Dian.

Addunt, sic declarasse Congregationem Card. immo ipsosmet Pontifices, Pium V. Greg. XIII. & Clement. VIII. Hæc illi pro sua sententia. Quæ indubiè probabilissima est; immo omnino practicanda ab illis Episcopis, qui credunt istis Declarationibus.

Item ex Declarationibus Card. & Summorum Pontif.

161. Propter quas Lugo amplectitur illam doctrinam.

Si Episcopus, inquit, Lugo de fide disp. 23. n. 46. non credat Pontificem eam facultatem de facto revocare voluisse, potest primam sententiam (quæ est Conclusio nostra) probabiliter amplecti, quæ tot Auctores, adeoque graves (quos videre poteris apud Dia. suprà) pro se habet: si verò id credat, debet stare secundæ sententiæ: ego verò non possem primam amplecti, quia mihi moraliter certa est Pontificis mens, & sensus Romanæ Curiæ, in qua omnes Pontificis ministri pro certo supponunt, singulis annis denuò eam facultatem Episcopis auferri, & ea solum de causa, ad eumque finem addita esse in Bulla Cœnæ verba illa, quibus revocantur facultates concessæ etiam *per cuiusvis Concilii Decreta*: nullius enim alterius Concilii Decreto, concessa est facultas aliqua, nisi in Conc. Trident. quod reverentiæ fortasse causâ nominatum non est, sed solùm sub illa generalitate verborum. Ita Eminent.

162. Probatur opposita sententia.

Ego autem credere vix possum, illam esse mentem Pontificum; cùm enim sciant controversiam circa hanc materiam, & illam possent sopire, addendo in Bulla, ad ly, *Cuiusvis Concilii*, ly, *Etiam Tridentini*, & id non faciant, signum est, nolle hanc controversiam decidere, sed velle permittere cuilibet sententiæ suam probabilitatem.

Nisi ergo clariùs expresserint suam mentem, quàm hactenus fecerunt, non sinè fundamento Aliqui (quos vide apud Dia. suprà) amplectuntur sententiam magis favorabilem Episcopis, quam Hurtado in præsenti disp. 84. sect. 2. §. 11. acerrimè defendit: ubi refert, Illustrissimum Archiepiscopum Toletanum, & Card. Gasparem Quiroga a. 1583. in Synodo Toletana, licèt ipse Inquisitor Generalis etiam esset, declarasse, non esse abrogatam hanc Episcoporum facultatem, & monuisse Hispaniæ Episcopos, quorum Primas erat, de hac ipsorum facultate perseverante.

Hurtado.

Ait ibidem §. 17. ante Concil. Tridentin. Bullam Cœnæ singulis annis evulgatam fuisse cum eadem clausula: ergo illa clausula non fuit addita ad derogandum Concilii Trident. Decreto.

Nec credibile est, Pium IV. qui Decreta Concil. approbavit, & curavit, ut ab omnibus observarentur, eodem anno in Bulla Cœnæ, solito modo edita, voluisse derogare Decreto ejusdem Concilii, cùm necdum ullum inconveniens ex eo ortum fuisset.

163. Confirmatur exemplo Bullæ Cruciatæ.

Confirmatur exemplo Bullæ Cruciatæ, cui non censetur derogari per Bullam Cœnæ cum eisdem clausulis derogatoriis; quia nimirum Pontifex concedens illam Bullam ad sexennium, sciebat se anno sequenti Bullam Cœnæ renovaturum, ac proinde priorem concessio foret ridicula. Nisi ergo addat aliquam clausulam, quâ expresè ostendat se à priori voluntate decessisse, non præsumitur Cruciatam voluisse revocare. Ergo consimiliter in casu nostro, præsertim cùm propter Bullam Cœnæ, in qua reservatur hæresis, illa licentia fuerit petita & concessa Episcopis, quæ vix ad unum aut alterum mensem fuisset utilis.

164. Responsio Lugonis ad probationem.

Respondet Lugo suprà n. 48. hoc argumentum non esse contemnendum, dummodò probari posset, Bullam Cœnæ cum eisdem clausulis ante Trident. fuisse promulgatam, cum quibus hodie promulgatur. Iam autem constat, inquit Eminent. Antecessores Pii IV. non apposuisse verba illa: *Ac cuiusvis Concilii Decreta*, ùt videri potest in Bulla Cœnæ promulgata à Mart. V. quæ refertur apud S. Antoninum 3. p. tit. 24. c. 72. & in Bulla Cœnæ promulgata à Paulo III. qui paulò ante Pium IV. sedit, quæ refertur in Bullario communi, & est Bulla 16. ejusdem Pauli III.

Nec ego invenio verba illa in Bullario communi ante Greg. XIII. in cujus Bulla Cœnæ (quæ est 81.) reperiuntur; nec credo Pium IV. qui Decreta Trident. approbavit, ea verba unquam apposuisse, & ideo fortasse nulla Bulla Cœnæ Pii IV. in Bullario communi relata est; quia Cherubinus, qui Bullarii corpus congessit, dicit, se illorum Pontificum Bullas Cœnæ apposuisse, quæ possint ostendere mutationes & additiones in Bulla Cœnæ factas; sic enim testatur hic Auctor ante Bullam 63. Pauli V. quæ est Bulla Cœnæ, ab eodem Paulo V. promulgata. Hucusque Card.

165. Contra eam arguitur.

Planè sic testatur hic Auctor; sed minùs verè, si loquatur de omnibus hujusmodi Bullis

Cœnæ; quia non apponit illas Bullas Cœnæ, in quibus tempore Sixti V. & Clement. VIII. ùt Eminent. ipse ait n. 50. addita erant verba quædam in favorem Episcoporum, nempe revocari facultates concessas, *nisi in eis etiam casus præsentibus literis expressi comprehendantur.* Quorum utique verborum virtute non parùm jus Episcoporum fulciebatur, cùm in Decreto Trident. hæresis Absolutio expressa esset. Cur autem Cherubinus has Bullas (quæ poterant ostendere mutationes & additiones in Bulla Cœnæ factas) omiserit, quis nobis edisseret?

Interim affirmanti incumbit probatio; non potest autem Hurtado efficaciter probare, quod asserit, nisi proferat Bullam aliquam, promulgatam ante Concilium cum eisdem clausulis; quod cùm non faciat, liquet argumentum ipsius ex hac parte minus efficax esse.

166. Responsio ad confirmationem.

Et si falsum sit, quod asserit, confirmatio desumpta ex Bulla Cruciatæ, parvi vel nullius est momenti; quia constat de mente Pontificis, concedentis Cruciatam, qui bene scit se paulò post promulgaturum Bullam Cœnæ cum illis clausulis, & contra illas vult antecedenter concedere facultatem in Cruciata, quare dum non additur in Bulla Cœnæ clausula nova, explicans recessum ab ea voluntate, illa censetur perseverare; at vidimus, inquit Lugo suprà n. 51. additam esse clausulam novam post Decretum Trident. cujus sensus alius esse non potuit, nisi ut facultas illa revocaretur, quem sensum ipsi Pontifices interrogati toties declararunt, quod tamen in concessione Cruciatæ non fecerunt, sed illius facultates ratas esse profitentur. Ita Eminent.

Ergo.

Alia responsio.

Alii respondent: Pontificem concedere Bullam Cruciatæ per modum contractûs; jam autem privilegium concessum per modum contractûs non revocatur, nisi specialis de eo fiat mentio; secùs privilegium merè gratiosum, quale est Decretum Concilii Trident.

167. Impugnatur,

Sed contrà; hoc Decretum non est merum privilegium, sed est jus commune & lex quasi correctoria, quæ reducit potestatem, Episcopis competentem ex jure communi aut divino, ad terminos juris communis; ac proinde non debet censeri revocata, nisi expressa ejus fiat mentio: nam correctio legum vitanda est, & posteriores leges prioribus concordandæ, quantùm fieri potest; argum. leg. 26. ff. de Legibus: *Non est novum ut priores leges ad posteriores trahantur.* Et leg. 28. eodem: *Sed & posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint, idq; multis argumentis probatur.*

l. 26. & 28. ff. de Legib.

Cùm ergo lex Trident. & Bulla Cœnæ possint conciliari, dicendo, per Bullam Cœnæ revocari facultates, concessas ad absolvendum universaliter à casibus in ea contentis, tam publicis, quàm occultis; in Concilio autem datam solùm fuisse facultatem ad casus occultos, ùt manifestè patet ex ipsis verbis, cur non debeant sic conciliari? *Generi per speciem derogatur.* Reg. 34. de Reg. juris in 6. Et explicatiùs Pomponius leg. 8. ff. hoc tit. *In toto iure generi per speciem derogatur, & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.* Sicuti ergo ante Bullam Greg. XIII. per Trident. derogabatur Bullæ Cœnæ, quidni itidem derogetur ei post Bullam Greg. XIII.

Reg. 34. Reg. jur. in 6.

l. 8. ff. hoc tit.

Quia, inquis, per illa verba addita in Bulla Greg. *Ac cuiusvis Concilii Decreta*, expressè derogatur Concil. Trident. cùm nullum aliud Concilium inveniatur, in quo concedatur potestas absolvendi ab hæresi sive publica, sive occulta; adeòque frustrà adderentur, si non ad derogandum illi Decreto Concil. Trident.

168. Objectio.

Respondeo; illa verba fuisse addita ad majorem cautelam, si fortè per aliquod Concil. fuisset talis concessio facta. Alioquin si de solo Concil. Tridentino loquitur Pontifex, cur dicit: *Cuiusvis Concilii*, & non simpliciter, *Ac Concilii Tridentini Decreto?* Enimverò parva videtur fieri reverentia illi Concilio, si revocatur illud Decretum justè & bene revocatur.

Solutio.

Immo talis reverentia illi non debetur; cùm in aliis Constitutionibus revocatoriis expressa ejus fiat mentio, ùt patet ex Bulla Sixti V. quæ incipit: *Effrænatam* 87. apud Cherubinum §. 8. ubi sic lego: *Decernentes ac declarantes, si non quod per quæcumque Iubilæa & Indulgentiat, per nos & successores nostros, etiam anno Iubilæi aut alio quovis tempore; etiam Cruciatæ sanctæ, Iubilæi, vel quovis alio titulo concessas & concedendas, nec non per quascumque literas Apostolicas, quibusvis Principibus, seu ad eorum instantiam per nos & successores nostros pariter concessas & concedendas, ac etiam vigore privilegiorum Mare magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatorum, quibusvis congregationibus Regularium, aut Episcopis vigore Concil. Trident. vel aliàs per nos & prædecessores nostros quomodocumque concessorum, vel in futurum concedendorum, nec personæ sic ùt præfertur delinquentes & excommunicatæ, præterquam in mortis articulo absolvi valeant &c.*

169. Bulla Sixti V. derogat Conc. Trident. tollit. excommunic.

Idem Pontifex derogat Concil. Trident. factâ expressâ ejus mentione, Bullâ: *Cùm sanctissanctam* (91. apud Cherubinum) §. 4. ibi: *Nos vigore aut prætextu facultatum aut privilegiorum, Mare magnum, aut aliàs quomodolibet nuncupatorum quibusvis Ordinibus, congregationibus aut personis Regularibus, aut Episcopis per Decreta Conc. Trident. aut officio sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ vel Minoribus, aut etiam Maiori Pœnitentiario nostris & Rom. Pont. pro tempore existentis, vel aliàs quomodolibet pro tempore concessorum, personæ sic ùt præfertur delinquentes &c. à reatibus & excessibus prædictis absolvi, præterquam in mortis articulo, possint aut debeant. Nec cum iis super irregularitate propter præmissa contracta, etiamsi crimen penitus occultum fuerit, quovis modo valeat dispensari.*

Similis Bulla.

Quibus verbis (inquit Suarez Disput. 30. Sect. 2.

Sect. 2. n. 10.) insinuatur, revocationem generalem Concilii non comprehendere casum occultum, nisi exprimatur. Ergo similiter Greg. XIII. & alii Pontifices, in Bulla Cœnæ expressam mentionem fecissent Concilii Trid. & casuum occultorum, si voluissent huic Decreto Trident. derogare.

170. An hoc sit contra reverentiam debitam illi Concilio.

Sanè seu detrahas alicui verbis generalibus; dummodò circumstantes & audientes noverint personam in particulari; seu personam in particulari nomines, parùm aut nihil refert ad malitiam actûs, similiter ad bonitatem; si persona in communi vel particulari laudetur; igitur parùm refert & perinde ferè est ad reverentiam vel irreverentiam Concil. Trident. sive in generali nominetur, dummodò probè sciatur de eo esse sermonem; sive in particulari.

Cùm ergo moderni Pontifices optimè noverint controversiam illam de revocatione Trident. &, sicut antea dixi, possint commodè unico verbo, exprimendo Concilium in particulari, litem dirimere, illud sponte omittendo, sufficienter videntur declarare, non esse suam mentem, Decretum istud revocare, etsi fortasse Greg. XIII. ignorans illam controversiam, voluisset idipsum revocare.

171. Episcopus non absolvit prætextu alicujus facultatis.

Prætereo, quod Aliqui advertunt, Bullam Cœnæ tantùm prohibere Absolutionem illorum casuum, prætextu quarumvis facultatum & indultorum. Porrò Episcopus non absolvit prætextu alicujus facultatis aut indulti Sedis Apostolicæ (ût Quidam loquitur) sed prætextu auctoritatis, à Christo Domino datæ, seu juris communis.

Quid sit prætextus ex Sousa & Gonzalez.

Alii dicunt; prætextum significare fictionem privilegii, Sousa ad Bullam Cœnæ d. 100. conc. 3. prætextus, inquit, est velamen, quo moveri se quis ad aliquid agendum simulat. Et Gonzalez in reg. 8. Canc. glo. 57. n. 2. ait: dictio; *Sub prætextu*, idem significat, quod sub velamine vel colore alicujus rei, quæ non est, vel falsa est; argum. leg. 19. Cod. de Transl. *Sub prætextu instrumenti, post reperti, transactionem bonâ fide finitam rescindi, iuta non patiuntur.*

Clarùm autem est, Episcopos non absolvere tali prætextu, sed vigore facultatis, sibi concessæ à Conc. Trident. Unde, quod bene notandum est, Sixtus V. suprà in utraque Bulla, non tantùm dicit: *Prætextu facultatum aut privilegiorum*, sed, *Vigore aut prætextu.*

172. An Congr. Card. decreverit hanc sententiam. Lugo.

Neque tango hic responsum Congreg. Card. datum Christophoro Vela Archiepiscopo Burgensi, quod refertur apud Henriquez lib. 6. de Pœnit. c. 14. n. 17. in margine, quo dicebatur, posse Episcopos absolvere. Nam responderi potest (inquit Lugo suprà n. 50.) hoc responsum non inveniri inter decisiones ejusdem Congregationis, quæ vel typis editæ, vel manuscriptæ circumferuntur, in quibus tamen sæpiùs pars negans invenitur ab eadem Congregatione decisa.

Si tamen fortè tale responsum emanavit, id fortasse fuit, antequam illa verba, derogatoria Concilii, addita essent in Bulla Cœnæ, vel eo medio tempore, quo, tempore Sixti V. & Clement. VIII. addita erant eidem Bullæ verba quædam in favorem Episcoporum, nempe revocari facultates concessas, *Nisi in eis etiam casus, præsentibus literis expressi, comprehendantur*: quorum verborum virtute non parùm jus Episcoporum fulciebatur, cùm in Decreto Trid. hæresis Absolutio expressa esset. Hæc tamen verba sublata postea fuerunt à Paulo V. & hodie etiam auferuntur, relictâ derogatione Concil. cum tota sua efficacia. Hactenus Eminent.

Sed dici posset primò; fortè Lugonem non legisse omnes decisiones Card. quæ vel typis editæ, vel manuscriptæ circumferuntur. Secundò; fortè tale responsum emanasse, postquam illa verba derogatoria Concilii addita essent in Bulla Cœnæ, etiam post tempora Sixti V. & Clement. VIII. quia unum fortè, solvitur per aliud fortè.

173. Respondetur ad Declarationes pro oppositâ sententiâ.

Quantùm ad Declarationes Card. & Pont. quas Lugo & Alii pro oppositâ sententia allegant, dico, de illis non constare authenticè post Constitutionem Urb. VIII. Atque ut authenticè constaret de Declaratione facta à Gregor. XIII. cùm post ejus tempora, ût patet ex dictis, illa particula: *Ac cuiusvis Concilii Decreta*, fuerit variata seu restricta per hanc: *Nisi in eis etiam casus, præsentibus literis expressi, comprehendantur*, opus foret aliquâ Declaratione, factâ post tempora Sixti V. & Clement. VIII. illius utique Pontificis, qui illam particulam sustulit. Nam fortè ideò id fecit, quia judicavit superfluam, probè sciens, in solo Trident. casum hæresis exprimi, & supponens per illa verba: *Ac cuiusvis Concilii Decreta*, non derogari Decretis Concil. Trident.

Itaque, ut finem imponam huic controversiæ, fateor Pontifices potuisse, & posse illam potestatem Episcoporum auferre; sic enim scriptum habemus in eodem Conc. sess. 25. de refor. cap. ultimo: *Trident.* *Postremò sancta Synodus omnia & singula sub quibuscumque clausulis & verbis, quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplinâ, tam sub fel. record. Paulo III. ac Iulio III. quam sub beatissimo Pio IV. Pontificibus maximis, in hoc sacrò Concilio statuta sunt, declarat, ita Decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur.*

Igitur potuerunt & possunt Pontifices illam potestatem Episcoporum auferre; an autem fecerint, quod potuerunt & possunt facere, res valde dubia est, & utrimque urgent rationes & auctoritates gravium Doctorum, quæ utramque partem probabilissimam reddere videntur; adeoque sententiam faventem Episcopis tutam in praxi (ût docet Villalobos in Sum. p. 1. tract. 61. n. 5. in fine) quousque

174. An hæc sententia tuta sit in praxi.

Pontifices

Pontifices clariùs mentem suam expressérint; argum. Reg. 57. de Reg. juris in 6. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.* Nemini autem dubium esse potest, quin Pontifices apertiùs, si vellent, illud Decretum Trident. revocarent.

Tantùm Nota, post hæc scripta Alexandrum VII. die. 24. Septembr. 1666. ad minus, ùt scandalosam damnasse & prohibuisse hanc Propositionem: *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere Absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Iulii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa & tolerata est.* Quæ tamen (ùt bene notat du Bois in suo Tract. ad 45. Propos. n. 101.) magìs factum concernit, quàm jus, nec enim, inquit ille, directè declaratur, *An Absolutio ab occultis criminibus permissa sit, nec ne, aut, an in Trident. Conc. sermo sit de criminibus occultis:* sed, *an sententia illa in Consistorio S. Congreg. visa sit & tolerata:* hoc autem purè factì est. Hæc ille.

De quo facto nolim hìc ego disputare; & ideo progredior ad 3. & 4. quæstionem. Tertia erat; An hâc potestate utatur Episcopus non Sacerdos. Quarta; an eâ utatur respectu Religiosorum exemptorum, aliorumque advenarum & peregrinorum. Responsio erit

CONCLUSIO IX.

Utitur hâc potestate Episcopus non Sacerdos, legitimè electus & confirmatus, in cujus Diœcesi aliquando Tridentinum fuit receptum, quàm vis in aliquibus jam illi sit derogatum. Eâ absolvit quoscumque sibi subditos, in sua Diœcesi. Igitur etiam advenas & peregrinos, quamdiu in Diœcesi sua morantur. Quidni etiam Religiosos, si legitimè se illi subjiciant?

175. Episcopus electus & confirmatus habet ea, quæ sunt jurisdictionis.

SUppono, quòd Episcopus, legitimè electus & confirmatus, licèt consecratus non sit, immo licèt Sacerdos non sit, plenè tamen habeat ea, quæ sunt jurisdictionis; argum. cap. *Transmissam* 15. de Elect. ibi: *Respondemus igitur, quòd ex quo electionis tuæ confirmationem accepisti, de talibus & consimilibus (præter ea, quæ maioris inquisitionis discussionem exigunt, & ministerium consecrationis desiderant) quod iustum est & Ecclesiasticæ convenit utilitati, statuendi habeas liberam facultatem.*

Ubi Glossa verb. *De talibus*: *Scilicet pertinentibus ad iurisdictionem, putà sicut est iudicare, excommunicare, corrigere, iuramenta recipere à Vassallis, confirmare, investire, beneficia conferre, & consimilia, quæ consistunt in iurisdictione. sup. eodem* Nosti. *infrà de Transl. c. 1. hæc omnia in confirmatione consequitur electus.* Ergo etiam absolvere ab excommunicatione reservata, dispensare in irregularitatibus, suspensionibus &c.

Ergo Episcopus non Sacerdos, legitimè electus & confirmatus, utitur potestate concessâ Episcopis per Trident. sess. 24. de Refor. c. 6. dispensando in irregularitatibus, & absolvendo ab excommunicationibus reservatis Sedi Apostolicæ; immo & à peccatis reservatis non quidem sacramentaliter, quia sacramentalis Absolutio est actus Ordinis, & non tantùm jurisdictionis, sed auferendo reservationem à peccatis, quæ cum censura reservantur, vel etiam sinè censura, auferendo, inquam, reservationem extra Sacramentum: hoc enim fieri posse, patet ex dictis Concluſ. 7.

Sed dicet aliquis; estò absolutè id possit fieri, haud equidem per potestatem concessam à Trident. in illo Decreto, propter illa verba: *In foro conscientiæ gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ salutari.* Porrò quòd Concilium per forum conscientiæ intellexerit Sacramentum Pœnitentiæ, probatur ex duplici Declaratione Card. quarum prima sic habet: *Quærebatur, an Episcopus in causa huius cap. 6. habeat facultatem dispensandi cum suo Diœcesano absenti in alienâ Diœcesi legitimè impedito commoranti? Congregatio censuit, quòd forensis in casu huius cap. 6. potest absolvi in Sacramento Pœnitentiæ ab illo Episcopo, in cuius Diœcesi vel civitate commoratur, non autem ab alio* (legendum puto: *Ab illo*) *dispensari. Facit ad hoc, quòd Nuntii, qui possunt absolvere excommunicatos ob iniectionem manûs in Clericos, non possint absolvere subditos extra Provinciam. Accedit etiam, quòd Concilium loquatur de Absolutione sacramentali in foro conscientiæ, quæ requirit præsentiam, exemplo Confessionis, quæ non potest fieri per nuntium vel per literas.*

Sequitur secunda Declaratio sub hac forma verborum: *Qui non sunt subditi Episcopo, putà Medicus, Prætor, & similes exteri, qui tamen habitant in civitate, hoc Decreto comprehenduntur, etsi commiserint crimina in aliis civitatibus: habitâ tamen hâc distinctione, quòd scilicet possent absolvi in Sacramento Pœnitentiæ à suis criminibus, non tamen dispensari super his.* Ergo vi facultatis concessæ à Trident. non potest Episcopus absolvere à casibus reservatis nisi in Sacramento Pœnitentiæ; ergo eâ facultate non potest uti Episcopus non Sacerdos, estò legitimè electus & confirmatus.

Respondet Lugo de Fide disp. 23. n. 65. in iis

Responsio Lugonis.

in iis Declarationibus agi, non solùm de Absolutione à Censura, sed etiam ab ipso peccato: ideo enim dictum est, posse absolvi in Sacramento Pœnitentiæ à suis criminibus, à quibus certum est Episcopum non posse absolvere extra Sacramentum. An verò possit auferre reservationem peccati, absolvendo extra Sacramentum à censura, ita ut postea ab alio Confessario ordinario possit pœnitens in Sacramento absolvi à peccato, non fuit ibi quæsitum nec decisum. Hæc ille.

Quidquid sit de his Declarationibus; quæ hodie non sunt Authenticæ, Conclusio nostra, quæ communis est, attentis præcisè verbis Trident. nullam patitur difficultatem; quia certum est apud Omnes, forum conscientiæ, immò pœnitentiæ, latiùs patere, quàm forum sacramentale.

178. Quid sit forum conscientiæ, & quomodo distinguatur à foro Pœnitentiæ & Sacramentali.

Si autem à me quæritur, quid ergo sit forum conscientiæ, & quomodo distinguatur à foro pœnitentiæ, & foro sacramentali? Respondeo; forum conscientiæ distinguitur à foro pœnitentiæ in eo, quòd forum conscientiæ per se non supponat culpam, nec ordinetur ad remittendum vel vindicandum aliquod delictum, vel aliquod vinculum solvendum apud Deum. Multa quippe privilegia conceduntur in foro conscientiæ, præcisè propter bonum & favorem animarum, & non propter malum aliquod tollendum. Tale est privilegium exemptionis Regularium à jurisdictione Episcoporum. Item immunitas locorum sacrorum &c.

At verò forum pœnitentiæ dicitur in ordine ad tollendum aliquod vinculum vel malum apud Deum, sive tollatur per Sacramentum Pœnitentiæ, sive per alios actus, ostensivos vel inflictivos pœnæ. Ex quo patet, quid sit forum sacramentale, in quo videlicet tollitur aliquod vinculum vel delictum apud Deum per Sacramentum Pœnitentiæ, sive per pœnam impositam in Sacramento.

179. Quomodo distinguatur forum conscientiæ & pœnitentiæ à foro externo.

Porrò distinguitur forum conscientiæ, & pœnitentiæ; à foro externo seu contentioso, quòd in foro conscientiæ & pœnitentiæ (sive sit sacramentale, sive aliud quodcumque) solvitur quis vel ligatur apud Deum, seu datur Absolutio in ordine ad conscientiam; at verò in foro contentioso, seu externo, in ordine ad Ecclesiam.

Cùm ergo Tridentinum dat Episcopis potestatem absolvendi in foro conscientiæ, liquet profectò, ex vi istorum verborum, neutiquam illam Absolutionem esse alligatam Sacramento Pœnitentiæ, sed posse dari extra Sacramentum.

Immo communiter docent Theologi, privilegio, concesso pro foro pœnitentiæ, posse privilegiatum uti extra Sacramentum, præsertim si non sit odiosum; jam autem privilegium, quod hìc conceditur Episcopis, non est odiosum, sed maximè favorabile; ergo non est verisimile, Cardinales contrarium voluisse declarare, præsertim cùm de hoc specialiter non quæreretur, ùt patet ex verbis suprà relatis.

180. Quibus verbis restringatur privilegium ad forum sacramentale.

Rogas; quomodo ergo concedens privilegium debeat loqui, ùt censeatur velle restringere ejus usum ad forum sacramentale?

Respondeo: ad minùs debet uti his verbis aut similibus; *Ut auditis eorum Confessionibus, possint absolvere, dispensare* &c quibus verbis clarum est non uti Concil. Tridentinum in præsenti Decreto. Itaque id solùm importat ea particula, *In foro conscientiæ*, ut ea Absolutio non prosit pro foro externo, si contingat Hæreticum, aut alterius delicti reum, ad judicium trahi.

181. Objectio ex Rodriguez.

Cæterùm adhuc objici posset, quod ait Rodrig. to. 1. qq. Reg. q. 18. a. 2. Episcopus non dicitur, nisi sit consecratus, prout dicunt Canones & tradit Panormitanus; & proinde potest repelli per exceptionem, ne fiat Episcopus, usque ad consecrationem, prout quædam Decretalis determinat. Putà, cap. 1. dist. 100. ibi: *Si verò consecrandi Episcopi negligentiâ provenerit, ut ultrà tres menses Ecclesia viduata consistat, communione privetur, quousque aut loco cedat, aut se consecrandum offerre non differat. Quòd si ultra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam Ecclesiam, neque ibi, neque alibi consecrationis donum percipiat: immo Metropolitani sui judicio cedat.* Ita Pelagius Papa. Vbì Gloss. verb. *Cedat*, infert: *Ergo Metropolitanus potest deponere electum.*

Solvitur.

Potest omnino; ergo electus & confirmatus non erat Episcopus; Distinguo Consequens; non erat Episcopus consecratus, Concedo totum; consecrandus, Nego Conseq. ùt patet ex istis verbis: *Si verò consecrandi Episcopi* &c. Ergo est Episcopus, saltem in favorabilibus, prout est Decretum Conc. Tridentini.

182. Nemo ante consecrationem est consummatus Episcopus; cap. 4. de Transl. Episc.

Quantùm ad Canones, quos citat Rodrig. ex illis solùm colligitur, neminem ante consecrationem esse perfectum & consummatum Episcopum. Canones illi sunt cap. *Licet* 4. de Translat. Episc. ibi. *Sicut legitimi Matrimonii vinculum, quod est inter virum & uxorem, homo dissolvere nequit, Domino dicente in Evangelio:* Quod Deus conjunxit, homo non separet: *sic & spirituale fœdus conjugii, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, quod in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in consecratione intelligitur consummatum, sinè illius auctoritate solvi non potest, qui successor est Petri, & Vicarius Iesu Christi.*

bene simpliciter & Episcopus.

Ex quibus verbis sic argumentor contra Rodrig. matrimonium ratum simpliciter denominat virum & uxorem, constituens eos veros conjuges; ergo spirituale fœdus conjugii, ratum in confirmatione, constituit & simpliciter denominat Episcopum.

183. Secundus Canon est: cap. *Tua* 8. de His quæ fiunt à Prælatis &c. ibi: *Adeciſti etiam, utrùm*

utrùm Episcopo vel electo cum solo Archidiacono præter assensum majoris Ecclesiæ, cùm ab ipsa eligatur Episcopus, & Archidiaconus assumatur de ipsa, Cœnobus vel Ecclesiis conventualibus, ad quas ius pertinet patronatûs, liceat conferre perpetuò vacantes Ecclesias Baptismales.

Explicatur cap. 8. de his quæ fiunt &c.

Sed neque hic Canon aliquid probat contra nos; immo potiùs pro nobis facit, cùm electus, appelletur Episcopus ibi: *Vtrùm Episcopo vel electo*, id est, *Episcopus sive electus*, juxta Gloss. ibi. Vel si dixeris, textus non loquitur de Episcopo tantùm electo, sed etiam consecrato, priùs electo de consensu Archidiaconi tantùm, per me licet, & tunc dico, nihil facere ad propositum, ùt clarum est.

Itaque nec propter illos Canones, nec propter istam Decretalem recedendum est à communi sententia, quæ Episcopo electo & confirmato; etiam non Sacerdoti, dummodò habeat Diœcesim & subditos, tribuit potestatem absolvendi à censuris, reservatis Sedi Apostolicæ, vi istius Decreti Conc. Tridentini.

184. Episcopus debet habere Diœcesim & subditos ut utatur potestate sibi concessâ à Trid.

Quòd autem debeat habere Diœcesim & subditos, patet ex his verbis Concilii: *Quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua.* Nec sufficit habere Diœcesim, nisi, ùt habet sequens pars Concluſ. in ea aliquando fuerit receptum Tridentinum, cùm solâ vi illius Concilii hæc potestas Episcopis competat. Igitur si nunquam fuerit receptum vel in toto, vel pro maxima parte, quo jure Episcopus utetur illâ potestate?

An debeat in ea Diœcesi fuisse receptum Trid.

Jure, inquis, communi, quo, ablatâ reservatione à casibus occultis, potest ab eis absolvere. Aufertur autem reservatio per illud Decretum; ergo sive Decretum recipiatur, sive non, potest Episcopus absolvere. Sicuti quando Legislator aufert seu abrogat aliquam legem, sive Communitas recipiat abrogationem seu ablationem, sive non, lex manet abrogata, & non ampliùs obligat, nisi de novo per consuetudinem introducatur.

185. Probatur à simili quòd non.

Quo fundamento Multi docent, impedimenta dirimentia Matrimonium, per Tridentinum sublata, cessare, etiam ubi hoc Concilium non est receptum, saltem quando id factum est ex justa causa. Ergo similiter in casu præsenti; cùm per illud Decretum solùm auferatur, ùt dictum est, reservatio, id est, impedimentum aliquod, seu lex impediens jurisdictionem, antea concessam per jus commune & obtentam.

Ostenditur disparitas.

Respondetur; disparitatem esse, quòd sublatio impedimentorum matrimonii, immediatè & proximè concernat jus commune, quod tali viâ per Concilium corrigitur & abrogatur; ac proinde respectu omnium, qui jus commune receperunt, censetur abrogatum, nisi aliud constet de mente abrogantis: ùt Aliqui putant constare, quando Trident. sinè justa causa non recipitur, ùt dicetur in Tract. de Matrim.

186. Nec obstat Reg. juris 55. de Reg. juris in 6. *Qui sentit onus, sentire debet commodum, & è contra;* quia intelligenda est de commodo seu favore, qui specialiter & de novo per Trident. conceditur; secùs de revocatione juris communis, quę in ipso jure communi, quod recipitur, comprehenditur. At verò in nostro casu, ablatio reservationis, seu concessio potestatis absolvendi à casibus reservatis, non concernit proximè & immediatè ipsum jus commune, aut comprehenditur in ipso jure communi, sed est specialis aliquis favor, de novo per Trident. concessus, quem proinde non debet sentire, qui non vult sentire onera, de novo per Trident. imposita.

Præsertim accedente Declaratione Card. quam Lugo suprà n. 54. ait se invenisse in manuscriptis his verbis: *Episcopi illarum regionum, in quibus Concil. Tridentinum adhuc receptum non est, non possunt uti hâc facultate, concessâ in hoc Decreto.*

Et quàmvis de illa Declaratione authenticè non constet post Constitutionem Urb. VIII. interim eam sequi possumus, ubi ratio non obstat, immo potiùs favet; cùm Omnes apprehendant, ex eo Decreto Episcopos sentire speciale commodum, quoniam non omnibus, sed ipsis specialiter conceditur ea potestas. Porrò impedimenta Matrimonii pro omnibus generaliter auferuntur.

Ex eadem Declaratione probatur, quod additur in Concluſ. *Quàmvis in Aliquibus iam illa sit derogatum*; quia adhuc verum est dicere: *Concilium in illa regione seu Diœcesi est receptum*, & falsum est dicere: *Concilium in illa regione seu Diœcesi adhuc receptum non est.* Jam autem Congreg. Card. nihil aliud requirit, quàm quòd Concilium in illis regionibus fuerit receptum.

Deinde, cùm semel jus acquisitum fuerit quoad illum favorem, nec consuetudo aliud, quàm id, de quo inducta est, abroget, nulla est ratio, quare ille favor censeatur abrogatus. Accedat Reg. 16. de Reg. juris in 6. *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.* Ergo licèt Trident. foret abrogatum quoad omnia onera, adhuc decet esse mansurum quoad favores.

Rursùm ex præfata Declaratione Card. infertur, sufficere receptionem Concilii pro maxima parte; quia tunc verum est dicere: *Concilium fuit receptum*; secùs, si una tantùm aut altera lex fuerit recepta, quia tunc contrarium verum est, scilicet, *Concilium adhuc non fuit receptum*; cùm una aut altera lex non mereatur vocari Concilium. Itaque, ut concludamus hanc doctrinam, non videtur fuisse mens Concilii concedere favores, nisi cum tali conditione, quòd totum, aut major ejus pars reciperetur, etiam quoad onera.

Restat, ut declaremus personas, quas Episcopus hâc potestate potest absolvere. Eadem Concilium illas nominat dicens: *Delinquentes, quoscumque sibi subditos.* Sed qui illi? Num soli

tellere absolvere.

soli qui habent fixum domicilium in sua Diœcesi ? Certum est vagabundos etiam comprehendi; quia cùm nullibi fixum domicilium habeant, subduntur Episcopo, in cujus Diœcesi reperiuntur. Alioquin à nullo Episcopo possent absolvi, quòd non est credibile.

An advenas & peregrinos?

Dico ergo; omnes illos esse subditos in hoc Decreto, qui sunt subditi quoad Sacramentum Pœnitentiæ; ac proinde Episcopus hâc potestate absolvit advenas & peregrinos, qui in Diœcesi sua morantur. Quia advenæ & peregrini, quamdiu in Diœcesi sua morantur, ex generali Ecclesiæ consuetudine, seu interpretativa propriorum Prælatorum voluntate, ùt diximus Sect. 1. Conclus. 7. habentur ùt incolæ, quod attinet ad Sacramenta Confessionis & Eucharistiæ recipienda; & consequenter quoad absolutionem ab excommunicatione, quæ ad hæc Sacramenta præexigitur, & ad Confessionem pertinet.

190. Notabile aliquod ex Suario.

Pro quo advertit Suarez de Cens. Disp. 41. Sect. 2. n. 12. particulam illam, *Subditos suos*, non esse positam in prima parte illius cap. de dispensatione in irregularitate, sed tantùm in secunda de Absolutione à casibus reservatis, in ordine ad quam subditi dicuntur omnes illi, qui in foro sacramentali tali tempore subjiciuntur Episcopo Diœcesano, sive ibi habeant fixum domicilium, sive non. Non tamen omnes isti censentur subditi in ordine ad dispensationem irregularitatis.

Et ideo fortassè Concilium nullam mentionem subditorum fecit in illa parte, sed simpliciter dixit: *Liceat Episcopis in irregularitatibus dispensare* &c. Intelligendum est autem, licere hoc Episcopis respectivè, scilicet unicuique respectu personarum sui Episcopatûs, scilicet qui ibi habent domicilium, & generaliter dici possunt subditi Diœcesano Episcopo in spiritualibus. Hæc ille.

191. Quinam à Conc. censeantur subditi.

Ego autem adverto, Concilium non simpliciter dicere in secunda parte, *Subditos suos*; nam & illam particulam puto subintelligi in prima parte, cùm non possit dispensare Episcopus in irregularitatibus, nisi cum subditis suis, ùt Suarez ibi admittit; sed dicit: *Delinquentes, quoscumque sibi subditos*, id est, *Delinquentes, quotmodocumque sibi subditos*, sive ratione domicilii, sive aliâ quâcumque ratione, sufficienti ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ; ita ut ly *Quoscumque*, non debeat conjungi cum ly *Delinquentes*, sed cum ly *Sibi subditos*; unde in editione Meursiana a. 1644. invenitur comma inter ly *Delinquentes*, & ly *Quoscumque*.

Advenæ & peregrini sunt aliquo modo subditi.

Hæc sit ergo ratio Conclusionis nostræ; quia advenæ & peregrini sunt aliquo modo subditi Episcopi illius Diœcesis, in qua pro tempore morantur; ergo hic potest eos absolvere à casibus occultis, estò cum ipsis non posset dispensare in irregularitatibus: quia videlicet secundùm Multos (quibus favent Declarationes Cardin. suprà n. 176.) major subjectio requiritur ad dispensandum, quàm ad sacramentaliter absolvendum à peccatis.

192. Qui peregrinatur in fraudem non potest absolvi, ex Lugone.

Cæterùm existimat Lugo suprà n. 62. non posse absolvi peregrinum, si ex sua Diœcesi veniat ad alienam Diœcesim, ut ibi ab alieno Episcopo absolvatur: hoc enim, inquit, esset in fraudem, & lex non favet fraudulentis; ùt si aliquis ex Hispania transiret in Galliam, ùt ibi absolveretur ab hæresi per Episcopum, cui Papa ob Provinciæ necessitatem facultatem dedisset Hæreticos absolvendi: & hac de causa Disput. 20. de Pœnit. Sect. 5. n. 68. & 70. loquendo de Absolutione exterorum à reservatis, limitavi semper doctrinam illam ad eos, qui bonâ fide ad alium locum accesserunt, & non in fraudem, ut fugerent reservationem. Hæc ille.

Quæ vera sunt, suppositâ veritate communis sententiæ, quæ docet, peregrinantem in fraudem, non posse validè absolvi, etiam à peccatis non reservatis. Alioquin si possit ab his, dico, quòd etiam possit absolvi à casibus occultis vi hujus Decreti Trident. quo omnibus Episcopis conceditur potestas absolvendi quoscumque sibi subditos in sua Diœcesi. Vel ergo ille peregrinus non est subditus Episcopo alieno in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, adeòque non potest validè absolvi, etiam à peccatis non reservatis; vel est subditus, & dico, quòd possit absolvi à casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, nisi aliquid aliud obstet.

193. Religiosi possunt absolvi ab Episcopo à casibus occultis, si legitimè se ipsi subjiciant.

Ex quo ulteriùs sic argumentor pro ultima parte Conclusionis: Religiosi exempti possunt se subjicere Episcopo in ordine ad Absolutionem à peccatis non reservatis; ergo possunt absolvi ab Episcopo à casibus occultis vi illius Decreti, quod nihil aliud requirit, quàm subjectionem in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ; possunt, inquam, absolvi, supposito, quòd se legitimè subjiciant. Ad hanc autem subjectionem legitimam, requiritur licentia Superioris, cùm absque illa, ùt suprà vidimus, non possint extra Ordinem confiteri, etiam peccata non reservata, multò minùs reservata.

Neque hìc quæritur; an Episcopus possit absolvere ex licentia Superioris, quando ipse Superior posset absolvere, si vellet; quia tunc Episcopus censetur quasi delegatus Superioris, sicut quilibet alius, cui Superior daret illam potestatem. Quidni ergo tali casu posset absolvi ab Episcopo, sicut posset à quolibet alio delegato?

194. An quando Superior Regularium

Punctum ergo difficultatis eò pertinet, quando Superior non poterat absolvere, an possit ex ejus licentia cedi privilegio exemptio-

non potest suum Religiosum per se absolvere, possit eum subjicere Episcopo,

nis, Religiosusque exemptus subjici Episcopo, ut ipsum absolvat ab illis casibus, à quibus potest Episcopus suos subditos absolvere. Et sanè, meo judicio, sententia affirmativa nullam habet difficultatem: nam certum est, immo certissimum, Superiorem exemptum posse dare subdito suo, seu Religioso exempto, potestatem confitendi Episcopo peccata non reservata, immo & reservata in suo Ordine; ergo etiam confitendi peccata occulta reservata Sedi Apostolicæ: cur ergo Episcopus non posset eum absolvere ab illis casibus potestate, quam accepit à Conc. Trident. absolvendi delinquentes, quoscumque sibi subditos, in sua Diœcesi? Nam talis Religiosus est in sua Diœcesi, ùt suppono, & est sibi subditus in Sacramento Pœnitentiæ, alioquin non posset eum absolvere à peccatis non reservatis, cùm Absolutio sit actus jurisdictionis, qui non exercetur nisi in subditum; ergo &c.

195. etiam in ordine ad absolutionem ab excommunicatione & dispensatione in irregularitatibus. *Sanchez.*

Hanc sententiam intellectam non solùm de Absolutione sacramentali à peccatis; sed etiam de absolutione ab excommunicatione & dispensatione in irregularitatibus & suspensionibus, tamquam probabiliorem amplectitur Sanchez in Sum. lib. 4. cap. 39. n. 32. & probat: quia exemptio Religiosorum est potissimùm inducta in favorem Religionis, ut ejus Religiosi quietiùs Deo famulentur, & ne passim ab Ordinariis perturbentur; unde in iis, quæ quietem & favorem Religionis concernunt, non debent esse pejoris conditionis, quàm alii in eadem Diœcesi non exempti.

Nec rationi consonat, ut exemptionis privilegium in hoc casu contra ejus finem operetur, impediens hanc subjectionem ubi & quando necessaria est, ut Religiosi quietiùs vivant, ùt supponitur in casu necessaria: quia alioquin deberent recurrere ad Pontificem, quòd liquet ordinariè fieri non posse absque summa inquietudine. Igitur in his ita favorabilibus censetur per Epicheiam tota Religio consentire, immo & Summus Pontifex, qui privilegium exemptionis concessit.

196. Pontifex per privilegia concessit illam subjectionem. *Corduba.*

Nec tantùm consentit Pontifex per Epycheiam, sed etiam per expressa privilegia, de quibus Corduba in Compend. privil. Mendic. in suis additionibus verb. *Absolutio ordinaria quoad Fratres* §. 1. Notandum, inquit, quòd Greg. IX. fol. 116. concessit nobis in principio Ordinis, quando non habebamus tot privilegia, neque tantam auctoritatem habebant nostri Prælati, tunc, inquam, concessit, quòd possemus beneficium absolutionis & dispensationis, cùm oportuerit, recipere ab Archiepiscopis & Episcopis nostræ Diœcesis, in qua essemus. Sed quia jam multùm auctoritatis est in nostris Prælatis, sicut & in ipsis Diœcesanis, & adhuc major quoad aliqua; & quia per Pontifices successores prohibitum est nobis absolvi & dispensari per alios, quàm per nostros Prælatos, vel de eorum licentia, intrà seu extrà Ordinem, ùt habetur in eodem Compend. hoc eodem tit. §. 21. 22. & 36. & tit. *Exemptio* §. 5. Ideo jam parùm valet præfatum privilegium Greg. nisi fortè, quando Minorum Provincialis aut Generalis concederet licentiam suo subdito, ut absolveretur à censuris aliquibus, seu dispensaretur per tales Diœcesanos, vel per alios, virtute aliquarum Bullarum potentium absolvere aut dispensare, ùt hoc concessit Clem. IV. & Sixt. IV. ùt habetur in Comp. tit. *Exemptio* §. 5. & Leo X. ùt habetur in Comp. hoc eodem tit. §. 22. & 36.

Dixi notanter; *Fortè*; quia dubium est inter DD. Canonistas, ùt patet ex Sylvestro tit. *Exemptio* §. 10. & tit. *Absolutio* 5. §. 2. &c. & in aliis Summistis, utrùm exempti, quales nos sumus, possimus in casu subjicere nos Ordinariis in nostrum favorem, ùt in casu præsenti; & licèt sint opiniones in hoc (propter quod dixi ly *Fortè*) tamen tam virtute præfati privilegii Greg. IX. quàm aliorum, suprà allegatorum, videtur quòd id possumus (ùt dictum est) de licentia prædictorum Prælatorum nostrorum. Et ad hoc etiam facit privilegium Eugenii IV. concessum Monachis S. Benedicti, ùt habetur in Compend. tit. *Dispensatio* §. 25 Hactenus Cord.

Confirmatur hæc sententia ex jure communi cap. *Luminoso* 6. 18. q. 2. ibi: *Nec audeat* (ibi (id est, in Cœnobiis) *cathedram collocare Episcopus, vel quamlibet potestatem exercere imperandi, nec aliquam ordinationem; quamvis licitam, faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus: quatenus Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate; ut remotis vexationibus ac cunctis gravaminibus, divinum opus cum summa devotione animi perficiant.* Ita scribit Gregorius I. Castorio Episcopo Ariminensi.

Ergo exemptio non obstat, quin Episcopus, rogatus ab Abbate, possit exercere jurisdictionem in Monasterio exempto. Nam, ùt notat Gloss. ibi verb. *Luminoso*, hoc capitulum loquitur de Monasteriis exemptis vel privilegiatis. Atque ut ex nullo jure Religiosi exempti possent se subjicere Episcopo, saltem id poterunt virtute privilegiorum, suprà allegatorum.

Ex his facillimè respondetur ad argumenta Adversariorum. Clementinâ, inquiunt, penultimâ de Sent. Excom. Pontifex concedens Episcopo Absolutionem FF. Min. ab excommunicatione, contracta ob violationem præcepti, ibi impositi, sic ait: *Auctoritate Apostolicâ fungi volumus in hac parte.* Ubi Gloss. verb. *Auctoritate Apostolicâ*: *Hoc dicit propter exemptionem*; ergo exemptio impedit Absolutionem absque hac Pontificis licentia.

Confirmatur ex cap. *Religioso* 21. de Sent. Excom. in 6. ibi: *Religioso, qui manus violentas in Cleri-*

in Clericum sæcularem iniecit (ne hoc prætextu habeat materiam evagandi) poterit ab Episcopo eo casu absolutionis beneficium exhiberi. Ergo in aliis casibus id non conceditur.

199. Solutio. Respondeo cum distinctione: non conceditur jure communi, Transeat totum; non conceditur per privilegia extra jus commune, Nego Conseq. Vel sic: non conceditur independenter à licentia Superiorum, Concedo totum; dependenter à licentia Superiorum; Nego Conseq.

Alia solutio. Aliter respondet Sanchez suprà n. 40. non ideo concedi in illis juribus Episcopo facultatem absolvendi FF. Min. quòd illi sint ab Episcopo exempti; sed quia Summus Pontifex sibi reservabat absolutionem ab illis casibus, eaque de causa non posset Episcopus, etiam suos subditos absolvere, non concedente Pontifice licentiam.

200. Secunda objectio. Præterea argumentantur Adversarii & dicunt: in exemptione non solius exempti favor est, sed etiam Superioris, id est, Pontificis eximentis, cùm per exemptionem Religiosi ipsi immediatè subjiciantur; quare sua interest conservare hanc immediatam subjectionem. Ergo in hoc eventu non habet locum Regula textûs in cap. *Ad Apostolicam* 16. de Regul. ibi: *Sitamen ante tempus probationis, regulariter præfinitum, is, qui converti desiderat, habitum recipit, & professionem emittit, Abbate per se vel per alium professionem recipiente monasticam, & monachalem habitum concedente, uterque renuntiare videtur ei, quod pro se noscitur introductum.*

cap. 16. de Reg.

Hæc, inquam, Regula, ut valeat quis renunciare favori pro se introducto, non habet locum in hoc eventu; sed in illo dumtaxat, in quo favor introductus est pro se solo. Iam autem beneficium exemptionis non est personale, sed totius Religionis. Non ergo privati Prælati consensus sufficit ad cedendum illo, & subjiciendum Religiosum Episcopo; argum. cap. *Si diligenti* 12. de foro competenti, in quo decernitur, non posse Clericum consentire in Iudicem laicum; *Cùm* (inquit Innoc. III.) *non sit beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potiùs toti collegio Ecclesiastico publicè sit indultum: cui privatorum pactio derogare non potest.*

c. 12. de For. compet.

c. 5. de Arbitris.

Item argum. cap. *Cum tempore* 5. de Arbitris ibi: *Cùm etsi sponte volueris, de iure tamen nequiveris sine licentia Romani Pontificis renuntiare privilegus vel indulgentius libertatis, quæ monasterium illud indicant ad ius & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere.* Loquitur de Ecclesia exempta.

201. Solvitur. Respondeo: exemptionem hanc principaliter inductam esse in favorem quietis Religiosorum, quâ proinde cessante, maximè contrariè, quasi cessat ipsa exemptio, ex tacita voluntate Pontificis & Religionis, ùt patet ex jam dictis. In tantum, ut Sanchez suprà n. 35. cum Aliis, quos citat, putet, extendendam esse hanc tacitam voluntatem ad eum casum,

Quid si Prælatus sit impeditus ann mortuus? *Sanchez.*

in quo Prælatus sit impeditus, quia est excommunicatus denuntiatus, aut obiit, aut longè abest, nec est alius vices ejus gerens.

D. Antoninus. Audite D. Antoninum 3. p. tit. 24. c. ult. §. 1. versic. *Et nota quòd propter.* In casu, inquit, quo Regularis excommunicatus non haberet Prælatum, qui esset Sacerdos, ut si esset defunctus ipse Prælatus, vel excommunicatus, ad Diœcesanum recurrendum est; secundùm Hostiensem. Quod Guilielmus intelligit, tam de exemptis, quàm de non exemptis. Hæc ille.

Sylvester. Et Sylvester verb. *Apostasia* q. 8. n. 11. ad finem sic ait: Super exemptum nullam habet Episcopus auctoritatem, nisi fortè in foro conscientiæ Absolutio in defectu Prælati concedenda sit.

202. Quid si Prælatus injustè neget licentiam petitam? *Sanchez.* Sed quid si Prælatus injustè neget licentiam petitam? Respondet Sanchez suprà n. 36. non est censendum, voluntatem Summi Pontificis & Religionis esse, ut Episcopus in eo eventu non absolvat, & cogatur Religiosus vagari, & accedere ad Sedem Apostolicam, gratiâ absolutionis impetrandæ.

Quare potius Religiosus exemptus possit se subjicere Episcopo, quàm Clericus laico. Quid ergo mirum, si Religiosus exemptus possit se subjicere Episcopo, Clericus autem non possit se subjicere Iudici laico? Nam Religiosus habet consensum Pontificis, qui ipsum exemit, & consensum suæ Religionis, in cujus favorem exemptio fuit data; Clericus autem non habet consensum Collegii Ecclesiastici, cui illud beneficium, ùt ait Pontifex suprà, publicè fuit indultum.

203. Religiosus non potest se subjicere Episcopo, quando patet remedium intrà Religionem. Ex his infero; Religiosum non posse se subjicere Episcopo, & per consequens, Episcopum non posse eum absolvere, de sola licentia immediati Superioris, quando Superior mediatus potest absolvere; cùm enim tunc pateat remedium intrà Religionem, non censetur vel Pontifex, vel Religio consentire, ut extra illam remedium quæratur; qui tamen consensus est necessarius, ùt patet ex dictis.

Cæterùm, quæ hactenus dicta sunt, intelligenda veniunt de Episcopo loci, in quo Religiosus ille commoratur, habitatione requisitâ, ut censeatur aliquis Episcopo illi quoad hæc subjectus. Quæ habitatio quoad absolutionem est, in ea Diœcesi esse saltem per modum transitûs; quoad dispensationem verò, commorari in ea, aut habere animum commorandi saltem magnâ anni parte.

Sin autem Religiosus in Diœcesi habeat domicilium, nunquid existens extra Diœcesim, poterit absolvi? Et idem quæri potest de aliis, sive sæcularibus, sive Religiosis non exemptis. Respondeo:

CONCLUSIO X.

Subditos quoad domicilium absolvit Episcopus à casibus occultis extra propriam Diœcesim.

204. Ratio dubitandi.

TOta difficultas oritur ex illis verbis Trident. *In Diœcesi sua*, quæ referri possunt vel ad solum Episcopum, ita ut hic dumtaxat debeat esse in propria Diœcesi, ubicumque fuerit subditus; vel ad subditum tantùm, ita ut ipse debeat esse in propria Diœcesi, ubicumque existat Episcopus; vel ad Episcopum & subditum, sic ut tam hic, quàm ille debeat esse in propria Diœcesi.

Non est necesse Episcopum & subditum intrà propriam Diœcesim existere. *Suarez. Sanchez.*

Et quidem non esse necesse utrumque intrà Diœcesim existere, est communis sententia Suarii de Cens. Disp. 41. Sect. 2. n. 11. Sanchii in Sum. lib. 2. c. 11. n. 15. & Aliorum. Quia, inquit, Suarez suprà in fine, neque ex vi verborum id significatur, neque oportet concessionem restringere, plusquam verba cogant.

205.

Sed nunquid verba illa cogunt restringere potestatem Episcoporum ad propriam Diœcesim, sic ut ipse existens in aliena Diœcesi, non possit subditum existentem in propria Diœcesi absolvere? Negat Suarez suprà, quem sequitur Sanchez suprà n. 16. & probat: quia per verba tam ambigua, & commodè sanum sensum patientia, non est credendum Tridentinum voluisse ita arctare facultatem Episcopi, ac omnia jura corrigere; quæ jurisdictionem voluntariam extra propriam Diœcesim exerceri posse docent.

Probatur Episcopum non debere existere.

Responsio Adversariorum.

Sed ad hoc respondent Adversarii; nullatenus per illam restrictionem seu arctationem derogari juri communi, & exercitio voluntariæ jurisdictionis; sicuti non est derogatio juris communis, quòd Absolutio solùm concedatur pro foro conscientiæ. Quippe cùm Episcopus in illis reservatis nullam haberet potestatem, potuit Pontifex seu Concilium illas conditiones apponere, absque juris communis derogatione.

206. Rejicitur ex Trident.

Esto, potuerit apponere illas conditiones; non satis constat, eas appositisse: quia, ùt bene Sanchez suprà, quando aliquid extra Diœcesim fieri noluit, non verbis ita ambiguis, sed clarissimis explicuit, ùt sess. 6. c. 5. de Reform. ibi: *Nulli Episcopo liceat, cuiusvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diœcesi exercere.*

Et sess. 23. cap. 1. de Reform. volens ut antiquior Episcopus, in propria Diœcesi existens, ex suffraganeis, approbet causas absentiæ Archiepiscopi, dixit: *Episcopo antiquiori residenti.* Ubi illa particula; *Residenti*, clarè demonstrat opus esse, ut intrà propriam Diœcesim existat; non enim aliàs dicetur residens.

Cùm ergo favores sint ampliandi, & odia restringenda, ac contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, interpretatio sit facienda, quidni impræsentiarùm contra Concilium, quod apertiùs potuit dicere legem, interpretatio sit facienda, & potestas jurisdictionis voluntaria amplianda seu extendenda ad Episcopum, existentem in aliena Diœcesi?

Ita nobiscum docet Lugo de Fide disp. 23, n. 73. Licèt enim quoad actus Pontificales, qui concernunt potestatem Ordinis, propter auctoritatem quamdam & majestatem, quam præ se ferunt, attendatur, ne Episcopus in alterius Diœcesi eos exerceat sinè ejus consensu; quoad hos tamen actus jurisdictionis voluntariæ, qui non habent ejusmodi solemnitatem & pompam externam, parùm curat Episcopus, quòd alius Episcopus in ejus Diœcesi, sinè ejus licentia, eos faciat circa proprios subditos; alibi existentes, circa quos ipse Episcopus, in cujus Diœcesi ille alius Episcopus commoratur; nihil potest exercere, eò quòd non sint ejus subditi. Hæc ille.

Quid ergò, inquis, si Episcopus existens in aliena Diœcesi, in eadem inveniat subditos suos quoad domicilium; nunquid poterit ibi eos absolvere? Jam enim neque ipse est in sua Diœcesi, neque subditi sui sunt in propria Diœcesi. Aliunde autem, potest ipsos ibi absolvere à peccatis non reservatis.

Respondet Card. suprà: Episcopos multum curare, ne circa subditos, qui ad eum jam pertinent, dum ibi commorantur, alius Episcopus sive præsens, sive absens, illos actus exerceat. Cùm enim hi eo tempore deberent ad ipsum Episcopum recurrere, in cujus Diœcesi sunt, multùm ei præjudicatur, si possint ad proprium Episcopum recurrere, ipso relicto, eoque invito se ostendere absolutos, qui antea excommunicati erant. Ut igitur hæc occasio querelæ Episcopis tolleretur, & debita servaretur pax, prudenter cum ea limitatione facultas absolvendi concessa fuit, ne subditi extra Diœcesim commorantes à proprio Episcopo absolverentur, sed ab illo, apud quem actu sunt. Hactenus Eminent.

Et continuò attexit: Ego potissimùm ad hanc sententiam amplectendam moveor; quia videtur esse juxta sensum Sacræ Congregationis, si considerentur ejus verba in responsione illa suprà relata; loquendo enim de subdito, qui extra propriam Diœcesim commoratur, de quo quærebatur, quid circa ipsum posset Episcopus proprius absens, ex vi illius Tridentini Decreti, dicunt; *Posse ipsum absolvi in Sacramento Pœnitentiæ ab illo Episcopo, in cuius Diœcesi vel civitate commoratur.*

Quàmvis autem non dixerint expresè; non posse-

posse absolvi à proprio Episcopo, hunc tamen fuisse Cardinalium sensum significant satis verba, immediatè subsequentia, quibus redditur hæc ratio: quia *Nuntii, qui possunt absolvere excommunicatos ob injectionem manus in Clericos, non possunt absolvere subditos extra Provinciam.*

Quod exemplum probat etiam de absolutione à censura, quasi diceret; sicut Nuntius, quia accipit potestatem limitatam ad exercendam illam intrà Provinciam, non potest absolvere subditum, extra illam existentem, ita nec Episcopus, cui data est facultas absolvendi subditos *In sua Diœcesi*, poterit vi hujus facultatis absolvere eos, extra illam vagantes. Unde constat, verba illa: *In sua Diœcesi*, intellecta fuisse à Congregatione, ùt limitantia facultatem, ne exerceretur cum subdito extra Diœcesim commorante. Hucusque Lugo.

210. Responsio. Ego autem dico: hæc Declaratio (quam vide suprà n. 176.) neminem debet movere, ad hanc sententiam amplectendam; non enim hìc quærimus, an possit Episcopus, in aliena Diœcesi suum subditum absentem absolvere in Sacramento Pœnitentiæ (de qua Absolutione loquitur hæc Declaratio, ùt manifestum est ex ejus verbis) constat quippe Absolutionem sacramentalem requirere præsentiam, ùt ibidem Congregatio declarat: sed quæritur, an Episcopus in aliena Diœcesi suum subditum præsentem possit sacramentaliter absolvere, aut absentem extra Sactamentum, quod non fuit ibi quæsitum, nec decisum, ùt probat exemplum Confessionis, quo utitur illa Declaratio dicens: *Accedit etiam, quòd Concilium loquatur de Absolutione sacramentali in foro Conscientiæ, quæ requirit præsentiam exemplo Confessionis, quæ non potest fieri per nuntium vel per litteras.* Ergo loquitur Congregatio de Absolutione sacramentali, quæ fieret per nuntium vel per literas: nos autem hìc agimus de Absolutione non sacramentali, vel de sacramentali, quæ fieret in præsentia Episcopi & subditi, utroque simul existente in aliena Diœcesi.

Ex quo etiam respondetur ad exemplum Nuntii, quod ibidem affertur ad probandum, inquit Lugo suprà, non posse Episcopum absolvere subditum distantem, & existentem extra Diœcesim. Quod juxta dicta ego intelligo, de Absolutione in Sacramento Pœnitentiæ; nam de hac loquitur Congregatio, ùt statim dixi; proinde perperàm affertur illud exemplum, nisi de tali Absolutione intelligatur: jam autem verissimum est, neque Nuntium, neque Episcopum posse absolvere in Sacramento Pœnitentiæ, sive à peccatis, sive à censuris, subditum distantem, & existentem extra Diœcesim.

211. Objectio solvitur. Si dixeris; hoc nimis clarum est, quàm ut indigeat speciali Declaratione. Respondeo; ideo mihi est suspecta illa Declaratio, adeoque meliùs dicitur, ùt superiùs adhuc dixi, eam non esse authenticam, ac proinde parùm curandam, nec propter eam amplectendam sententiam Lugonis.

Quamquam & eandem doceat Suarez de Cens. disp. 41. sect. 2. n. 10. & 11. & de Pœnit. disp. 30. sect. 2. n. 3. fundans se in verbis Concilii: *In Diœcesi sua*, quæ aliàs forent superflua. Rationem autem Concilii putat sumendam ex aliqua consideratione morali: quia, inquit, propter majorem pacem & meliorem ordinem, voluit facultatem hanc limitare non tantùm ad personas, sed etiam ad territoria & loca. Suarez docet sententiam Lugonis.

212. Respondetur ad ejus rationem. Respondeo ad rationem; cùm hæc Absolutio sive in Sacramento, sive extra Sacramentum sit actus jurisdictionis voluntariæ, idque pro solo foro conscientiæ, non est perturbativa pacis, etsi in aliena Diœcesi exerceatur, magìs quàm Absolutio à peccatis non reservatis, vel dispensatio in votis, & aliis legibus, quæ tamen fieri possunt in aliena Diœcesi juxta communem sententiam.

Unde per ipsam parùm vel nihil præjudicatur Episcopo alienæ Diœcesis, cùm non debeant ad eum recurrere, nisi per accidens; sed possint de per se differre Absolutionem, usque dum regrediantur ad propriam Diœcesim; neque eo invito, secundùm Aliquorum sententiam, possent se ostendere absolutos, qui antea excommunicati erant; quia in foro externo non prodest illa absolutio, ut proinde Episcopus, Hæreticum sic absolutum, posset trahere ad judicium.

Deinde, qui antea erant voto adstricti, etiam eo invito, possunt se ostendere absolutos, & tamen propterea nemo negat, illam absolutionem esse validam, aut affirmat, per illam turbari pacem, vel fieri aliquod præjudicium Episcopo illius Diœcesis; estò etiam ipse posset in voto illo dispensare, quia v. g. æqualiter habitat in utraque Diœcesi.

213. Quare Concilii addiderit illa verba: *In Diœcesi sua*, Nec ideo erit superflua illa particula: *In Diœcesi sua*; quia addita est majoris claritatis gratiâ, ut sensus sit: *Quoscumque sibi subditos, etiam solùm ratione existentiæ in sua Diœcesi*, cùm alioquin per subditos ordinariè intelligamus subditos quoad domicilium. Ut ergo, absque aliqua hæsitatione, etiam intelligeremus advenas & peregrinos, adjunxit Concil. illa verba: *In Diœcesi sua.*

Alii putant, addita esse illa verba, ad excludendos subditos in temporalibus, qui non pertinent ad ejus Diœcesim. Item subditos in Abbatia aliqua, qui non subduntur ei, ùt Episcopo, sed, ùt Abbati.

214. Rejicitur Aliquorum explicatio. Sed contrà, dicet aliquis: facultas concessa Episcopis, absolvendi subditos, ex se significat satis apertè sensum formalem, nempe de subditis Episcopo, ùt Episcopo. Alioquin cùm verba illa: *In sua Diœcesi*, non sint addita in

in facultate, paulò ante in eodem Decreto concessa Episcopis, ad dispensandum in irregularitatibus & suspensionibus occultis, & non deductis ad forum contentiosum, sequeretur, posse Episcopum dispensare cum subditis suis temporalibus, non pertinentibus ad ejus Diœcesim, quod nemo concedet.

An Episcopus possit dispensare cum iis, qui non sunt ei subditi ut Episcopo, Lugo.

Immo nec potest cum iis, qui ei, non ut Episcopo, sed ut Abbati subduntur: quia facultas Episcopo, ut Episcopo concessa, semper intelligitur in ordine ad subditos, qui ei, ut Episcopo subduntur, etiamsi alia explicatio non addatur, quæ si addenda erat, cur non fuit etiam in priori concessione addita? Ita interrogat Lugo suprà n. 72.

Respondeo; quia in priori concessione nulla fit mentio subditorum: at verò in posteriori ponitur ly *Quoscumque subditos*, quod comprehenderet subditos in temporalibus (nam & hi, aliqui subditi sunt) nisi adderetur: *In sua Diœcesi*, id est ratione Diœcesis.

215. Objectio.

Si inferas; ergo Episcopi poterunt dispensare cum subditis suis temporalibus, non pertinentibus ad ejus Diœcesim, quia in priori parte non additur ly *In sua Diœcesi*.

Solvitur.

Respondeo, Neg. Conseq. quia non ponitur etiam ly *Quoscumque subditos*; adeòque prima concessio intelligenda est secundùm jus commune, id est, Episcopum posse dispensare in irregularitatibus &c. cum illis, cum quibus potest dispensare in aliis juribus. Præterquam, quòd, secundùm Sanchium l. 2. Sum. cap. 11. n. 10. in fine, Decretum Tridentini non sit ita formaliter intelligendum, ut petat subjectionem Episcopo, quatenus Episcopus est.

216. Quis sit sensus horum verborum: *Quoscumque sibi subditos* &c.

Itaque, ut finem imponamus huic controversiæ & Conclusioni; dico cum Sanchio suprà n. 17. in fine, legitimum sensum eorum verborum esse, *Quoscumque sibi subditos in sua Diœcesi*, ut nullatenùs jurisdictionem Episcopi limitent, sed tantùm velint, Episcopum posse absolvere quoscumque sibi subditos, & quomodocumque sibi subdantur; nempe vel quia sunt ordinarii subditi, utpote qui ibi domicilium habeant; vel quia subduntur quoad solum Pœnitentiæ forum, eò quòd in sua Diœcesi inveniantur, tamquam advenæ & peregrini.

Sicut ergo Episcopus suos subditos quoad domicilium potest absolvere ab aliis excommunicationibus, estò tam ipse quàm subditi sint extra Diœcesim; ita quoque vi hujus Decreti Concil. Trid. potest eosdem absolvere ab excommunicationibus, Pontifici reservatis, etsi tam ipse, quàm illi sint in aliena Diœcesi. Insuper, ut progrediamur in hac materia:

CONCLUSIO II.

Episcopi absolvunt à quibuscumque casibus Papalibus, habentibus excommunicationem annexam, eos, qui ob impedimentum, etiam tantùm temporale, Pontificem, vel ab eo delegatum, adire nequeunt; dummodò jurent, exceptis impuberibus, quòd cessante impedimento se illi sistent, relapsuri aliàs in eandem censuram. An autem hoc debeat, aut possit extendi ad reservata aliis Prælatis, incertum est.

HÆc Conclusio colligitur ex jure Canonico; cap. 11. de Sent. Excom. ubi sic scribit Pontifex Alex III. Cenonamen. Episcopo: *De cætero noveris, quòd si quis pro violenta manuum injectione in Clericum, est vinculo excommunicationis astrictus, si habens capitales inimicitias, vel alias justas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusetur, ita quòd sine periculo; Apostolico se nequeat conspectui præsentare: licet Diœcesano Episcopo, recepto juramento, secundùm morem Ecclesiæ, sibi absolutionis gratiam impertiri. Sed est illi sub juramenti debito injungendum, ut quamcitius opportunitatem habuerit, Romanum Pontificem adeat, Mandatum Apostolicum susceptutus.*

Item cap. *Quod de his* 26. eodem tit. ibid. *Fraternitati tuæ duximus respondendum, quòd si quis asserit, se in Canonem lata sententia incidisse, non aliter, quàm per Sedem Apostolicam, vel eius Legatum, absolutionis potest beneficium obtinere; nisi forte sit in mortis articulo: vel paupertate aut infirmitate, vel senectute tantâ gravetur, quòd ad Ecclesiam Romanam laborem subire non valeat veniendi: vel ab hoc alio impedimento canonico retrahatur. Caterùm ab his in forma Sacramenti exigi consuevit, ut resumptis viribus, & opportunitate concessâ, Romanam Ecclesiam in propria persona debeant visitare.* Ita Clemens III.

Consimiliter loquitur Greg. IX. cap. 58. eod. tit. *Quàmvis incidens in Canonem lata sententiæ, propter violentam manuum injectionem, iniuste proprias facultates eis satisfaciat, quibus iniurias irrogavit, non tamen aliter, quàm per Sedem Apostolicam, vel eius Legatum, absolutionis potest beneficium obtinere: nisi imminente mortis articulo, infirmitate, immicitiâ, aut inopiâ, pueritiâ vel senilitate, fragilitate sexûs, seu aliâ corporis impotentiâ, sive quolibet impedimento canonico retrahatur, quòd*

quò minùs Romanum Pontificem possit adire: vel nisi iuris beneficio à labore huiusmodi excusetur. Cæterùm quibusdam prædictorum, videlicet qui temporali impedimento laborant, exceptis pueris, sub debito iuramento (quod secundùm Ecclesiæ formam præstare tenentur) consuevit iniungi, ut impedimento cessante, ad Apostolicam Sedem accedant, mandatum ipsius humiliter suscepturi.

218. Et quàmvis hæc jura loquantur de particulari reservatione, facta in Can. *Si quis suadente*, id est, de excommunicatione ob percussionem Clerici; nihilominus DD. unanimi consensu ea extendunt ad omnes alias excommunicationes reservatas, tum propter identitatem rationis, quæ Pontificem movit, ut putà: *Ne pro dilatatione pœnitentiæ periculum imminens animarum*, argum. cap. ult. de Pœnit. & Remiss. in 6. & ne reservatio, quæ pro bono charitatis introducta est, contra charitatem vergat: tum quia alia jura generatim loqui videntur, præsertim cap. 22. de Sent. Excom. in 6. quod sic incipit: *Eos, qui à sententia Canonis vel hominis (cum ad illum, à quo alias de iure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolvuntur: si cessante posteà periculo vel impedimento hujusmodi, se illi, à quo his cessantibus absolvi debebant, quàm citò commodè poterunt, contempserint præsentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi & satisfacturi prout iustitia suadebit: Decernimus (ne sic censuræ illudant Ecclesiasticæ) in eandem sententiam recidere ipso iure.* Ubi Bonif. VIII. generaliter loquitur de omni sententia Canonis vel hominis.

Præterea ex c. 22. eod. in 6.

219. Quamquam responderi posset; in eo textu nullum jus statui, neque ullam facultatem novam concedi quoad Absolutionem, sed solùm declarari, seu decerni, quod alibi non erat decretum, scilicet quòd incurratur iterùm excommunicatio ab his, qui non se deinde sistunt suis legitimis Iudicibus: ad hoc autem decernendum non erat necessarium determinare excommunicationem, à qua possit Episcopus propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum absolvere; sed pro hoc puncto remisit se ad alia capita, in quibus, sicut vidimus, solùm agitur de percussione Clerici.

Quid ad hoc resp. responderi posset.

Ut ut sit de hoc jure, de quo infrà redibit sermo, materialiter factum fuit, ut casus circa percussionem Clerici occurrerit; cùmque nihil inveniatur in hoc peccato, propter quod Pontifices voluerint lenire reservationem ejus potiùs, quàm aliorum peccatorum; immo semper peccatum illud maximo odio prosecuti fuerint, & reservatio illius sit omnium antiquissima, jure merito sumitur argumentum ab hac reservatione ad alias, tamquam à primo exemplari, quod est veluti mensura cæterarum.

Unde ab hac regula non sunt excipiendi casus Bullæ Cœnæ, tametsi in Bulla dicatur, quòd nullus possit ab illis absolvere extra articulum mortis, cùm & hoc ipsum dicatur in Can. *Si quis suadente*, ibi: *Et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo.*

220. An sint excipiendi casus Bullæ Cœnæ.

Præsertim cùm in diuturno tempore, quo deberet differri Absolutio, moraliter imminere possit periculum mortis. Et aliunde articulus seu periculum mortis excipiatur, eò quòd pro illo non fiat reservatio ex generali consuetudine; ideòque illa jam est veluti universalis forma ferendi talem reservationem, quæ non excludit alias concessiones seu delegationes ipso jure factas.

An sit eadem ratio de peccatis reservatis sinè censura. Suarez. Lugo.

Sed nunquid eadem est ratio de peccatis reservatis sinè censura? Affirmat Suarez Disput. 30. Sect. 3. n. 11. (quem sequitur Lugo Disp. 20. n. 223.) dicens: Si Pontifex nunc reservet casum sinè excommunicatione, ut de Sixto V. suprà attulimus; sinè dubio de illo casu Pontificio quoad hunc articulum perinde judicandum est, ac de aliis habentibus impositam excommunicationem; quia jura absolutè concedunt beneficium Absolutionis in prædicto eventu: nec videtur rationi consentaneum, ut propter excommunicationem adjunctam facilior sit Absolutio, quàm sinè illa.

221. Objectio contra sententiam affirmantem.

Sed contra: jura jam allegata non concedunt absolutè beneficium Absolutionis, sed cum onere postmodùm comparendi coram Superiore. Quod onus, ut fatetur Lugo suprà, non est imponendum in hoc eventu; ergo de hoc eventu non loquuntur illa jura.

Deinde rationi consentaneum videtur, ut propter excommunicationem adjunctam facilior sit Absolutio, quàm sinè illa; quia damnum excommunicationis est longè majus, quàm nuda reservatio peccati: potest enim per Contritionem tolli peccatum, non sic excommunicatio, privans & politico commercio cum aliis, & participatione orationum, ingressu in templum &c. quæ quia Pontifex non optat, ut diù durent, dat eam facultatem, cum onere postea comparendi; in peccatis autem sinè censura ea omnia cessant, quæ etiam indirectè possunt absolvi, & absolvuntur per directam Absolutionem aliorum peccatorum; cùm tamen, ut Multi volunt, peccata reservata cum excommunicatione, non possint nequidem indirectè absolvi, nisi priùs tollatur excommunicatio; ergo major ratio fuit concedendi illam potestatem pro peccatis reservatis cum excommunicatione, quàm sinè ea, esto ordinariè illa peccata sint graviora; ergo verisimile est, Pontificem ita voluisse facere. Unde omnibus pensatis probabilior mihi videtur, inquit Arriaga disp. 41. n. 28. in fine, sententia Patris Vasquez. *Arriaga.*

222. Sententia Vaſquez.

Sed quæ illa ? Dicendum eſt, in extremâ neceſſitate abſolutum à caſibus reſervatis, habentibus excommunicationem annexam, teneri comparere coram Superiori, juxta ſtatutum in cap. *Eos qui*, de Sent. Excom. in 6. non ut abſolvatur ſacramentaliter, ſed tantùm ut recipiat pro excommunicatione ultimam ſententiam : quando verò non ſunt caſus reſervati cum excommunicatione, non tenetur comparere ſemel abſolutus coram Superiore. Ita præfatus Auctor qu. 93. a. 1. dub. 6. n. 15.

Lugo.

Unde, inquit Lugo ſuprà n. 222. videtur ſupponere, facultatem illam Epiſcopo datam, cùm data ſit cum eo onere, ſolùm extendi ad caſus, qui habent excommunicationem Pontifici reſervatam.

Sententia negans eſt probabilis.

Quidquid ſit de hac Conſequentia, quæ poſſet negari ; & ſive illa ſit ſententia Vaſquez, ſive non, indubiè eſt probabilis (ſi non probabilior) ùt jam dicta ſatis oſtendunt. Et ideo addidi in Concluſ. illa verba : *Habentibus excommunicationem annexam*, tenens certum, & dimittens incertum.

223. An ſit eadem ratio de peccatis reſervatis aliis Prælatis inferioribus?

Cæterùm pro majori explicatione hujus difficultatis, quæri poſſet, an hæc facultas abſolvendi à reſervatis Papæ, habeat etiam ſuo modo locum in peccatis & excommunicationibus reſervatis inferioribus Prælatis. Id eſt, an ſi non poſſit facilè adiri Epiſcopus, propter impedimentum temporale vel perpetuum, cenſeatur facta à Pontifice licentia, petendi Abſolutionem à Parocho, vel alio immediato Confeſſario, cum onere tamen comparendi coram ipſo Epiſcopo, ablato impedimento.

Negant Suarez & Lugo.

Negant hanc extenſionem Suarez ſuprà n. 12. & ipſum ſecutus Lugo ſuprà n. 225. quia, inquit Suarez, Pontifices ſolùm loquuntur de caſibus ſibi reſervatis, in quibus eſt ſpecialiſſima ratio, utputà, quia aditus ad Summum Pontificem moraliter & regulariter loquendo ex multis cauſis poteſt eſſe difficilis, & ideo oportuit, ut communi jure proviſum eſſet aliquod remedium pro hujuſmodi eventu ; quia leges humanæ dantur de his rebus, quæ frequentiùs accidunt : reſpectu verò inferiorum Prælatorum rariùs contingit aditum eſſe ita difficilem, & ideo neceſſarium non fuit commune jus ad illos extendi.

Et præterea declarari poteſt ; quia ad curam ipſorum Pontificum pertinuit, juriſdictionem hanc in ſuis caſibus committere : in inferioribus autem Prælatis, ſicut ab eis reſervatio fit per ſtatuta particularia, vel Diœceſum, vel Religionum, ita eorum curæ & prudentiæ committitur, ut eam faciant modo accommodato ſaluti animarum ; ideòque in hujuſmodi ſtatutis ferè ſemper declarari ſolet, ut quoties fuerit difficilis aditus ad Prælatum, poſſit aliquo modo obtineri ab aliis Abſolutio, ne nimium Pœnitentia differatur. Ita Suarez.

Quem Lugo ſuprà n. 228. notat, non bene retuliſſe hanc juris Regulam dictâ Sect. 3. n. 8. *Quottes non patet aditus ad Summum Pontificem vel Legatum, aut Delegatum eius, niſi cum magna difficultate & mora, poſſe peccatorem abſolvi ab inferiori Sacerdote, cum onere comparendi coram Pontifice.* Hæc Regula, inquit Eminent. cum ea generalitate falſa eſt, neque habetur in jure: ſed quòd poſſit tunc abſolvi pœnitens ab Epiſcopo, cum onere comparendi coram Pontifice.

Sed contrà ; licèt cap. *De cætero*, in principio Concluſ. allegato, illa Abſolutio committatur Epiſcopo ; equidem cap. *Quamvis*, ibidem citato, nulla fit mentio Epiſcopi, ſed generaliter ſtatuitur vel ſignificatur, quoties non patet aditus ad Pontificem vel Legatum aut Delegatum ejus, niſi cum magna difficultate aut mora, poſſe ab alio abſolvi. Quis autem ille alius ſit, non dicitur in textu; ſed tantùm in Summario, quod ſic ſonat: *Satisfaciens Clerico, quem verberavit, non poteſt propter hoc ab Epiſcopo abſolvi, niſi in certis caſibus hìc expreſſis.*

Similiter in cap. *Eos qui*, nullo verbo ſignificatur, qui ſint iſti alii, qui tempore neceſſitatis poſſunt abſolvere à caſibus reſervatis, an ſoli Epiſcopi, an etiam Parochi & inferiores Sacerdotes.

Hinc putant Aliqui, in eo cap. committi illam Abſolutionem Parochis pro caſibus ab Epiſcopo reſervatis. Nam videtur in eo jure non eſſe ſermonem de ſolo Papa, alioquin non dixiſſet : *Cùm ad illum, à quo aliàs*, qui eſt terminus univerſalis ; ſed dixiſſet : *Cùm ad Sedem Apoſtolicam* &c.

Deinde cùm dicat : *A ſententia Canonis vel hominis*, videtur etiam loqui de ſententia Prælatorum inferiorum ; nam Pontificiæ dicuntur ſententiæ Canonum.

Immo Gloſſa ibi videtur Abſolutionem casûs Pontificii committere ſimplici Sacerdoti; ſic enim proponit caſum illius juris : *Inieci manus violentas in Clericum & atrociter, & ſic ſum excommunicatus, à qua excommunicatione non poſſum abſolvi, niſi à Papa ; ſed eò quòd eram in periculo mortis conſtitutus propter infirmitatem, vel eò quia volebam intrare bellum vel mare, petii beneficium Abſolutionis à meo Diœceſano vel ſimplici Sacerdote : fui abſolutus, lapſo impedimento perveni ad ſanitatem, vel fui regreſſus à bello vel mari, nunquid tam citò, quàm potero, debeo adire Papam pro obtinenda Abſolutione: quia me abſolvens abſolvit cum hac cautione, ut paterem mandatis Papæ?*

Fateor, inquis ; Gloſſa committit caſum Pontificium ſimplici Sacerdoti, ſed in articulo ſeu periculo mortis, ùt patet ex verbis ; ſecùs in caſu alterius impedimenti, de quo hìc quæritur ; & videtur non committi, quia ubi

ubi jus tantùm loquitur de alio impedimento, Episcopo committit Absolutionem, ùt patet ex cap. *De cætero* suprà. Ubi Glossa verb. *Licet Diœcesano*, interrogat: *Nunquid & Presbytero? Respondeo, in summa necessitate licet; argum. 17. qu. 4.* Si quis suadente. *& sup. eodem,* Non dubium. *aliàs non, nisi hoc faceret de mandato Episcopi 26. qu. 6. cap. ult. quia Episcopus hanc Absolutionem bene potest committere sup. de Offic. Ord. cap. ult. Ber.*

cap. 6. de Sent. Excom. Item ex cap. *Mulieres 6.* de Sent. Excom. *Mulieres vel aliæ personæ, quæ sui iuris non sunt, ab Episcopo Diœcesano absolvi possunt, si manus in Clericum iniecerint violentas.*

cap. 33. eod. Præterea ex cap. 33. eodem. *De Monialibus tua nos Fraternitas requisivit, per quem eis sit beneficium Absolutionis impendendum, si vel in se invicem, vel conversos, vel conversas suas, aut Clericos etiam manus iniecerint temerè violentas? Super hoc igitur tuæ consultationi taliter respondemus, ut per Episcopum, in cuius Diœcesi Monasteria fuerint, absolvantur.*

227. Respondetur ad jura in contrarium. Ex quo respondetur ad alia jura, suprà allegata, in quibus, non fit expressa mentio Episcopi; respondetur, inquam, in iis etiam tractari de articulo seu periculo mortis, in quo simplices Sacerdotes possunt absolvere vi Concilii Trident. ùt latiùs deduximus Sect. 2. Conclus. 4.

Proinde, ne Pontifices viderentur illi potestati velle derogare, consultò abstinuerunt à nomine *Episcopi*, & usi fuerunt nomine generali, dicendo: *Ab alio*, ùt in cap. *Eos qui*, scilicet vel ab Episcopo in casu alterius impedimenti, vel etiam à simplici Sacerdote in periculo mortis.

Et ideo in eodem cap. etiam dicitur: *A sententia Canonis vel hominis*; item: *Cùm ad illum, à quo aliàs*, quia simplex Sacerdos absolvit in casibus, etiam Episcopo reservatis, in articulo mortis.

Ut omittam, quòd suprà dictum est, in eo textu nullum jus statui, neque ullam facultatem novam concedi quoad Absolutionem; sed solùm declarari, quòd incurratur iterùm excommunicatio ab his, qui cessante periculo mortis, aut alio impedimento, contemnunt se præsentare suo legitimo Iudici, Pontifici vel Episcopo. De qua utique præsentatione restat hìc agendum.

228. Absolutus in articulo mortis virtute Jubilæi non tenetur se præsentare Superiori. Notandum autem Primò, eam non esse necessariam his, qui virtute Iubilæi vel Bullæ Cruciatæ absolvuntur in articulo mortis; quoniam absolvuntur à suo legitimo Iudice extra illum articulum, id est, absolvuntur ab illo, à quo aliàs de jure fuerant absolvendi. Interim manet ea obligatio satisfaciendi parti læsæ, & cautionem præstandi, quæ maneret, si extra illum articulum absolverentur. Res est clara.

Nota II. Absolutum in articulo mortis, vel propter aliud impedimentum, ab eo, à quo de jure non erat absolvendus, satisfacere, præsentando se illi, qui habet potestatem delegatam absolvendi. Patet ex cap. *Eos qui*, suprà, ubi Pontifex tantùm requirit, ùt sic absolutus præsentet se illi, à quo cessante impedimento absolvi debebat, talis autem est Delegatus. Absolutus à simplici Sacerdote satisfacit præsentando se Delegato.

Ex quo videtur consectarium; non posse Episcopum absolvere propter impedimentum adeundi Pontificem, quando pœnitens potest commodè adire ejus Delegatum, sic enim scriptum habes cap. *Eos qui*, suprà: *Cùm ad illum, à quo aliàs de iure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis periculum, aut aliud impedimentum legitimum, pro Absolutionis beneficio habere recursum*; jam autem in tali casu potest habere recursum ad illum, à quo aliàs de jure fuerat absolvendus. Ita docet Lugo suprà n. 221. quem sequitur Arriaga disp. 41. n. 27. & probat argum. cap. *Ea noscitur* 13. de Sent. Excom. in quo dicitur: *Si à Pontifice vel Legato non possit absolvi*; ergo supponit, quòd tantùm in defectum Legati possit Episcopus. 229. An Episcopus possit absolvere quando pœnitens potest commodè adire Delegatum. Lugo. Arriaga.

Et idem dicendum de illo, qui haberet delegatam jurisdictionem, quidquid in contrarium dicat Coninck. Ratio autem est manifesta; quia Pontifex recurrit ad Episcopos in defectum eorum, qui alioquin habent auctoritatem absolvendi; atqui præsente eo, qui habet jurisdictionem, estò delegatam, jam non est ille defectus, neque illa necessitas recurrendi ad Episcopum; ergo. Hæc ille. Pars negativa probatur contrà Coninck.

Sed contrà: hìc est tenor textus, quem citat Arriaga: *Ea noscitur*: & infrà: *Consultationi tuæ taliter duximus respondendum, quòd mulieres, senes & valetudinarii, seu membrorum destitutionibus impediti, licèt ad Apostolicam Sedem non veniant, ab Episcopis valeant fidelium Communioni restitui, satisfacto iuxta facultates his, quibus per eos constiterit iniurias irrogatas. Alios autem, sive pauperes, sive divites, Sedi Apostolicæ, vel Legato eius, ùt beneficium Absolutionis obtineant, necesse est præsentari.* 230. Contrà arguit Auctor ex cap. 13. de Sent. Excom.

Ubi Glossa per *Pauperes*, intelligit illos, qui licèt pauperes sint, possunt tamen ire ad Curiam, ne alioquin hoc jus contradicat aliis juribus, suprà allegatis, putà cap. *Quod de his*, & cap. *Quamvis* eod. tit. ubi paupertas vel inopia, quæ non patitur accessum ad Curiam, ponitur inter impedimenta Canonica, quæ concedunt Episcopo facultatem absolvendi.

Dicitur ergo in illo cap. (à Clément. III.) quòd excommunicatus per Canonem: *Si quis suadente*, sit dives vel pauper, per Papam absolvi debeat vel ejus Legatum: fallit in muliere, sene, & valetudinario vel mutilato, qui per Episcopum absolvi possunt. 231. Quid in illo cap. dicatur.

Ergo supponit, quòd tantùm in defectum Legati possit Episcopus, Negatur Consequentia; immo potiùs supponit contrarium, cùm in prima parte illius capitis, ubì conceditur Episcopis potestas absolvendi, nulla fiat mentio Legati. Nescio itaque, ubì Arriaga legerit ista verba: *Si à Pontifice vel Legato non possit absolvi.*

232. Doctrina Coninck de hac controversia. *Navar.* Nec approbo totum, quod ait Coninck disput. 14. n. 242. Nota 4. Navar. c. 27. n. 89. §. *Ad quartum*, dicere, ita impeditum non posse ab Episcopo absolvi, quando potest vel Legatum Pontificis, vel alium habentem privilegium absolvendi, adire. Contrà verò Quidam apud Avilam p. 2. c. 7. disp. 1. dub. 6. aiunt, etiam iis casibus Episcopum posse absolvere. *Avila.*

Qua in re credo sententiam Navarri probabiliorem, quando Legatus adiri potest; quia cap. *Quàmvis* 58. de Sent. Excom. apertè requiritur, ut Legatus adeatur, quando fieri potest; secùs est, quando nec Pontifex, nec ejus Legatus adiri possunt: quia tunc jura absolutè concedunt Episcopo potestatem absolvendi, nec requiritur, ut adeatur alius habens privilegium; quàmvis hoc suadendum sit, quando impedimentum est tantùm temporale, ne reus postea teneatur se præsentare habenti absolutam potestatem absolvendi. Hæc ille. *cap. 58. de Sent. Excom.*

233. Rejicitur. Sed ego in his non possum approbare, quod ait: *Cap.* Quàmvis *apertè requiritur, ut Legatus adeatur, quando fieri potest.* Moveor ex verbis suprà relatis, ibi: *Nisi imminente mortis articulo, infirmitate &c. retrahatur, quò minùs Romanum Pontificem possit adire.* Si diceretur: *Quò minùs Romanum Pontificem vel eius Legatum possit adire*, dicerem cum Regio: *Cap.* Quàmvis *apertè requiritur* &c. sed cùm tantùm nominetur *Romanus Pontifex*, satìs utique obscurè hoc requiritur, si tamen requiratur.

Solùm videtur requiri, ut vel Pontifex, vel ejus Legatus adeatur, quando commodè potest adiri Pontifex; sin autem non possit hic commodè adiri, secundùm aliquos DD. non improbabiliter, *Licet Diœcesano Episcopo*, ùt dicitur cap. *De cætero* eod. tit. *recepto iuramento, secundùm morem Ecclesiæ, sibi Absolutionis gratiam impartiri*; estò pœnitens posset commodè adire Legatum vel Delegatum; quoniam absolutè datur in illis juribus potestas absolvendi Episcopo, occurrentibus impedimentis, ibi specificatis; adeòque & ipse pro tali casu censetur Delegatus Pontificis.

Sed, ùt bene notat Lugo suprà n. 221. in praxi non est periculum, quòd velit pœnitens recurrere pro Absolutione ad Episcopum, cum onere comparendi postea coram Pontifice, quoties poterit sinè eo onere absolvi ab habente ex privilegio facultatem absolvendi, & quem faciliùs adire potest, quàm Episcopum.

Neque placet Eminent. discrimen inter Legatum & habentem facultatem absolvendi, cùm ille etiam sit Delegatus à Papa quoad illam causam; & ratio sit eadem in utroque: quia scilicet jam potest adiri ille, cui ex voluntate Papæ commissa est illa causa. Hæc ille. 234. Eadem ratio [illegible] & Dicas.

Cui sententiæ videtur favere dictum cap. *Eos qui*, quòd generaliter loquitur, & quàmvis, ùt suprà notavi, nihil statuat novi, nisi reincidentiam in eandem censuram; equidem satìs videtur declarare, quomodo alia jura sint intelligenda, quæ Diœcesano tribuunt facultatem absolvendi, occurrentibus certis impedimentis.

Excipe articulum mortis, in quo cessat omnis reservatio, juxta Trident. sess. 14. c. 7. *Atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt*, etiam probabiliter in præsentia ejus, qui habet potestatem extra illum articulum, propter extremam necessitatem, ùt suo loco diffusiùs explicavimus. Vide ibi dicta. Impræsentiarùm autem In artic. mortis [illegible] Trident.

Nota III. duplicem cautionem petendam esse ab eo, qui sic extraordinariè absolvitur à reservatis; unam de standō mandatis Ecclesiæ, alteram de satisfaciendo. Et prima quidem exigi debet sub juramento, saltem in criminibus magnis; argum. cap. 10. de Sent. Excom. *Ex tenore literarum tuarum nobis innotuit, quòd B. Canonicus in quendam Subdiaconum manus iniecit violentas:* Et infrà: *Mandamus itaque, quatenus recepto ab eo iuramento, quòd tuo debeat mandato parere, ipsum vice nostrâ à sententia, quâ tenetur, absolvas.* [illegible] Subdiac. [illegible]

Et ut scires, quid debeat ipsi mandari, continuò attexitur: *Sibique in virtute iuramenti præcipias, ne de cætero in Clericum, Monachum, vel alicuius Religionis Conversum manus iniciat violentas*; adeoque per illud juramentum non contrahitur nova obligatio servandi omnia Ecclesiæ præcepta; sed tantùm id, quod injunctum fuerit eâ occasione ab Ecclesia, vel ab ipso absolvente. Omitto alia jura suprà allegata.

Tantùm addo, quod lego in Bulla Cœnæ ibi: *Cæterùm à prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Rom. Pontif. nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de standō Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstitâ, absolvi possit.* Bulla Cœnæ

Cujus cautionis nomine (inquit Sanchez lib. 2. Sum. cap. 13. n. 23.) intelligitur pignoratitia, aut si hæc præstari nequit, fidejussoria: aut si nec hæc, juratoria. Idque prudentis arbitrio relinquendum, ùt bene ex Cajet. & Navar. tradit Suarez 3. tom. in 3. P. Disp. 21. Sect. 3. n. 1. [illegible] 3. P.

At in casu hæresis, cùm nulla satisfactio pecuniaria exhibenda sit, non exigitur fidejussor, aut pignus; sed solùm satisfaciendi jura-

juramentum, & hoc quando ex justitia debetur aliqua satisfactio. Ut si Hæreticus aliquos deceperit, dicens, doctrinam hæreticam esse veram; tenetur enim illis fraudem detegere, ùt traditur communiter in Tract. de Restit.

In quo casu non sit necessaria cautio de satisfaciendo.

Quare hæc cautio necessaria non est, si jam Hæreticus satisfecit, vel si nunquam poterit; quia decepti absunt, & Hæreticus ducitur ad mortis supplicium; vel si aliunde fraus detecta sit deceptis. Quòd si commodè potest ante Absolutionem satisfacere, debet ea satisfactio præmitti, ne absolvens peccet. Hucusque Sanchez. Itaque cautio de satisfaciendo non est exigenda, si vel satisfactio est impossibilis, vel si jam satisfactum est.

237. Quæ sint observanda in absolutione ab excommunicatione ex Rit. Rom.

Neque hæc solùm observanda sunt in articulo mortis, sed quandocumque aliquis in forma consueta Ecclesiæ aliquem absolvit ab excommunicatione in foro exteriori, ùt traditur in Rit. Rom. Tit. de Sacram. Pœnit. §. de Absolutione ab excommunicatione in foro exteriori, hisce verbis: *Si potestas, absolvendi ab excommunicationis sententia, Sacerdoti commissa fuerit à Superiore, & in mandato certa forma sit præscripta, illa omnino servanda est: si verò in mandato seu commissione dicitur*: In forma Ecclesiæ consueta, *hæc servanda sunt.*

Primò, ut excommunicatus ei, ob cujus offensam in excommunicationem incurrit, priùs, si potest, satisfaciat. Quòd si tunc non possit, sufficientem cautionem præbeat, aut saltem si eam præstare non potest, juret se, cùm primùm poterit, satisfacturum.

Secundò, si crimen, ob quod in excommunicationem incidit, sit grave, juramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Ecclesiæ, quæ illi fient pro tali causa: ac præcipuè ne deinceps delinquat contra illum Canonem vel Decretum, contra quod faciendo, censuram incurrit.

238. Particulariter observandum in articulo mortis.

Cæterùm particulare est Absolutioni ratione articuli mortis, aut alterius cujusvis impedimenti, à quacumque excommunicatione, sive juris, sive hominis, reservata, tam Pontifici, quàm cuicumque alteri inferiori, quòd teneatur Confessarius, qui aliàs de jure non potest absolvere, injungere, ut cessante morbo vel alio impedimento se præsentet Superiori, qui extra eum casum de jure poterat illum absolvere. Quòd si contemnat se præsentare quàm citò commodè poterit, in eandem sententiam ipso jure reincidet. Ita expressis verbis statuitur cap. *Eos qui*, superiùs allegato.

Dixi; *A quacumque excommunicatione*; quia jus istud loquitur generaliter, ubi autem jus non distinguit, nec nos debemus distinguere, absque manifesta ratione, quæ hìc non affertur. Aliud est de peccatis, quæ reservantur sinè censura; si enim ab his aliquis absolvatur in articulo mortis, neque Confessarius tenetur injungere comparitionem coram Superiore cessante morbo, neque absolutus tenetur comparere; quia de solis censuris loquitur præfatum jus.

239. Occurritur objectioni.

Neque verum est, quod Aliqui dicunt; potestatem absolvendi à reservatis sinè censura, solùm colligi ex potestate absolvendi à reservatis eum censura; hoc, inquam, falsum est; nam expressis verbis utraque potestas datur à Conc. Trident. sess. 14. c. 7. ibi: *Verumtamen piè admodum, ne hàc ipsâ occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.* Trident.

Ut proinde Prælatus, inferior Pontifice, nec licitè, nec validè possit cum tali onere reservare peccatum pro illo articulo; cùm inferior non possit limitare potestatem absolvendi, concessam à Superiore, independenter ab ipso, ùt supponitur concessa potestas absolvendi in articulo mortis ab omnibus peccatis & censuris. Unde solus Pontifex potuit annectere, & annexuit onus comparendi, quando quis in articulo mortis à simplici Sacerdote absolvitur à censuris.

240. Quare Pontifex præceperit comparitionem potiùs iis, qui absolvuntur à censuris reservatis, quàm solùm à peccatis.

Si autem à me quæritur, quare potiùs annexuerit illud onus absolutioni à censuris, quàm à peccatis? Respondeo verbis ipsius Pontificis dicto cap. *Eos qui*: *Ne sic censuræ illudant Ecclesiasticæ.* Cùm enim censura sit pœna Ecclesiastica, pertinens ad forum contentiosum, planè expediebat, imò quodammodo necessarium erat ad vigorem Ecclesiasticæ disciplinæ, ut non totaliter auferretur, donec parti læsæ foret satisfactum: at verò in aliis peccatis, remissio purè fit in foro Pœnitentiæ & apud Deum, ac per se loquendo nulla restat satisfactio exhibenda, præter Satisfactionem sacramentalem.

Si inferas; ergo qui satisfeciisset parti læsæ, excusaretur ab illo onere. Resp. Neg. Conseq. quia cessante fine legis in casu particulari solùm negativè, non cessat lex; præsertim si ille finis non sit adæquatus, sicuti in casu proposito non est: nam illud onus est quasi pars pœnæ, ab Ecclesia impositæ pro tali delicto, & ordinatur ad specialem modum obedientiæ, Ecclesiæ exhibendum, præter satisfactionem partis læsæ, ùt patet ex ipso textu ibi: *Mandatum ipsius super his, pro quibus excommunicati fuerant humiliter recepturi, & satisfacturi prout justitia suadebit.* Objectio diluitur.

241. Satisfactio non est finis adæquatus illius præcepti.

Igitur satisfactio non est finis adæquatus, sed insuper humilis receptio mandati; ac proinde non excusatur ab onere se præsentandi, qui alioquin parti læsæ exhibuit satisfactionem, cùm illa conditio in hoc præcepto non apponatur; quod tamen fieri debuisset, si Ecclesia tali casu noluisset obligare; voluit ergo generaliter omnes comparere, etiam illos, quibus ex oblivione, vel alia causa, Confessarius non intimavit illud onus.

Arriaga. Advertendum est (inquit Arriaga disp. 41. n. 26.) citato illo cap. *Eos qui*, præcipi, ut antequam in hora mortis absolvantur ab excommunicatione, si pœnitens possit loqui vel audire, admoneantur de ea obligatione comparendi, & petatur ab illo juramentum, quòd velit se sistere. Hæc ille.

Ego autem dico: Advertendum est, quòd citato illo cap. *Eos qui* (ùt patet ex verbis suprà fideliter relatis) nulla fiat expressa mentio juramenti, neque alicujus admonitionis; sed simpliciter imponitur onus se præsentandi, vel, ut verùs dicam, suppositio onere illo ex aliis juribus, decernitur, relapsus in eandem sententiam his, qui ita absoluti contempserint se præsentare.

242. Confessarius debet monere pœnitentem de obligatione comparendi.

Itaque non illo cap. sed cap. *De cætero*, & cap. *Quàmvis*, præcipitur, ut in articulo mortis, vel in casu alterius legitimi impedimenti, antequam pœnitens absolvatur ab excommunicatione, si possit loqui vel audire, admoneatur de obligatione comparendi, & petatur ab illo juramentum, quòd se velit sistere.

Non est petendum juramentum à pueris, vel laborantibus impedimento perpetuo.

Ab illo, inquam, qui, ùt dicitur in cap. *Quàmvis*, temporali impedimento laborat, exceptis pueris. Igitur non petendum hoc juramentum à pueris, id est, impuberibus (ùt habet Conclusio) juxta Gloss. ibi verb. *Puerili*, ubi sic ait: *Pueri infra pubertatem non mittuntur ad Curiam, quia ætas eos excusat ab itinere.* Neque ab illis, qui laborant impedimento perpetuo, ùt sunt Moniales, senes, qui jam iter facere non possunt &c.

243. Quid si impedimentum miraculosè cessaret?

Ubi notant DD. communiter, etsi talibus miraculosè, vel aliàs planè casualiter impedimentum postea cessaret, non ideo fore eos obligatos ad Pontificem recurrere, etiamsi ab eis per errorem petitum fuisset juramentum, quando habebant impedimentum perpetuum. Ratio est; quia Pontifex, propter impedimentum perpetuum, absolutè liberavit eos sinè ullo onere. Ipse autem pœnitens per illud juramentum ad nullum onus se obligare voluit, nisi ad quod à parte rei obligabatur.

Sicuti, si Confessor, credens pœnitentem teneri restituere in aliquo casu, ipsum cogeret jurare, se restituturum; invento errore, ad nihil tenetur. Quia Confessarius solùm intendit obligare ad restitutionem debitam jure naturali, & per consequens ad eandem, & non aliam, voluit se obligare pœnitens per suum juramentum.

244. Quid si Confessarius non imposuisset onus comparendi? Equidem obligatur,

Et aliunde, sicut pœnitens non excusaretur à restitutione, jure naturali debita, estò Confessarius ex oblivione, ignorantia, vel malitia, eum non obligasset; ita etiam in casu proposito tenetur pœnitens se præsentare, & si non præsentet se, reincidit in eandem censuram, estò Confessarius ex oblivione, ignorantia, vel malitia, illud onus non imposuisset, utpote quod non dependet ex Confessoris voluntate, sed ex jure ipso, quod licèt postulet illam admonitionem & juramentum, non tamen tamquam necessarium ad inducendam obligationem, sed ad magìs eam confirmandam, & ne prætextu ignorantiæ, pœnitens se non præsentet.

Veluti cap. *Omnis utriusque sexûs* 12. de Pœnit. & Remiss. præcipitur publicatio annuæ Confessionis & Communionis ibi: *Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur*, non quasi illa frequens publicatio sit necessaria ad inducendam obligationem; sed, ùt subjungitur: *Ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat.*

Hinc etiam valet Absolutio, quàmvis Confessarius non imponat illud onus se præsentandi. Idemque dicendum, si omittat petere cautionem parendi mandatis Ecclesiæ & satisfaciendi. Ita Sanchez lib. 2. Sum. cap. 13. n. 35. & alii DD. communiter. Quia non est verisimile, Ecclesiam voluisse valorem Absolutionis in tanta necessitate, v. g. in articulo mortis; ex Confessoris negligentia aut ignorantia pendere.

Nec obstant illa verba Bullæ Cœnæ suprà: *Nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstitâ, absolvi possit*; quia ut lex censeatur irritare aliquem actum, necesse est, ut contineat clausulam expresè irritantem; vel eo sensu sit usu recepta; vel concedat potestatem actûs, non solùm appositâ conditione, sed etiam conditionatè; vel denique prohibeat actum ratione effectûs permanentis.

Atqui hæc lex non continet clausulam expresè irritantem, quæ enim illa esset? Nàm sæpiùs quis absolvi non potest, ubi tamen Absolutio data valet. Nec etiam eo sensu est usu recepta; de illo quippe usu non constat. Nec concedit potestatem absolvendi conditionatè, sed potestati, datæ & obtentæ per Conc. Tridentinum, absolvendi ab omnibus peccatis, etiam reservatis per Bullam Cœnæ, tantùm apponit aliquam conditionem, seu aliquem modum.

Nec denique prohibet actum ratione effectûs permanentis, qui est remissio peccatorum; cùm hæc remissio sit maximè necessaria in articulo mortis; quam proinde non est credibile, voluisse Ecclesiam impedire, invalidando Absolutionem; quàmvis voluerit, ut non daretur, nisi cum tali modo, scilicet cautione præstitâ; præsertim, cùm, ùt dictum est, tametsi cautio non fuerit præstita, equidem teneretur stare mandatis Ecclesiæ, & satisfacere; immo & se præsentare legitimo suo Iudici, sub pœna reincidentiæ in eandem censuram seu sententiam, juxta superiùs dicta.

245. Sed dicet aliquis; quì fieri potest, ut recidat in eandem excommunicationem seu sententiam, cùm imponatur propter diversam

causam,

catio, in quam recidit, qui non præsentat se Superiori, & quomodo sit eadem.

causam, scilicet propter contumacem inobedientiam, quâ noluit se præsentare?

Respondet Lugo suprà n. 213. physicè quidem loquendo esse aliam numero & specie; moraliter tamen seu per juris fictionem esse eandem specie & numero. Nam physicè loquendo, sicut datur novum motivum ad puniendum hunc hominem, à quo Legislator movetur, sic datur etiam nova voluntas ejiciendi eum extra Ecclesiam, postquam receptus fuerat.

Cæterùm fictione juris est eadem excommunicatio rediens; vult enim Legislator, ut perinde sit, ac si non fuisset absolutus ab illa alia; in tantùm, ut qui haberet solùm facultatem absolvendi ab illa alia, v. g. ob percussionem Clerici, posset absolvere ab ista; ergo moraliter hæc non est excommunicatio propter inobedientiam in comparendo, sed solùm propter percussionem Clerici, alioquin non posset ab eo auferri. Hæc ille.

247. Arriaga putat ferè omnes excommunicationes quoad se esse easdem numero.

Arriaga suprà n. 24. existimat, excommunicationes quoad se omnes ferè esse easdem, etiam numero; quia cùm consistant in eo, quòd non possint alii cum eis agere; quòd sint incapaces Sacramentorum &c. (loquitur de majoribus inter se, & minoribus inter se) & negationes hæ omnes inducantur à qualibet excommunicatione, videntur omnes esse idem; sicuti in simili ex parte objecti eadem est pœna damni, quæ inducitur per hoc & istud peccatum, cùm quodlibet inducat carentiam omnis visionis beatæ: excommunicationes ergo in se erunt eædem; licèt causæ, ob quas imponuntur, sint diversæ.

Modus, quo possit redire eadem excommunicatio ex eodem Auctore.

Atque ut causæ essent intrinsecæ excommunicationi, & exinde excommunicationes per illas specie & numero distinguerentur, posset adhuc (inquit idem Auctor n. 25.) sustineri, tunc redire eandem numero excommunicationem, dicendo, eum hominem tunc non fuisse propriè absolutum, sed suspensum, usque dum advenientè occasione se sistendi, se sistendo eam excommunicationem omnino extingueret, vel non obediendo daret occasionem seu poneret conditionem requisitam ad hoc, ut eadem numero excommunicatio rediret, non ob inobedientiam, sed ob præcedens peccatum. Ita Arriaga.

248. Confirmatur à simili.

Quòd confirmari potest à simili: Si Deus remittendo culpam, non remitteret absolutè pœnam, sed solùm sub conditione: *Si homo amplius non offendat*, positâ novâ offensione, rediret eadem numero pœna, non ob novam offensionem, sed ob peccatum præcedens, cujus pœna non fuerat remissa, nisi sub illa conditione: *Si homo amplius non offenderet*. Ergo consimiliter, si Ecclesia non remittat absolutè illo casu pœnam excommunicationis, sed tantùm conditionatè; Si pœnitens postea se præsentet suo Superiori, quid mirum si redeat eadem numero excommunicatio propter peccatum præcedens, omissâ culpabiliter illâ præsentatione?

249. An si antea erat excommunicatus vitandus, etiam postea erit vitandus? Affirmat Bonacina.

Si inferas; ergo si antea erat excommunicatus vitandus, etiam postea erit vitandus. Respondet Bonacina de Cens. disp. 1. q. 3. p. 3. n. 18. concedendo totum. Ratio, inquit, est, tum quia, si post Absolutionem in articulo mortis collatam, periisset, non potuisset sepeliri, antequam Superiori constitisset de absolutione; ergo multò minùs poterit ad participationem fidelium admitti post reincidentiam in eandem specie censuram, quæ retinet eosdem effectus, & eandem reservationem, quam prior: tum, quia jura non intendunt patrocinari delinquenti, nolenti se post Absolutionem in articulo mortis obtentam præsentare, ne censuræ illudatur, ùt dicitur in cap. *Eos qui*. Periculum autem est, ut qui fuit in articulo mortis absolutus, illudat censuræ, illamque parvipendat, nisi vitetur, postquam noluerit se coram Superiore præsentare: tum quia, qui non se præsentat legitimo Superiori, non dicitur absolutè reincidere in eandem censuram, sed in eandem sententiam, ùt expresè habetur in cap. *Eos qui*. Sicut autem Titius fuerat per sententiam denuntiatus excommunicatus, ita etiam remanet excommunicatus denuntiatus, & consequenter vitandus, postquam contempserit se præsentare oblatâ opportunitate, alioquin non diceretur reincidere in eandem sententiam. Hucusque Bonacina.

250. Quæ sententia per se loquendo est vera.

Quam sententiam judico esse veram per se loquendo; nam per accidens fieri potest contrarium, si v. g. constat publicè de ejus Absolutione in articulo mortis, & non constat publicè de reincidentia: tunc enim quâmvis ipse ex se sit vitandus, equidem alii excusantur ab eo vitando per accidens, defectu notitiæ requisitæ. Ita docet Lugo suprà n. 216. quem sequitur Arriaga suprà n. 25. Et hactenus quidem de potestate Episcoporum. *Lugo, Arriaga.*

Sequitur examinanda potestas Religiosorum Mendicantium, qui licèt de per se nullam habeant potestatem absolvendi sæculares à casibus reservatis sive Pontifici, sive Episcopo; equidem varia circumferuntur de hoc puncto eorum privilegia, pro quibus erit

CONCLUSIO XII.

Confessarii Regularium possunt absolvere sæculares à casibus Papæ reservatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ. Nequeunt absolvere à casibus Episcopis

scopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.

251. Prima pars Conclus. probatur ex privilegio Pauli III.

PRima pars probatur ex privilegio, quod Paulus III. concessit PP. Societatis Iesu Bullâ: *Cùm inter cunctas* 7. apud Rodrig. ibi: *Nec non illis ex vobis, qui Presbyteri fuerint, quorumcumque utriusque sexûs Christi fidelium ad vos undique accedentium, Confessiones audiendi, & Confessionibus diligenter auditis, ipsos & eorum singulos ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & à quibusvis ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi) absolvendi, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungendi ..... plenam & liberam facultatem auctoritatis Apostolicæ beneplacito concedimus.*

252. Objectio.

Sed contrà, reponit quispiam: hoc privilegium & similia revocata sunt per Decretum quoddam S. Congregationis Regularium, juxta speciale mandatum Clement. VIII. sequentis tenoris; *Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium de speciali mandato Sanctissimi Clement. VIII. &c. omnibus Confessoribus tam sæcularibus, quàm Regularibus, quorumcumque privilegiorum à Sancta Sede Apostolica quomodolibet concessorum, quibuscumque, etiam Regularibus personis ab ullo ex casibus dubiè aut clarè contentis in Bullâ Cœnæ Domini, vel aliàs Sedi Apostolicæ reservatis, nec etiam à casibus Ordinariis reservatis vel reservandis, quocumque casu, nisi in articulo mortis, sinè nova licentia à Sede Apostolica vel Ordinariis respectivè obtenta, Absolutionis beneficium impendere audeant. Quam licentiam à Sancta Sede obtentam teneantur Ordinariis ostendere.* Immo addit excommunicationem & privationem beneficiorum & dignitatum, & inhabilitatem ad audientiam Confessionum illis, qui oppositum practicaverint, reservando Absolutionem Sedi Apostolicæ 9. Ianuar. 1601.

253. Solvitur.

Respondetur: hoc Decretum hactenus nec promulgatum in Occidente nostro, nec usu receptum vidimus. Quid miramur? Quippe pro solis Sacerdotibus Italiæ editum fuit, ùt notat Bardus discept. 6. c. 11. p. 4. §. 7. n. 1. & post ipsum de Scildere de Principiis Conscientiæ tract. 5. §. 2. n. 14. estque manifestum ex tenore Decreti, inquit Herincx hìc Disput. 7. n. 10.

Bardus. *De Scildere.* *Herincx.*

Unde convincitur falsus tenor, in objectione relatus (quem sequitur Bonæ Spei hìc disp. 10. n. 22.) in quo nulla fit mentio Italiæ, sed generaliter dicitur: *Omnibus Confessoribus tam sæcularibus, quàm Regularibus*, omissis his verbis: *Per universam Italiam extra Vrbem degentibus*, ùt videre poteris apud Barbosam de Potest. Episcop. p. 3. Alleg. 50. n. 286. postremæ editionis.

Barbosa.

Sed & pro his ipsis Sacerdotibus moderatum fuit illud Decretum anno sequenti die 26. Novembris jussu Clement. VIII. ùt sequitur: *Eadem Sacra Congregatio de speciali mandato eiusdem Sanctissimi Domini Clement. VIII. similiter vivæ vocis oraculo super ea re habito, ipsum Decretum ita moderatur ac declarat, videlicet sub eadem prohibitione eos tantùm comprehendi casus, qui in Bullâ Cœnæ Domini legi consueta continentur; ac præterea primò Violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Greg. XIV. quæ incipit:* Quia aliàs nonnulli 2. *Violationis clausuræ Monialium ad malum finem.* 3. *Provocantium & pugnantium in duello, iuxta Decretum Conc. Tridentini & Constitutionem Greg. XIII. incipientem:* Ad tollendum. 4. *Iniicientium manus violentas in Clericos, iuxta Canonem:* Si quis suadente, *& iuris dispositionem.* 5. *Simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis.* 6. *Item omnes casus, quos Ordinarii locorum sibi reservaverunt, ac imposterum reservabunt. In quibus omnibus reservatis casibus dumtaxat, & sub lata etiam pœna inhabilitatis audiendi Confessiones, eadem Sacra Congregatio vult, & mandat dictum Decretum in sua firmitate & pristino robore permanere.* Atque hæc de prima parte Conclus. quæ communis est.

214. Moderatur Decretum Clem. VIII.

Sed quid dicam de secunda? Varia ei objiciuntur privilegia, olim à Summis Pontificibus concessa. Primum sit Eug. IV. concessum Monachis Congregationis S. Iustinæ Bullâ: *Etsi quaslibet* 11. apud Rodrig. ibi: *Præterea cùm sæpè contingat ob devotionem, quam ad Monachos præfatæ Congregationis nonnulle personæ habent singularem, ad huiusmodi Monachos pro earum salute animarum recurrere. Nos volentes earum devotioni satisfacere, quòd liceat dictæ Congreg. Prælatis, sive Monachis, deputatis à suis Superioribus, ad audiendum huiusmodi personarum Confessiones accedere, illasq; audire, & personæ ipsæ eis confiteri possint, absque alia Superiorum suorum licentia, nec non eis pœnitentiâ & satisfactione iniunctis, quotes oportuerit, absolvere ab omnibus & singulis peccatis, præterquàm Sedi Apostolicæ dumtaxat reservatis: nec non à quibuscumque excommunicationum, suspensionum & interdicti sententiis, aliisq; Ecclesiasticis censuris & pœnis, quas à iure vel homine latas, satisfactione iniunctâ, incurrisse quomodolibet confebuntur ..... specialis dono gratiæ in favorem observantiæ Regularis, licentiam clàrgimur.*

Secundum habetur apud Rodrig. inter Bullas Sixti IV. Bullâ 42. concessum per Nicolaum Francum, Apostolicæ Sedis Nuntium in Hispaniis cum potestate Legati à latere, Priori & Conventui Sancti Benedicti Vallisoletani & Abbatibus & Prioribus totius Congreg. anno 1476. sub hac forma verborum: *Nos igitur in hac parte vestris piis supplicationibus inclinati, tibi fili Prior, & Abbatibus & Prioribus vel Præsidentibus quocumque titulo nuncupentur, ab ipso Vestro Monasterio eius fundatorum, & reformatorum, & qui in futurum Domino disponente ab eo fundabuntur,*

buntur, reformabuntur vel unientur in eadem observantia, & sub eadem clausura & modo vivendi, & Monachis in Sacerdotio constitutis, per te & per eosdem Abbates, Priores vel Prælatos nuncupandis, eligendis, & ad nutum revocandis, omnium Christi fidelium utriusque sexûs, cuiuscumque gradûs, statûs, ordinis vel conditionis existant, de quibusvis partibus ad ipsa Monasteria, seu eorum Ecclesias confluentium, aut ex quacumque causa commorantium vel existentium, Confessiones diligenter audire, ac eos à quibusvis peccatis, delictis, criminibus & excessibus suis in omnibus & singulis casibus Episcopo reservatis, ac ab omnibus Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, fulminationibus excommunicationum, suspensionum, & interdicti à jure vel ab homine patratis, & contractis in genere, in iis tantùm, in quibus potest Episcopus absolvere & dispensare, satisfactione præmissâ vel mandato de satisfaciendo, si personæ ad hoc habiles fuerint, ac eis pœnitentias salutares injungere valeant ..... auctoritate Apostolicâ, cuius legationis officio fungimur in hac parte, tenore præsentium plenariam & liberam concedimus facultatem.

257. Tertium privilegium Sixti IV. Rodriguez.

Tertium concessum est ab eodem Pontifice FF. Minoribus, ùt habetur in Ordinis Monumentis fol. 5. conc. 8. (teste Rodrig. qq. Reg. to. 1. q. 61. a. 3.) *Confessiones audiendi, & ab omnibus casibus excommunicationis, suspensionis, interdicti, ac super quacumque irregularitate, Ordinario tam à iure, quàm ab homine reservatis, toties quoties opus fuerit absolvendi, dispensandi, ac vota quæcumque permutandi & relaxandi, & pœnitentiam salutarem iniungendi, sicut potest Diœcesanus.* Id est, (inquit Rodrig. suprà) sinè aliqua præsentatione.

Quæ concessio (prosequitur idem Auctor) licèt dubitet Collector privilegiorum Ordinum Mendicantium, an respectu sæcularium concedatur; at Corduba advertit constare ex supplemento Ordinis (fol. 11. conc. 36.) auctoritatem absolvendi ab omnibus, à quibus potest Diœcesanus, concessam esse Minimis.

258. Quartum Iulii II.

Sic enim ait Iulius II. Bullâ: *Dudum ad sacrum Ordinem* 10. apud Cherubinum §. 34. *Nec non Confessiones quarumcumque personarum, tam Religiosarum, quàm Ecclesiasticarum & sæcularium ubilibet, & illis auditis personas ipsas, & earum quamlibet, iuxta formam & tenorem privilegii, per præfatum Sixtum prædecessorem nostrum Ordini Minimorum hiusmodi, ac illius personis & Fratribus dudum concessi & confirmati, absolvere ac pœnitentiam salutarem illis iniungere valeant.*

Porrò tenor privilegii Sixtini talis est: *Confessiones audiendi, & ab omnibus casibus excommunicationis, suspensionibus & interdictis, ac super quacumque irregularitate eidem Archiepiscopo tam à iure, quàm ab eo reservatis & præmissis, toties quoties opus foret, & esset, absolvendi & dispensandi, votaq; quacumque permutandi & relaxandi, ac pœnitentiam salutarem iniungendi.* Ita Sixtus IV. Bullâ: *Sedes Apostolica* 5. apud Cherubinum §. 7.

Hæc privilegia, ùti & alia omnia à suis prædecessoribus concessa, in quantùm non repugnant Decretis Conc. Trident. confirmavit Sixtus V. Bullâ: *Etsi Mendicantium* 14. apud Rodrig. hisce verbis: *Nos igitur, qui omnium votis, præsertim illis, qui sub suavi Religionis iugo, divinis laudibus & Christianæ Religionis augmento incumbentium personarum tranquillitati & commoditati consulimus, libenter annuimus, eaq; favoribus prosequimur opportunis, huiusmodi supplicationibus inclinati, quæcumque præmissa ac omnia & singula alia privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conservatoriat, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias & indulta spiritualia & temporalia, etiam per modum communicationis & extensionis inter se, & cum aliis Ordinibus Mendicantibus & non Mendicantibus eiusdem FF. Minorum Reg. Observantiæ & S. Claræ, & de Pœnitentia tertio Ordini, etiam in congregatione sub trium votorum substantialium professione & eorundem Superiorum Ord. Min. Reg. Obser. huiusmodi obedientiæ degentibus; ipsorumq; Superiorum Fratribus Monialibus, Sororibus, ac utriusque sexûs etiam singularibus personis, nec non Monasteriis, domibus, Ecclesiis & locis quibuscumque, in genere & in specie, etiam per solam signaturam, etiam vivæ vocis oraculo, ùt præfertur, aut aliàs per eosdem Rom. Pontifices prædecessores nostros, ac nos & Sedem prædictam sub quacumque forma & expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, nec non omnibus & singulis in eis forsan contentis clausulis, Decretis, Declarationibus, quibuscumque, ac singulas desuper etiam pluribus vicibus confectas litteras, & in eis contenta ac indè secuta quæcumque, illorum omnium tenores, & formas datas, effectas, & Decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, & in suis essent inserta, pro sufficienter expressis habentes, dictâ auctoritate Apostolicâ tenore præsentium ex certa scientia in his omnibus, in quibus Decretis Concil. Trident. non adversentur, approbamus & confirmamus, ac innovamus, perpetuamq; roboris firmitatem obtinere & firmiter observari; nec non Ordinibus FF. Min. Reg. Obser. & S. Claræ, ac tertio de Pœnitentia nuncupato, etiam in congregatione sub obedientia FF. Min. de Observ. huiusmodi degen. Superioribus, Fratribus, Monialibus, etiam Tertiariis nuncupatis Sororibus, Personis, Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & locis prædictis, etiam per modum communicationis & extensionis huiusmodi suffragari, illisq; uti, frui & gaudere quando & quoties opus fuerit, posse & debere in iudicio, & extra, ac etiam in foro conscientiæ in omnibus & per omnia, ac si specialiter & expressè eisdem FF. Min. ac S. Claræ, & tertio de Pœnitentia Ordinibus, per nos concessa fuissent, decernimus.*

259. Hæc privilegia confirmavit Sixtus V.

Si dixeris; privilegium, de quo hìc disputatur, adversatur Decretis Concilii Tridentini; nam sess. 14. cap. 7. Episcopis concedit

260. Objectio.

Concil. potestatem reservandi casus,& concludit cap. illud his verbis : *Extra quem articulum* (mortis) *Sacerdotes cùm nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores & legitimos Iudices pro beneficio Absolutionis accedant.*

Et can. 11. sic ait : *Si quis dixerit, Episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque adeò casuum reservationem non prohibere, quò minùs Sacerdos à reservatis verè absolvat ; anathema sit.* Ergo illa confirmatio Sixti V. nullius momenti.

261. Responsio Aliquorum.

Respondent Aliqui, Neg. Antec. quia, inquiunt, cap. illo 7. solùm datur potestas Episcopis reservandi casus quoad suos subditos, ibi : *Neque dubitandum est..... quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita suprà reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate.* Atqui Religiosi Mendicantes sunt exempti ab auctoritate Episcoporum: ergo pro illis non possunt reservare casus.

Igitur per *Sacerdotes* ibi, intelliguntur Sacerdotes sæculares, utì etiam in fine ejusdem cap. & in can. citato. Alioquin addidisset Concilium illam particulam, *Etiam Regulares*, prout eam addidit sess. 23. de Refor. c. 15. ibi : *Quàmvis Presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant ; decernit Sancta Synodus nullum, etiam Regularem* &c. Si in generali Presbyterorum appellatione comprehenduntur Regulates, ad quid postea exprimuntur per ly *Etiam Regularem* ? Sicut ergo in hoc Decreto, loquens de Sacerdotibus Confessoribus, ut comprehenderentur etiam Regulares, illud explicavit, ac privilegia in contrarium annullavit; ita in dicto cap. 7. agens de Absolutione reservatorum, si voluisset comprehendere Regulares, etiam illos specificasset, eorumque privilegiorum in contrarium facientium meminisset. Sed non fecit : ergo signum evidens est, Concil. in illo Decreto Confessores Regulares minimè comprehendere voluisse, sciens jam illos debitè præsentatos, & ab Ordinariis approbatos, tot tantorumque privilegiorum copiâ esse refertos, posseque secundùm privilegia in corpore juris posita, à casibus ab Ordinario reservatis absolvere. Ita Rodrig. suprà art. 13.

Rodriguez.

262. Privilegia Mendicantium absolvendi à casibus Episcopalibus videntur revocata per plures Declarat. Card.

Non tamen me latet (persequitur idem Auctor) quòd cùm à Sacra Congreg. Card. qui præpositi sunt Decretis Concil. Trident. interpretandis, fuit quæsitum ; an Regulares ex privilegiis à Sede Apostolica impetratis, præsertim autem ex eo, quod nominatur, *Mare Magnum*, possint in his casibus, quos sibi Episcopus reservaverit, absolvere pœnitentes, quod hac de re, ubì Congregatio accuratè egisset, deinde ad Sanctissimum Dominum Papam retulisset, Sanctitas sua, etiam de sententia Congregationis, censuit ex facultatibus, per hoc *Mare Magnum*, aliave privilegia Regularibus concessa, factis, mentem non esse, potestatem concedere absolvendi à casibus ab Episcopo reservatis. Et hæc Declaratio fuit data Romæ die 10. Septemb. an. 1577.

Et eadem hæc Sacra Congregatio supra Conc. Trid. sess. 14. de Sacram. Pœnit. c. 7. & can. 11. declaravit, neque Confessores vi privilegiorum Rosarii, neque Patres Jesuitas posse absolvere pœnitentes à casibus reservatis Episcopo, nisi privilegia ipsa talem tradant facultatem, vel sint obtenta, aut confirmata post Conc. Tridentinum.

Immo Reverendissimo Episcopo Cajetæ, nomine Alfonso Hispano, eandem sacram Cardin. Congregationem consulenti ; an per Bullas ordinarias, in quibus solet dari facultas absolvendi à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, comprehendantur etiam casus, quos Episcopus & Prælatus Religionis cum suis subditis Regularibus reservavit, fuit responsum, quòd non, nisi de his fieret specialis mentio.

Iterùm etiam dubitanti, quid per Bullam Sanctissimi nominis Jesu, in qua specialiter habetur, quòd Confessarii possint absolvere Confratres à casibus Episcopo reservatis, Illustriss. Card. Carraffa nomine totius Congregationis respondit, neque per illam Bullam fieri posse, nisi tantùm ratione Iubilæi plenissimi, indicti à Summo Pontifice cum potestate absolvendi à quibuscumque casibus, etiam in Bulla Domini contentis.

Et has Declarationes refert Alfonsus de Casarubius Capucinus in additionibus ad Compendium privilegiorum Mendicantium tit. *Absolutio quoad sæculares.* pag. 81. & tit. *Casus reservati.* pag 150. & 151. haberi in Catechesi Neapolitana fol. 287. Ex quibus Declarationibus clarè colligitur, auctoritatè quoad casus, ab Episcopis specialiter reservatos, concessam Regularibus, esse sublatam. Hactenus Rodrig.

Qui nihilominus persistit in sua resolutione, & ad has Declarationes respondet ùt sequitur Gregorius XIII. 10. die Maii an. Domini 1583. declaravit, non esse intentionis suæ, quòd per talem revocationem derogata sit Societatis facultas, eamque quatenus opus sit de novo confirmavit. Ita refert Collector Compendii Societatis Iesù tit. *Absolutio* §. 1.

Ex quo colligitur, Confessores Societatis posse absolvere virtute suorum privilegiorum, etiam hodie à casibus Episcopo reservatis. Unde cùm Mendicantes Fratres gaudeant privilegiis, Religioni Societatis Iesu concessis, sequitur evidenter, etiam Confessores Mendicantes, virtute dicti privilegii, per communicationem posse modò à casibus reservatis Episcopis absolvere. Ita Rodrig.

Quid dicturus, si modò viveret, & videret Declarationes & Decreta post Greg. XIII. edita, Deus scit. Referam ego illa Decreta & Declarationes, ut unusquisque videre possit, quid sibi hoc tempore sit agendum.

Prima

264. Declaratio Card. circa hanc controversiam. Chassaing.

Prima est, Declaratio edita die 17. Novembris an. 1628. & approbata ab Urb. VIII. vivæ vocis oraculo, quam hisce verbis refert Bruno Chassaing. de Privil. Regul. tract. 5. cap. 3. prop. 2. *Congregatio censuit, per confirmationem privilegiorum, quam Regulares à Sede Apostolica post Sacrum Conc. Trid. obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia, ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis Decretis sublata atque extincta, si quæ habebant absolvendi à casibus, Ordinario loci reservatis; quemadmodum neque indulta absolvendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consuevit, utpote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires aut robur acquisivisse ex subsequentibus privilegiorum confirmationibus; ac proinde Regulares cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis & Instituti, etiam necessariò exprimendi, nec intrà nec extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationum huiusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absolvere ab iisdem casibus in Bulla Cœnæ Domini, aut Ordinario loci reservatis. Ac si secùs egerint, Absolutiones nullas, atque irritas fuisse ac fore. Ab aliis verò casibus & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, siquidem Regulares habeant à Sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse iisdem S. Congreg. Decretis, hac de re editis iussu S. Mem. Clement. VIII. Quam Sac. Congregationis sententiam Sua Sanctitas ad se relatam approbavit, mandavitq; ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari. Romæ 17. Novemb. 1628.*

265. Responsio.

Responsiones varias ad hoc Decretum videat, qui voleț apud Brunonem suprà. Attendat autem quòd loquatur de privilegiis ante Trident. concessis; unde si quæ extent, de novo post Trident. concessa, perspicuè manifestum est, Regulares iis posse uti, non obstante hâc Declaratione. An autem talia extent, res facti est, inquirenda à singulis, quorum interest.

Similiter res facti est, authentica publicatio seu promulgatio, quæ necessaria est, ut lex aliqua obliget. Fortè de hoc Decreto dici posset, quod suprà dictum fuit de Declaratione seu Decreto, edito jussu Clement. VIII. Hactenus nec promulgatum in Occidente nostro, nec usu receptum vidimus.

266. Declar. Innoc. X. circa eandem controversiam.

Et hinc alia Declaratio emanavit sub Innoc. X. ad instantiam Illustrissimi Mechlinien-sis Iacobi Boonen, quam ipse curavit 3. Mens. Octobr. an. 1648. omnium Ordinum Regularium Superioribus insinuari, sub hac forma verborum: *Iacobus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Mechlinien-sis omnibus & singulis Diœcesis nostræ Confessariis, tam sæcularibus quam Regularibus cuiusvis Congregationis, Collegii, Societatis, vel Instituti salutem in Domino.*

Notum facimus, nos recepisse literas Sacræ Congregationis, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præfectæ, quarum tenor sequitur & est talis: Perillustris & Reverendissime Domine uti Frater. Cùm amplitudinis tuæ nomine, Sacræ huic Congregationi, negotiis Episcoporum & Regularium præfectæ, expositum fuerit, quòd aliqui istius Diœcesis Confessarii prætendant (vigore antiquorum privilegiorum ante S. Conc. Trident. ab hac Sancta Sede sibi concessorum, vel post eiusdem Concilii celebrationem, sive per viam confirmationis, sive communicationis renovatorum tam generaliter, quàm specificè, sub quibuscumque clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ad Imperatorum, Regum, aliorumq; Principum instantiam scripto vel per Summorum Pontificum vivæ vocis oracula) competere sibi facultatem absolvendi à casibus comprehensis in Bulla, quæ Die Cœnæ Domini legi consuevit, nec non à casibus, ab Ordinario loci reservatis, aut in futurum reservandis: Eminentissimi Patres, Decretis aliàs hac in re à præfata S. Congregatione, iussu S. Memoriæ Clement. VIII. & Pauli V. atque ultimo loco etiam quoad Confessarios, qui extra Italiam existunt de mandato similis Memoriæ Vrb. VIII. sub 17. Novembr. 1624. editis, inhærentes, Sanctissimo Domino nostro Innoc. X. approbante, censuerunt: Confessariis quibuscumque tam sæcularibus, quàm Regularibus, cuiusvis Congregationis, Collegii, Societatis vel Instituti, qualicumque privilegio suffulti, sub clausulis irritantibus Motu proprio, Mari magno, Bullâ aureâ, ex certa scientia & plenitudine Apostolicæ potestatis, etiamsi expressam & specialem requirerent mentionem de verbo ad verbum, harum facultatum virtute non licere, pœnitentes cuiuscumque gradûs & conditionis (præterquàm in mortis articulo cum reincidentia, si convaluerint) absolvere à casibus in dicta Bulla Cœnæ Domini, vel à locorum Ordinariis in suis Diœcesibus reservatis, nisi prius petitâ & obtentâ licentiâ ab eadem S. Sede vel ab ipsis Ordinariis respectivè; ac si secùs, secerint Absolutiones nullas atque irritas fuisse & fore. Quod ego de eiusdem Sacræ Congreg. mandato Amplitudini tuæ notifico, ut suæ Diœcesis Confessarios seriò admonitos velit, idq; ab omnibus accuratè observari mandet. Simul his Amplitudini tuæ sinceram felicitatem apprecor. Romæ 15. Iunii 1647. Amplitudinis tuæ studiosissimus uti Frater M. Card. Ginettus. Paulò inferiùs H. Archiepiscopus Patracensis Secretarius. Inscriptio verò erat. Perillustri & Reverendissimo Domino uti Fratri Domino Archiepiscopo Mechlinien-si. Obsignatæ erant Sigillo Eminentissimi Domini Cardin. Ginetti præfati in hostia rubra. Quibus inhærentes pro officii nostri debito omnes & singulos vestrum seriò admonemus, atque hæc ipsa accuratè observari mandamus. In quorum fidem præsentes dedimus Bruxellæ sub nostris Chyrographo & Sigillo ac Secretarii nostri signaturâ die 3. Mens. Octob. an. Domini 1648.

JACOBUS Archiepiscopus Mechlinien-sis.

*Locus * Sigilli.*

I. HERREGOUTS Secretarius.

267. An illa Declar. usu sit recepta in Belgio,

Sed nunquid hæc Declaratio usu recepta in Belgio? Archiepiscopus præfatus in quadam Epistola, quam scripsit ad Congreg. Card. Sacri Conc. Tridentini interpretum Bruxellis 17. Julii 1654. inter cætera sic ait: *Duo insuper sunt, de quibus Eminentias vestras hâc occasione certiores reddere volui, nimirùm, quòd à Regularibus non observetur Decretum S. Congreg. negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præfectæ, de die 15. Iunii an. 1647. quo declaratur, Regularibus non competere licentiam absolvendi à casibus Ordinario loci reservatis, aut imposterum reservandis: proinde non posse illâ facultate uti, sinè licentia ab Ordinario obtenta; tametsi dictum Decretum curaverim 3. Mens. Octob. an. 1648. omnium Ordinum Regularium Superioribus insinuari: nam unus tantùm Regularis ex Ordine S. Aug. facultatem illam à me petiit, cui etiam tamquam viro cordato & timorato eandem concessi. Cæteri prætendunt nescio quæ privilegia aut privilegiorum communicationes, insuper Decreti nullitatem, quia ipsis inauditis emanarit. Alii dicunt illud tantùm esse declaratorium, proindeq; non valere adversus sua privilegia, quæ non cessant sinè Decreto, ùt aiunt, obligatorio. Quin etiam alii sunt tam temerarii, ut audeant dicere, nequidem Sanctissimum Dominum ipsorum privilegia revocare aut limitare posse, cùm sint eis concessa ob sua merita.*

Alterum est, quòd Regulares plurimi in mea Diœcesi Confessiones excipiant, etsi nec à me, nec à prædecessoribus meis approbati sint, prætendentes satis esse, quòd approbati sint ab alterius Diœcesis Episcopo. Ideoque nuper mandavi (ùt ex copia Mandati adiuncta patet) omnibus Regularibus, ut nomina & tempus approbationis à me, aut prædecessoribus meis datæ exhiberent, quòd à plerisque factum est, & deprehensum quoque, multos se intrusisse in munus Confessarii in mea Diœcesi sinè dicta approbatione.

Sed quod non satis mirari potui, ubi Mandatum illud venit ad notitiam Abbatis S. Angeli in Belgio suæ Sanct. Internuntii, voluit, & mihi insinuari curavit, ut dictum Mandatum revocarem; cum tamen, præterquam quòd antiquitùs ita observatum sit, & in Synodo Provinciali Mechlinienſi à Summo Pontifice Paulo V. confirmata, pro regula constitutum sit tit. 5. cap. 1. de Sacram. Pœnit. verbis comprehensis articulo hìc adiuncto, etiam Sanctissimus Dominus noster nuper suo Brevi, expedito anno Domini 1648. 14. Maii in causa Episcopi Angelopolitani id ipsum voluerit observari; decernens Regulares etiam Societatis Iesu, in una Diœcesi ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum sæcularium audiendas, nequaquam posse in alia Diœcesi huiusmodi Confessiones audire sinè approbatione Episcopi Diœcesani, prout Eminentiis vestris scio esse notorium.

Hæc sunt Eminentissimi ac Reverendissimi Patres ac Domini, quæ pro disciplinæ Ecclesiasticæ bono, Sacræ Congreg. vestræ significare debui, confidens pro eius zelo & vigilantia, quòd non gravabitur mihi adhuc alios efficaciores modos & media præscribere, quibus huiusmodi abusibus non negligendis obviare possim. Et cum omni submissione veneranda Purpuras vestras, Maneo

Eminentiss. Dominationibus Vestris
Humillimus Servus
IACOBUS *Archiepis. Mechlin.*

Signatum
Bruxell. 17. Iulii 1654.

Porrò Epistolam, ex qua hæc transcripta sunt, impressam habeo penes me, ubi vel à quo, nescio; nam locus impressionis & nomen Typographi omissa sunt; studio, an casu, norunt illi, qui curarunt imprimi; interim eam habeo pro authentica, etsi non ex vi illius impressionis. Constat autem ex verbis jam recitatis, tunc temporis præfatam Declarationem seu Decretum non fuisse in Belgio usu receptum.

Tunc plenè foret satisfactum desiderio meo, si possem videre & legere responsum Cardinalium ad illam Epistolam Archiepiscopi; & per consequens videre & legere efficaciores modos & media, quibus hujusmodi abusibus non negligendis (ùt ibi vocantur) obviare posset Archiepiscopus. Illud responsum expectans expectabo.

Interea subscribam adhuc unum Privilegium concessum Societati Iesu à Greg. XIII. Bullâ: *Æquum reputamus* 1. apud Cherubinum, in qua §. 4. sic lego: *Ac tunc desuper confectis literis, & in eis contentis dispositionibus, per quascumque derogationes, in quibusvis aliis literis Apostolicis gratiam vel iustitiam & mixtim continentibus, per eundem prædecessorem & Sedem Apostolicam etiam cum derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus & insolitis clausulis, & per quas earumdem literarum, tunc desuper conficiendarum tenor, ac si de verbo ad verbum in eis insertus foret, pro expresso haberetur, quibuscumque personis, seu in earum favorem, etiam motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, concessas & factas, ac faciendas & concedendas, nullatenus derogatum censeretur, aut derogari posset, nisi tenor earumdem nunc desuper conficiendarum literarum de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, foret in illis insertus, & derogatio pro tempore facta huiusmodi per trinas distinctas literas eundem tenorem continentes, tribus similiter distinctis vicibus eidem Societati intimata & insinuata foret, & quòd aliter earumdem literarum tunc desuper conficiendarum pro tempore facta derogationes nemini suffragentur.*

Ex quibus verbis Aliqui colligunt, nullam derogationem sub qualibet amplissima forma præjudicare privilegiis, dictæ Societati concessis, si non fuerit ei intimata & insinuata tribus distinctis vicibus. Quod an rectè colligant, relinquo judicio doctiorum; præsertim attentâ Bullâ Urb. VIII. quæ incipit: *Cùm sicut accepimus* 120. apud Cherub. in qua Pontifex statuit, quòd Constitutiones Apostolicæ in con-

concernentibus Fidem Catholicam, & S. Inquisitionis Officium hactenus editæ, & imposterum etiam super quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, nisi illi in edendis specialiter excipiantur. Et quia hæc Bulla speciali notâ digna, & à paucis habetur, spero non futurum ingratum Lectori, si diffusiùs ipsissima ejus verba hìc subscripsero.

Pontifex declarat Constitutiones generales afficere quoscumque Regulares, præcipuè in concernentibus fidem Catholicam & S. Inquisitionis officium.

Nos qui inter gravissimas, multiplicesq; Apostolatûs nostri curas in eam præcipuo, ac peculiari studio jugiter incumbimus, ut extirpatis hæreticarum pravitatum erroribus, Catholica Fides ubique gentium conservetur, & propagetur, ambiguitates & dubia de medio tollere, & opportunæ dispositionis ministerio providere volentes, ut tot, tantaq; Constitutiones generales à nobis, & hâc S. Sede, & præsertim ad favorem Fidei Catholicæ, illiusq; propagationem, & Officii sanctæ Inquisitionis contra hæreticam pravitatem editæ, & de cætero edendæ, sublatis quibuslibet exceptionibus, subterfugiis, & impedimentis, ad majorem Dei gloriam, Sanctæq; Matris Ecclesiæ exaltationem, debitum, ut par est, sortiantur effectum: nec non quorumcumque privilegiorum, gratiarum, & indultorum, dictis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, cum quibusvis clausulis, & Decretis etiam quantumlibet extraordinariis, & cautelis quomodolibet, & ex quacumque causa concessorum, etiamsi in corpore juris clausa sint, tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in eis tradita observata inserti forent, eisdem præsentibus pro expressis habentes: Motu proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine: Quòd quævis generales Constitutiones, dispositiones, & ordinationes Apostolicæ per nos, & quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros in concernentibus Fidem Catholicam, illiusq; propagationem, & sanctæ Inquisitionis Officium præfatum, præsertim quoad ea, quæ in Congregationibus sancti Officii, & & de propaganda Fide coram Nobis tractari solent, hactenus editæ, omnes, & singulos tam S. Benedicti, Cistercien. & Societatis Iesu præfatorum, quàm quorumcumque aliorum Ordinum, Congregationum, & Institutorum Professores omnino comprehendant, perinde ac si præfati, & alii quantumlibet privilegiati in eis nominatim expressi fuissent.

271. Ac etiam edendis Constitutionibus subjaceré decernit.

Edendæ verò in posterum per Nos, & Romanos Pontifices successores nostros, tam in favorem præfatæ Fidei Catholicæ, illiusq; propagationis, & sancti Officii Inquisitionis præfati, quàm super quacumque alia re, negotio, seu materia, Constitutiones, dispositiones, & ordinationes huiusmodi similiter omnino comprehendant præfatos eorumdem Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum professores; nisi in edendis Constitutionibus, huiusmodi specialiter, & expresè, excipiantur, etiamsi ipsi privilegiati forent magìs speciali notâ, & expressione digni, eisq; privilegia gratiæ & indulta à Sede Apostolica præfata, etiam sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, & insuper consistorialiter, etiam contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, tam per viam meræ concessionis, quàm communicationis, & aliàs quomodolibet concessa respectivè sint, quorum, seu quarum vigore, vel prætextu sint excepti, seu se minimè comprehendi prætendant in constitutionibus generalibus, vel aliis non facientibus plenam, & expressam eorum mentionem.

272. Hanc Declarationem clausulis præservativis munit.

Præsentes verò literas, omniaq;, & singula in eis contenta, etiam ex eo quòd Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum huiusmodi Professores, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu quomodolibet habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi, ac causæ, propter quas eadem præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, seu aliàs justificata non fuerint, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiæ, vel iustitiæ remedium impetrari nullatenus posse, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet facien. comprehendi, sed semper ab illis exceptas, semperq; validas, firmas, & efficaces existere & fore, suosq; plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari.

Ita & non aliter judicari mandat.

Sicq; per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæq; Sedis Nuncios, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secùs super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

273. Contraria tollit.

Non obstantibus regulâ nostrâ de iure quæsito non tollendo, ac quibusvis aliis Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non tam sancti Benedicti, Cistercien. Præmonstraten. Sancti Antonii de S. Antomo Viennen. & Societatis Iesu præfatorum, quàm quorumcumque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, & privilegiis, nec non præfatis, & quibusvis aliis privilegiis, indultis, & literis Apostolicis, etiam Mare magnum, & aliàs quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, eorumq; Superioribus, bonis, rebus, Monasteriis, locis regularibus, & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, & aliis

Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia requisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque .... Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Novemb. 1631. Pontificatûs nostri anno nono.

Lezana. Unde (ait Lezana to. 4. verb. *Privilegia Regularium* n. 21.) jam his temporibus cessant multa, quæ de privilegiis Regularium, habentibus similes clausulas, scribunt Casarubios, Corduba, Rodriguez, Miranda, Sorbus, Portellus, Ioannes de Cruce & Alii. Ita hic Auctor.

274. Decretum Alex. VII. de hac materia. Sive multa, sive pauca cessent, de quo posset disputari, quæritur hìc; an cessent illa, quæ scribunt de privilegio absolvendi à casibus Episcopis reservatis. Cessare autem videtur probari manifestè, si non ex illa Bulla, saltem ex Decreto quodam sub Alexandro VII. *Die 30. Ian. 1659. In Congregatione Generali sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis, habitâ in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino nostro D. Alexandro divinâ providentiâ Papa VII. ac Eminent. & Reverendissimis DD. S. R. Ecclesiæ Card. in universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Vniversalibus Inquisitoribus, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.* Sequitur tenor Decreti:

Cùm nuper à Regularibus Mendicantibus Diœcesis Andegavensis, iudicio Sedis Apostolicæ (ad quam dumtaxat controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ pertinet definire) infrà insertæ propositiones fuerint oblatæ, de mandato Sanctissimi D. N. D. Alex. divinâ providentiâ Papæ VII. plurium Theologorum atque Canonistarum, à Sanctitate suâ ad id specialiter deputatorum, examini sunt commissæ, quo peracto & relatâ Sanctitati suæ unanimi eorumdem Theologorum atque Canonistarum censurâ, idem Sanctissimus, auditis votis Eminent. & Reverendissimorum DD. Cardin. Generalium Inquisitorum easdem propositiones prout infrà qualificatas, auctoritate Apostolicâ declaravit, & declaratas decrevit, & tales ab omnibus haberi præcepit.

Porrò tertia ex his propositionibus, vel potiùs secunda pars tertiæ propositionis, ita se habet: *Regulares habent potestatem absolvendi à peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas ipsa, ipsis indulta non fuerit.* Sequitur ejus qualificatio. *Est falsa, auctoritati Episcoporum & Sedis Apostolicæ iniuriosa.*

Et in fine Decreti additur: *Hanc ergo qualificationem & declarationem à cunctis tenendam, sequendam, & in praxi observandam esse, Sanctitas sua declaravit, & mandavit sub pœnis contra schismaticos, temerarios, seditiosos, ac de hæresi suspectos impositis: contrariis quibuscumque non obstantibus.*

IOAN. LUPUS Sanctæ Rom & Universalis Inquisitionis Notarius.

*Loco * Sigilli.*

Cæterùm ne quis posset dubitare de veritate hujus transcripti, impressi Andegavi apud Petrum Auril, Typographum Regis & Illustrissimi Domini Episcopi Andegavens. 1659. ecce Attestatio transcriptoris: *Ego infrascriptus Illustrissimi & Reverendissimi Domini Archiepiscopi Cæsariensis in Gallis Nuntii Apostolici Secretarius, & Protonotarius Apostolicus, de mandato eiusdem Illustrissimi D. Nuntii, præsentem copiam ex suo proprio originali, penes ipsum Illustrissimum D. Nuntium existente, manu propriâ transcripsi, cum eodem collationavi, & in omnibus cum illo concordare fidem facio & attestor. In quorum &c. Datum Parisiis hâc die 29. Martii 1659.*

Ita est BARTHOLOMÆUS DE COMITIBUS Protonotarius Apostolicus.

Sed nunquid hæc attestatio sufficit, ut Decretum hoc obliget? Indubiè ut lex aliqua obliget, requiritur promulgatio. Hinc P. Bruno si vidisset illud, quando impressit opus suum de Privilegiis Regularium, respondisset, sicut respondet ad Decretum Urb. VIII. supra allegatum; illam Declarationem seu Decretum esse sententiam Doctorum, à Pontifice approbatam, quæ non magìs obligat, quàm sententia aliorum Doctorum; cùm non sit lex, nec publicata ad modum legis.

Et hæc maximè vera sunt in Gallia, ubi illa Decreta non recipiuntur: ùt etiam novissimè die 15. Maii 1647. orante Talon, Advocato Generali Regis Christianissimi, die 10. ejusdem Mensis, illa recipi & publicari à Supremo Senatu Parisiensi prohibitum fuit. Hæc ille.

Cùm ergo non constet de publicatione seu promulgatione Romana, quæ solet fieri per affixionem hujusmodi literarum ad valvas Curiæ & Cameræ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ & aliis locis; neque de promulgatione Gallicana Parisiis, Andegavi, aut alibi facta, unde probatur, quòd tale Decretum ad modum legis obliget?

Nolo, inquit Diana part. 9. tract. 6. resol. 51. suscitare tragœdias inter Regulares & Episcopos: ideo non discedo à negativa sententia, id est, à sententia, quæ negat Regularibus potestatem absolvendi à casibus Episcopo reservatis. Quare (subjungit Herincx disp. 7. n. 12.) videant Confessarii Regularium, ne indebitis Absolutionibus obsint suæ & proximorum saluti,

saluti, nec hujusmodi casibus sese ingerant, citra specialem facultatem (in qua concedenda Ordinarii debent esse faciles, utì certum est) nisi solidè constet vel Decretum præfatum (loquitur de Decreto Urbaniano) in eorum Diœcesi necdum obtinere vigorem (prout in variis Diœcesibus per plurimos annos non viguit, immo omnino latuit) vel post Trident. de novo concessam fuisse à Sede Apostolica facultatem: quæ sunt facti, inquirenda à singulis quorum interest. Hæc ille.

277. Hoc Decretum loquitur generaliter nullâ factâ mentione privilegiorum ante vel post Trident.

Antequam vidisset Decretum Alex. VII. alioquin omisisset illam particulam: *Vel post Trident. de novo concessam fuisse à Sede Apostolica facultatem*, cùm Decretum Alexandri generaliter loquatur, nullâ factâ mentione privilegiorum, ante vel post Tridentinum concessorum, nisi fortè Decretum hoc, diceretur fundari in Decreto Urbani, adeoque eadem limitationes subintelligendas. Sed hoc non posse dici, videtur apertè colligi ex novissimo Decreto ejusdem Pontificis Alex. VII. quod constat fuisse publicatum Romæ an. 1665. 2. Octob. in quo damnatur & prohibetur hæc propositio, ut minimum tamquam scandalosa: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.* Omnibus ergo perlectis & scrutatis, sit hæc Conclusio finalis: *Mendicantes non possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.*

278. Quid dicendum de casibus Papæ reservatis.

De casibus Papæ reservatis, sive per Bullam Cœnæ, sive per jus commune, aut aliud particulare Decretum, non loquitur Alex VII. Neque Urb. VIII. nisi de contentis in Bulla Cœnæ. Interim probabile est, privilegia Regularium, concedentia expressè casus Papæ reservatos, etiam contentos in Bulla Cœnæ, non revocari per ipsam Bullam Cœnæ, ùt videre poteris apud Dia. p. 3. tract. 2. resol. 10. saltem durante vitâ illorum Pontificum, qui dicta privilegia concesserunt, quia alioquin visi essent, voluisse decipere vel illudere.

Dian.

Immo etiam Aliqui docent, absolutè non revocari; quia, ùt alibi dixi, in clausula Bullæ Cœnæ non prohibemur absolvere ratione seu vigore privilegiorum, sed eorum prætextu, id est (ùt explicant hi Auctores) sub velamine vel colore alicujus privilegii quod non est, vel jam falsum est.

Sententia Villalobos.

Pro hac sententia Dia. suprà citat Villalobos in Sum. to. 1. tract. 9. diff. 61. n. 5. ubì Alios plures refert, subjungens: Fundatur hæc sententia; quia privilegium Principis debet esse firmum & constans, conformiter ad unam Clementinam, & non debet intelligi revocatum in casu dubio: & ita tenent communiter DD. quòd privilegium Bullæ Cruciatæ non revocatur per Bullam Cœnæ, & idem videtur de privilegiis, quæ habent Mendicantes; & foret grave inconveniens, quòd Pontifex concederet alicui eunti ad conversionem infidelium, facultatem absolvendi à casibus contentis in Bulla Cœnæ, & quòd statim eam revocaret per publicationem ejusdem Bullæ. Hæc ille. Et paucis interjectis sic ait: Utraque opinio videtur mihi probabilis, sed hæc secunda videtur mihi probabilior & tuta in praxi. Verùm quantum ad crimen hæreseos, judico contrarium practicandum.

279. Sententia Portel.

Consimiliter loquitur Portel in Addit. ad dub. Reg. verb. *Abbas* n. 10. ibi: Bulla Cœnæ, non obstante suâ rigorosâ revocatione, non tollit, quò minùs valeant privilegia Bullæ Cruciatæ ad absolvendum à casibus Bullæ Cœnæ, exceptis illis, qui exprimuntur in Bulla Cruciatæ, ùt fatentur omnes Doctores, aliàs fideles deciperentur in illius receptione, quod non est dicendum. Ergo cùm privilegia concessa Religiosis non sint minoris valoris, quàm privilegia Cruciatæ, cùm Cruciata non tollat privilegia Religiosorum, juxta communem sententiam; sequitur, privilegia Religiosorum in foro conscientiæ non tolli per revocationem generalem Bullæ Cœnæ quoad casus in illa contentos, si sint occulti, exceptâ hæresi, & proinde poterunt absolvere subditos ab illis, si sint occulti, exceptâ hæresi. Ita Portel.

Accedat; quod legitur in Comp. privileg. Societ. Iesu verb. *Bulla Cœnæ* §. 2. concessit Greg. XIII. 18. Martii anno 1584. *Quòd nullæ Societatis facultates censeantur revocatæ per Bullam Cœnæ Domini.* Plures autem concessæ sunt facultates Societati absolvendi à quibusdam casibus Bullæ Cœnæ, ùt videre poteris in eodem Compend. verb. *Absolutio* §. 3. & sequentibus.

280. An facultates, concessæ à Greg. XIII. Societati Iesu, sint revocatæ per Decretum Urban. VIII.

Quæ omnes an sint & maneant revocatæ per Decretum Urb. VIII. de quo suprà, relinquo aliis judicandum; nam tenuitas ingenii mei, ut dicam, quod sentio, & verum est, non sufficit investigandis & trutinandis omnibus istis concessionibus & revocationibus & confirmationibus privilegiorum. Hodie conceditur privilegium, cras revocatur, modo iterum confirmatur, rursum omnia revocantur, & iterum omnia confirmantur; ita ut non nisi maximè versatus in Bullis Pontificiis, possit prudenter judicare de omnibus privilegiis in particulari, utrùm hodie adhuc valeant. Illud itaque judicium sapientioribus relinquo, eo perpenso, quòd Alexander VII. die 24. Sept. 1666. damnaverit, ad minùs tamquam scandalosam, hanc propositionem: *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.*

Cæterùm quæro ego de duabus Bullis satìs notis, putà Bullis Iubilæi & Cruciatæ, an per ipsas revocari censeantur facultates, quas Regulares habent per sua privilegia, ad absolvendum à peccatis reservatis. Resolutio erit

CON-

CONCLUSIO XIII.

Potestas Mendicantium, absolvendi à peccatis reservatis, non revocatur per Jubilæum, aut Bullam Cruciatæ.

281. Probatur Concl. ex praxi, *Diana.*

ESt recepta in praxi, quæ est optima legum interpres, & ideo omnino amplectenda. Vide Dia. part. 1. tract. de Bulla Cruciatæ resol. 100. qui eam amplectitur cum Aliis, quos citat; quibus adde Lugonem disp. 20. n. 145. & seq.

Lugo. & ex verbis Bullæ Greg. 13.

Et quidem, non revocari per Iubilæum, stando in verbis Bullæ Greg. XIII. quam refert Navar. in §. *In Levitico* notab. 33. non est dubium (inquit Eminent.) cùm ibi solùm revocentur ejusmodi facultates, *Indulgentiarum causâ* concessæ. Unde idem Navarrus ibi testatur, se de hoc dubio Datarium Papæ consuluisse, qui respondit, intentionem Pontificis fuisse, revocare sola indulta similia absolvendi &c. concessa ad lucrandas Indulgentias.

Navarrus.

282. Quæ omissa fuerunt in Bulla Clement. 8.

Magis dubitari poterat, attentâ Bullâ Clement. VIII. anno sancto 1600. in qua illa verba, *Indulgentiarum causâ*, omissa fuerant. Sed idem Pontifex interrogatus dixit, eandem fuisse intentionem suam: & ad tollendum dubium, edita fuit iterùm eadem Bulla, additis eisdem verbis.

Urbani 8.

Denique anno 1625. in Bulla Sanctissimi D. N. Urb. VIII. omissa fuerunt eadem verba, fortè quia ex Bulla prima Clement. VIII. transcripta fuit illa clausula. Quare cùm iterum de hoc dubitaretur; ego dixi, non fuisse revocatam Regularium facultatem: Primò, quia Urb. ibi dicit, se sequi exemplum prædecessorum in illa revocatione: cùm ergo prædecessores non revocassent omnes facultates, sed concessas causâ Indulgentiarum, de iis solis intelligendum est. Secundò, quia postea non imponit præceptum nec excommunicationem, nisi contra publicantes illas Indulgentias: ergo de illis solis agebat. Tertiò, quia non erat credibile, quòd Religiosi Prælati eo anno non possent absolvere suos subditos ab ulla excommunicatione, reservata Papæ, quod tamen concedendum esset, si verba in ea generalitate acciperentur. Denique, postea idemmet Sanctissimus interrogatus, hoc ipsum respondit, & dixit, hanc solam fuisse suam intentionem: quare de hoc non fuit ampliùs dubitatum. Hucusque Eminent.

283. Et Innocentii X.

Quæ si vera sunt, ùt puto, neque enim habeo rationem dubitandi, Conclusio nostra non indiget aliâ probatione. Hoc tantùm miror, quòd in Bulla Innoc. X. anno sancto 1650. rursum omissa fuerint illa verba: *Indulgentiarum causâ.*

Sic quippe lego Bullâ 21. apud Cherubinum §. 2. *Omnes & singulas Indulgentias, etiam perpetuas & peccatorum remissiones ac facultates, & indulta absolvendi, etiam à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus etiam laicorum, Universitatibus & piis locis, illorumq; Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magistris, Superioribus & tam sæcularibus, quàm quorumvis etiam Mendicantium Ordinum Regularibus personis, Coronisq;, Granis, Imagimibus & Numismatibus ex metallo, seu quacumque alia materia confectis, tam singulariter, quàm universaliter, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam Nos, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Regimarum, Ducum, & aliorum Principum, aut ipsis etiam Imperatori, Regibus, Regimis, Ducibus & Principibus, & aliis quacumque aliâ mundanâ, vel Ecclesiastica dignitate, etiam speciali notâ dignâ, fulgentibus, etiam ad instar Iubilæi, aut aliàs quomodocumque, & ex quibusvis causis, & occasionibus sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & Decretis, etiam motu proprio & ex certa scientia, ac aliàs quomodolibet concessas, quorum omnium tenores, formas, derogationes, & Decreta præsentibus pro expressis haberi volumus, Apostolicâ auctoritate, de eorumdem fratrum consilio & assensu, ac Apostolicæ potestatis plenitudine suspendimus, & suspensa esse declaramus; easq;, & ea, eodem anno durante, nulli prodesse aut suffragari debere. Irritum quoque & inane decernimus, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.*

Quæ est amplissima revocatio, etiam facultatis absolvendi à casibus reservatis. Et idem est tenor Bullæ Clement. VIII. 1. editæ, 58. apud Cherub. & Urb. VIII. 17. apud eundem Auctorem. Miror, inquam, saltem Innoc. non addidisse illa verba ex Bulla Gregor. XIII. *Indulgentiarum causâ*, si eadem fuerit ipsius intentio; nisi fortè supposuerit, illam satis notam ex Bulla Greg. & Clement. VIII. 2. edita, & Declaratione Urb. VIII.

Interim adjungo ipsissima verba Greg. ùt ea refert Navar. suprà, quia apud Cherubinum aut Rodriguez non invenio Bullam Jubilæi hujus Pontificis, neque Bullam seu Extravagantem suspensivam Indulgentiarum. Quare Cherubinus eas omiserit, cùm alias tamen referat, & hæ à Navarro de verbo ad verbum referantur, & Bulla Jubilæi, ùt ponitur in margine, sit Bulla 22. inter ipsius Constitutiones: Bulla autem seu Extravagans suspensiva Indulgentiarum, 39. cur, inquam, eas omiserit Cherubinus, planè ignoro. Hoc scio, ex hac sententiam nostram non modicè probari.

Sic ergo ait Gregorius: *Quoniam Sanctis Iubilæi celebrationem proximo anno 1575. à primis*

rum Greg. XIII.

vesperis, quæ vigilia est diei Festi proximè futuri Nativitatis Domini nostri Iesu Christi incipiendam & per totum illum annum finiendam, universo populo Christiano de Fratrum nostrorum assensu indiximus, quemadmodum literis nostris desuper confectis pleniùs continetur: nos pro consequenda eo anno Indulgentia, quæ dictis literis expressa est, multorum Romanorum Pontificum morem secuti, de Apostolicæ potestatis plenitudine suspendimus ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum, omnes & quascumque Indulgentias plenarias, etiam ad instar Iubilæi, & earum causâ facultates, concessiones & indultâ quæcumque à nobis, & dicta Sede, eiusq; auctoritate, quibuscumque Ecclesiis & Monasteriis utriusque sexûs, ac Conventibus, Domibus, Congregationibus, Hospitalibus & piis locis, nec non Ordinibus, etiam Mendicantium ac Militarum, nec non Confraternitatibus & Vniversitatibus, earumq; & aliis cuiuscumque dignitatis, gradûs & conditionis, personis Ecclesiasticis & secularibus, per universum orbem constitutis, etiam per modum communicationis, extensionis, & aliàs quomodocumque perpetuò, vel ad tempus quibusvis modis, & ex quibusvis causis concessas & concessa, quibuscumque illa sint concepta formulis ac restrictionibus, revocationibus, mentis attestationibus, aliisq; clausulis & Decretis communita. Decernentes interim illa, & literas desuper confectas, nulli prorsùs suffragari debere, nec non irritum & inane quidquid secùs per quoscumque contigerit attentari, Indulgentiis Basilicarum & aliarum Ecclesiarum Vrbis, nihilominus in suo robore duraturis. Præcipimus igitur, atque interdicimus, ne ullæ aliæ, quàm prædicti à nobis indicti Iubilei, Indulgentiæ, sive publicè, sive privatim ubique locorum & gentium interim publicentur, prædicentur & nuncientur, aut in usum demandentur, qui secùs fecerint, in excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, & ab Ordinariis locorum pro cuiusque arbitrio puniantur. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, & locorum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis &c.

285. Verba, ex hac Bulla omissa, in Bullis aliorum Pontificum, subintelligenda sunt.

Cùm ergo sequentes Pontifices, inhæreant (ut aiunt) vestigiis suorum prædecessorum, quàmvis illa verba: *Et earum causâ*, omiserint, equidem subintelligenda sunt; cùm, sicut suprà bene notavit Lugo, non puniant, nisi eos, qui alias Indulgentias publicaverint, non autem qui absolverint à casibus reservatis sinè aliquo respectu ad alias Indulgentias.

Quocirca (inquit Innoc. suprà §. 3.) *per præsentes auctoritate Apostolicâ præcipimus & mandamus, ne interim aliæ, quàm indicti à nobis prædicti Iubilæi Indulgentiæ sive publicè, sive privatim, quovis prætextu, ubivis locorum & gentium sub excommunicationis, eo ipso incurrendæ, aliisq;, arbitrio Ordinariorum infligendis pœnis, publicentur & nuncientur, aut in usum demandentur.*

Quod ergo Pontifex non præcipit, nec punit, cur ego dicam præceptum aut puniendum? *Odia restringi & favores convenit ampliari*, Reg. 15. de Reg. juris in 6. Quis autem dubitet illam suspensionem esse odiosam?

Hinc Villalobos in Sum. to. 1. tract. 27. concl. 12. n. 21. sic ajt: Henriquez dicit, quòd non derogetur dictis privilegiis (inter quæ est privilegium absolvendi à casibus reservatis) Regularium in anno Iubilæi, idque esse certissimum, & quòd ità declaret consuetudo; quia ista privilegia sunt æqualia legibus, & debent amplè interpretari in favorem animarum, prout alibi dicit. Ista sententia videtur mihi multùm probabilis, & quòd possit practicari. Ita ille. 286. Villalobos cum Henriquez tenet privilegium absolvendi à reservatis non suspendi per Iubilæum.

Quidquid in oppositum asserat Eman. Rodrig. in Bulla Cruciatæ §. 12. in addit. dub. 6. ubi mordicùs contrarium docet; sed tu tene nostram sententiam, intellectâm de facultate absolvendi à reservatis, concessâm absque respectu ab aliquam Indulgentiam. Contrarium asserit Rodriguez.

Quantùm ad Bullam Cruciatæ, difficultas oritur ex facultate, quæ in ea conceditur Commissario, suspendendi omnes gratias & facultates, concessas quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus & aliis piis locis, Universitatibus, Confraternitatibus & singularibus personis &c. *Excepti tamen concessis Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum Fratres tantùm.* Cùm ergo Commissarius suspendat omnes facultates, quas suspendere potest, putant Nonnulli; Mendicantes, durante anno publicationis istius Bullæ, non posse absolvere sæculares à casibus reservatis Sedi Apostolicæ vi suorum privilegiorum. Ita docet Navar. lib. 5. Consil. in posteriori editione tit. de Privil. Consil. 16. n. 1. Manuel in Bulla Cruciatæ §. 12. n. 4. & Alii. 287. An per Bullam Cruciatæ suspendatur privilegium absolvendi à reservatis.

Sed, sicut dixi, in principio Concluſ. praxis communis est in contrarium: omnes enim Regulares, inquit Lugo suprà n. 146. eodem modo utuntur suis facultatibus ad absolvendum & commutandum scientibus & videntibus Commissariis Bullæ Cruciatæ, & non reclamantibus nec contradicentibus. Non suspendi probatur ex praxi.

Et probari potest: quia in Bulla Cruciatæ non revocantur facultates concessæ Ordinibus, sed concessæ Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, locis piis, Universitatibus, Confraternitatibus & personis particularibus, in quibus omnibus non videntur comprehendi facultates, concessæ Ordini Religioso in communi. Quare cùm illa reservatio sit odiosa, videtur strictè interpretanda. 288. & verbis Bullæ.

Cùm ergo facultas, de qua hìc tractatur, scilicet absolvendi à casibus reservatis, sit concessa non Ecclesiis, Monasteriis &c. aut personis particularibus, sed Ordini Religioso seu ipsis Religionibus Mendicantium, sequitur manifestè, hanc facultatem non revocari seu suspendi per Bullam Cruciatæ.

Rodriguez.

Et ita mutatâ sententiâ docet Rodrig. to. 1. qq. Regul. q. 61. a. 14. dicens, se invenire, viros doctos & Religiosos hanc sententiam amplecti. Pro cujus explicatione

289. *Facultates Bullæ Cruciatæ sunt privilegia personalia.*

Notat Primò, quòd omnes facultates & gratiæ, quæ in Bulla Cruciatæ conceduntur, indulgentur personis particularibus, & sunt privilegia personalia. Nam in suspensione Indulgentiarum & facultatum habetur in eadem Bulla, quòd accipiendo eam revalidantur. Et certum est, quòd personæ singulares & non Monasteria & Conventus dictas Bullas accipiunt.

Privilegia Mendicantium abolendi à reservatis sunt realia.

Notat II. quòd privilegia, concessa Confessoribus Ordinum Mendicantium, ad absolvendum à reservatis, & ad dispensandum & commutandum vota sæcularium, non sunt privilegia personalia, sed realia. Licèt enim concedantur personis, non tamen ùt personis singularibus, sed ùt personis dictorum Ordinum professoribus, quibus Ordinibus voluit Sedes Apostolica prædictum favorem impartiri. Hinc si aliquis Religiosus auctoritate Apostolicâ à Religione egrederetur, habitum relinquens, minimè dictis facultatibus frueretur.

290. *In Bulla Cruciatæ sola privilegia personalia suspenduntur.*

Notat III. quòd sicut in Bulla Cruciatæ non conceduntur privilegia, nisi personalia, personis singularibus concessa; ita in ea non suspenduntur nisi privilegia personalia, singularibus personis concessa. Et sic non suspenduntur gratiæ concessæ Monasteriis &c. in quantum conceduntur illis locis, sed in quantum concernunt personas singulares, quæ his facultatibus possunt gaudere.

Notat IV. quòd etiamsi in dicta Bulla suspendantur facultates, concessæ Monasteriis respectu personarum singularium, quæ ipsis possunt frui, non tamen suspenduntur facultates concessæ Religionibus & Ordinibus; quod necessarium erat exprimere: nam sicut in generali privilegiorum revocatione, non includuntur privilegia, concessa Religionibus, nisi expresè dicatur; ita in generali suspensione privilegiorum, non suspenduntur privilegia, concessa Ordinibus & Religionibus, nisi id expresè dicatur.

291. Hæc latiùs deducta, videri possunt apud præcitatum Auctorem. Ex quibus infert nostram Conclus. quam invenio, inquit ibidem, viros doctos & Religiosos amplecti.

Quomodo intelligenda illa verba Bullæ Cruciatæ: Exceptis concessis Superioribus &c.

Infert etiam seu colligit, verum intellectum horum verborum Bullæ Cruciatæ: *Exceptis concessis Superioribus Ordin. Mendicantium quoad ipsorum Fratres tantùm*, scilicet, quòd concessa Ordinibus quantùm ad sæculares, suspenduntur, non generaliter; sed solùm quæ sæcularibus immediatè conceduntur, scilicet Indulgentiæ, sæcularibus concessæ, visitantibus loca Fratrum: hæc enim privilegia sunt personalia, concessa particularibus personis, attentâ earum devotione.

Immo addo (prosequitur idem Auctor) quòd hæc & alia similia privilegia, concessa Religionibus ad petitionem Superiorum, non suspendebantur in Bulla Cruciatæ respectu dictorum Fratrum. Cùm enim concedantur Religiosis, & Religionibus censentur concessa, & privilegia, Religionibus indulta, in dicta Bulla minimè suspenduntur, prout dictum est in superioribus.

Si inferas; ergo frustrà ponitur prædicta exceptio: *Exceptis concessis* &c. Respondet Rodrig. fuit apposita ad petitionem Fratrum, intelligentium, Bullam suspendere dicta privilegia, & virtute eorum minimè posse Indulgentias, Ordini concessas, lucrari. De quorum numero multos inveni, etiam post istius clausulæ & exceptionis appositionem. Et sic per ignorantiam fuit tempore Leonis X. hoc supplicatum, & ab ipso Summo Pontifice in hunc modum concessum.

Item dignetur S. V. concedere & declarare, quòd virtute Bullarum Cruciatæ contra infideles, vel per aliarum Indulgentiarum generalium quascumque revocationes, aut suspensiones privilegiorum Ordinum etiam mendicantium, nunquam intelligantur revocata neque suspensa indulta, privilegia, & gratiæ concessæ quoad personas Fratrum Minorum de Observantia, & quoad suspendendum interdictum in Festivitatibus Sanctorum sui Ordinis, nisi de his specialis & nominatim facerent mentionem. Et dixit Papa, *Fiat.* Cujus Indulti, & aliorum, dat fide dignum testimonium Laurentius Card. quatuor Coronatorum, ùt constat ex supplemento Ordinis fol. 18. pag. 2. concess. 163.

Et hoc sæpissimè contingit, quòd Fratres, præsertim Minores, nimis scrupulosi, ad Sedem Apostolicam accedant, petendo ab ea id, quod sibi aliàs jus commune concesserat, quod in Monumentis Ordinum maximam parit confusionem. Hactenus Rodrig.

Sufficiant ista pro intelligentia hujus clausulæ Bullæ Cruciatæ, quæ in his partibus non viget, sed conceditur pro sola Hispania & Insulis adjacentibus ac Regnis Siciliæ & Sardiniæ. De ea specialiter agunt & latè Rodrig. jam citatus, Anton. Gom. & Acosta de Andrada in suis Tractatibus de Bulla, Fr. Ludov. Lopez 2. p. instruct. c. 6. fol. 798. Dia. p. 1. tract. 11. Villalobos in Sum. to 1. tract. 27.

Non gravetur Lector, si adhuc unam proposuero quæstionem satis notabilem & disputabilem. Cùm enim plures facultates concedantur per hanc Bullam, & inter alias, facultas eligendi Confessarium, qui absolvat à casibus reservatis, dubium est, an Religiosi Mendicantes virtute istius Bullæ possint sibi eligere Confessarium, qui eos absolvat à casibus, in Ordine suo reservatis absque licentia suorum Superiorum. Respondeo:

CON-

CONCLUSIO XIV.

Non est mens Pontificis, ut Mendicantes virtute Bullæ Cruciatæ eligant Confessarium, vel absolvantur à peccatis reservatis, absque licentia suorum Superiorum.

294. Probatur Concl. ex istitutis variorum Pontificum præsertim Greg. XIII.

HAnc suam mentem (ut alios priores Pontifices omittam, Alex. VI. pro Ordine Cistercien si, ùt habetur in Comp. Privil. ejusdem Ordinis verb. *Bulla Cruciata* §. 1. & Innoc. VIII. pro Augustinianis, ùt refertur in Comp. Mend. verb. *Confessiones & Confessores* §.7. & Leo X. pro FF. Minoribus, ùt refertur in eodem Comp. verbo *Absolutio quoad Fratres* §.21. & 22.) disertissimis verbis pro Societate Iesu expressit Greg. XIII. in Bulla quæ incipit: *Decet Rom. Pontificem* 3. Maii 1575. dicens: *Non esse, nec fore unquam mentis suæ aut Sedis Apostolicæ, ut personæ Societatis, absque expressa Superiorum eiusdem Societatis licentia, utantur facultatibus, quæ in Iubilæis, Bullis Cruciatæ, Confessionalibus aut aliis quibuslibet Apostolicis indultis; sive Communitatibus sive privatis personis, sive piis locis, aut quomodòcumque hactenus concessæ sunt, aut imposterum concedentur; etiamsi in illis expresè indulgeatur, ut omnes Regulares, etiam mendicantes, hujusmodi facultatibus uti possint.* Ita refertur in Comp. privil. Societatis verb. *Absolutio* §. 11.

295. & Clem. VIII.

Hoc ipsum, inquit Lugo disp. 20. n. 154. confirmavit & decrevit Clemens VIII. litteris suis expeditis die 14. Iunii an. 1595. ubi decernit: *Nulli Religiosorum Societatis licere facultatibus Cruciatæ in quacumque mundi parte publicatæ vel publicandæ, quoad eligendum Confessarium & obtinendam Absolutionem a casibus reservatis uti; nec eis, quoad hanc eligendi Confessarium, & obtinendi Absolutionem, prædictam facultatem Cruciatæ huiusmodi suffragari: sublatâ omnibus Ordinariis & Delegatis aliter iudicandi & interpretandi facultate.*

Idem Pontifex de eadem materia generaliorem edidit Bullam, quæ incipit: *Romani Pontificis* 64. apud Cherub. in qua §. 1. sic lego: *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis FF. B. Mariæ de Monte Carmelo, quòd cùm in Bulla Cruciatæ Sanctæ, & aliis privilegiis, quæ ab Apostolica Sede concedi solent, detur facultas eligendi Confessorem idoneum, ab Ordinario approbatum, qui possit Christi fideles absolvere à casibus Ordinario reservatis, & quibusdam etiam, quæ dictæ Sedi reservata sunt, Religiosi dicti Ordinis, seu eorum nonnulli, etiam iis facultatibus uti præsumunt, & illorum pretextu eligunt Confessorem aliquando præter eos, qui à suis Prælatis eorum Confessionibus deputati sunt, quod aliquando in speciale eorum vergit detrimentum. Quare prædictus Procurator Generalis, humiliter nobis supplicari fecit, quatenus in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.* Ecce supplicatio.

Sequitur apostilla §. 2. sequentis tenoris: *Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, talem concessionem Sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessorem, & absolvendi à casibus reservatis, cum Fratribus & Sororibus Monialibus Ordinis prædicti, ac aliorum quorumcumque Ordinum & Congregationum cuiusvis Instituti Mendicantium & non Mendicantium, tam Provinciæ Hispaniæ, quàm extra eam ubilibet, locum minimè habere neque censeri, sed nostræ intentionis existere, quòd in Fratres & Moniales, quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium perpetuò declaramus. Eisdem tamen Prælatis, ut in usu huiusmodi potestatis se cum subditis benignos & faciles exhibeant, præcipimus & mandamus.*

Non obstantibus (ut dicitur §. 3.) *præmissis & quibusvis Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis prædicti, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis & consuetudinibus, cæterisq; contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 23. Novembr. 1595. Pontificatûs nostri an. 8.*

296. Item Urbani VIII.

Cùm autem nec sic quiescerent Monachi, sed adhuc prætenderent potestatem eligendi Confessarium, ultimam manu adhibuit Urb. VIII. Bullâ: *In specula* 106. apud Cherubin. ubi relatâ hâc Constitutione Clement. cujus tenorem pro expresso haberi vult, §. 2. sic ait: *Nihilominus sicut nobis non sinè animi nostri molestia innotuit, nonnulli Ordinis FF. Prædicatorum Professores, prætextu Bullæ eiusdem Sanctæ Cruciatæ, ac dictorum indultorum Confessarium huiusmodi, qui eos, ut præfertur, absolvat, eligere posse prætendunt, & forsan eligant, etiam ad præsens, postquam literæ nostræ die 14. Iunii 1624. Pontificatûs nostri anno 1. super facultate eisdem Regularibus, Confessarium ad effectum huiusmodi eligendi, ad quinquennium tunc proximum concessâ, emanatæ pridem ab anno, & ultra expiraverunt, in maximum status & observantiæ regularis præiudicium.*

Hic Pontifex innovat & observari præcipit Bullam Clem. VIII.

§ 3. *Nos præmissis quantùm nobis ex alto conceditur, obviare, ac felici tam eorumdem Fratrum Prædicatorum, & Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Religiosorum, quàm omnium, & quorumcumque aliorum cuiuslibet Ordinis, Congregationis, Societatis & Instituti, etiam speciali mentione & notâ digni utriusque sexûs, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium statui atque directioni, & aliorum Christi fidelium saluti consulere volentes, præfatæq; Clementis prædecessoris Declarationi inhærentes, illamq; tenore præsentium innovantes, ac quatenus opus sit, ampliantes, Motu proprio, & ex certâ scientia ac maturâ deliberatione nostris, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, concessionem Sanctæ Cruciatæ, quæ respectu facultatis huiusmodi, etiam laicis & Clericis sæcularibus cuiuscumque status, gradûs,*

qualitatis & conditionis, etiam speciali notâ dignæ quoad casus reservatos etiam in Bulla Cœnæ Domini (hæresi excepta) contentos, non nisi in foro conscientiæ, non autem in foro externo suffragatur, aliorumq; indultorum huiusmodi quantùm ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absolvendi à prædictis casibus reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum Fratribus & Monialibus prædictis Fratrum Prædicatorum, & aliorum quorumcumque Ordinum & Congregationum, Societatisq; & Instituti prædictorum Mendicantium, & non Mendicantium, tam Provinciæ Hispaniæ, quàm extra eam ubilibet constitutorum, locum minimè habuisse, nec habere, nec in illis ullo modo suffragari potuisse, neque posse, excepto dumtaxat illo quinquennio, quo literæ nostræ huiusmodi, ut præfertur, duraverunt, siquidem die 14. Mensis Iunii 1629. proximè præteriti iam expiraverunt; sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quòd iidem Fratres, & Moniales quantùm ad Sacramenti Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ quoad sibi reservata, subiecti sint, earumdem tenore præsentium perpetuò declaramus.

297. Clausulas Præservativas apponit.

§. 4. *Decernentes, præsentes nostras literas de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quocumque defectu, à quoquam impugnari non posse.*

Ita judicari mandat.

§. 5. *Sicq;, & non aliter, in omnibus & singulis præmissis per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-legatos ac Sedis Apostolicæ Nuntios, ac Cruciatæ Commissarios, & quosvis alios, quâvis auctoritate fungentes, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, interpretari ac iudicari debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.*

Contraria aufert.

§. 6. *Non obstantibus præmissis, ac omnibus & singulis illis, quæ in dictis Clementis prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisq; contrariis quibuscumque. Quibus omnibus & singulis illorum omnium, & singulorum tenores, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque.*

298. Publicationem in Urbe omnes afficere decernit.

§. 7. *Vt autem præsentium tenor omnibus innotescat, volumus eas in valvis Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ de Vrbe, ut moris est, publicari, ipsasq; sic publicatas, omnes & singulos ubique existentes ita afficere, ac si omnibus personaliter intimatæ essent.*

§. 8. *Quodq; præsentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 19. Iunii 1630. Pontificatus nostri anno 7.

Quis, his lectis & maturè expensis, adhuc prudenter dubitare potest de mente Pontificum? Id est, quis prudenter potest dicere: *Mendicantes possunt absolvere à casibus reservatis virtute Bullæ Cruciatæ, absque licentia suorum Superiorum?* Nam illa potestas, quanta quanta est, pendet ex voluntate Pontificis, concedentis Bullam.

Planè, inquis, pendet; sed nunquid unus Pontifex potest ligare manus alterius, ut non obstante Constitutione prædecessoris, successor non possit facere, quod vult? Illi Pontifices sic voluerunt, & ideo durante eorum vitâ non poterant Religiosi uti hâc facultate; at verò successores eorum, rursum Bullam concesserunt generalibus terminis, nullâ factâ mentione, aut exceptione Religiosorum: ergo sic, ùt priùs, possunt uti omnibus facultatibus, in ea concessis, prout sæpiùs declararunt Commissarii Cruciatæ. 299. Ad hæc Cruciatæ

Unde hanc sententiam, saltem post Clement. VIII. multi viri docti in Hispania (quos citat Villalobos in Sum. to. 1. tract. 27. clausul. 9. n. 13.) tam ex Ordine Minorum, quàm Augustinianorum, & Carmelitarum, ac Societatis Iesu, propugnaverunt, sic intelligendo, quòd possint eligere aliquem approbatum à suis Superioribus, propter illa verba Clement. suprà: *Et illorum pretextu eligunt Confessorem aliquando præter eos, qui à suis Prælatis eorum Confessionibus deputati sunt, quod aliquando in speciale eorum vergit detrimentum.* Ergo, inquiunt, possunt aliquem eligere ex deputatis eorum Confessionibus à suis Prælatis. Villalob.

Atque pro hac sententia Dia. p. 1. tract. 11. resol. 14. citat Villalobos suprà, ubi tamen sic ait: Cum omnibus istis ego judico, non esse sequendam istam opinionem, sed primam (id est, nostram) quæ est magis secura: quia noster Pater F. Rodrigo de Portillo me certificavit (post primam impressionem hujus libri) quòd dum esset Procurator Generalis nostri Ordinis in Curia Romana, sua Sanctitas declaraverit, quòd non prosit Bulla Religiosis quantùm ad hoc: & Congregatio Generalis nostri Ordinis, habita Segoviæ an. 1621. idem declaravit pro nobis, & nostris Monialibus. Hæc ille. Dian. Villalob.

Ut autem contraria sententia istorum DD. fuisset vera pro illo tempore, saltem pro nunc post Constitutionem Urb. VIII. in qua hujusmodi verba non inveniuntur, immo potiùs excluduntur per hæc verba: *Præfatæq; Clementis prædecessoris Declarationi inhærentes, illamq; tenore præsentium innovantes, ac quatenus opus sit ampliantes* &c. hodie, inquam, hoc dici non potest; sed vel nullum possunt eligere, quod mihi certissimum est, vel possunt quemlibet eligere propter verba indefinita Bullæ; omnem, 300. Hodie quia nullus datur per Bullam vel constitutionem

nem, dico, quem possunt eligere sæculares; quod Lugoni suprà n. 193. non est ampliùs probabile: quia licèt verba generalia sint, tamen aliundè satìs constat de contraria mente Pontificum.

Lugo.

l. 5. Cod. de Leg.

Non dubium in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem, leg. 5. Cod. de Leg. Nititur autem contra legis voluntatem, qui nititur contra Legislatoris voluntatem, quando hæc ex verbis aut circumstantiis legis sufficienter potest colligi; prout impræsentiarùm colligitur ex Constitutionibus Pontificum jam allegatis, quibus non est verisimile successorem velle præjudicare per sola verba generalia, nullâ factâ mentione istarum particularium Constitutionum; *Generi* quippe *per speciem derogatur* Reg. 34. de Reg. juris in 6. & non vice versâ speciei per genus.

Reg. 34. de Reg. jur. in 6.

301. Pontifices successores noluerunt revocare Const. Urb. per Bullam Cruciatæ.

Fateor nullus negat, successores Pontifices posse Constitutiones suorum prædecessorum revocare & limitare, ùt sæpiùs videmus fieri; sed dico, successores Urbani per Bullam Cruciatæ generalibus & antiquis terminis concessam, noluisse ejus Constitutionem, tam utilem & necessariam pro bono communi Religionis, abrogare vel limitare; argum. cap. *Veniens* 19. de Præscrip. ibi: *Non obstante privilegio Clem. Papæ, per quod privilegiis suorum prædecessorum non extitit derogatum, cùm de ipsis nullam fecerit mentionem.*

cap. 19. de Præscrip.

Et cap. 1. de Constit. in 6. ibi: *Quia tamen locorum specialium, & personarum singularium consuetudines & statuta (cùm sint facti & in facto consistant) potest probabiliter* (Pontifex) *ignorare: ipsis dum tamen sint rationabilia per Constitutionem à se noviter editam (nisi expresè caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare.*

cap. 1. de Const. in 6.

Porrò Constitutio Urbaniana, cùm non sit reducta in jus commune, meritò numeratur inter statuta specialia, quæ Pontifex potest probabiliter ignorare, adeòque cùm sit rationabilis, non intelligitur Pontifex per Constitutionem à se noviter editam (nisi expresè caveatur in ipsa) in aliquo illi derogare. Atqui in Bulla Cruciatæ non expresè cavetur, id est, non expresè revocatur illa Constitutio, imò potiùs confirmatur: ergo &c.

302. In Bulla Cruciatæ non expresse revocatur Const. Urb.

Subsumptum patet ex his verbis, quibus in Bulla Cruciatæ suspenduntur cæteræ facultates & gratiæ: *Suspendimus, durante hoc anno publicationis seu prædicationis hujus Bullæ, omnes & singulas gratias, indulgentias & facultates similes vel diversas concessas à Summo Pontifice vel eius prædecessoribus, vel ab Apostolica Sede vel eius auctoritate in omnibus regnis & dominiis Catholici Regis, omnibus & quibuslibet Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus & aliis locis piis, Universitatibus & Confraternitatibus & singularibus personis, tametsi prædictæ gratiæ & facultates concessæ sint in favorem Fabricæ S. Petri in urbe Romana, aut alterius similis Bullæ Cruciatæ: & licèt omnes aut quælibet earum habeant clausulas contrarias huic suspensioni.*

Id est, inquit Lugo suprà n. 187. licèt habeant clausulam, quòd suspendi non possint; non tamen dicitur, licèt habeant clausulam, quòd per hanc suspensionem generalem, apponi solitam in Cruciata, non suspendantur; prout habent illæ Constitutiones Pontificiæ, ùt suprà vidimus: Pontifex enim prævidit clausulam Cruciatæ, & contra eam apposuit illam aliam.

Lugo.

Deinde sequitur in Bulla Cruciatæ: *Taliter, quòd durante anno publicationis & prædicationis istius Bullæ, nemo possit lucrari vel frui aliis gratiis, indulgentiis aut facultatibus, neque possint publicari, exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum Fratres tantùm.*

Ex quibus ultimis verbis, inquit Lugo sup. n. 170. colligi videtur, non suspendi aut revocari per Bullam Cruciatæ facultates, quas Pontifices sæpiùs concesserunt Ordinibus Mendicantium, ut eorum Prælati possent suos Fratres in disciplina regulari continere per reservationem graviorum criminum. Nam tempore Pii IV. in Bulla Cruciatæ concedebatur expresè facultas Regularibus sumendi Bullam, etiam sinè Prælati licentia, & eligendi Confessarium his verbis: *Concedit sua Sanctitas, ut omnes alii, etiamsi sint Religiosi & Mendicantes, sinè licentia suorum Prælatorum possint accipere hanc Bullam, & fruantur prædicto Iubilæo plenissimè, & eligere possint Confessarium sæcularem vel Regularem, qui auditâ Confessione possit eos absolvere à peccatis, quantumlibet gravibus & enormibus.*

303. Per Bullam Cruciatæ non suspenduntur facultates Mendicantium reservandi casus. *Lugo.*

Hæc clausula ablata fuit (teste Lugone suprà n. 171.) tempore Pii V. quinan. 1571. in quodam Brevi (ùt refertur apud Eman. Rodrig. in explicatione Bullæ §. 9. n. 24. & Passarellum in Comp. Privil. Minimorum) abstulit illam facultatem suis Religiosis his verbis: *Talem concessionem Sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessorem, & absolvendi à casibus reservatis cum Fratribus & Sororibus Monialibus totius Ordinis prædicti* (scilicet Prædicatorum) *tam Provinciæ Hispaniæ, quàm extrà eam ubilibet, locum minimè habere nec censeri: sed nostræ intentionis existere, quòd iidem Fratres & Moniales quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem, dispositionem suorum Prælatorum subiecti sint, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium perpetuò declaramus.*

Cùm ergo tempore Pii V. in Bulla Cruciatæ apposita sit illa clausula: *Exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium* &c. credibile est, Pontificem attendisse potissimùm in iis verbis, ad facultatem, nuper à se concessam Prælatis Ord. Prædicatorum, gubernandi plenè suos subditos in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, quam noluit revocari vel suspendi per concessionem Bullæ Cruciatæ. Fecit autem

304. An tempore Pii V. in Bulla Cruciatæ apposita fuerit illa particula: *Exceptis tamen* &c.

Pontifex mentionem Ordinum Mendicantium; quia hi ſpecialiter inſtabant apud ipſum pro hujuſmodi Declaratione, præſertim Prædicatores, Minores, & Societas Ieſu.

Seraphinus de Freitas. Reſpondet Seraphinus de Freitas, ex Ordine S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Doctor & Juriſprudentiæ Profeſſor in Univerſitate Vallifoletana, in Memoriali peculiari de hoc puncto impreſſo n. 30. eandem exceptionem fuiſſe in Bulla tempore Pii IV.

Lugo. Henriquez. Rodrigvez. Ego (inquit Lugo ſuprà n. 172.) magis credo P. Henriquez, & Eman. Rodrig. quorum ille lib. 7. c. 22. §. 2. hic verò in Expoſit. Bullæ §. 12. ante 1. dubium, expreſsè teſtantur, illam exceptionem fuiſſe primâ vice additam à Pio V.

Subſcribo verba Henriquez. Pius V. idem conceſſit Ord. Prædicatorum (quòd & priores Pontifices conceſſerant Mendicant.) & ùt omnibus innoteſceret, adjecit Pius V. in Bulla Cruciatæ, derogari quidem Religionum privilegiis, præter facultates, conceſſas Ord. Mendicant. Superioribus, quoad ſuorum Ord. Fratres. Quæ clauſula in fine poſita, refertur ad omnia ſuperiora alicubi privilegia Religionum, quæ conceduntur immediatè Generali; & præſertim privilegium ſpeciale, ne ſubditus eligat Confeſſarium ſinè Superioris licentia, quod planè cedit in gratiam Superioris. Hæc ille.

305. *Objectio.* Reſpondent Adverſarii; hanc non eſſe gratiam vel facultatem quoad Fratres; ſed odium & prohibitio: ergo non comprehenditur in illa exceptione.

Solvitur. Sed contrà; verba illa: *In ordine ad ſubditos*, non ſignificant, quòd debeat eſſe gratia, etiam ipſis ſubditis, ſed quòd gratiæ & facultates conceſſæ Superioribus non ſuſpendantur, quatenus reſpiciunt ſubditos.

306. *Inſtantia.* Eſto, reponunt Adverſarii; ſaltem debent eſſe gratiæ indifferentes, quas Prælatus poteſt exercere, non ſolùm in ſubditos, ſed etiam in ſæculares.

Reſpondetur. Sed contrà; unde hoc probatur? Putas, Indulgentiam plenariam, quam Prælatus ſolis ſuis ſubditis poteſt concedere in articulo mortis, per Bullam Cruciatæ eſſe ſuſpenſam? Aut poteſtatem, quam habet diſpenſandi in irregularitatibus? Non eſt verisimile, ùt ipſimet Adverſarii fatentur. Immo ad has, & ſimiles facultates conſervandas, videtur appoſita fuiſſe illa exceptio.

307. *Quis ſit ſenſus illorum verborum: Quò ad ſuos Fratres tantùm.* Senſus ergo illorum verborum: *Quò ad ſuos Fratres tantùm*, non eſt, quòd illæ facultates ſint tales, ut extendantur etiam de ſe ad alios; ſed ſolùm ſignificatur, quòd ſi ad alios extendantur, non intelligantur exceptæ, niſi prout pertinent ad ſuos Fratres. Ita Eminent. ſuprà n. 178.

Non immoror hìc ſolvendis argumentis Adverſariorum; quia pleraque jam ſoluta ſunt, vel facilè ſolvi poſſunt ex dictis, attentis verbis Conſtitutionum præallegatarum; niſi dixeris, Pontifices non potuiſſe facere, quod verbis expreſſiſſimis ſignificant ſe facere.

Quidquid ergo ſit de prima Bulla Cruciatæ, conceſſa Regi per contractum onerosum; eſtò Pontifex non potuiſſet illam limitare, aut revocare abſque conſenſu Regis: equidem aliis Bullis conſequentibus, & de novo concedendis, potuit illam limitationem inferere. Immo poſt datam primam Bullam declarare, qualem intentionem habuerit in ejus conceſſione.

Cæterùm, quod ſuprà dicebatur; Commiſſarium Cruciatæ ſæpiùs declaraſſe, Religioſis Mendicantibus prodeſſe Bullam, ad effectum eligendi Confeſſarium, & obtinendi Abſolutionem à reſervatis, intelligi poſſe, quantum eſt de jure communi; ſecùs ſtantibus Declarationibus Sedis Apoſtolicæ, quibus reddunturincapaces ejuſmodi facultatis.

Deinde ultima Declaratio, ùt notat Lugo ſuprà n. 185. facta eſt à Commiſſario Lusitaniæ die 7. Martii an. 1630. eodem autem anno die 19. Iunii, ob eam fortaſſe cauſam, Urban. VIII. Conſtit. ſuprà allegatâ declaravit irritam Confeſſionem, prætextu illius facultatis factam, ablatâ Commiſſario licentiâ aliter interpretandi & declarandi.

Et dato, quòd adhuc declararent, quia illam ſententiam adhuc cenſent probabilem; potiùs amplectenda eſt Declaratio Pontificis, concedentis Bullam, quàm Commiſſarii, eam promulgantis: præcipuè cùm in ipſa Bulla non ſuſpendantur facultates conceſſæ toti Ordini, qualis eſt illa, de qua diſputamus; ſed conceſſæ Eccleſiis, Monaſteriis, piis locis &c.

Adde, quòd multi viri docti cenſeant, ibi non ſuſpendi omnes facultates utcumque (aliquin indultum etiam ad teſtandum, vel ad non recitandum divinum Officium, aut non reſidendum, ſuſpenderetur) ſed Indulgentias & facultates, quæ in Ordine ad Indulgentias conceſſæ ſunt, ùt diximus Concluſ. præced. de ſimili revocatione & ſuſpenſione, contenta in Iubilæo anni ſancti. Iam autem hæc facultas non eſt Indulgentia, nec conceſſa intuitu Indulgentiæ, ùt per ſe patet.

Sed nunquid quæ Bullæ Cruciatæ, eadem eſt ratio Bullæ Iubilæi, ut etiam hujus virtute, non poſſint Religioſi Mendicantes confiteri cuilibet Confeſſario, approbato ab Ordinario, tam ſæculari, quàm Regulari, ſinè licentia ſuorum Superiorum? Reſponſio affirmativa poſſet alicui videri probabilis; argum. Declarationis Greg. XIII. ſuprà, ibi: *Quæ in Iubilæis, Bullis Cruciatæ &c.*

Nihilominus contraria ſententia videtur præferenda, tamquam ſatis declarata in ipſa Bulla Iubilæi hiſce verbis: *Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, præſertim quibus facultas abſolvendi in certis, tunc expreſſis, caſibus,*

ita

ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservantur, ut nec etiam similes vel dissimiles Iubilæi Indulgentiarum & facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, ac quorumcumque Ordinum & Congregationum seu Institutorum Regularium iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis Statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis & literis Apostolicis, eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis quomodolibet concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis, eorumq; totis tenoribus, specialis specifica & individua, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio aut expressio habenda, vel quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret; illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam eorum traditam pro servata habentes, hâc vice specialiter & nominatim & expresse ad effectum præsentium derogamus.

Quæ clausula derogatoria reflectit se super omnes clausulas anteriores, etiam habentes quaslibet reflectiones; quid ergo mirum, si virtute Iubilæi posset Regularis eligere Confessarium, absque licentia sui Superioris? Nihil autem tale reperitur in clausula suspensiva Bullæ Cruciatæ, ùt patet ex verbis ejus suprà relatis.

310. Cur magis pontifex in Iubilæo, quàm in Cruciata suspendat prohibitiones Regularium.

Ratio autem, cur magis Pontifex in Iubilæo suspendat prohibitiones illas Regularium, quàm in Cruciata, videtur esse, quòd Cruciata sit quasi permanens & perpetua; nam singulis annis innovatur; Iubilæum autem transiens est, & extraordinarium; minus autem inconveniens reputatur, concedere facultatem illam pro una vice, quàm pro perpetuo.

Utcumque sit de hac ratione, hæc differentia inter concessionem Iubilæi & Cruciatæ constat apertè; inquit Lugo suprà n. 189. ex Declaratione istorum Pontificum, qui meliùs, quàm alii omnes potuerunt scire suam intentionem; qui in Iubilæo declararunt, se velle comprehendere quoscumque Regulares, quando illis clausulis utuntur: è contra verò, circa clausulam Bullæ Cruciatæ interrogati, semper responderunt & declararunt, se noluisse revocare prohibitiones, quibus Regulares ab usu illius facultatis prohibiti fuerunt. Quod quidem argumentum irrefragabile est, ad ostendendam differentiam inter illos duos casus. Hæc ille.

Prorsùs irrefragabile est, supposito, quòd Pontifices aliquando specialiter declaraverint, in Iubilæo se velle comprehendere quoscumque Regulares, quando illis clausulis utuntur. Dicatur ergo nobis & ostendatur, ubi & quando Pontifices id specialiter declaraverint. Sanè Greg. XIII. contrarium declarasse, patet ex verbis ejus suprà relatis. Expectabimus ergo Declarationes aliorum Pontificum.

Interim subscribo, quod lego in Statutis nostris Generalibus Barchinonensibus (quæ in Capitulo Generali Toletano an. 1633. à Patribus Nationis Germanicæ & Belgicæ recognita, & Provinciis dictæ Nationis accommodata fuerunt, & à præfato Capitulo Generali, ac Sanctissimo Domino N. Urb. VIII. confirmata) cap. 6. §. 22. n. 14. & 15. *Iuxta Apostolica Decreta, nec non Ordinis antiqua Statuta, decernimus & declaramus, concessionem Bullæ Cruciatæ, & quorumcumque similium indultorum, sive generalium, sive particularium, quantùm ad articulum eligendi Confessarium, & absolvendi à casibus reservatis minimè locum habere in Fratribus nostri Ordinis, neque in Monialibus, quæ nostræ subiacent obedientiæ, est enim expressa Summi Pontificis intentio, quòd tàm Fratres & Moniales, quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ seu Confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subdantur.* 311. Quid Statuta Ord. Min. circa hanc materiam decernant.

Quocirca declaramus esse in viridi observantiâ prohibitionem fel. record. Clement. Papæ VIII. ne liceat Regularibus uti Bullæ Cruciatæ privilegio, Proinde nulli Fratrum licèt prætextu illius vel eligere Confessarium, vel à casibus reservatis absolvi. Quicumque autem contrarium affirmare præsumpserit, tamquàm temerarius pœnâ carceris, sive graviori ad arbitrium Superioris est puniendus.

Ubi nota illa verba: *Vel eligere Confessarium, vel à casibus reservatis absolvi*, per quæ significatur non solùm esse illicitum eligere Confessarium pro Absolutione à reservatis, sed etiam pro Absolutione à quocumque peccato mortali. Quidquid in contrarium asserat apud Dia. suprà Rodrig. in Sum. to. 3. c. 7. n. 2. in fine. Quàmvis enim aliquæ Declarationes suprà allegatæ loquantur de solis peccatis reservatis, aliæ tamen loquuntur generaliter de Sacramento Pœnitentiæ, ejus administrationem omnino relinquentes dispositioni Prælatorum, ùt patet ex Decretis Pii V. Greg. XIII. & Clement. VIII. 312. *Diana. Rodriguez.*

Adde Declarationem Greg. XV. de data 26. Febr. an. 1622. ibi: *Motu proprio & ex certâ scientia meraq; deliberatione nostrâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hâc nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione sancimus, nulli Religiosorum eiusdem Societatis licere uti facultatibus Cruciatæ huiusmodi publicatæ vel publicandæ quoad eligendum Confessarium, & ad obtinendam Absolutionem, prædictam facultatem Cruciatæ huiusmodi nullatenus suffragari, minusq; præsentes literas sub quibuscumque eiusdem Cruciatæ concessionibus, extensionibus, prorogationibus & confirmationibus factis, & pro tempore quomodolibet faciendis, comprehendi: sicq; per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos, sublatâ eis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.* Declaratio Greg. XV.

Ubi

313. quæ loquitur generaliter de omni Absolutione à peccatis, etiam non reservatis.

Ubi nulla fit mentio casuum reservatorum, sed simpliciter facultatum quoad eligendum Confessarium, & obtinendam Absolutionem tam à reservatis, quàm non reservatis. Et ideo dicit: *Facultatibus*, & non tantùm, *Facultate*; quia alia est facultas eligendi Confessarium, alia verò facultas obtinendi Absolutionem à peccatis reservatis, ùt patet in subdito, qui de licentia sui Episcopi potest eligere Confessarium, non tamen propterea potest ab eo absolvi à peccatis reservatis; argum. cap. *Si Episcopus 2*, de Pœnit. & remiss. de quo alibi egimus.

Profectò, ratio, quæ Pontifices movit, ad prædictas Declarationes, generaliter militat in omni Absolutione. Sed quæ illa? *Cùm ratio doceat, & experientia compertum sit, Religionibus valde perniciosum existere, ut earum Religiosis licitum sit, Confessarium sibi eligere* &c. Jam autem non tantùm est pernicioſum eligere Confessarium, ad obtinendam Absolutionem à peccatis reservatis, sed etiam ad obtinendam Absolutionem à peccatis mortalibus non reservatis. Oportet quippe, ut Religiosus habeat Confessarium prudentem & spiritualem, qualem Prælatus ei designare procurat, & ut non confiteatur cuilibet Sacerdoti juveni & inexperto, sæculari, aut alterius Religionis, quod posset esse occasio multorum defectuum, ùt constat.

Itaque illa verba, quibus aliqui Pontifices utuntur: *Facultatem eligendi Confessarium, & absolvendi à casibus reservatis*, non debent sumi collectivè (nisi velimus dicere Pontifices sibi-ipsis esse contrarios) sed sicuti intellexerunt nostra Statuta, suprà allegata, distributivè, ut scilicet illæ facultates, & earum quælibet non habeat locum pro Religiosis.

314. Confirmatur ex Bulla Urb. VIII.

Confirmatur ex Bulla Urb. VIII. ibi: *Concessionem S. Cruciatæ..... quantùm ad prædictum articulum eligendi Confessarium & absolvendi à prædictis casibus reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum Fratribus & Monialibus &c. locum minimè habuisse.* Quæ verba si intelligenda essent in sensu solùm collectivo, sequeretur, quòd si Religiosus non fuisset absolutus à casu reservato, etiam in Bulla Cœnæ Domini contento, sed tantùm à reservato extra Bullam Cœnæ, non fuisset invalida Absolutio, quòd tamen est manifestè contra mentem Pontificis.

Sicut ergo ly *Etiam*, ibi non sumitur tantùm collectivè, sed etiam distributivè, ut sensus sit: *A prædictis casibus reservatis vel extra Bullam Cœnæ, vel in Bulla Cœnæ Domini contentis*: ita etiam ly Et, in hac locutione: *Facultatem eligendi Confessarium, & absolvendi à casibus reservatis*, sumi debet non tantùm collectivè, sed etiam distributivè, ut sensus sit; *Vel eligendi Confessarium, vel absolvendi à casibus reservatis*, prout suprà loquuntur nostra Statuta.

Solùm obstare videntur hæc verba Urbani VIII. *Sed nostræ intentionis fuisse & esse, quòd eidem Fratres & Moniales quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ, quoad sibi reservata, subjecti sint, earumdem tenore præsentium perpetuò declaramus.* In quibus verbis Pontifex restringit Decretum Clement. in quo non fit mentio reservatorum, & declarat hanc prohibitionem solùm esse in Ordine ad Absolutionem à reservatis.

Respondeo: Urb. VIII. non voluisse restringere Decretum Clement. sed potiùs extendere & ampliare, ùt patet ex his ejus verbis: *Præfatæq; Clementis prædecessoris Declarationi inhærentes, illamq; tenore præsentium innovantes, ac quatenus opus sit ampliantes* &c. Voluit itaque addere Pontifex illa verba: *Et Sedi Apostolicæ quoad sibi reservata*, ne aliqui putarent, de jure communi Prælatos posse absolvere ab omnibus casibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, quòd constat esse falsum.

Quàmvis ergo Fratres & Moniales, quantùm ad Sacramenti Pœnitentiæ seu Confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum subjecti sint; non tamen quoad Absolutionem ab omnibus omnino peccatis, saltem de jure communi: quia non quoad Absolutionem à casibus Pontifici reservatis, sed quoad hanc Absolutionem subjecti sunt Sedi Apostolicæ.

Unde illa verba: *Quoad sibi reservata*, non debent referri ad Prælatos; sed dumtaxat ad Sedem Apostolicam. Volui autem (inquit Lugo suprà n. 199.) ad majorem certitudinem immediatè consulere de vero illorum verborum sensu Illustriss. D. M. A. Maraldum, à quo ex mandato Summi Pontificis Bulla illa subscripta, constructa & facta fuerat, & qui verba illa apposuerat: qui statim in hoc ipso sensu ea mihi explicuit, & vehementer miratus est, quòd in illo alio sensu potuerint ab aliquo accipi, cùm in eadem Bulla totum Decretum Clementis innovetur. Cùm autem nemo melius possit verba interpretari, quàm qui eorum fuit auctor, non video quæ possit in hoc puncto occasio dubitandi superesse. Ita Eminent.

Persisto itaque in Conclusione, & rursum dico; non esse mentem Pontificis, ut Mendicantes virtute Bullæ Cruciatæ eligant Confessarium, & absolvantur à peccatis absque licentia suorum Superiorum.

Præcipit autem & mandat Clemens VIII. in suo Decreto: *Romani Pontificis*, suprà allegato, §. 2. in fine, ut eidem Prælati in usu hujusmodi potestatis, se cum subditis benignos & faciles exhibeant, ibi: *Eisdem tamen Prælatis, ut in usu hujusmodi potestatis* (id est, in concedenda venia eligendi Confessarium) *se cum subditis benignos & faciles exhibeant, præcipimus & mandamus.*

Sed

Sed quid, si Superior veniam petitam negaverit? Responsio patebit ex Conclusione sequenti, quæ talis est:

CONCLUSIO XV.

Petitam licentiam, ut subditus absolvatur à reservatis, validè semper, subinde etiam licitè negat Superior; injustè, si subditus rationabiliter timeat, ab eo sibi inferendum aliquod damnum, extrinsecum Confessioni.

318. Probatur 1. pars Concl. ex Tridento.

PRima pars colligitur ex Tridentino sess. 14. cap. 7. ibi: *Extra quem articulum* (mortis) *Sacerdotes cùm nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores & legitimos Iudices pro beneficio Absolutionis accedant.* Cùm ergo negatio licentiæ absolvendi à peccatis reservatis, etiam injusta, non sit beneficium Absolutionis, id est, concessio Absolutionis, aut jurisdictionis necessariæ ad absolvendum; liquet profectò, Sacerdotes nihil tunc posse in casibus reservatis, cùm persuasum semper in Ecclesia Dei fuerit, & verissimum esse Synodus Tridentina eodem cap. confirmet, *Nullius momenti Absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.*

319. Objectio ex Henriquez.

Si dixeris cum Henriquez lib. 6. cap. 13. licentia sic jure petita, videtur ipso jure concessa, & defectum Parochi negantis, supplet ipso jure Episcopus; defectum verò privati Prælati Regularis, supplet Generalis Regularium, aut certè utrumque ipso jure ex præsumpta voluntate supplet Summus Pontifex.

Solvitur.

Respondeo; illud dictum in nullo jure esse fundatum, si excipias Regulares, de quibus Clemens VIII. ùt vidimus Sectione præced. Concluf. 3. decernit, ut si eorum Confessariis, casus alicujus reservati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illâ vice pœnitentes Regulares, etiam non obtentâ à Superiore facultate, absolvere. Ut autem hoc extendamus ad quoslibet alios pœnitentes, nulla sufficiens subest ratio, & ideo à plerisque Doctoribus non extenditur. Præsertim cùm in positivis non liceat argumentari à paritate rationis, nisi ad evitandum absurdum.

320. Villalobos docet nostram Conclus.

Unde nostram Conclusionem docet Villalobos tom. 1. Sum. tract. 9. diff. 49. n. 14. dicens: Si detur casus, in quo est periculosum confiteri proprio Sacerdoti, vel quia revelat Confessionem, vel quia pœnitentem solicitat ad malum, vel quid simile, nunquid poterit subditus confiteri Confessario alieno, non inveniens approbatum à suo Ordinario?

S. Thom.

Ad hunc casum Respondeo cum S. Thom. in Addit. q. 8. art. 4. ad 5. petat licentiam confitendi alteri, vel recurrat ad Superiorem; si nec unum nec alterum possit habere, judicandum est, ac si non haberet copiam Confessoris. Ratio est; quia malitia Sacerdotis non dat alteri jurisdictionem ad absolvendum, sicut dicit Sotus distinct. 18. q. 4. ad 1. Idem est, quando Prælatus negat injustè licentiam, ut absolvatur, propter eandem rationem, utì dicit P. F. Manuel Rodrig. qq. Reg. tom. 1. q. 20. a. 30. Hæc ille.

Sotus. Rodriguez.

321. Aliud argumentum Henriquez.

Ex quo patet responsio ad aliud argumentum Henriquez suprà n. 6. Ob evitandum, inquit, scandalum licet sibi contrito communicare vel celebrare, si timet malum grave ex eo, quòd suo Prælato id reservatum confiteatur: ergo etiam tali casu potest inferior Sacerdos absolvere ex tacita commissione majoris Prælati aut Papæ absentis, qui injustè negatam licentiam censetur jure ipso concedere: cùm enim ob vitandum scandalum DD. concedant huic Communionem melioris Sacramenti, cur negant licere Absolutionem, licèt in occulto detur? Ita Henriquez.

Responsio Rodriguez.

Hoc, inquam, argumentum solùm concludit, quòd, sicut licet communicare in necessitate cum sola Contritione ob defectum Confessoris, cum obligatione confitendi eadem peccata, datâ copiâ ipsius; ita negatâ injustè auctoritate ad reservata, imminente dicto periculo, propter defectum Confessarii, licebit pœnitenti confiteri inferiori, qui eum directè poterit absolvere à peccatis non reservatis: at à reservatis minimè licebit, nisi indirectè, cum obligatione tamen confitendi ea Superiori alicui, quando ejus copiam habuerit. Ita Rodrig. suprà.

322. Responsio Auctoris.

Breviter ergo respondeo ad interrogationem Henriquez: ideo negant DD. Absolutionem, saltem directam; quia non est necessaria ad vitandum scandalum, sicut est necessaria Communio, ùt supponitur. Immo nequidem indirecta Absolutio est necessaria, cùm possit sibi contritus communicare, quando deest copia Confessoris; tali autem casu, secundùm nostram sententiam, deest copia Confessoris.

Et sanè, si generaliter concedamus, jurisdictionem dari per licentiam præsumptam alte-

rius Superioris, scilicet Papæ, Episcopi vel Generalis Regularium, aperitur quædam ampla porta ad fundandam, & protelandam jurisdictionem ex sola voluntate præsumpta; & sæpissimè nervosum vinculum reservationis dissolveretur, si liceret pœnitentibus, negatâ injustè à Pœnitentiariis majoribus Absolutione, aut à Prælatis licentiâ confitendi; liceret, inquam, recurrere ex præsumpta voluntate ad quemlibet Confessarium: non quòd sæpiùs injustè negetur Absolutio aut licentia; sed quia sæpiùs natum est fieri, ut pœnitens sibi persuadeat, id injustè fieri, cùm alioquin justè fiat. Unde Clemens VIII. illud judicium non relinquit pœnitentibus, sed Confessariis, qui meliùs possunt judicare, ubì & quando necessaria sit talis licentia.

323. Confirmatur ex Concil. Trid.

Accedit; quando Concil. Trid. suprà dicit; extra articulum mortis nihil posse circa reservata inferiores Sacerdotes, idem est, ac si dicat, non esse talem licentiam generalem, nisi pro illo casu. Alioquin nec articulum mortis debuisset excipere: nam in illo articulo Sacerdotes non absolvunt à reservatis absque facultate Superioris; sed cum facultate Summi Pontificis: ergo ut illa exceptio non sit omnino extra propositum, regula generalis non erat, quòd absque omni facultate Superioris nihil possent, sed etiam quòd talis facultas generalis pro nullo casu data esset, præter articulum mortis. Ita Lugo Disp. 20. n. 148.

Lugo.

324. Hæc confirmatio videtur Dicastillo non multùm urgere.

Verùm hoc argumentum (inquit Dicastillo Disp. 11. n. 336.) non videtur multùm urgere, nec tollit probabilitatem istius sententiæ. Adhuc enim manet satis magnum discrimen. Nam in articulo mortis habetur facultas absolutè sinè ullo recursu ad Superiorem, non expectatâ illius voluntate ac directione, idque maximè in illa sententia, quòd, etiam præsente Superiore, & parato dare facultatem, aut per se absolvere, possit ab alio inferiori absolvi moribundus, sinè ulla petita, nedum obtenta facultate.

In præsenti verò casu debet peti facultas, & videri, si Superior, si non ipsi Sacerdoti petenti, saltem alteri velit dare, qui æquè bene possit præstare officium; item, si res patiatur, præscribere pœnitentiam & directionem: propter quæ omnia meritò potuit Trident. dicere, solùm in articulo mortis esse datam facultatem cuicumque Sacerdoti; quia hæc sufficiunt, ut illa specialis exceptio non sit omnino extra propositum, & ita nostri casûs facultas non ponatur ita generaliter & absolutè, sicut illa. Nihilominùs in praxi est tenenda communis sententia. Hæc ille.

325. Animadversio Autoris.

Sed tu Lector adverte; Lugonem hoc argumentum proposuisse, secundùm sententiam suam, magis communem, quòd in articulo mortis non possit Sacerdos quilibet inferior absolvere in præsentia Ordinarii, qui vult absolvere, nisi de expressa ejus licentia; & tunc, ut verum fatear, satis parvum discrimen manet, & pari ratione potuisset & debuisset Trident. excipere casum, in quo Superior injustè negat licentiam, etiam extra articulum mortis; quòd cùm non fecerit, signum est, inferiorem tali casu non posse directè absolvere extra articulum mortis.

Ut ut sit de hoc argumento Lugonis, ab eo non dependet veritas communis sententiæ. Quæ meliùs probatur à simili in dispensatione, quæ injustè negata, non propterea censetur data, sed etiam tunc subditus tenetur legi parere, nisi talis foret necessitas, seu justa causa dispensandi, quæ seipsâ sufficeret, ad eximendum eum ab obligatione legis. Ergo consimiliter jurisdictio injustè negata, non propterea censetur data; ac proinde inferior non potest validè & directè absolvere, nisi in articulo mortis, qui generaliter à Trident. suprà excipitur; vel nisi pœnitens fuerit Regularis, qui, sicut suprà dixi, potest absolvi à peccatis reservatis, etiò Confessario, petenti facultatem, Superior eam negaverit, propter specialem concessionem Clement. VIII. quam Dicastillo suprà n. 339. intelligit de solis Confessariis, ad id deputatis.

Hæc enim sunt verba Concessionis: *Sanctitas sua deinceps declaravit & declarat, ut si huiusmodi Regularium Confessariis, casus aliquos reservati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illâ vice, pœnitentes Regulares, etiam non obtentâ à Superiore facultate, absolvere.*

Prævidè autem mandaverat idem Pontifex Superioribus, ut in singulis domibus deputarent duos, tres aut plures Confessarios, pro subditorum numero majori vel minori; *Iidq;* (inquit) *sint docti, prudentes ac charitate prædicti, qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum Absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipse in primis Confessarius judicaverit.*

De his ergo Confessariis videtur Pontifex intelligendus, quando deinceps declarat, *Ut si huiusmodi Regularium Confessariis &c.* Ut patet ex ly *Huiusmodi*. Ubi ergo duo, tres aut plures Confessarii solent deputari, juxta illam Clementinam, qui à non reservatis absolvant, & quibus Absolutio à reservatis singulis vicibus committatur à Superiore, credo de hujusmodi Confessariis tantùm intelligendam illam Declarationem.

Cæterùm cùm in Provincia nostra illa deputatio non sit in usu, sed, ùt alibi diximus, omnes Confessarii approbati validè absolvant

Patres

eundem formam illius Decreti?

Patres & Fratres ab omnibus peccatis, exceptis reservatis; pro reservatis autem duo, tres aut plures deputentur, qui absque nova licentia possint ab eis, quando casus occurrerint, absolvere, dubitare quis posset, an illa Declaratio Clementis concernat omnes Confessarios approbatos, ita ut si quis ex illis petat licentiam absolvendi aliquem Fratrem à casibus reservatis, & Superior eam irrationabiliter neget, possit nihilominus absolvere.

Respondeo, posse; nam omnes illi deputati sunt ad absolvendum à peccatis non reservatis, & etiam à reservatis, suppositâ speciali licentiâ seu commissione Superioris: nam Superior habet potestatem cuilibet eorum committendi illam Absolutionem in casu occurrenti; ergo si non committat, sive neget petenti Confessario; quando hic judicat esse committendam, poterit equidem pro illa vice vi Declarationis Clement. absolvere. Pro illa, inquam, vice, id est, toties quoties judicaverit esse committendam.

An debeat intelligi de unica tantùm vice.

Aliud foret si diceret Pontifex: *Pro una vice*, vel, *Pro illa vice tantùm*, vel, *Pro hac vice*; sed cùm dicat: *Pro illa vice*, absque aliqua particula taxativa, sinè fundamento restringitur illa facultas ad unam vicem tantùm, sic intelligendo, ut eundem pœnitentem non possit, nisi unicâ vice absolvere, estò sæpiùs petat licentiam absolvendi. Quod addo; quia necesse est, ut singulis vicibus seu casibus occurrentibns petat novam licentiam.

328. De quibus casibus Pontifex loquatur.

Si autem quæritur, de quibus casibus Pontifex loquatur, an etiam de illis, à quibus Superior non potest absolvere, nisi ex speciali privilegio Pontificis; v. g. de casibus reservatis Sedi Apostolicæ, aut in Bulla Cœnæ Domini?

Rodrigues.

Audio Rodrig. suprà sic dicentem: Dato quòd opinio Henriquez sit vera, scilicet, quòd directè ipse inferior posset absolvere pœnitentem, etiam à reservatis, negatâ injustè auctoritate Superioris in dicto periculo (scandali) propter commissionem tacitam Papæ in prædicto casu, ego eam minimè reciperem, quando ab ipso Prælato petitur auctoritas, quæ sibi ratione privilegiorum competit, ad absolvendum à reservatis Sedi Apostolicæ, aut in Bulla Cœnæ Domini, & ad dispensandum in reliquis irregularitatibus; de quibus in superioribus latè egimus.

Licèt enim Prælati respectu prædictorum habeant jurisdictionem ordinariam, & eam possint committere aliquibus secundùm ea, quæ in superioribus dicta sunt; non tamen concedendum existimo; quòd negantibus injustè Prælatis suam Auctoritatem, Papa eam concedere videatur cuilibet approbato Confessario. Tum, quia jurisdictionem & potestatem ad delegandum commisit ipsis Prælatis, confisus de eorum prudentia & zelo; quam confidentiam non habet de quocumque alio Confessario, à pœnitente electo. Tum etiam, quia si hoc esset verum, sequeretur, quòd negatâ injustè & tyrannicè dispensatione ab Episcopo, cui Summus Pontifex eam commisit, posset pœnitens imminente periculo ad alium recurrere, allegando in ejus favorem tacitam voluntatem Papæ, in hoc casu alteri delegantis.

Posset insuper pœnitens, negatâ sibi Absolutione à reservatis injustè & tyrannicè ab aliquo Confessario tempore Iubilæi, recurrere ad alium Confessarium, non habentem similem potestatem, ex tacita voluntate Papæ, eam sibi in dicto casu concedentis. Quæ in materia spiritualis jurisdictionis minimè sunt admittenda. Hactenus Rodrig.

329. Sententia Auctoris.

Hoc ego scio, Clement. VIII. in suo Decreto super casuum reservatione; cui Decreto apud Cherubinum to. 4. pag. 67. subnectitur pag. 68. præfata Declaratio: *Sanctitas sua deinceps declaravit & declarat* &c. ùt suprà; in illo, inquam, Decreto, scio, ipsum nullatenus agere de casibus Sedi Apostolicæ reservatis, aut contentis in Bulla Cœnæ Domini, adeòque valde dubito, an inferioribus Sacerdotibus voluerit dare generaliter potestatem ab illis absolvendi Regulares, in casu, quo Superior irrationabiliter licentiam petitam negaret.

Immo valde dubito; an qui expressè in singulis Conventibus deputantur à Superioribus, cum potestate absolvendi à casibus reservatis, possint absolvere ab illis casibus, qui per singulare privilegium à Sede Apostolica committuntur Superioribus. Possunt quidem Superiores illos casus generaliter aliis committere, exceptâ hæresi, sed an censeantur committere, eorum erit desuper voluntas inquirenda.

330. Superior aliquando justè negat licentiam absolvendi à reservatis. *Trident.*

Interim pergo ad secundam partem Conclus. quæ docet, Superiorem justè negare licentiam, alteri confitendi casus reservatos, si pœnitens absque justa causa nolit ei confiteri. Probatur ab Aliquibus ex verbis Trident. sess. 14. c. 7. suprà relatis pro prima parte Conclusionis: si enim Superior semper tenetur dare veniam, quomodo inferiores poterunt persuadere suis pœnitentibus, ut pro beneficio Absolutionis accedant Superiores? Et tamen dicit Trident. *Id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores & legitimos Iudices pro beneficio Absolutionis accedant.*

Sed ad hoc responderi posset; per beneficium Absolutionis etiam intelligi potestatem absolvendi, pro qua necessariò extra articulum mortis recurritur ad Superiores, sive per ipsum pœnitentem, sive per Confessarium, aut aliam interpositam personam.

331. Probatur ex ratione.

Meliùs ergo probatur Conclusio hâc ratione: Quia Iudex legitimus, qualis est Superior in hoc casu, nulli facit injuriam, si per seipsum velit causam judicare, quando nulla est ratio, quare alteri eam committat judicandam. Atqui, ùt supponitur, hìc nulla est ratio, quare Superior committat Absolutionem inferiori: ergo nullam facit injuriam subdito, si ipsemet velit eum absolvere. Cæteroquin reservatio penè foret inutilis; quia nullum ferè est onus pœnitentis per Confessarium, aut aliam personam interpositam petere licentiam.

Denique, sicut proprius Sacerdos non peccat, negando licentiam subdito, confitendi Sacerdoti alieno, quando nulla subest justa causa eam concedendi; pari ratione non peccat Superior, negans subdito potestatem confitendi inferiori peccata reservata, quando nulla subest justa causa eam concedendi; sed utitur jure suo: jam autem: *Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere ius non habet.* leg. 151. (aliàs 193.) ff. de diverſ. Reg. juris.

l. 151. ff. de diverſ. Reg. juris.

332. Aliquando tenetur Superior negare veniam.

Immo aliquando tenetur Superior non dare veniam, & per consequens peccaret dando veniam; v. g. si videat, quòd venia illa cedet in majus damnum, vel ipsius pœnitentis, qui ex facilitate veniæ fit magìs proclivis ad similia peccata, à quibus alioquin abstineret; vel Communitatis, quia spe similis veniæ obtinendæ, alii animantur, ad eadem peccata committenda, quæ aliàs non committerent; aut certè alicujus tertii, cujus damnum Superior posset commodè impedire, si pœnitens ipsi confiteretur.

Prudentiâ itaque opus est in hoc negotio, ne vel nimiâ facilitate, vel nimiâ severitate peccetur. Expedit autem, immo præcipitur, ùt suprà vidimus, à Clement. VIII. in suo Decreto: *Romani Pontificis*, ut Superiores in concedenda venia se cum subditis benignos & faciles exhibeant.

333. Quando Superior teneatur dare veniam.

Tenetur igitur Superior dare veniam, quoties ex negatione timet grave aliquod nocumentum spirituale subditi, etiamsi hoc oriatur ex passione aut alia fragilitate ipsius subditi; v. g. si timeatur malitiosus defectus integritatis Confessionis, aut Communio sinè prævia Confessione, vel certè nimia dilatio Confessionis & Communionis: immo si timeat multùm minorem fructum, quàm si alteri confiteretur.

Quorum omnium ratio est; quia reservatio fieri & cedere debet in bonum & ædificationem pœnitentis, non autem in detrimentum & destructionem. In tantum, ut Superior negando veniam, si non semper, saltem aliquando peccet etiam contra justitiam.

334. Non dando aliquando peccat contra justi-

Tunc nimirùm, quando, ùt habet ultima pars Conclus. pœnitens rationabiliter timet ab eo sibi inferendum aliquod grave damnum extrinsecum; ùt si Confessionem sit revelaturus, vel (quod perinde est) scientiâ illâ usurus in grave illius nocumentum, injustè v. g. eum privando officio jam acquisito, aut etiam acquirendo. Idemque est, quoties ipse Superior non est aliàs idoneus ad ferendum judicium in tali causa, vel quia est ignorans, vel adeò improbus, ut loco medicinæ sit scandalum allaturus.

Et ratio est per se evidens: quia talis Superior non potest justè privare pœnitentem legitimo usu hujus Sacramenti, nec potest illum justè cogere, ut se exponat periculo alicujus gravis nocumenti, à se injustè inferendi. Atque in hoc omnes Doctores conveniunt.

335. Quæ sit duritia & fragilitas pœnitentis.

Dissident autem in casu, quo illud damnum non oritur ex parte Superioris, sed solùm ex duritia & fragilitate pœnitentis: nam Suarez Disp. 30. Sect. 4. n. 5. putat Superiorem tali casu non peccare contra justitiam respectu subditi, negando ei talem facultatem; sed tantùm (ùt addit n. 8.) contra charitatem, vel etiam debitum sui muneris & fidelis dispensatoris.

Sed hoc difficile est Lugoni; nam (inquit Disp. 20. n. 237.) licèt privatus solùm ex charitate teneatur ad impediendum grave damnum proximi, cùm commodè possit: Prælatus tamen in ordine ad subditos videtur ex justitia obligari ratione officii, quod cum eo onere suscepit: nam sicut ratione officii tenetur ex justitia impedire & præcavere detrimentum grave circa fortunas & bona temporalia, multò magis videtur ex eodem officio teneri, ad impediendum grave detrimentum circa salutem & bona spiritualia subditorum, in ordine ad quæ præcipuè factus est Prælatus & Pastor. Sic enim Medicus ex officio & justitia tenetur adhibere remedia opportuna, ne pereat ægrotus; multò ergo magìs Medicus spiritualis, debet ex officio & justitia procurare, ne pereat ejus subditus, cujus, ob infirmitatem propriam, salus periclitatur. Ita Eminent.

Quem sequitur Arriaga Disp. 41. n. 35. confirmans illam sententiam ex eodem Suario, qui, inquit, saltem quando damnum, quod subdito timetur ex negatione licentiæ, desumitur ex aliis capitibus, fatetur, Superiorem ex justitia obligari ad dandam licentiam; ergo etiamsi damnum timeatur ex imbecillitate ipsius subditi, debebit illud ex justitia impedire, si potest licitè. Patet consequentia: quia obligatio ex justitia, quam ille habet ad damnum impediendum, non pendet à capitibus, unde damnum oritur, sed ab eo, quòd sit damnum ovis sibi creditæ, ad cujus bonum obligatur ratione sui officii. Hæc ille.

Respondeo; obligatio ex justitia, quam Suarius agnoscit, oritur ex eo, quòd ipse Superior sit causa talis nocumenti; jam autem planè diversa sunt, inferre positivè subdito nocu-

nocumentum, & non avertere nocumentum, quod subditus voluntariè sibiipsi infert. Et sanè, Superiorem voluisse se obligare ex justitia ad hoc ultimum, satis difficile apparet, præsertim impræsentiarùm, ubì Superior jus habet, ut subditus sibi confiteatur: unde enim probatur, quòd Superior ex justitia teneatur cedere juri suo, eò quòd subditus ex sua duritia & fragilitate nolit ei confiteri, cùm alioquin posset & deberet? Oportet quidem Superiores condescendere fragilitatibus subditorum, sed quòd ex justitia teneantur cedere juri suo, unde constat?

Sicut ergo Aliqui docent; Superiores non teneri ex justitia ad correctionem fraternam subditorum, sed solùm ampliùs ex charitate, propter majorem conjunctionem spiritualem; eò modo, quo pater corporalis non tenetur ex justitia, sed solùm magis ex charitate, corripere filium corporalem, propter majorem cum eo conjunctionem corporalem: quidni eodem modo in casu proposito agnoscamus tantùm majorem obligationem charitatis, & non obligationem strictè dictæ justitiæ?

Putas, quia Medicus non satisfaceret officio suo, & peccaret contra justitiam, si, postquam infirmo præscripsit remedia maximè opportuna ad recuperandam sanitatem, quæ infirmus propter suam duritiam & fragilitatem non vult applicare, si, inquam, nollet alia remedia præscribere; præsertim, si aliunde haberet jus, præscribendi priora remedia?

337. Subigen ex charitate tenetur Prælatus condescendere. Quidquid ergo sit de obligatione justitiæ, quæ dubia mihi est; saltem ex charitate tenetur Prælatus condescendere petitioni subditorum, nisi obstet grave nocumentum aliorum, aut gravius nocumentum ipsius subditi: nam si hæ causæ intercedant, negari potest & debet talis facultas, etiamsi subditus ipse malè usurus sit tali medicinâ; quia hoc jam est scandalum pharisaïcum, & ideo quidquid ex illo sequitur, tantùm malitiæ ipsius subditi imputatur; nam ipse tenetur tunc suam conscientiam ei aperire, qui & sibi, & aliis prodesse potest, & non obesse: ergo si nolit huic obligationi satisfacere, nec potest esse ad Confessionem dispositus, nec facultas confitendi alteri, potest ei esse utilis: ergo non debet ei concedi, etiamsi obdurato animo nolit confiteri Superiori.

338. Occurritur objectioni. Nec refert, quòd id proveniat ex nimia verecundia vel alia affectione, quæ gravem difficultatem ingerat; quia tenetur illam superare, & potest cum divina gratia, ut suæ obligationi satisfaciat. Extra hunc verò casum semper tenetur Superior condescendere fragilitati subditi, quando ejus periculum imminet, v. g. quòd tacebit aliquod peccatum in Confessione, vel quòd nimiùm differet Confessionem, & licentiam peccandi accipiet, vel quid simile.

Unde non est neganda hæc facultas, etiamsi ex negatione speretur utilitas aliorum, non est, inquam, neganda cum tanto detrimento subditi: quia Sacramentum hoc per se institutum est in bonum pœnitentis, & ad eundem finem data est hæc potestas, & ad eundem ordinatur reservatio: ergo non licet per hoc remedium aliorum utilitatem procurare, cum tanto subditi detrimento; præsertim, quia moraliter nunquam fit sinè sacrilegio, & gravi injuria ipsius Sacramenti: fit etiam ipsa Confessio odiosa & difficilis, quod est gravius incommodum, propter quod vitandum quælibet alia utilitas parvipendenda est. Ita Suarius suprà n. 8.

339. Superior debet esse facilis in concedenda illa facultate. Ex quo ulteriùs colligitur; regulariter & moraliter loquendo Superiorem debere esse facilem potiùs, quàm difficilem in hac facultate concedenda; quia moraliter ac per se loquendo minùs periculi est in concedenda hac facultate, quàm in illa neganda. Unde ut concedatur, satis esse debet, quòd nulla specialis ratio ad eam negandam occurrat: ut autem negetur, semper intervenire debet aliqua specialis ratio; non quòd semper hoc cadat sub præcepto, sed quòd hic ordo sit convenientior, qui aliquando poterit esse sub præcepto, juxta jam dicta.

Immo, licèt aliquando Superiori videatur intervenire sufficiens ratio ad negandam facultatem; si tamen aliunde ex relatione alterius, vel aliâ viâ, ei constiterit, subditum nullo modo velle Superiorem adire, neque aliis remediis tentatis, ad id posse induci, tunc Superior nunquam debet aut potest negare facultatem, excepto casu suprà posito; quia non obstante quâcumq; ratione occurrente, & pensatis omnibus, tunc hoc magis expedit, immo & necessarium est, juxta leges charitatis: quia multi sunt adeò infirmi, quòd potiùs sinè Confessione morerentur, quàm tale peccatum tali Sacerdoti confiterentur. *Unde illi* (inquit Doctor Angel. 4. dist. 17. q. 3. a. 3. q. 4. ad 6.) *qui sunt nimis soliciti, ut conscientiam subditorum per Confessionem sciant, multis laqueum damnationis imiscunt, & per consequens sibipsis.*

Quando ergo pœnitens per ordinarium Confessarium petit facultatem extraordinariam, expedit omnino, ut Superior stet judicio Confessarii; hic enim & notam habet personam, & magis in particulari circumstantias novit, atque adeò meliùs potest scire, quid expediat, quàm Superior ipse.

340. Non semper debet Superior dare facultatem illi, quem pœnitens petit. Non quòd Superior debeat semper dare pœnitenti liberam facultatem eligendi aliquem, aut assignare illum Confessarium, quem pœnitens petit; sed sæpè expediet & debebit pensatis circumstantiis designare aliquem vel aliquos, de quorum prudentia doctrinaque confidit: poterit etiam inquirere qualitatem peccati, quando non adest periculum detegendi

pœnitentem, & determinare satisfactionem, à Confessario imponendam.

Ratio est; quia reservatio juxta Trident. sess. 14. c. 7. ad hoc fit, ut graviora delicta graviùs corripi & meliùs emendari possint, ad quod requiruntur graviores pœnitentiæ, & gravioris ac doctioris personæ judicium, quales personæ aliquando non sunt, quæ à pœnitentibus designantur.

341. Occurritur objectioni. Nec potest subditus justè conqueri, aut eandem difficultatem respectu omnium aliorum allegare; præsertim, si ei facultas ad eligendum inter plures concedatur. Interim neque in hoc Superiores debent esse difficiles, quando vel subditi prudentes sunt, & timorati, vel Sacerdos, per quem subditus facultatem petit, reverà est sufficiens, ut ei causa committi possit.

Itaque, ùt suprà dixi, & iterùm dico, magnâ prudentiâ opus est in hoc negotio, ne vel nimiâ facilitate, vel nimiâ severitate peccetur; in medio namque consistit virtus. Quamquàm & hoc medium suam habeat latitudinem, ita ut fieri possit, quòd Superior, & sinè peccato possit concedere facultatem, & etiam sinè peccato negare, saltem sinè peccato gravi; quia fieri potest, ut damnum, quod timetur ex concessione facultatis, sit æquale ei, quod timetur ex negatione; vel certè licèt majus sit ex una parte, quàm ex altera, excessus tamen sit levis.

342. Objectio. Cæterùm, contra hoc, quod diximus; pœnitenti obdurato & nolenti confiteri Superiori ex sola verecundia, Superiorem debere condescendere, objicere quis posset: talis pœnitens est indispositus ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, cùm habeat propositum non confitendi Superiori, cui tamen debet confiteri; adeòque per talem condescentionem seu concessionem facultatis, alteri confitendi, non subvenitur necessitati subditi.

Solvitur à Lugone. Respondet Lugo suprà n. 239. hoc argumentum nimium probaret; reprobaret enim praxim Prælatorum & ipsius Summi Pontificis, qui ad subveniendum ejusmodi infirmitati subditorum, qui nolunt proprio Sacerdoti integrè confiteri, & ea de causa sacrilegam confessionem faciunt, mittere solent aliquando Confessarios extraordinarios, cum plena potestate absolvendi, vel per Iubilæum aut Bullam, vel alio modo subditis facultatem concedunt eligendi Confessarium, cum potestate absolvendi à reservatis, in quibus procedit eadem difficultas.

343. Pœnitens plerumque non habet absolutam voluntatem non confitendi Superiori. Dico ergo; licèt pœnitens absolutè loquendo teneatur confiteri suo Pastori, si ille nolit facultatem dare confitendi alteri, adeòque peccet, nolendo absolutè confiteri; equidem plerumque nondum habet illam absolutam voluntatem, sed tantummodò vacillat ob difficultatem, quam apprehendit, & ideò petit licentiam alteri confitendi, quam licitè potest petere, cùm Superior teneatur eam ex charitate dare in illis circumstantiis, porrigendo manum vacillanti, & ita præcavendo ruinam, cujus periculum videt.

Ut autem jam peccasset subditus, nolendo absolutè confiteri Superiori, quidni obtentâ licentiâ possit elicere verum propositum emendationis, & verum dolorem de peccatis præteritis? Indubiè potest, quàmvis sæpè timendum sit contrarium. Quare cautè & suaviter disponendus esset priùs à Confessario, ne, quod absit, Sacramentum sacrilegè suscipiat, non defectu jurisdictionis Confessarii, sed defectu debitæ dispositionis, id est, efficacis doloris de peccato præterito, putà de absoluta voluntate non implendi præceptum Confessionis. Igitur per talem facultatem subvenitur necessitati subditorum, adeòque saltem ex charitate ipsis debetur, nisi aliquid aliud obstet.

Atque hìc fuisset finis hujus Conclusionis, nisi quispiam me interrogasset; an quando ex justitia debetur subdito talis facultas, & Superior eam negat, an, inquam, tali casu facultas fraude, vi aut metu extorta valeat?

Respondet Dicastillo Disp. 10. n. 181. valere, dummodò non tollatur voluntarium simpliciter, quod faciliùs potest tolli per fraudem, quàm per metum aut vim.

Immo generaliter docet Sanchez lib. 3. de Matrim. Disp. 39. n. 13. jurisdictionem, metu extortam, validè transferri; quod, inquit ille, docet Cardin. cap. 2. De his quæ vi. n. unico vers. *Quintus casus* & cap. *Licet* q. 31. de Elect. deducturque; quia lex in contrarium adducta (putà, lex 2. ff. de Iudic. ibi: *Ac si cum restitisse quivis ex litigatoribus, viribus Prætoris compulsus est, nulla est iurisdictio*) loquitur in casu speciali, dum litigantes compelluntur consentire in Iudicem non suum, & ita prorogare ejus jurisdictionem, quæ prorogari nequit, nisi liberâ eorum voluntate: & ita cùm sit casus specialis exceptus à regula generali, tradenti, gesta metu tenere, non debet extendi. Hæc ille.

Quem sequitur Regius hìc Disp. 8. n. 39. loquens de licentia audiendi Confessiones; & Lessius de Iustit. & Iure lib. 2. c. 17. n. 37. dicens, generaliter veriùs esse, jurisdictionem metu extortam valere, & ea, quæ ex ipsa secuta sunt. Quia generaliter ea, quæ metu gesta sunt, valent, nisi jus speciatim irritet.

Et quidem de contractu promissionis ita scriptum habemus Instit. de Except. in princ. *Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus, stipulanti Titio promiseris, quod non debueras promittere, & actio quidem est, jure civili te obligatum esse; & actio qua intenditur, dare te oportere, efficax est.* Ubi Glossa verb. *Obligatum esse*; *scilicet inspecto jure rigore; & efficax est, scilicet in sui subsistentia.* Quantò magìs obligatus eris, si promisisti, quod debueras promittere? Ergo

l. ult. Cod. de his quæ vi.

Et generaliter dicitur l. ult. Cod. de his quæ vi: *Venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari:* ergo erant aliquo modo validæ.

De jure Canonico. c. 2. de his quæ vi.

Quod etiam significatur in jure Canonico cap. 2. de his quæ vi. ibi: *Unde quia quæ metu & vi fiunt, de iure debent in irritum revocari, mandamus* &c. Et cap. 4. eodem ibi: *Quia verò quæ vi metúsq; causâ fiunt carere debent robore firmitatis: Mandamus* &c.

c. 4. eod.

Cùm ergo nullibi in jure jurisdictio ad audiendas Confessiones, metu aut dolo extorta, specialiter irritetur, si reverà adfuit consensus substantialis Superioris, id est, si simpliciter fuit voluntaria, quàmvis secundùm quid involuntaria, haud clarè video, quare non valeat, saltem donec à Superiore in irritum revocetur.

Quod verissimum judico, quando ex justitia eam debebat Superior concedere, cùm tunc metus justus sit, qui nequidem irritat matrimonium; quod tamen irritum est, contractum ex metu gravi injusto.

346. Non est generaliter verum, me posse validè usurpare, quod ex justitia mihi debetur.

Quàmvis ergo generaliter non sit verum, posse me validè usurpare id, quod ex justitia mihi debetur: nam inter certantes de dignitate aliqua, juxta Multorum sententiam, debetur ex justitia ea dignitas illi, qui eâ præ cæteris aliis dignior est omnibus pensatis, & tamen non potest eam sibi validè usurpare, contra voluntatem illorum, qui eam tribuunt. Similiter præsentato vel electo ad aliquam Parochiam, debetur hæc ex justitia, & tamen nemo dixerit, quòd absque institutione vel confirmatione, possit validè jus Parochi usurpare.

Quàmvis, inquam, id verum sit, tamen non possum dubitare, quin institutio vel confirmatio tali casu, dolo aut metu extorta, sit valida, eo semper salvo, ut sit simpliciter voluntaria. Ergo consimiliter, licet in casu proposito, subditus non possit confiteri inferiori, contra voluntatem Superioris; equidem si metu vel dolo Superior simpliciter consentiat, puto omnino consensum valere, & per consequens inferiorem validè & licitè absolvere. Sed hæc magis speculativa, quàm practica, cùm non soleant Superiores negare licentiam, ne dum ex justitia debita est, sed etiam dum solùm est debita ex charitate.

347. Proponitur nova quæstio.

Sed nunquid, dicet aliquis, si, petenti à Prælato, potestatem absolvendi à reservatis, pro uno suo subdito, pro una vice, Prælatus annuat, ipse petens includitur in illa licentia? Nunquid hæc facultas extenditur ad peccata, commissa post concessionem, vel ob confidentiam? Responsio erit

CONCLUSIO XVI.

Petens à Prælato omnem ejus auctoritatem, pro omnibus peccatis reservatis, pro uno suo subdito, pro una vice, & ipse in concessa facultate includitur. Extenditurque ad peccata, commissa post concessionem, vel ob confidentiam, nisi aliud constet de mente Prælati.

348. Probatur 1. pars Conclus.

RAtio primæ partis est; quia Prælatus habet auctoritatem seu potestatem absolvendi, non tantùm activam, sed etiam passivâ & commissivam; igitur annuens hujusmodi petitioni, censetur petenti dare, non tantùm potestatem activam, sed etiam passivam & commissivam. Quidni ergo petens, qui supponitur esse ejus subditus, possit pro una vice eligere aliquem, seu committere alicui, ut se absolvat à peccatis reservatis, à quibus ipse alium posset absolvere? Non video quid possit opponi, nisi aliud expressè constet de mente Prælati, vel ex verbis concessionis, vel ex aliqua lege aut consuetudine.

quam docet Villalobos.

Pro hac sententia citari potest Villalobos to. 1. Sum. tract. 9. diffic. 64. n. 4. ubi sic ait: Tertiò, quando Prælatus concedit alicui suam auctoritatem, sinè aliqua restrictione, videtur concedere activam & passivam; quod (licèt Aliqui dubitent de eo) est magis conforme stylo Religionis, interea dum Prælatus aliud non declarat.

349. Diana utitur aliqua distinctione.

Pro eadem sententia citat Diana p. 3. tract. 4. resol. 142. P. Leone de Offic & potest. Confess. to. 2. Recoll. 6. n. 131. Ipse autem Dia. sic ait: Videtur affirmativè respondendum, si petens diceret: *Est quædam persona, quæ indiget vestrâ auctoritate, placetne vobis illam mihi dare;* secùs autem si diceret: *Rogo te ut des mihi tuam facultatem pro una persona.*

Et ratio est; quia in generali sermone comprehenditur etiam persona sua, quando loquens concipit verba in persona alterius, ùt patet ex L. *Paulus respondit* 29. de Pignoribus §. fin. ubi sic scribitur: *Si sciente & consentiente Domino servus ut omnia bona Domini pignori obligata essent, convenit: ipsum quoque qui cavit, obligatum esse pignoris iure.* Et ita hanc sententiam (prosequitur Diana) videtur tenere Floronus de Cas. reser. p. 1. c. 3. §. 1. n. 3. ex Graffio, qui tamen contrarium docet.

350. quam Actor improbat.

Ego, ut verum fatear, parvam invenio differentiam inter illa verba: *Est quædam persona,* &: *Est*

& : *Est una persona* ; nam idem est sensus, & eadem generalitas sermonis, scilicet : *Est Petrus, vel Paulus, vel Ioannes*, & sic de cæteris.

Sicuti si quis diceret : *Quidam subditus commisit homicidium*, & alter diceret : *Vnus subditus commisit homicidium*, idem esset utriusque locutionis sensus, scilicet : *Vel Petrus vel Paulus & sic de cæteris commisit homicidium*, & indubiè verificatur utraque locutio, tametsi ille solus, qui hoc diceret, commisisset homicidium. Igitur perinde est, sive petens dicat : *Est quædam persona*, sive : *Est una persona.*

Putas, si quis veniam à Rege proprii delicti peteret hisce verbis: *Est una persona, quæ commisit homicidium, & postulat veniam à sua Maiestate*, censes, inquam, quia si Rex annueret, petens non includeretur? Sanè nulla est ratio potiùs alteri indulgendi, quàm ipsi petenti. Nec dubitandum, quin Rex, si sciviſſet hunc ipsum, qui petit, esse homicidam, æquè, si non magis, petenti indulsisset, quàm alteri.

351. Objectio. Dices; disparitas est in casu proposito, quòd Superioris sit judicare, an persona absolvens sit satis prudens & capax.

Solvitur. Fateor. Sed nunquid Superior sæpiùs dat facultatem pœnitenti eligendi, quem voluerit? Ergo nisi in casu proposito magis suam mentem explicet, censebitur dare facultatem cuidam, seu uni personæ, pro qua petitur, eligendi, quem voluerit; præsertim cùm sciat, aut certè scire possit, sub illis verbis intelligi, secundùm probabilem sententiam, ipsum petentem : qui cùm non possit seipsum absolvere, si datur ei potestas, datur non activa, sed passiva; id est, eligendi aliquem, qui ipsum absolvat, nisi, sicut habet Concl. & jam non semel dixi, contrarium constet de mente Prælati.

352. Lugo putat non posse dari in hoc casu unam regulam generalem. Hinc Lugo Disp. 20. n. 119. putat, in hoc casu non posse dari unam regulam generalem: quia, inquit, pendet omnino ex intentione & consuetudine, quam concedentes talem facultatem habent. Unde in nostra Societate Superior nunquam per similem formulam intendit comprehendere petentem; quia semper concedere solet facultatem, determinando personam, cui Absolutionem committit; quare quando concedit facultatem petenti, concedit illi soli facultatem absolvendi, nec posset virtute illius facultatis alius absolvere, etiamsi ille moreretur; cùm ergo ipse non possit absolvere seipsum, non intelligitur ipse incluſus in tali facultate.

Quando autem licentia peteretur pro aliquo subdito, ut ipse possit eligere Confessarium pro una vice, dicendo v. g. *Vnus subditus indiget facultate vestrâ pro una vice, ut faciat se absolvere ab aliquo Confessario*, tunc non videretur excluſus ipse petens, nisi ex aliis circumstantiis significaretur excluſus.

Unde quando Superior non solet determinare personam, cui dat jurisdictionem, sed dat pœnitenti facultatem eligendi, non videretur excluſus ipse petens, si verba non significant ejus excluſionem. Atque ita credo, quòd qui à Sacra Pœnitentiaria peteret pro uno indigente facultatem ad faciendum se absolvere pro una vice, ex vi horum verborum non esset excluſus ipse petens. Hucusque Eminent. Nullatenus contrarius nobis, ùt patet.

Et quia nihil aliud occurrit pro, vel contra, progedior ad secundam partem Conclusionis, quæ, sicut prima, pendet omnino ex intentione Prælati seu concedentis talem facultatem. Unde si petitur licentia pro Absolutione alicujus determinati peccati, jam commissi, cùm licentia intelligenda sit juxta verba petentis, certum est tali casu non posse Confessarium, vi istius licentiæ, absolvere à peccato, commisso post datam licentiam, nisi fortè Superior ampliorem daret potestatem, quàm petitur, dicendo v. g. *Ego concedo tibi totam meam facultatem, ut possis illum audire & absolvere ab omnibus reservatis.* Et tunc (inquit Lugo suprà n. 122.) videretur etiam incluſum peccatum, commiſſum post hanc concessionem, ante Confessionem.

Sed, dicet aliquis : Pono hodie peti licentiam pro uno lapsu carnis, & cras ante Confessionem, 10. aut 12. similia aut graviora habet peccata : quis dicat, intentionem Superioris illa comprehendisse, quibus cognitis fortasse licentiam negasset, vel graviora remedia adhibuisset? Nonne scriptum est? *In generali concessione non veniunt ea, quæ non esset verisimiliter in specie concessurus*, Reg. 81. de Reg. juris in 6.

Licèt ergo illa verba sint generalia, & possint extendi ad commissa post licentiam, tamen cùm hoc non expediat, immo noceat sic concedere, difficile credi potest, mentem Superioris (nisi aliud constet) fuisse ita concedere.

Respondeo; potuit Superior rationabiliter velle talem Confessarium, de cujus prudentia & doctrina non dubitat, constituere loco sui, ut auditâ Confessione, pro ea vice faciat quidquid ipse posset facere, & hanc voluntatem sufficienter indicat præfatis verbis, nisi aliud ex aliis circumstantiis colligatur; nam scit, aut scire potest, illa verba sic posse intelligi, & à Multis de facto sic intelligi. Cùm ergo ipse per se posset absolvere à peccatis, commissis post licentiam illam concessam; quidni etiam inferior, cui concessa est Absolutio verbis tam generalibus, idem possit?

Neque hoc est contra Regulam juris allegatam; quia suppono, quòd verisimiliter in specie concessisset potestatem absolvendi ab illis peccatis, si fuisset in specie desuper interrogatus.

Atque hanc sententiam Lugonis, Dicastillo Disp. 11. n. 344. vocat probabilem & tutam in

in praxi. Et n. seq. addit: Hoc magis certum aut clarum videtur, quando Superior, iter ingressurus, ordinario Confessario, petenti facultatem absolvendi, etiam reservata, ne cogatur recurrere ad Vicarium, relictum à Superiore, similibus verbis facultatem concederet, tunc enim censeretur etiam pro committendis data facultas. Hæc ille.

356. Quid dicendum de peccatis commissis ob confidentiam.

Addo ego; etiam pro committendis ob confidentiam; non enim est major ratio, hæc peccata excipiendi ab illa generali facultate, concessa pro hac vice, quàm à facultate, quæ conceditur per Bullam Cruciatæ aut Iubilæi, vel per privilegia Mendicantium. Quòd autem ab hac facultate seu his facultatibus non debeant excipi, probatur; quia ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus, absque manifesta ratione.

357. Occurritur objectioni.

Fateor, inquis, sed hìc est ratio manifesta distinguendi, ne alioquin detur occasio faciliùs peccandi. Respondeo; id per accidens contingit, & aliunde majus bonum est, quòd pœnitens sic possit liberari à peccatis suis, ne incidat in desperationem.

Nonne Christus instituit Sacramenta, estò præviderit aliquos faciliùs peccaturos, spe veniæ accipiendæ per Sacramenta? Cur ergo Pontifices non possint dare hujusmodi facultates, estò per accidens aliqui faciliùs peccent, spe veniæ accipiendæ? Cur non etiam alii Superiores? Atque ita intelliguntur facultates concessæ Religiosis in certis Festivitatibus, nisi aliud Superior expresè significet, quod tantùm semel memini factum.

358. Alia objectio.

Dices; per Bullam compositionis pro debitis incertis, non potest fieri compositio pro debitis, quæ aliquis contraxit ob spem illius compositionis.

Solvitur.

Respondeo; quid mirum, cùm in Bulla, illa restrictio disertis verbis exprimatur? Hæc sunt verba Bullæ: *Item generaliter possunt componere de quibuslibet bonis illicitis, malè obtentis, lucratis & acquisitis ..... sed qui vult componere non potest habuisse rem vel quantitatem, de qua est componendum, ob confidentiam istius compositionis.*

359. Illatio aliqua Auctoris.

Infero; ergo ubì non exprimitur illa restrictio, nulla est necessitas eam subintelligendi: porrò neque in Bulla Cruciatæ, neque in Bulla Iubilæi exprimitur. Et meritò, inquit Lugo suprà n. 130. quia fuisset occasio mille dubiorum & magnæ perplexitatis: nemo enim ferè est, qui quando peccat, non reddatur facilior ad peccandum, propter spem, quam habet, quòd per Confessionem poterit à peccato justificari, atque ideo implicitè apprehenderet ferè semper facilitatem ipsius Confessionis per Bullam, aut privilegia. Ita Eminent.

Lugo.

Villalobos.

Sed ad hoc responderi posset cum Villalobos Sum. tom. 1. tract. 27. claus. 9. n. 20. tunc solùm aliquod peccatum fieri ob confidentiam Bullæ aut privilegii, quando confidentia est causa positiva peccati, putà, quando quis diceret: *Sumamus Bullam & committamus tale delictum, quoniam per illam absolvemur.* Hæc ille. Et verò non immeritò potuisset Pontifex talem confidentiam excipere, sed quia non debuit, nec constat excepisse, neque nos debemus excipere. Et ideo dico, etiam tale peccatum commissum tempore Iubilæi & similium facultatum, posse absolvi virtute Iubilæi & similium facultatum.

360. Quomodo intelligenda illa particula: *Pro hac vice.*

Restat una quæstio, quæ finem imponet huic Sectioni, videlicet: Quomodo intelligenda sit illa particula: *Pro hac vice*, quando conceditur facultas absolvendi cum hac limitatione. Cùm enim pœnitens possit absolvi, ùt dictum est, à peccatis, post obtentam facultatem commissis, differat usum illius ad duos, tres, quatuor & plures annos; immo usque ad senectam & senium, & tunc absolvatur ab omnibus, eo usque commissis, quod non videtur practicandum; quia contra mentem Superioris. Quocirca intelligenda venit illa facultas cum aliqua temporis limitatione, ita ut quàmvis concedatur, posse absolvi à commissis post obtentam facultatem, id non sit cum nimia temporis latitudine. Sed, amabò, quæ illa? Hoc opus, hic labor est, difficile, inquam, est, assignare certam aliquam regulam.

Et quidem quando ea facultas conceditur intuitu alicujus Festivitatis aut solemnitatis, liquet profectò, quod detur pro toto illo tempore, & non ultra. Nulla enim est ratio extendendi ultra diem Festum, neque restringendi ad medium diem, ùt notat Villalobos tom. 1. Sum. tract. 9. diffic. 64. n. 5. quia toto die durat illa Festivitas.

Nec puto eam limitandam ad unam Confessionem, sed posse pœnitentem toties, quoties occurrerit novus casus intrà illum diem, de novo absolvi. Quæ enim ratio limitandi, cùm verba sint generalia, putà: *Omnes poterunt, durante hoc Festo, eligere Confessarium, qui nostrâ auctoritate absolvat illos à peccatis reservatis?*

361. Quid si nullo designato tempore talis facultas concedatur? Lugo.

Tota ergo difficultas est, quando absolutè non designato ullo tempore petitur, & concedi-tur facultas *pro hac vice*. Lugo sup. n. 126. Quando, inquit, tempus esset præsens, ita ut nondum censeretur tanta distantia temporis, quæ sufficeret moraliter ad falsificandam illam locutionem; tunc etiamsi alia similia peccata nova commisisset, posset eligere Confessarium, quia adhuc diceretur, hâc solùm vice absolvi.

Quantùm autem temporis possit his verbis comprehendi, pendet ex judicio prudentis, & ex circumstantiis: nam quando ea licentia conceditur ratione alicujus Festivitatis vel necessitatis occurrentis, in qua oportet confiteri; minus tempus videtur includi: quando verò

aliquis petit à Sacra Pœnitentiaria facultatem, semel eligendi Confessarium in ordine ad reservata, & conceditur pro hac vice, videtur ad majus tempus extendi.

Quando verò (prosequitur idem Auctor) nulla alia peccata nova, post licentiam concessam commissa fuissent; videtur, quòd, etiamsi duo vel tres anni aut plures elapsi essent, posset adhuc pœnitens uti illo privilegio: tunc enim verificarentur illa verba: *Pro hac vice*, ratione materiæ, quæ esset eadem. Itaque ad verificanda illa verba, alterum videtur sufficere; quòd scilicet Absolutio sit de his peccatis narratis, & non aliis novis; vel quòd fiat hoc tempore moraliter loquendo, & non alio longè distanti. Hucusque Eminent.

362. Sententia Lugonis de hac re videtur Dicastilloni difficilis & obscura,

Sed hæc doctrina videtur Dicastilloni suprà n. 347. satis difficilis & obscura; quia non satis explicat illud tempus, non multùm distans. Nam quod ait, de duobus aut tribus, aut pluribus annis, gratis dictum videtur. Iste enim, saltem debet, si potest, confiteri & communicare singulis annis. Jam ergo, vel illis annis habuit copiam Confessarii, vel non; si non habuit, profectò etiamsi pluribus annis non fuerit absolutus, & interim commiserit plura reservata, adhuc videntur posse habere locum illa verba: *Hâc vice*; quia toto tempore, quo non potest confiteri, nullâ vice omisit usum facultatis datæ; atque adeò non est in mora; neque potest dici, quòd præterierit occasio, pro qua illa verba: *Hâc vice*, intelligi possunt aut debent. Quando enim conceditur facultas pro hac vice; saltem debet se extendere ad primam occasionem, quâ possit confiteri; alioquin concessio nulla esset: quid enim prodesset concedi solùm pro tempore, quo non potest confiteri? Hæc ille. Nec adeò malè.

363. Sententia Dicastillonis,

Addit autem n. 348. Ego, si auderem arbitrari in hac re, pro licentia data in Sacra Pœnitentiaria judicarem, illam Confessionem, ad quam Ecclesia obligat, nempe annuam, intelligi verbis: *Hâc vice*. Quando autem quis non habet toto anno, aut pluribus annis copiam Confessarii, donec illam habeat, meritò censeri potest manere suspensam eam vicem, vel nondum venisse eam vicem, quam si quis negligat cùm possit & debeat, jam non videtur uti privilegio eâ vice, pro qua debet censeri concessum.

Idem dixerim de facultate, data ab Episcopo pro casibus sibi reservatis. Si autem agamus de facultate data in Ordine Religioso, ubi lege aut Regulâ solet præscribi Confessionis frequentia major, tunc consequenter verba: *Hâc vice*, videntur intelligenda de illa vice, quam lex præscribit aut Regula. Ita Dicastillo.

Sed quæro ego, quid si nec lex, nec Regula majorem frequentiam præscribant, ex devotione tamen Religiosi sæpiùs soleant confiteri, & unus frequentiùs alio? Quid si Sacerdoti talis facultas concedatur, nonne si hodie, post obtentam facultatem, celebret absque Confessione, cras non poterit illâ uti? Quippe non fuit confessus eâ vice, quâ debebat confiteri ex præcepto. Igitur & hoc arbitrium Dicastillonis satis difficile & obscurum.

Quid ergo? Voluntas Superioris inquirenda, & attendenda consuetudo, quæ est optima ejus interpres, quando aliunde de ea non constat. Quòd si nec consuetudo quidpiam determinet, nec voluntas Superioris aliundè constet, consule æquitatem naturalem; & quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; sed quod tibi vis fieri, alteri feceris; id est, sic intelliges verba illa: *Pro hac vice*, ab aliis prolata, sicut velles illa intelligi, à te prolata.

His ita expeditis de potestate Ordinis, itemque de jurisdictione & approbatione, quæ omnia requiruntur in ministro ad validam hujus Sacramenti administrationem; sequitur dicendum de aliis quibusdam ministri obligationibus, quasi concomitantibus, vel consequentibus, utputà, audiendi Confessiones, interrogandi, docendi, corrigendi & dispensandi pœnitentem, supplendi defectus, si qui in ipso Sacramento commissi sint, denique tacendi peccata, in Confessione manifestata; quæ utique postrema obligatio communiter vocatur à Theologis, Sigillum Confessionis, ductâ similitudine à literis, quæ aliò mittuntur, sigilloque obsignantur, quæ eo ipso legi non possunt, aliisque manifestari.

De hac obligatione, quia plura, & utilissima dubia, examinanda occurrunt, duas instituo Sectiones, quarum prima erit de Sigillo secundùm se, altera de ejus effectu.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

De Sigillo Confessionis.

1. Difficultas Confessionis levatur obligatione sigilli.

CONfessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem, immo penè intolerabilis videri posset, nisi, præter fructum spiritualem, levaretur summâ obligatione sigilli Confessionis, id est, obligatione mortali non revelandi directè vel indirectè, verbis, factis, aut aliis signis, peccata audita in Confessione, in ullo omnino casu, vel propter ullum omnino finem, etiam pro liberanda tota Republica ab ingenti malo temporali aut spirituali.

Hanc obligationem omnes DD. Catholici agnoscunt, quàmvis inter se disputent de ejus radice, id est, dubitent, quo jure obligetur Confessarius ad servandum tam rigorosum sigillum Confessionis. Hæc est nostra sententia:

CONCLUSIO I.

Suppositâ institutione & necessitate Sacramenti, obligatio sigilli oritur ex jure divino, quodammodo naturali.

2. Secundùm Scotum Sacerdos tenetur ad sigillum jure naturæ, divino positivo, & Ecclesiastico.

SCotus 4. dist. 21. q. 2. n. 4. sic ait: *In ista quæstione* (putà, utrùm Confessor in quocumque casu teneatur celare peccatum sibi in Confessione detectum) *hæc sit prima Conclusio: Quòd celare peccatum, in Confessione detectum, tenetur Sacerdos de lege naturæ. Secunda, quòd ad hoc etiam tenetur de lege Dei positiva. Tertia, quòd ad illud tenetur de lege positiva Ecclesiæ.*

Jus Ecclesiasticum probatur ex c. 2. dist. 6. de Pœnit.

Probatur tertia Conclusio ex cap. 2. dist. 6. de Pœnit. *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur peccata, alicui reciret, non propinquis, non extraneis, neque quod absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.* Ita Gregorius.

3. Item ex c. 12. de Pœnit. & Remiss.

Item ex cap. *Omnis utriusque sexûs* 12. de Pœnit. & remiss. ibi: *Caveat autem omnino, ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ cautè requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum.*

Notat autem Scotus suprà n. 12. hoc secundum melius & rationabilius esse: *Non enim*, inquit, *expedit, quòd propter aliquod crimen fiat aliquis vagabundus, dum tamen aliquo modo eius mora communis vel solitaria possit inter homines tolerari: quia vagabundus magis voluntati suæ malæ dimitteretur, & ita tam in se, quàm in aliis plus peccaret & noceret, quàm si arctæ custodiæ manciparetur.* Hæc ille.

4. Quos concernat pœna ferendæ sententiæ ibi imposita.

Cæterùm, ùt advertunt communiter DD. utraque pœna est ferendæ sententiæ, & solùm concernit illos, qui frangunt sigillum per revelationem alicujus peccati, non autem qui alio modo illud lædunt, neque etiam illos, qui non sunt Confessarii, etsi alioquin sigillo teneantur, cùm verbâ dirigantur ad Sacerdotes & Ministros. De quibus etiam specialiter loquitur Rit. Rom. tit. de Sacramento Pœnit. ibi: *In eius ministro requiritur etiam bonitas, scientia atque prudentia; cum sigillo secreta Confessionis sub exacto perpetuoq; silentio.* Rit. Rom.

Habemus itaque præceptum positivum Ecclesiæ; sed quoniam hæc obligatio gravissima est, immo fortè major, quàm possit lex humana imponere, secluso omni præcepto naturali & divino; & quia antiquior est, quàm humana lex jam allegata, atque ab Ecclesia indispensabilis; ideo Aliqui asserunt, hoc secretum oriri ex jure naturali, & probant hâc ratione.

5. Probatur obligatio juris naturalis ex Richardo.

Eadem persona secundùm naturam, verè affirmare potest aliquid in persona alterius loquens, quod verè negat, loquens in persona propria. Unde Angelus, loquens Moysi in persona Dei, verè dixit: *Ego sum Dominus Deus tuus* &c. Exod. 20. quod verè negasset, in persona propria loquens: ergo à simili, homo repræsentans Dei personam in foro Confessionis, verè aliquid potest affirmare, quod extra forum Confessionis, quando loquitur, ùt personam propriam gerens, verè negat. Verum ergo dicit, negando se audivisse, vel scire, quæ ad notitiam ejus non devenerunt, nisi in quantum repræsentabat personam Dei: ergo extra forum Confessionis dicendo, se audivisse vel scire, mentitur; sed vitare mendacium est de jure naturæ: ergo & Confessionis sigillum. Ita Richardus 4. dist. 21. a. 4. q. 1.

6. Contra ar. guit Scotus primò.

Sed hæc ratio displicet Scoto, qui suprà n. 5. contra eam arguit primò sic: *Eiusdem, & in eiusdem in persona, est cognoscere in causa, & sententiare de ea; hæc est manifesta, quia ad hoc*

cognoscit iste, & ùt iste, ut rectè sententiet: sed Sacerdos non in persona Dei sententiat, absolvendo confitentem, sed in persona propria: igitur & sic audit, & cognoscit. Probatio Minoris: non absolvit principaliter, sed tantùm ministerialiter; absolvere autem ministerialiter, sibi non competit, nisi in persona propria; si enim in persona Dei loqueretur, absolvendo confitentem, verè posset dicere sinè prece prævia (quæ est: Dominus te absolvat) ego te principaliter absolvo, & gratiam infundo, sicut Angelus verè dixit in persona Dei: Ego te eduxi de Ægypto.

Secundò. Arguit secundò: *Non magis audit vel absolvit Sacerdos in foro Confessionis in persona Dei, quàm conficiat Eucharistiam in persona eius: quia aquè excellens est actus iste, sicut ille, & actus sacramentalis, in quo operatur virtus divina, sicùt hìc: immo videtur ibi plus agere in persona Dei, vel Christi, quàm hìc. Ibi enim profert verbà Christi, Corpus meum, & in persona Christi, de quo præmisit: Qui pridie quàm pateretur &c. Ita quòd totum illud:* Accipite &c. Hoc est Corpus meum, *dicit ipse recitando verbà Christi; non sic in proposito. Vnde non præmittit hìc:* Christus volens absolvere peccatorem dixit sic: Ego te absolvo; *sed ly* Ego, *stat hìc pro persona ministri. Ex hoc ergo patet, quòd magis, vel non minùs conficit in persona Christi, quàm absolvat vel audiat Confessiones in persona Christi: sed conficit in persona propria (unde non mentitur post Missam dicens:* Ego scio me hodie consecrasse) *igitur & hìc.*

7. Arguit tertiò: *Secundùm istum eumdem (Richardum intelligit) & veritatem, ùt postea probabitur, licet peccata in Confessione detecta in universali dicere, & in particulari, non relata ad personam confitentem. Hoc etiam probatur per illud Extra de Pœnit. & remiss. c.* Officii, *ubì Innocent. III. respondet cuidam Card. Legato, qui scripsit casum, quem audierat in Confessione, & petiit consilium, Papa non redarguit eum de revelatione illa in universali, etiam per scripturam, sed respondit, qualiter sit tali personæ confitenti consulendum.*

Arguit tertiò.

Hoc etiam patet ex communi usu Confessorum; sive enim in communi sermone, sive in prædicatione aliquando dicunt, talis casus contigit; aliqua persona sic & sic peccavit. Habetur igitur illa propositio, quòd Confessor potest licitè extra Confessionem dicere peccatum sibi confessum: ita tamen, quòd nullo modo relatum ad personam confitentem, ut possit deveniri ad notitiam eius: sed si prædicta ratio valeret, hoc non liceret, quia mentiretur. Probatio; quia nesciens particularem, nisi pro determinato singulari, si nesciat singulare, nescit particulare: sed iste nescit aliquam personam tale peccatum fecisse, nisi pro hac persona sibi confessa, & hoc peccato sibi confesso: igitur si mentiretur de hoc & de hac, quia nesciens, consimiliter & de alio & de alia.

Ex quibus rationibus in oppositum, concludit Doctor n. 6. in fine, quòd revelatio non est contra legem naturæ propter hoc, quòd revelans mentiatur, & per consequens, inquit, illam primam rationem non teneo.

Et continuò attexit: *Respondeo igitur ad eam, quòd non est idem loqui in persona alicuius, & loqui auctoritate illius, sive ùt minister illius. Communiter enim loquens in persona alicuius, pretendit similiter personam eius, ut est communiter in istis, nostris simulantibus aliquos. Iste enim simulat istum balbutientem, vel talem in tali actu, & iste proprie dicendo, sicut ille diceret, in persona illius loquitur, vel facit tale factum; & ideo, quàm cito desinit a faciendo, sicut ille faceret, aut dicendo, sicut diceret, dicitur sibi, tu mentiris, vel, tu deficis, quamvis tunc faciat, vel loquatur more suo proprio. Eo modo est de locutionibus Angelorum in persona Dei. Non sic Sacerdos audit Confessiones, vel absolvit in persona Dei: sed tantùm est minister Dei in illo actu, & ùt minister agit: & si ùt minister, ergo in persona propria.*

Concedo igitur, quòd iste si audiret in persona Dei, & loqueretur in persona Dei, posset illud verissimè dicere, quod in persona propria non posset. Nam in persona Dei hoc verè diceret: Ego sum Deus, Ego creavi mundum *&c. sed in persona propria fictè loquens, mentiretur. Sed Sacerdos in Confessione non audit nec loquitur in persona Dei, sed in persona propria, licèt auctoritate Dei, ut eius minister. Eodem modo in aliis Sacramentis: unde ùt minister Dei baptizat, & consecrat &c. & tamen ùt homo, sive in persona propria scit se baptizasse, & ita mendacio posset dicere, se baptizasse.* Ita Doctor Subtilis.

Alii aliter respondent. Primò, quia, licèt id sciat, ùt gerens vicem Dei, ipse tamen id scit. Secundò, quia si diceret falsum, scitur scire, ùt gerentem vicem Dei, non mentiretur. Tertiò, quia si ea esset ratio, nec de licentia pœnitentis posset ea revelare sinè mendacio. Quartò, quia tunc in multis casibus revelatio non esset peccatum mortale, cùm mendacium ex genere suo sit peccatum tantùm veniale.

Si dixeris; semper infertur grave damnum pœnitenti vel Sacramento; jam de hoc ipso reddenda est alia ratio, & illa fortè sufficiet, ùt infrà videbimus, ad constituendum grave peccatum, seclusâ malitiâ mendacii.

Omissâ igitur hâc ratione Richardi, videamus si melior sit ratio, quam indicat S. Tho. 4. dist. 21. q. 3. a. 1. quæstiunculâ 1. in corpore: *Sacerdos,* inquit, *debet Deo, cujus est minister conformari; sed Deus peccata, qua per Confessionem panduntur, non revelat, sed tegit: ergo nec Sacerdos revelare debet.* Quòd autem Deus in hoc Sacramento tegat peccata pœnitentis, probari videtur ex illo Psalm. 31. v. 1. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Et hoc ipsum significatur per secretum, quod Sacerdoti imponitur.

Sed hæc mera congruentia moralis (inquit Lugo Disp. 23. n. 2.) alioquin nec ex licentia pœnitentis

pœnitentis posset revelari Confessio. Nec ullo modo probatur, talem significationem esse essentialem huic Sacramento, cùm verba formæ solùm significent Absolutionem & remissionem, & aliunde non sit contra substantiam hujus Sacramenti, quòd Confessio sit publica, ùt suo loco visum est. Hæc ille.

Equidem Doctor Subtilis, & Alii, videntur negare, ex licentia pœnitentis posse revelari Confessionem, ùt videbimus Sect. sequenti. Nec desunt, qui existiment, esse contra substantiam hujus Sacramenti, quòd Confessio sit publica, ùt suo loco visum est. Interim existimo, Prophetam in illo Psalmo, nullatenus illis verbis voluisse significare sigillum Confessionis; sed dumtaxat remissionem peccatorum sive in Sacramento, sive extra Sacramentum, per quam teguntur peccata; quia jam Deus ampliùs non offenditur propter illa. Igitur neque hæc ratio efficax.

11. Tertia probatio. Sed nunquid ista? Scientia ex Confessione habita est sacra, & superioris ordinis, utpote ad solam salutem pœnitentis ordinata: ergo non potest licitè ordinari ad alios fines extrinsecos, & inferioris ordinis.

Responsio Lugonis. Respondet Lugo suprà n. 3. quòd non est intrinsecè malum, rem superioris ordinis ordinare ad res, alioquin bonas & honestas inferioris ordinis, maximè ùt ad finem inadæquatum & secundarium, sicut Eucharistia & Missa ordinantur ad impetrandum remedium necessitatis temporalis. Deinde quia jam liceret revelare Confessionem aliquando, saltem propter bonum superioris vel æqualis ordinis, v. g. propter conversionem alicujus regni, aut propter ejus conservationem in Fide Catholica. Hæc ille.

Addo ego; saltem quando foret necessaria pro salute ipsius pœnitentis, sicut sæpiùs potest esse necessaria, v. g. ad evitandam occasionem peccati; & tamen neque tali casu licet, secundùm communem sententiam.

12. Quatuor rationes Scoti. Quæ ergo ratio tam strictæ obligationis? *Teneo* (inquit Scotus suprà n. 8.) *primam Conclusionem* (scilicet, quòd celare peccatum, in Confessione detectum, tenetur Sacerdos de lege naturæ) *appono tamen quatuor rationes alias. Quarum prima sumitur ex ratione charitatis. Secunda ex ratione fidelitatis. Tertia ex ratione veritatis vel veracitatis. Quarta ex ratione unitatis & mutuæ utilitatis.*

Prima. *Prima talis est: lex naturæ de charitate fraterna* exprimitur Matth. 7. Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, hoc facite illis: hoc est enim lex & Prophetæ. Et Luc. 6. Prout vultis, ut faciant homines vobis, & vos facite illis. *Sed sic intelligi debet illa propositio legis naturæ de charitate fraterna*; Quæ vultis vobis, id est, *quæ debetis secundùm rectam rationem velle*; & *hoc intelligitur in illa propositione* Matth. 22. Diliges proximum tuum sicut teipsum; *sed quilibet debet diligere secundùm rectam rationem famam propriam: ergo & celationem peccati sui confessi, & per consequens Confessor debet idem diligere, & velle ipsi confesso; sed revelatio tolleret confesso famam: ergo &c.*

Matth. 7. Luc. 6. Matth. 22.

Minor probatur per Scripturam Eccli. 41. Cura habe de bono nomine: *& reddit rationem de hoc*; hoc enim magìs remanebit tibi, quàm mille thesauri magni & pretiosi. *Probat etiam per aliud, subdens*; Bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æternum. *Et Proverb.* 22. Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ. Eccli. 41. Proverb. 22.

13. Infamis perdit vitam civilem. *Item per rationem probatur. Quilibet enim secundùm rectam rationem debet sibi velle vitam civilem; hoc autem tollitur per ablationem famæ, quia in hoc aliquis vivit vitâ civili, quòd idoneus est ad actus aliquos, competentes sibi in illa civilitate; sed famâ amissâ, privatus est habilitate ad tales actus, quia amisit statum dignitatis illæsæ, scilicet habilitatem ad actus, quibus alias dignus esset.*

Secunda pars Minoris, scilicet quòd revelatio peccati confessi, tollit confesso hujusmodi famam, probatur: quia quâ ratione potest uni revelare, & alteri, & sic omnibus: sed in tali revelatione est manifestum, quòd status dignitatis illæsæ, quæ consistit in famâ eius apud conviv, tollitur illi.

14. Quid concludat prima ratio Scoti. Hæc est prima ratio Scoti, quæ (salvâ ejus reverentiâ) non aliud concludit, quàm Confessorem pro libitu suo non posse revelare peccatum, auditum in Confessione; verùm quòd ex justa causa non posset revelare, vel soli pœnitenti, quando v. g. id esset necessarium ad salutem ejus æternam, haud video, quomodo probet. Sanè & ipse pœnitens potest in multis casibus cedere jure suo, quod habet ad famam, & seipsum infamare, absque peccato contra charitatem propriam: ergo saltem in illis casibus, etiam idem posset Confessarius.

Præterquam, quòd per revelationem, quæ uni, v. g. ipsi pœnitenti fieret, nullatenus tolleretur fama seu status illæsæ dignitatis. Neque verum est, quod quâ ratione aliquis potest uni & alteri revelare crimen proximi sui, possit sic etiam omnibus revelare, quod tam manifestum est, ut probari non debeat.

15. Secunda ratio Scoti. Neque plus probat secunda ratio Scoti suprà n. 9. quæ talis est: *Quilibet de lege naturæ tenetur servare fidelitatem proximo suo, quam vellet & deberet sibi velle servari; sed committens secretum maximum alteri, vellet sibi servari, & deberet velle sibi servari tamquam secretum: ergo alter, cui committit, tenetur illud sibi servare. Hæc ratio tangitur Proverb.* 11. *Qui ambulat fraudulenter revelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum.* Proverb. 11.

Sed nunquid verbum otiosum, aut mendacium jocosum, est secretum maximum, quòd debeo mihi velle servari sub gravi obligatione extra hoc Sacramentum? Immo tametsi vellem, alter non teneretur sub gravi obligatione mihi servare per se loquendo, quia materia

de se levis, adeòque incapax gravis obligationis. Et tamen secretum istud in hoc Sacramento graviter obligat. An solo jure naturalis secreti? Non puto.

16. Tertia ratio Scoti, Et ideo progredior ad tertiam rationem Scoti, expressam sub hac forma verborum suprà n. 10. *Quilibet ex lege naturæ tenetur servare promissum licitum: sed recipiens secretum, maximè istud in Confessione detectum, etsi non explicitè, tamen implicitè promittit se servaturum, quia sinè tali promisso saltem subintellecto, non committeretur sibi tale secretum: ergo &c. Hæc ratio probatur, vel potest sumi ex illo verbo* (Zachar. 8.) *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.* Ita Scotus. Zachar. 8.

An convincat intentum, Nunquid convincit intentum? Herculè non teneor servare promissum homini privato, quando observatio vergit in detrimentum commune, vel etiam in meum damnum, respectivè majus, v. g. cum periculo propriæ vitæ, cum periculo eversionis totius Reipublicæ; & tamen secretum, seu promissum sacramentale servandi secretum, teneor observare cum periculo propriæ vitæ, & eversionis totius Reipublicæ: ergo in proposito, sola lex promissi, non est causa tam arctæ & gravis obligationis in omni prorsus casu.

17. Quarta ratio Scoti, Subjicio itaque quartam rationem Scoti, si fortè hæc aliquid plus probet: *In hoc* (inquit Doctor Subtilis) *communitas aliquam habet unitatem proportionatam unitati corporis, quia ibi est ordo superioris & inferioris: & tenetur superior influere in inferiorem, & inferior subministrare superiori, iuxta illam parabolam Pauli* (ad Rom. 7. & 12. & 1. ad Cor. 6.) *de corpore mystico & naturali in diversis locis; sed in civilitate, inferior est minùs sufficiens & minùs sciens, & in Ecclesia, peccator inferior; Superior autem Hierarcha, qui & potest consulere & reconciliare: ergo de lege naturæ est, quòd nullus excludat inferiori recursum ad Superiorem, quia hæc est communis utilitas membrorum ad invicem.*

Sed revelatio secreti excludit talem recursum inferioris ad Superiorem in consilio animæ, & per consequens influentiam Superioris ad inferiorem: quia nullus recurreret, si regulariter illud, de quo quærit consilium vel remedium, non esset servandum secretum: ergo eâdem lege naturæ, quâ tenetur quilibet ad servandum unitatem Corporis Christi mystici, & ad communem utilitatem alius, sicut membris in corpore, tenetur celare secretum hoc.

Responsio. Respondeo distinguendo Consequens; regulariter tenetur, Concedo totum; in omni casu, Nego Conseq. & probo ex ipsis verbis Scoti: *Nullus*, inquit, *recurreret, si regulariter illud, de quo quærit consilium vel remedium, non esset servandum secretum.* Ergo adhuc aliquis recurreret, si tantùm in rarissimo casu, v. g. quando hoc foret necessarium ad salutem ipsius recurrentis, aut ad conservationem Reipublicæ, non esset servandum secretum; ergo qui in tali casu revelaret, nihil faceret contra legem naturæ, quâ tenetur quilibet ad servandam unitatem corporis Christi mystici.

Igitur quærenda videtur alia lex naturæ, contra quam in tali casu peccatur. Quam sanè difficulter invenies. Eam tamen putat se invenisse Lugo suprà n. 4. dicens: Ratio præcipua & magis communis est, quæ desumitur ex reverentia debita Sacramento, cui fieret injuria revelando Confessionem; nam si homines scirent, Confessarium posse Confessionem revelare, retraherentur ab illa: constat enim de facto excusari pœnitentem à Confessione sui peccati, quando prudenter timet Confessarium non observaturum sigillum; & memini me legisse, quòd apud Abissinos & Æthiopes hoc Sacramentum fere abiit in desuetudinem, propter malitiam Sacerdotum, qui sigillum religiosè non observabant. Quare cùm Christus voluerit obligare omnes fideles ad manifestandum integrè suam conscientiam apud Sacerdotem, nihil ei celando: oportebat, ut ex parte Sacerdotis esset obligatio talis, quæ omnino adimeret pœnitenti metum publicationis & revelationis, ne ab hujus Sacramenti usu, adeò necessario, retraherentur. Hucusque Eminent.

Quæ ratio ferè coincidit cum ultima ratione Scoti, nisi quòd altera revelationem opponat unitati corporis Christi mystici, altera autem reverentiæ debitæ Sacramento, quæ magis est diversitas vocum, quàm rerum. Sed sicuti unitas illa non scinderetur, tametsi in aliquo rarissimo casu non esset servandum secretum; ita aliquis posset dicere, quòd non fieret injuria seu irreverentia Sacramento, tametsi in aliquo rarissimo casu non esset servandum secretum, putà in illo casu, quando ipsemet pœnitens deberet suum crimen revelare, vel dare veniam Confessario revelandi, si velit accipere Absolutionem à peccatis, v. g. quando est necessaria revelatio ad impediendum eversionem Reipublicæ, vel conservandam Fidem Catholicam in aliquo regno.

Sin autem dixeris; etiam in his casibus fieret irreverentia Sacramento, dico ego consimiliter; etiam in his casibus scinderetur unitas corporis Christi mystici; quia adhuc redderetur Sacramentum odiosum, & per consequens excluderetur recursus inferioris ad Superiorem in consilio animæ, quod sufficit ad scindendam illam unitatem, ùt patet ex Scoto suprà; præsertim cùm illud consilium à Christo sit præceptum.

Quòd autem Sacramentum redderetur odiosum, & homines ab ejus frequentatione retraherentur, probatur: quia pœnitens posset timere, ne Confessarius vel passione, vel zelo, vel ignorantiâ ductus, judicaret revelandum, quando poterat suaviori modo remedium aliud adhiberi, vel quando necessitas non exige-

exigebat tam extraordinarium remedium. Alioquin, cur Christus de facto in favorem Sacramenti prohibuit Confessario, ut Omnes supponunt, eo etiam casu revelare? Ita interrogat Lugo suprà n. 12.

20. Ipsi de jure naturæ non foret necessarium sigillum, equidem conveniebat à Christo præcipi.

Responderi posset: quia sic congruebat reverentiæ Sacramenti & unitati Corporis Christi mystici, quàmvis ex jure naturæ non foret omnino necessarium. Sicut maximè conveniebat dignitati Eucharistiæ, quòd non sumeretur absque prævia Confessione mortalium peccatorum; equidem nisi Christus, aut Ecclesia, eam Confessionem præcepisset, nulla foret obligatio ex jure naturæ.

Adde, quòd obligatio naturalis, sumendi Eucharistiam in bono statu, non sit ita stricta & arcta, ut non liceat in rarissimo casu eam sumere in statu peccati mortalis, ùt alibi declaravimus. Unde ergo oritur tam stricta obligatio juris naturæ servandi Sigillum Confessionis in omni omnino casu?

Nonne obligatio non occidendi, non auferendi alienum, non revelandi secretum extra sacramentale, nonne, inquam, hæc præcepta negativa patiuntur aliquas exceptiones? Nemo potest dubitare. Cur ergo similiter præceptum naturale, servandi secretum sacramentale, non patietur aliquam exceptionem?

21. Quare sigillum nullam patiatur exceptionem ex Lugone.

Respondet Lugo suprà n. 8. Materia præcepti aliquando talis est, ut in aliquibus casibus non afferat præcepti observatio majus bonum, quàm cessatio obligationis: majus enim bonum est humano generi, quòd in necessitate extrema unusquisque fruatur bonis aliorum, quàm quòd etiam in illo casu servetur illæsum jus domini in res suas, & sic de aliis exemplis adductis: è contra verò in aliis materiis magis expedit pati aliqua incommoda in casu particulari, quàm exceptionem aliquam admittere in præcepto; v. g. in fornicatione, majus bonum est, quòd nunquam liceat, quàm illa, quæ aliquando in particulari casu sequi possent ex licito illius usu. Graviora enim mala sequerentur, si semel admitteretur exceptio hujus obligationis, eò quòd homines ad sensualitatem proni, facilè sibi fingerent, vel procurarent eas circumstantias, quod in magnum prolis detrimentum cederet: cui damno communi non præponderat illud, quod in aliquo raro & particulari casu sequi potest alicui privatæ personæ, ex eo, quòd non sit licita fornicatio. Quod idem de pollutione, mendacio & similibus dicendum est.

Legislator humanus aliquando prohibet sine ulla exceptione.

Sic etiam Legislator humanus, propter rei gravitatem, & necessitatem, aliquando prohibet, absque ulla prorsùs exceptione; prout in Concil. Trident. Matrimonium clandestinum, absque ulla prorsùs exceptione, prohibitum & irritatum fuit: quia licèt in aliquo peculiari casu utilius fortasse fuisset ad vitandum aliquod gravissimum malum, quòd fieri posset Matrimonium validè absque Parocho; in genere tamen magis expedit, quòd nunquam possit fieri: quia ex una exceptione illius præcepti & prohibitionis, graviora sequerentur mala in aliis casibus.

Quod ergo Legislator humanus facere potest, poterit etiam aliquando facere lex ipsa naturalis, & de facto facit in multis materiis: & in hac ipsa materia Sacramentorum, aliqua sunt talia præcepta, quæ, suppositâ eorum institutione, jure ipso naturæ oriuntur; v. g. non suscipiendi Sacramentum Baptismi sinè dispositione debita, ne fraudetur suo effectu; non dandi Sacramentum Eucharistiæ peccatori publico & similia. Hucusque Eminent.

22. Si in aliquo casu liceret revelatio Confessionis, homines ab ea averterentur.

Et prosequitur n. 10. dicens: Hoc ipsum in nostro casu reperiri videtur; nam si semel, vel in aliquo raro casu liceret Confessionem revelare, daretur occasio dubitandi sæpiùs, an interveniret ratio sufficiens ad revelandum, & pœnitentes formidarent, ne Confessarius apprehenderet licere in hoc casu: & quò graviora essent crimina, eò magis timerent propter majorem necessitatem, quæ posset esse illa revelandi ad bonum Reipub. vel ad tuendum innocentem, vel ad alia gravissima damna impedienda, quo timore deterrerentur à Confessione adeò integra & sincera suorum criminum: nec poterat hoc aliter impediri, nisi restringendo obligationem secreti naturalis, ita ut omnis prorsus timor licentiæ vel revelationis licitæ possibilis auferretur. Summa enim necessitas hujus Sacramenti, in quo potissimùm salus fidelium consistit, exigebat non minorem prohibitionem ejus revelationis, quæ Confessionem maxima ex parte impediret, quàm sit in pollutione, fornicatione & mendacio, propter damnum, quod afferunt contra prolem, aut humanum commercium. Hæc ille.

23. Existimat Lugo sigillum immediatè consequi institutionem & necessitatem hujus Sacramenti,

Qui propterea existimat, verius esse, hanc obligationem immediatè consequi institutionem & necessitatem hujus Sacramenti, absque alio præcepto divino positivo superaddito. Quamquam enim non sit inconveniens, ut quis per accidens & ex malitia Confessoris excusetur à Confessione alicujus peccati: maximum tamen esset inconveniens, si ex vi & modo institutionis ipsius Sacramenti, & ex potestate, à Christo data ipsi Confessario, in aliquo casu revelandi peccatum confessum, excusaretur à Confessione illius peccati; sic enim nunquam ferè servaretur integritas Confessionis, cùm homines facilè possent suspicari, esse justam causam revelandi peccatum, quo casu non tenerentur confiteri, cùm tamen integritas jure divino sit præcepta, quantùm est ex vi institutionis hujus Sacramenti, ùt alibi vidimus. Ergo hæc obligatio videtur oriri ex jure naturæ, suppositâ institutione & obligatione hujus Sacramenti, absque alio præcepto positivo superaddito.

Con-

24. Oppositum videtur significare Scotus, probans tribus rationibus hanc obligationem esse legis divinæ positivæ.

Contrarium, censent Aliqui, significare Scotum suprà n. 11. ubi tribus rationibus probat, hanc obligationem esse legis divinæ positivæ. Prima: *Quilibet Christianus tenetur non dare occasionem alteri, quâ revocetur à lege Christi: sed lex Christi est de Confessione faciendâ, ut est ostensum dist. 17. igitur quilibet in lege Christi tenetur non retrahere aliquem à Confessione faciendâ, sed revelans Confessionem occasione datâ, retrahit aliquos à Confessione: ergo &c. Si dicas, etsi ille Sacerdos revelat, tamen alius erit celator secreti, hoc nihil est; quia iste quantùm est ex genere operis sui, dat occasionem alteri, cavendi eodem modo à singulis Confessoribus.*

Expenditur prima ejus ratio.

Sed hæc ratio, meo judicio, non probat præceptum positivum superadditum ipsi institutioni, sed potiùs legem naturalem, consequentem institutionem & necessitatem Sacramenti; vel, ut clariùs loquar; probat, ipsam institutionem & præceptum Sacramenti, indirectè saltem, prohibere Confessario illam revelationem; sicuti lex jejunii, saltem indirectè, prohibet, ne ego sim alteri causa illam legem non observandi.

25. Secunda ratio examinatur.

Nec plus probat secunda ejus ratio sequentis tenoris: *Christus statuit, arbitrium pœnitentiæ esse ultimum in terris, quantùm ad illud crimen confessum, quod patet ex illo verbo Matt. 16.* Quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cælis, *id est, finaliter & ultimatè approbatum: & Ioan. 20.* Quorum remiseritis peccata *&c. supple, in iudicio divino, finaliter remissa approbantur: ergo peccat contra legem Christi, quicumque aliquid in isto foro discussum, & ibi finaliter terminatum, deducit ad alium forum publicum; sed revelans, quantum in se est, facit, quòd deduci possit ad alium forum: ergo &c.* Ergo datur præceptum positivum, distinctum ab ipsa institutione, Neg. Conseq. quia verba illa ex Matt. & Ioan. solùm probant institutionem.

Matt. 16.

Ioan. 20.

Explicatur tertia ratio.

Eodem modo potest & debet explicari tertia ratio, quam exprimit hisce verbis: *Dans occasionem peccandi mortaliter, exequendo præceptum Christi, peccat mortaliter; quia præceptum quod esset debitè exequendum, iste, quantum in se est, facit indebitè exequi: sed revelans Confessionem, dat occasionem indebitè exequendi Christi præceptum de confitendo, quia mendaciter: dat enim occasionem, ut aliquis in Confessione seipsum laudet, & alium, quem odit, vituperet; ut sic indigne à Confessore promoveatur, & alius puniatur; ergo &c.* Hæc ille.

Infero ego; ergo sufficit, secundùm Scotum, præceptum integrè confitendi, ut Confessarius peccet mortaliter, revelando peccatum confessum. Ergo non requiritur præceptum divinum superadditum institutioni.

26. Sententia Vasquez, figillum non sequi adhuc institutione Sacramenti, sed voluntate Dei; sicut, inquit, non sequebatur ex ipsa institutione Eucharistiæ, præmittendam esse Confessionem, sed opus fuit novo positivo præcepto.

Et ita (prosequitur Vasquez) Scotus dixit, secretum Confessionis obligare præcepto naturali, & præcepto divino positivo, quod ego ita intelligo, id est, ex mera Christi voluntate, superaddita institutioni hujus Sacramenti; quàmvis reverà Scotus non ita intelligat, ut constat ex probatione Conclusionis secundæ, ubi sequitur modum dicendi secundæ opinionis, à nobis relatæ: unde appellare videtur positivum divinum hoc præceptum, non quia superadditum institutioni, sed quia sequitur ex institutione, quæ est juris positivi.

Quod hâc ratione constat: quia potuit esse institutio cum obligatione secreti, quæ alias erat inter homines, & ità non obligaret in pluribus casibus, quàm secretum aliàs obligaret, neque ex institutione & fine & effectu Sacramenti sequitur, necessarium fuisse, observari secretum in omni eventu, quàmvis id esset congruum, ut præciperetur. Ita Vasquez.

Et infrà sic ait: Verumtamen quòd ejus non servetur secretum, quando nec ipsi aliàs digni erant, quibus servaretur, non esset contra reverentiam Sacramento debitam, si aliud præceptum universaliùs obligans additum non esset, ùt cùm pœnitens confitetur peccatum proditionis, quam machinatur in Rempub. nec abstinere vult, culpâ suâ non servaretur illi secretum in Confessione, & si hoc modo Christus instituisset Sacramentum, & non alio, non irrogaretur irreverentia ex natura rei Sacramento, sicut nec injustitia pœnitenti, quando tamdiu servaretur illi secretum, quamdiu ipse dignus esset. Unde quàmvis congruum sit, ut suavius fiat jugum Confessionis, esse præceptum observandi in omni casu præceptum secreti, tamen non convincitur ita necessariò debere esse institutio Sacramento; nec diceretur, si aliud præceptum non esset positivum, Sacramentum facere onerosum, qui indigno secretum non servaret. Hucusque Vasquez.

Hanc sententiam amplectitur Hiquæus in suo Comment. dist. 21. n. 4. ibi: Quàmvis præceptum sit divinum naturale, non committere sacrilegium contra Sacramenta, tamen hoc præceptum generale, aliquando applicatur ad materiam ex præcisa institutione Sacramenti; aliquando ex circumstantia præcepti positivi adjuncti. Tunc autem est præceptum divinum naturale propriè loquendo, quando aliquid fit contra ipsam institutionem Sacramenti proximè, ut si omittatur materia, aut forma essentialiter requisita, vel si ipsum Sacramentum ad ludibrium exponatur & hujusmodi. In primo casu est sacrilegium ex speciali institutione Sacramenti ortum: in secundo verò

verò ex generali præcepto Religionis, quo res sacra & spectans ad Dei cultum debet reverenter tractari, & in ordine ad proprium finem, non verò profanè.

Sacrilegium verò, quod fundatur in præcepto positivo divino, induit naturam ipsius præcepti; quia ideo præcisè est contra reverentiam debitam Sacramenti directè, quia est contra tale præceptum. Unde si tollatur præceptum aut ejus materia, jam non erit sacrilegium actus oppositus, aut qui est aliàs in præcepto. Tale est præceptum sigilli, ut spectat ad jus positivum divinum & supernaturale. Unde Deus posset instituere pœnitentiam, non additâ aliâ obligatione ad secretum, præter illam solam, quæ est juris naturalis de servando secreto, quod magis declaratur in sententia eorum, qui dicunt, posse Sacerdotem de licentia ipsius pœnitentis revelare peccatum; quia, hoc dato, illa revelatio non esset contra reverentiam Sacramenti; neque alia ratio est, nisi quia præceptum positivum non comprehendit secretum in illo casu.

29. An ex obligatione naturali sigilli bene inferatur ergo non potest revelari peccatum de licentia pœnitentis.

Sed si hoc secretum esset præcepti naturalis ex præcisa institutione Sacramenti, sequeretur, quòd in nullo casu, etiam de licentia ipsius pœnitentis, liceret revelare peccatum respectivè ad personam pœnitentis: ergo hæc obligatio non est juris divini naturalis, sed positivi, ût bene Doctor.

Quod consequenter tenere debent, qui asserunt, de licentia pœnitentis licere revelare. Subsumptum probatur; quia licèt fama propria sit in potestate pœnitentis, ut ei possit renuntiare: tamen Sacramentum non subest pœnitenti, neque aliquid quòd de jure divino naturali ex ipsa institutione convenit Sacramento, nec de licentia ejus posset Confessarius præjudicare institutioni Sacramenti. Hactenus Hiquæus.

Sed Adversarii negant illam Consequentiam; quia, inquiunt, solùm est præceptum naturale non revelandi secretum sacramentale, absque licentia pœnitentis, quoniam revelatio, quæ fit de licentia pœnitentis, non reddit Sacramentum odiosum, aut difficile, nec retrahit homines ab ejus frequentatione.

30. An Deus debuerit removere ab hoc Sacram. omnia quæ possunt homines ab illo retardare. Arriaga.

Quidquid ergo sit de hoc argumento, de quo infrà latiùs; unde probatur, Christum non potuisse aliter instituere hoc Sacramentum ût medium necessarium ad salutem, nisi removendo illa omnia, quæ possunt ab hoc Sacramento pœnitentes retardare?

Quod ego nego, inquit Arriaga Disp. 45. n. 6. & videtur mihi evidentissimum. Primò, quia si eo modo argumentari liceret, ego indè inferrem evidenter unam hæresim, scilicet, iniquam esse reservationem casuum, quia lumine naturæ evidens est, eam ipsam reservationem retrahere aliquantulum homines ab hoc Sacramento: ergo si omnia, quæ possunt retrahere, debuerunt auferri, debuit & hæc reservatio.

Quòd si rationes; in hac reservatione cohonestantes, hi quæsierint, ego etiam illas quæram in aliis casibus: & quidquid sit de illis; si semel desistimus ab hoc principio universali, quòd debeant tolli omnia terriculamenta (ut sic dicam) pro Confessione: quomodo postea taxabimus, quæ terriculamenta possint admitti, quæ non? Ergo licèt Christus de facto, totum eum favorem summi secreti, huic Sacramento concesserit; non sequitur, illud totum esse essentialiter annexum illius institutioni. Hæc ille.

31. Arguitur pro sententia negante.

Sicut ergo Ecclesia de facto reservat aliquos casus, ut quasi fræno quodam coërceat homines ab atrocioribus & gravioribus criminibus, estò aliqui retrahantur à Confessione, nolentes suam conscientiam aperire Superioribus, quam aliàs inferioribus lubentes aperirent. Et sicut Ecclesia non dat omnibus potestatem jurisdictionis, licèt hoc multùm facilitaret hoc Sacramentum, à quo aliqui retrahuntur, quia debent confiteri proprio Sacerdoti; cur, inquam, simili modo non potuisset Deus præcipere publicam Confessionem aliquorum graviorum criminum, ut homines illo medio ab his criminibus revocaret, & quasi fræno quodam coërceret, estò exinde aliqui retraherentur à frequentatione hujus Sacramenti?

Cur non potuisset dare potestatem Confessariis, hæc graviora crimina revelandi, cùm simili incommodo, propter simile commodum? Non video, quid obstet. Sanè illa ipsa Confessio cum toto illo secreto adhuc in se est valde difficilis, & tamen eam requisivit Christus, pro condonando peccato; neque in hoc ulli fecit injuriam: quia majoribus difficultatibus vita æterna, quam per peccatum homo amiserat, digna est.

Accedat, quod non ex sola institutione, sed etiam necessitate Sacramenti, Lugo & Alii colligant obligationem naturalem illius arctissimi secreti: ergo saltem ex Confessione venialium, & iterata mortalium, quæ sunt Confessiones liberæ, non oritur illa obligatio naturalis; & tamen etiam illæ obligant æquè strictè: ergo ex voluntate Christi superaddita.

32. Sententia, quæ solam obligationem ex voluntate Christi superadditam agnoscit, est valdè probabilis.

Hæc sententia est valde probabilis, & in eam inclinor, propter rationes jam allegatas, quæ satis efficaciter probant, saltem in majorem pœnam peccati, Deum de absoluta sua potentia potuisse præcipere Confessionem aliquorum peccatorum, cum periculo revelationis: ergo quòd de facto Confessarius in nullo prorsùs casu, nullum omnino peccatum in particulari, nequidem veniale, possit absque peccato revelare, non sequitur immediatè &

præcisè ex ipsa institutione & necessitate Sacramenti, quasi aliter Sacramentum non potuisset institui & præcipi; sed ex præcepto Christi positivo quodammodo superaddito maximè conformi præsenti institutioni, quæ obligat pœnitentem ad integram peccatorum Confessionem, & excusat eum à Confessione illius peccati, cujus revelationem prudenter timet.

Quàmvis enim de facto, suppositâ obligatione sigilli pro omni casu, rarissimè prudenter aliquis timeat revelationem; equidem si non esset tam stricta obligatio, sæpiùs posset prudenter timere: non enim ita facilè est discernere inter casus veros, & apparentes; & faciliùs Confessarii scire possunt universalem prohibitionem revelandi, quàm discernere unum casum ab alio; & ideo sæpissimè excusarentur ab integra Confessione, etiam ex vi præsentis institutionis Sacramenti, quod videtur esse quodammodo contra naturam integræ Confessionis, & per consequens contra præsentem institutionem Sacramenti; ut proinde obligatio illa strictissima, quodammodo dici possit naturalis, spectato fine & congruentiâ præsentis institutionis: non sic tamen, quin Christus potuisset, sicut statim dixi, aliter Sacramentum instituere.

33. Deus potest dispensare in fornicatione aut pollutione;

Sanè neque lex prohibens fornicationem aut pollutionem, ita intrinsecè mala est, quin Deus possit, secundùm Scotum, in iis dispensare, etiam præceptivè. Et, ùt superiùs dixi, quàmvis suppositâ institutione Sacramenti Baptismi & Eucharistiæ, jure ipso naturæ oriatur obligatio non suscipiendi Baptismum sinè debita dispositione, ne fraudetur suo effectu; & non dandi Eucharistiam publico peccatori: nihilominus, secundùm Multos, in aliquo raro casu liceret Baptismum suscipere sinè debita dispositione, & Eucharistiam dare publico peccatori, v.g. ad evadendam mortem, idque quia tunc cessat omnis irreverentia: quare ergo similiter, irreverentia, quæ oritur ex revelatione peccati, præcisè considerando jus naturæ, non cessaret in similibus circumstantiis?

ut etiam in sigillo,

An fortè nec ipse Deus poterit in illa lege dispensare? Si autem possit (quod puto) clarum est illam strictissimam obligationē, quàmvis aliquo modo naturalis sit, id est, maximè conformis institutioni Sacramenti, & ideo ab initio à Christo edocta; equidem non esse omnino necessariam ad honestatem rationalis creaturæ, sive ad reverentiam Sacramenti.

34. Præceptum positivum sigilli habetur in Traditione Ecclesiæ, & sensu fidelium Suarez.

Si autem à me quæritur, ubì inveniatur illud præceptum positivum? Respondeo: in Traditione Ecclesiæ, & sensu fidelium. Et convenientiam ejus, inquit Suarez Disp. 33. Sect. 2. n. 10. probat experientia perpetua, quâ constat & hunc rigorem fuisse utilissimum, & nunquam (quòd sciamus) occurrisse casum, in quo aliud expediret.

Herincx.

Adde (quod bene notavit Herincx hìc Disp. 8. n. 4. in fine) in hoc rigore mirabiliter elucere divinam providentiam, ut in tanto Sacerdotum à fide diversis temporibus apostatantium numero, vix aut ne vix ullus reperiatur, à quo ratione revelatarum Confessionum quisquam fidelium præjudicium aliquod notabile passus esse sciatur.

Dummodò ergo admittatur ille rigor necessarius, parùm refert, sive illa necessitas oriatur ex jure naturali strictè dicto, sive ex jure divino positivo, aut quasi naturali; quia eadem utilitas, & idem favor pœnitentis, levamentum, inquam, maximum ipsius oneris confitendi, quod adhuc multis satis difficile est, futurum difficillimum & jugum ferè importabile, si Confessarius posset in aliquo casu peccatum confessum revelare: etsi enim hic casus ad pœnitentem talem vel talem fortè non spectaret, timor tamen, quòd (cùm indeterminatè interdum id liceret) aliquando ad ipsum quoque pœnitentem spectaret, meritò à Confessione revocaret.

Ex his sequitur; revelationem sigilli semper esse peccatum contra Religionem, quia contra reverentiam debitam Sacramento, quod per eam redditur pœnitenti odiosum & onerosum novo onere, à Christo non appositō; ac proinde fit injuria ipsi Sacramento vel potiùs Christo in Sacramento, cujus frequentatio, & per consequens utilitas impeditur; quin etiam ipsi pœnitenti, qui habet jus suscipiendi Sacramentum, prout à Christo institutum, id est, absque tali onere.

Unde videtur Confessarius revelans, præter irreverentiam Sacramenti, semper committere peccatum injustitiæ, etiam tunc, quando vi naturalis secreti non obligaretur pœnitenti, eò quòd peccatum confessum reduceret in grave damnum publicum aut innocentis. Nam etiam tali casu habet pœnitens jus ex vi institutionis seu divinæ voluntatis, ut Sacramentum ei administretur sinè tali onere; & censetur rationabiliter id exigere: ergo Confessarius, apponens illud onus, facit ei veram injuriam; sicut si nolle absolutè Sacramentum administrare, quando pœnitens haberet jus ad illam administrationem.

Quod Aliqui aliis verbis explicant dicentes; Confessarium ratione impliciti pacti obligari, ad non revelandum secretum, quando non fuerit necesse, undecumque id oriatur: in casu autem non est necessitas revelandi, immo nec facultas, ratione Sacramenti; adeoque & pactum generale secreti vim retinet, & dignus manet pœnitens, ut alter stet sibi promissis, manentibus rationabilibus pacti conditionibus.

Contrarium docet Vasquez q. 93. art. 4. dub. 1. n. 14. dicens, posse contingere, quòd revelare secretum, sit tantùm peccatum sacrilegii

legii & non injustitiæ, ùt quando aliquis pœnitens, consideratâ tantùm ratione naturali, & convictu humano, indignus esset, cui secretum servaretur, ùt si vellet aliquem occidere, nec desistere vellet à proposito. Ita Vasquez. Sed tu tene priorem sententiam, quam probabilem vocat Suarez suprà n. 14 probabiliorem Lugo suprà n. 16. veriorem Herincx suprà n. 7.

Suarez. Lugo. Herincx.

37. Obligatio injustitiæ subinde solùm est venialis.

Cæterùm hæc obligatio injustitiæ, ratione pacti; utì & altera, non infamandi proximum, subinde tantùm est venialis, quando videlicet res revelata cedit in leve detrimentum famæ, aut revelationis secreti, estò directa revelatio peccati semper sit gravissimum sacrilegium contra religionem (nisi excuset indeliberatio) quantumvis peccatum revelatum sit leve, ùt infrà videbimus.

Bene autem notant DD. tantùm esse unicum sacrilegium; quia præceptum divinum, inquit Suarez suprà n. 13. intrinsecum est ipsi Sacramento, & licèt non esset, sed à Christo Domino superadditum, constituit tamen actum in eadem virtute seu materia religionis, & sub eadem ratione illum præcipit, idemque est de præcepto Ecclesiastico: nam sola multiplicatio præceptorum non sufficit ad diversitatem malitiarum, quando materia & motivum virtutis eadem sunt, ùt nos alibi docuimus.

Revelatio sigilli triplicem potest habere malitiam mortalem.

Itaque revelatio sigilli triplicem potest habere malitiam mortalem, primam sacrilegii, secundam injustitiæ ratione impliciti pacti, & tertiam detractionis: quia autem, ùt statim dixi, secunda & tertia malitia aliquando solùm est venialis, v. g. quando quis revelaret verbum otiosum aut jocosum mendacium; ideo dum est mortalis, specialiter explicanda venit in Confessione, ùt constat ex alibi dictis.

38. Objectio ex Concil. Carthag. 7.

Objiciunt hìc Aliqui cap. 5. Conc. Carthag. VII. (& habetur cap. *Placuit*. 9. q. 2.) ubi supponi videtur, Episcopum posse aliquando licitè dicere, quod solùm in Confessione audivit. Ita Suarez, & post ipsum Lugo, Arriaga & Dicastillo.

Ego autem nihil simile invenio in isto capite, *Placuit*, quod signum est, illos Auctores, saltem tres posteriores, non inspexisse Decretum Gratiani propriis oculis, sed ex Suario exscripsisse; non enim est verisimile tres diversos Typographos vel Amanuenses in eadem præcisè citatione errasse.

Quòd autem error sit, liquidò patet ex verbis textûs, quæ sic sonant: *Placuit, ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti recipere ad pœnitentiam sinè ejus consensu, cui priùs se commisit, nisi per ignorantiam illius, cui pœnitens priùs confessus est. Qui verò contra hæc statuta facere præsumpserit, gradûs sui periculo subjacebit.* Ita Urbanus Papa. In quibus verbis nulla fit mentio revelationis alicujus peccati.

Interim subscribo verba Conc. Carthag. loco suprà citato: *Item placuit, ut si quando Episcopus dicit, aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget: non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere, quod illi soli non creditur: & si scrupulo propriæ conscientiæ, se dicit neganti nolle communicare, quamdiu excommunicato non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis, ut magis caveat Episcopus, ne dicat in quemquam, quod aliis documentis convincere non potest.*

Sed facilè respondetur; ly *Confessum*, non importare Confessionem sacramentalem, de qua ibi minimè tractatur; sed aliam externam confessionem, factam soli Episcopo interroganti.

39. Respónsio.

Consimiliter cum Scoto 4. dist. 21. q. 2. n. 24. intelligo, quod habetur cap. *Cùm non ab homine* 14. de Sent. Excom. *A communione illius, qui pro sacrilega manuum injectione in Clericum in edictum excommunicationis incidit, licèt denuntiatus non sit, debes abstinere: nisi fortè id tibi soli pateret: in quo casu ipsum privatim tantummodò evitabis, quamdiu ab Ecclesia toleratur: ut saltem verecundiæ rubore suffusus, pro latenti excessu satisfacere compellatur.*

Scotus.

Intelligo, inquam, de cognitione privata extra Sacramentum. *Dico*, inquit Scotus, *quòd capitulum illud non loquitur expressè* (neque implicitè) *de illo, qui novit per Confessionem aliquem esse excommunicatum, nec etiam per viam secreti sibi commissi; sed privatim, id est, sic iste scit, quòd communitas nescit, vel credit communitatem nescire, & sic privatim sciens, debet privatim vitare. Nec mirum est, quia non est debitor illi alteri, id est, istius tamquam secreti.*

40. Quomodo intelligendum c. 14. de Sent. Excom. ex Scoto.

Sed si sciret (interrogat Doctor) *per viam Confessionis tantùm, quid faceret? Respondeo.... si potest per aliam viam vitare eum, quàm vitatione prodendo excommunicationem eius, debet vitare: sin autem, non solùm non debet, immo non licet vitare: quia talis vitatio est de iure positivo Ecclesiastico tantùm: non prodere autem tenetur ille de lege naturæ, & de iure positivo divino, & Ecclesiastico. Quando autem præcepta videntur esse contraria, illud, quod est superius, magis obligat, & ideo firmiùs est servandum, nec servans illud, & prætermittens aliud, peccat: quia nullus ex lege divina, & Ecclesiastica est perplexus.*

Objicitur præterea Conc. Moguntinum, in quo cap. 10. & 21. significatur olim fuisse in usu, ut juxta prudens arbitrium Confessoris quædam peccata in Confessione audita tacerentur, alia in publicum proferrentur. Ita Suarius suprà, Lugo, Arriaga & Dicastillo.

41. Objectio ex Conc. Moguntin.

Ast rursùm hìc error in citatione; nam cap. 10. solùm tractatur de Decimis dandis, & in quatuor portiones dividendis: in cap. autem 21. decernitur pœnitentia imponenda mulieribus, quæ partus suos necant. Igitur loco cap. 21. citandum erat cap. 31. in quo agitur de modo dandæ pœnitentiæ, & inter cætera dicitur: *Discretio servanda est inter pœni-*

tentes, qui publicè & qui absconsè pœnitere debeant. Nam qui publicè peccat, oportet ut publicâ mulctetur pœnitentiâ, & secundùm ordinem Canonum pro merito suo & excommunicetur & reconcilietur.

42. Solvitur. Sed hæc verba parùm, aut nihil faciunt ad propositum; non enim loquuntur de revelatione aliqua facienda à Confessore, de qua sola hìc disputamus, sed potiùs de revelatione facienda per ipsum pœnitentem, qui debebat publicam pœnitentiam agere pro publicis peccatis, quod non esse contra sigillum Confessionis, alio loco fusiùs probavimus.

Aliæ objectiones tangunt difficultates in sequentibus explicandas, quarum princeps erit; ex qua Confessione oriatur sigillum, an etiam ex inchoata dumtaxat, aut sacrilega. Pro responsione ponitur

CONCLUSIO II.

Sigillum oritur ex omni Confessione, quam Pœnitens prudenter vult esse sacramentalem; etiam solùm inchoata vel sacrilega, sive defectu doloris in confitente, sive Sacerdotii, vel jurisdictionis in absolvente. Non oritur ex ea, in qua peccatum solùm narratur ab irridente Confessarium, aut ad peccatum pelliciente, vel etiam causâ consilii, ad Confessionem non necessarii.

43. Probatur 1. pars Concluſ. PRima pars probatur; quia hæc obligatio oritur ex reverentia debita Sacramento Pœnitentiæ, ne alioquin fiat odiosum, & pœnitentes meritò retrahantur ab ejus frequentatione: ergo oritur ex omni Confessione, quam pœnitens prudenter vult esse sacramentalem, id est, ex omni narratione peccatorum, facta intuitu Sacramenti, sive, cum intentione nunc vel postea recipiendi Absolutionem: nam aliàs, sicut mox dixi, Sacramentum fieret odiosum, & homines meritò retraherentur ab ejus frequentatione.

Quis enim pœnitens auderet confiteri, si Confessarius quoties justè differret, aut simpliciter negaret Absolutionem, propter indispositionem, vel aliam causam, non teneretur sigillo? Nonne hoc judicium fit cum potestate absolvendi, & ligandi, juxta merita causæ? Ergo notitia causæ, quæ debet præcedere, committitur sub eodem secreto, sive debeat Iudex absolvere, sive ligare. Hic est communis sensus totius Ecclesiæ.

Suffi it ergo, quòd pœnitens veniat ad Confessorem, tamquam ad Iudicem in illo foro, ut judicet de illius dispositione, & dirigat eum in ordine ad id, quod existimat necessarium, ut possit aliquando Absolutionem obtinere. Unde oportet, ut ex parte Confessionis velit aliquo modo facere id, quod Christus præcepit.

Quæ intentio colligitur à posteriori, si graviter mentiendo, putet se committere sacrilegium contra veritatem & fidelitatem, ac contra integritatem Confessioni debitam. Ideo quippe hoc putat, quia apprehendit illam Confessionem, tamquam à Christo institutam, & ex parte sua sacramentalem, licèt ob voluntariam indispositionem, non possit compleri per validam Absolutionem.

Unde recipienda est hujusmodi Confessio, argum. c. 5. de Pœnit. & remiss. sequentis tenoris: *Quòd quidam ad Confessionem de criminibus veniunt, & quamvis confiteri velint, se tamen asserunt abstinere non posse: Consultationi tuæ talibus respondemus, quòd eorum Confessionem recipere debes, & eis de criminibus consilium exhibere: quia licèt non sit vera hujusmodi pœnitentia, admittenda est tamen eorum Confessio, & crebris & salubribus monitis pœnitentia indicenda.* Non est ergo dubitandum, quin ex tali Confessione oriatur obligatio sigilli, etsi etiam sponte non faceret Confessionem integram; quia saltem est Confessio inchoata.

Et sanè in aliis Confessionibus, quæ fiunt à legitimè dispositis, ut oriatur sigillum, non est necessarium expectare finem Sacramenti. Ac proinde non oportet, ut habeat pœnitens firmum propositum recipiendi tunc Absolutionem, si Confessarius judicaverit eum dispositum; sed potest velle inchoare Confessionem, perficiendam tempore magìs opportuno.

Non tamen valet, si quis, postquam dixit quod voluit, adjungat: *Pro nunc non curo de absolutione, volo illam ad aliud tempus transferre*; talis enim ab initio non videtur habuisse animum Absolutionis, sed solùm in fraudem accessisse, ut liberiùs aliqua diceret, quæ fraus non debet ipsi patrocinari. Interim valde periculosum foret, aliquid revelare; quia posset alter tunc dicere, se id solùm in Confessione manifestasse, & quis contrarium posset probare?

Et aliunde intentio, vel non intentio Absolutionis, cùm sit interna, aliquando non satìs cognoscitur, aut cognosci potest exteriùs à Confessario; & ideo fileat, nisi moraliter certus sit; cùm in re dubia semper judicandum sit in favorem Confessionis, & pœnitentis, qui tamdiu, quàm non probatur omninò fictus, præsumitur bono animo accedere, id est, animo non impediendi Absolutionem, si Confessarius

rius absolvendum judicet, aut certè absque animo contrario, quod videtur sufficere, ut oriatur obligatio.

46. An Confessarius debeat habere animum absolvendi.

Sed nunquid quæ pœnitentis, eadem est ratio Confessarii, ut & ipse debeat habere animum absolvendi, aut certè non habere animum contrarium? Certum est apud Omnes, Confessarium, si decipiat pœnitentem, ostendens exteriùs animum absolvendi, quem interiùs non habet, haud ideo vitare obligationem sigilli; quia aliàs (inquit Suarez Disp. 33. Sect. 3. n. 5.) possent Sacerdotes decipere pœnitentes, & ideo non obligari, quod est & contra justitiam, quia nemini debet dolus patrocinari, & contra bonum Confessionis: indè enim & onerosa & formidanda fieret.

Suarez.

Item; quia licèt Sacerdos in principio non habeat intentionem absolvendi seu perficiendi Sacramentum, nihilominùs Confessio sacramentalis est; cujus signum erit, quia si in decursu Confessionis mutet intentionem, & tandem verè absolvat, perficiet Sacramentum. Ita hic Auctor & Alii communiter.

Qui à principio dicit, se nolle audire Confessionem, secundùm Suarium non obligat. ad sigillum.

At verò (prosequitur Suarez) si à principio dicat Sacerdos, se nolle audire Confessionem, quidquid pœnitens conetur & velit eum obligare, non poterit obligationem sigilli inducere: quia non potest invitum cogere, ut sacramentaliter audiat. Et hoc modo voluntas audiendi Confessionem est necessaria ex parte Sacerdotis ad obligationem sigilli, sive habeat intentionem absolvendi, sive non, ùt ostensum est. Hæc ille.

47. Contra arguitur.

Sed contrà facit; quòd etsi à principio contradixisset, equidem mutatâ intentione in decursu Confessionis, posset sinè nova Confessione verè absolvere, & perficere Sacramentum; ergo prior Confessio fuit sacramentalis.

Et certè ita est (inquit Lugo disp. 23. n. 44.) quòd ad audiendam Confessionem non prærequiritur consensus Confessarii: nam si ipso nihil tale cogitante, aliquis moribundus occurrat ei & dicat: *Pater, ego me accuso de tali peccato; absolve me*, illa certè erit Confessio sacramentalis, & poterit eum absolvere: quia in Iudice, ad judicandum, non prærequiritur intentio audiendi accusationem; sed sufficit eam, & legitimas probationes audisse, etiam absque intentione, ut posset proferre sententiam, ad quam requiritur intentio.

48. Oppositam sententiam tenet Lugo.

Quàmvis ergo Sacerdos dicat, se nolle audire Confessionem; si tamen eam etiam invitus audit, illa Confessio sufficiet ad absolvendum intentione mutatâ absque nova Confessione: ergo illa Confessio, quantum est de se, sufficit ad Sacramentum conficiendum, atque adeò afferret obligationem sigilli, licèt fortasse non afferat obligationem illam secreti naturalis, quæ oritur ex pacto explicito vel implicito, cùm non potuerit invitus & reluctans obligari aliquo modo ex pacto etiam implicito. Hucusque Eminent.

Quem impugnat Arriaga disp. 45. n. 22. dicens: Quando Sacerdos ante inchoatam Confessionem protestatur, se nolle audire Confessionem, & hoc inculcat pœnitenti, profectò jam pœnitens non inchoat bonâ fide, sed malâ; quia vult confiteri, non accipiendo Absolutionem, aut ab invito eam extorquendo, cùm audiat Sacerdotem dicentem, se nolle eum audire; jam ergo intendit Sacramentum, quale Christus non instituit, nempe sinè intentione Absolutionis, aut cum ea violenter data: ergo non habet jus ad illud secretum non magìs, quàm si ipse ab initio fuisset confessus, nullum habens animum accipiendi Absolutionem.

quem impugnat Arriaga.

49. Responsio Auctoris pro Lugone.

Respondeo pro Lugone; tali casu pœnitens inchoat Confessionem bonâ fide; quia vult confiteri accipiendo Absolutionem, saltem ab invito eam extorquendo; scit quippe ministrum, si velit, posse mutare suam intentionem, & validè absolvere; quam mutationem utique intendit: ergo intendit Sacramentum, quale Christus instituit, id est, Absolutionem simpliciter voluntariam, estò ab invito secundùm quid, vi aut fraude, vel importunis precibus extortam: ergo habet jus ad illud secretum magìs, quàm si ipse ab initio fuisset confessus, nullum habens animum accipiendi Absolutionem; tantum, inquam, habet jus, ac si Sacerdos ab initio non contradixisset, intùs tamen habens animum non absolvendi.

50. Objectio ex Arriaga.

Dices cum Arriaga suprà; etiam post dicta omnia peccata, absque intentione accipiendæ Absolutionis, potest intentionem illam mutare, & concepto dolore validè absolvi, maximè si fortè inculpabiliter putat, se non teneri dicere illum malum animum, quo accessit; tunc enim, nihil penitùs foris ostendendo, potest efficere validam Confessionem: ergo si illa possibilitas mutationis animi sufficit pro Confessario, sufficiet & pro pœnitente. Ergo ex simplici narratione peccatorum coram Sacerdote, etiam cum animo non accipiendi Absolutionem, sed potiùs eam deridendi, orietur obligatio sigilli, quod est contra secundam partem Conclusionis.

Solvitur.

Respondeo N. Conseq. Rationem disparitatis do; quia, secundùm jam dicta, & communem sententiam, si Confessarius exteriùs non manifestet suam contrariam voluntatem, Confessio est sacramentalis, etsi à parte rei Confessarius nolit absolvere; & tametsi Confessarius bonâ fide existimaret, pœnitentem confiteri in ordine ad Absolutionem, ac ipse haberet voluntatem absolvendi, si tamen à parte rei pœnitens non intendat Absolutionem, non est Confessio sacramentalis: ergo quòd aliqua Confessio sit sacramentalis, vel non sacramentalis in ordine ad sigillum, magìs pendet ab actuali voluntate pœnitentis, quàm Confessarii: ergò licèt sufficiat possibilitas mutationis animi pro Confessario, non

bene infertur ; ergo sufficiet etiam pro pœnitente.

51. Sigillum magis pendet ab actuali voluntate pœnitentis, quàm Confessarii, & quare.

Nam pœnitens est, qui confitetur sacramentaliter; ergo in ipso requiritur actualis voluntas Absolutionis, quæ esse non potest, nisi saltem apprehendatur possibilis voluntas Absolutionis in Confessario; & hæc sufficit, ut pœnitens actu velit confiteri in ordine ad obtinendam Absolutionem.

Unde oritur sigillum ex illa Confessione, non solùm postquam Confessarius mutavit suam voluntatem, sed etiam ante illam mutationem, ita ut tametsi Confessarius non mutet suam voluntatem, sed persistat in neganda Absolutione, equidem teneatur peccata pœnitentis celare ; non tantùm ex obligatione secreti naturalis, sed etiam secreti sacramentalis ; quia reverà illa Confessio fuit sacramentalis.

At verò Omnes docent, ante mutationem voluntatis pœnitentis, narrationem illam peccatorum minimè esse Confessionem sacramentalem ; ac proinde nullam ex eo oriri obligationem secreti sacramentalis : an autem per mutationem voluntatis fiat sacramentalis, alibi latiùs tractavimus. Vide disp. 7. sect. 4. concl. 4. & 5. Ergo satis magna disparitas inter illos duos casus, ut non valeat argumentum ab uno ad alterum, quasi in utroque sufficiat possibilis mutatio voluntatis, ut ante mutationem Confessio censeatur sacramentalis.

52. Ut Confessio sit sacramentalis, sufficit aliquando sola apprehensio possibilis voluntatis absolvendi.

Cæterùm, quod plus est, etiam sola apprehensio possibilis voluntatis absolvendi, estò à parte rei possibilis non sit, potest subinde sufficere ad hoc, ut Confessio facta cum animo obtinendi Absolutionem, censeri debeat sacramentalis, & per consequens inducere obligationem sigilli : v. g. quando pœnitens putat bonâ fide se confiteri vero Sacerdoti, aut Sacerdoti habenti jurisdictionem, cùm tamen non sit verus Sacerdos, aut non habeat veram jurisdictionem. Quæ est communis sententia, & ratio est eadem, quæ suprà in principio Conclusionis ; quia alioquin fieret injuria Sacramento & pœnitenti : nam licentia revelandi in tali casu peccata confessa, redderet Sacramentum odiosum, & tolleret libertatem confitendi.

Tenetur sigillo, qui finxit se Sacerdotem.

Arriaga.

Confirmatur ab Arriaga suprà n. 20. quia si tenentur alii, qui casu audiunt Confessionem, estò non sint Sacerdotes, nec ad ipsos accedat pœnitens ; à fortiori tenebitur hic, qui se finxit Sacerdotem, & quasi in foro externo Confessionem audivit ; & ratione ipsius delicti dici potest majorem obligationem contraxisse. Hæc ille.

53. Sotus citatur pro opposita sententia.

Sed respondere posset Sotus (qui citatur pro sententia opposita) quòd in uno casu notitia oriatur ex Confessione, quæ ab omnibus admittitur sacramentalis ; in alio autem casu dubitetur, an sit Confessio sacramentalis ; & quàmvis communior sententia affirmet, tamen qui secum negaret, difficulter posse convinci. Alioquin cur etiam non oritur sigillum ex Confessione, quæ scienter fit laico, aut Sacerdoti non habenti jurisdictionem, quando pœnitens ex ignorantia invincibili putat, eos validè posse absolvere, & eo fine confitetur, ut absolvatur?

Respondet Suarez disp. 33. sect. 2. n. 2. ille est error operantis, procedens non ex deceptione personæ audientis, sed ex ignorantia juris, & ideo nullam alteri imponit obligationem, quæ ex re ipsa non oriatur.

Contrà ; etiam in priori casu potest esse error operantis, procedens non ex deceptione personæ audientis, v. g. quando Confessarius bonâ fide putat se esse Sacerdotem, aut habere jurisdictionem ; & licèt procedat semper ex ignorantia facti, non juris, quid tum ? Quæritur siquidem, quare potiùs ignorantia juris tollat obligationem sigilli, quàm ignorantia facti ; cùm in utroque casu pœnitens intendat Absolutionem sacramentalem.

Respondet Lugo suprà n. 42. quia in uno casu pœnitens apprehendit Confessionem & Absolutionem veram, quam Christus instituit, scilicet Confessionem factam Sacerdoti, habenti potestatem & jurisdictionem legitimam, licèt erret, putans esse Sacerdotem, vel habere jurisdictionem, qui vel Sacerdos non est, vel caret jurisdictione. In alio autem casu non intendit nec apprehendit verum Sacramentum, & Absolutionem à Christo institutam ; sed aliam fictam, quam ipse ex suo errore sibi fingit. Iam autem Christus annexuit privilegium sigilli non ficto Sacramento, sed à se instituto. Sicut si aliquis ex errore putaret Confessionem factam coram imagine Crucifixi esse sacramentalem, ille, qui eum auscultaret, non teneretur ad sigillum, cùm illa nullo modo sit Confessio sacramentalis à Christo instituta. Hæc ille.

Sed, dicet aliquis; ubi Christus annexuit privilegium sigilli Sacramento, à se instituto, solùm apprehenso ? Hoc enim est, quod negat Sotus, & non satis evincitur illo argumento Lugonis. Quo ergo ?

Respondetur ; quia certum est, oriri obligationem ex Confessione facta sinè dolore debito, aut debita integritate, & tamen dolor & integritas tam essentialiter requiruntur ad Sacramentum à Christo institutum, quàm minister, id est, Sacerdos cum legitima jurisdictione.

Contrà ; ergo sicut ex Confessione, scienter facta sinè debito dolore, oritur sigillum, etiam idem sigilllum oriretur ex Confessione, facta scienter Sacerdoti, non habenti jurisdictionem. Quæ enim ratio disparitatis ? Nam in utroque casu fingitur Sacramentum. Itaque difficile est assignare rationem disparitatis inter illos duos casus ; & ideo, quidquid sit de veritate speculativa, in praxi consultiùs est (inquit Dicast. disp.

Agnoscen sigillum. disp. 12. n. 30. in fine) sigilli secretum agnoscere, & servare etiam in hoc casu.

Dicastillo. Præpositus. Hoc verè dixit Dicastillo; sed perperàm citat Præpositum, tamquam reclamantem sententiæ Lugonis, cùm in terminis eam doceat q. 11. de pœnit. n. 22. ibi: Aliter dicendum de eo, qui scienter confitetur non Sacerdoti, putans ministrum hujus Sacramenti non necessariò debere esse Sacerdotem; quia talis errat in jure, & formali conditione ministri, neque ejus Confessio prudenti æstimatione censeri potest sacramentalis, & ex eo, quòd tali casu aliquis non obligetur sigillo Confessionis, ea non potest meritò reddi odiosa. Ita hic Auctor.

Navar. Melius citasset Dicastillo Navar. in Manuali cap. 8. n. 7. ubi generaliter docet, non solùm Sacerdotem, sed etiam laicum, cui propter aliquam necessitatem fit Confessio, obligari sigillo Confessionis. Hoc certum est apud Omnes, si non oriatur obligatio sigilli ex hujusmodi Confessionibus, saltem oriri strictissimum aliàs secretum naturale.

57. Non oritur sigillum ex Confessione qua fit animo irridendi Confessarium. Item certum est (ut progrediamur ad secundam partem Conclusionis) non oriri obligationem sigilli ex Confessione, seu narratione peccatorum, factâ animo irridendi Confessarium, aut ipsum Sacramentum, vel intentione Confessarium ad peccatum pelliciendi. Ratio patet ex dictis; quia non est Confessio sacramentalis, utpote facta sinè animo accipiendi Absolutionem, id est, accusandi se coram Iudice, à Christo instituto, ut ab illo vel absolvatur, vel curetur seu juvetur eo modo, quo ipse judicaverit expedire; immo potiùs cum animo oppositio.

Hujus rei exemplum affert Sotus 4. dist. 18. q. 4 a. 5. dicens: Cardinalis quidam, qui conspirationem in Pontificem moliebatur, confessus est alteri ejusdem ordinis Domino, & quidem sacramentaliter, sed tamen eâ intentione, ut eum in suam conjurationem traheret. Postea verò per aliam viam re compertâ, Cardinalis, qui Confessionem audierat, de hoc accusatus fuit, quòd rem non protinus detegisset, immo ob id fuit pecuniâ mulctatus; & nisi ignorantiam sibi obtendisset, acriùs fuisset punitus.

58. Occurritur objectioni. Nec refert; quòd confitens protestetur, se loqui sub sigillo; quia ab ipsius voluntate non dependet sigillum, sed ex institutione Christi, qui soli Absolutioni annexuit illud, non quòd Absolutio necessariò debeat sequi, ùt patet ex dictis; sed quòd peccata debeant dici cum aliquo saltem ordine ad illam, ùt jam explicatum est. In his autem casibus dicuntur sinè ullo tali ordine, immo potiùs cum ordine opposito.

Alioquin quoties aliquis loqueretur cum Sacerdote de peccatis suis, posset velle imponere obligationem sigilli, quod nemo dixerit; estò etiam id fieret petendi consilii causâ, dummodò illud consilium non sit necessarium ad Confessionem, neque in ordine ad Confessionem petatur.

Quod addo; quia si foret necessarium ad Confessionem, & in ordine ad Absolutionem peteretur, existimarem talem consiliarium obligari sigillo Confessionis, ùt edico Conclus. sequenti, quæ talis est:

CONCLUSIO III.

Sigillo Confessionis obligantur Confessarius, Interpres, Internuntius, Consiliarius, & Prælatus, à quo justè petitur venia absolvendi à reservatis; immo quicumque per Confessarium justè vel injustè, aut casu transiens, vel malitiosè auscultans, venit in notitiam peccatorum; secùs qui absque necessitate audiunt ex libera voluntate pœnitentis, v. g. publicè confitentis, vel peccata sua in charta describentis.

HÆc Conclusio agit de illis personis, quæ obligantur sigillo Confessionis. Atque in primis, Confessarium eo obligari extra dubium est; nam respectu ipsius Confessio propriissimè dicitur sacramentalis, utpote, qui potest sacramentaliter absolvere à peccatis. 59. Confessarius tenetur sigillo.

De Interprete & Internuntio aliqua occurrit difficultas; tum, quia non habent Claves, neque sunt instrumentum Christi in illo actu, sed organum pœnitentis; tum, quia pœnitens non tenetur illo modo confiteri: ergo non est, cur obliget tam rigorosè Interpretem aut Internuntium, sed sufficiet naturale secretum. An etiam Interpres.

Negant Cajetan. Ita docet Cajet. verb. *Confessio* condit. 11. ibi: Verum adverte hìc perspicaciter duo. Primò quoad Confessionem per Interpretem, quòd licèt in casu, quo non propria lingua intelligitur, possit fieri Confessio per Interpretem: non tamen tenetur aliquis ad hunc modum confitendi; quia non tenetur nisi Sacerdoti confiteri per seipsum, & tantò minùs, quantò Interpres, cùm non se teneat ex parte Sacerdotis, cui ùt Deo peccata revelantur, sed ex parte pœnitentis, ex cujus ore loquitur, non tenetur sigillo Confessionis propriè dicto, sed sigillo fidelitatis tenere secreta confitentis peccata. Hæc ille.

Idem docet Sotus 4. dist. 18. q. 4. a. 5. Concluſ. 4. ubi in primis dicit, dum alia persona 60. & Sotus.

persona præter Confessarium Confessioni miscetur, aliquid ejusdem obligationis participat, quàmvis propriè loquendo sigillum Confessionis non habeat. Sigillum enim Confessionis insequitur Clavem scientiæ: ob id enim quòd Sacerdos Clavi scientiæ pollet ad cognoscendum peccatum in Sacramento, sigillum quo tenetur eandem Confessionem celare, fit ei sacrum, & sacrâ fide inviolabile, & dum illud rumpit, fit sacrilegus, putà sacri violator. Sæculares verò non habent eandem Clavem scientiæ, & ideo neque sigillum eis est sacrum; atque adeò nec subduntur pœnis juris, tamquàm sacrilegi, si illud referent; nihilominus aliquid ejusdem sigilli participant; atque adeò arctiori vinculo tenentur Confessionem illam celare, quàm si, sub alia quacumque secreti fide, extra Confessionem illa noviſſent.

Per hoc respondetur ad sigillum, quod tenetur Interpres Confessionis servare: jam enim diximus, illud non esse sacrum, sicut in Sacerdote; quia illa Confessio non est necessaria, licèt magnum afferat secreti vinculum. Et idem dicendum, si quis confiteretur laico. Si autem quis confiteretur per Internuntium, peccaret quidem mortaliter Internuntius revelans, non tamen tam graviter quàm Interpres, quia illa Confessio non est valida, sed per imprudentiam confitentis facta. Hucusque Sotus.

61. Affirmat Scotus, At verò Scotus 4. dist. 17. q. 1. n. 31. sic ait: *Sed primum non videtur necessarium: quia forus iste ex natura sua est secretissimus: ergo non tenetur aliquis ad istum forum ut aliquo modo publicus; sed licèt Interpres velit celare, & teneatur celare sicut Sacerdos &c.*

Ergo, secundùm Scotum, licèt Confessio per Interpretem non sit necessaria; equidem Interpres tenetur celare peccata, sicut Sacerdos; ergo eodem sigillo obligatur. Ita communiter Doctores, quos citat & sequitur Suarius Disp. 33. Sect. 4. n. 4. & alii DD. communiter. Probatur.

Ratio est; quia hæc obligatio secreti manat ex eodem præcepto divino, cujus signum est, tum quòd præcipuè imponitur propter Sacramentum ipsum; tum etiam, quia violatio talis secreti non solùm est injustitia, sed etiam sacrilegium. Unde Interpres non solùm est instrumentum pœnitentis, sed etiam Sacerdotis: nam sicut alter per illum loquitur, ita etiam suo modo Sacerdos per illum audit, ideoque participat secretum ejus.

62. Occurritur objectioni. Nec refert, quòd pœnitens non teneatur illo modo confiteri; quia etiam non tenemur venialia confiteri: & nihilominus directè cadunt sub sigillo. Unde constat idem dicendum esse de Internuntio; nam est eadem ratio. Hæc ille.

Sed meo judicio, quòd venialia directè cadant sub sigillo, tametsi non sit necessitas ea confitendi, solùm probat obligationem Confessarii, qui per Interpretem audit Confessionem, quam nemo hactenus negavit. Ergo etiam obligatur ipse Interpres, posset aliquis negare Consequentiam: quia respectu ipsius non est Confessio sacramentalis.

Respondeo; sufficit quòd sit Confessio sacramentalis respectu Sacerdotis: hoc ipso enim illa notitia datur Interpreti in ordine ad Claves, sive in ordine ad Absolutionem sacramentalem non tantùm remotè, sed satis proximè; datur quippe, ut per Interpretem pœnitens sacramentaliter confiteatur: ergo nulla est ratio, quare illud secretum naturale, quod indubiè ibi reperitur, nequeat etiam appellari secretum sacrum, utpote per se ordinatum ad rem sacram, id est, ad usum Sacramenti Pœnitentiæ, qui in tali casu à Deo est permissus, & penitùs oboleretur seu impediretur, si Interpres in illo casu posset illa peccata revelare, non minùs, quàm si ipse Sacerdos posset revelare.

Quàmvis ergo Sacerdos principaliter obligetur, quia ipsi principaliter confitetur pœnitens, & respectu ejus illa Confessio proprissimè & principalissimè, ut sic loquar, est sacramentalis; ipse enim est, qui gerit vices Dei in hoc foro, & tamquam Iudex sacramentaliter reum absolvit; equidem etiam Interpres suo modo concurrit ad hoc judicium, loquens, sicut dictum est, in persona pœnitentis, & audiens in persona Sacerdotis, & ideo minùs principaliter eandem à parte rei, quàmvis non tam gravem, obligationem participat, id est, obligationem justitiæ & religionis, in nullo prorsus casu revelandi hujusmodi peccata; vocetur obligatio sigilli, vel non, quæstio est de nomine.

Et verò tametsi non sit obligatio ita confitendi, nihilominus per talem Confessionem impleri potest præceptum divinum, ut clarum est, quòd non potest fieri per Confessionem venialium aut iteratam mortalium: ergo ex his Confessionibus oritur sigillum, quidni etiam ex illa, non solùm in Confessario, sed etiam in Interprete? Nam etiam illa notitia datur Interpreti ad servandum præceptum Christi, per consequens debuit dari sigillum pro illa notitia.

Si dixeris; præceptum Christi non obligat ad illam Confessionem: ergo per illam non impletur præceptum Christi.

Respondeo; præceptum Christi obligat ad confitendum; sed qui confitetur per Interpretem, verè confitetur: ergo adimplet præceptum Christi; unde non tenetur postea data opportunitate per seipsum eadem peccata confiteri; ergo signum est, quòd per priorem Confessionem adimpleverit præceptum divinum Confessionis, estò hìc & nunc tale præceptum non obligaret ad illum modum Confessionis.

Qua-

65. Quæ interpretis eadem est ratio internuntii, & nuntii.

Quæ autem Interpretis, eadem est ratio Internuntii, si per illum possit fieri valida Confessio, de qua difficultate alibi egimus. Et eadem potest esse ratio de Nuntio, per quem petitur facultas à Superiore ad Absolutionem à peccato reservato, ut infrà videbimus; quia & illa notitia ordinatur, & datur intuitu Sacramenti.

Reprobatur praxis audiendi Confessiones plurium pœnitentum simul.

Ex quo patet; malè facere, qui plures pueros doli capaces, vel de quibus dubitatur, an sint tales, simul faciunt confiteri. Primò, quia Sacramento utuntur ad jocum. Secundò, quia periculum sigilli, quod pueri, audientes mutua peccata, non apprehendunt, & prorsùs ignorant. Et tertiò, quia cap. *Omnis utriusque sexûs* 12. de Pœnit. & remiss. scriptum est: *Omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Isti autem pueri non confitentur soli, id est, secretò apud solum Confessarium, sed magis publicè apud Confessarium & alios pueros simul confitentes. Hæc ergo consuetudo, (quæ verius dicitur corruptela) si fortè alicubi invaluerit, penitùs est abolenda.

66. Sed quid, si Confessarius indigeat consilio alicujus Doctoris, ut debitè hìc & nunc fungatur suo officio, ficne hujusmodi Consiliarius adhibitus de licentia pœnitentis, obligatur eodem sigillo, quo Confessarius?

Consiliarius obligatur sigillo. Suarez. Diana. Vasquez.

Affirmat Conclusio, quæ est Suarii suprà n. 6. & Aliorum, quos vide apud Dianam part. 2. tract. 1. Miscell. resol. 14. ipse autem putat oppositam sententiam esse probabiliorem, pro qua citat Vasquez q. 93. a. 4. dub. 2. n. 10. & alios. Probat autem; quia Consiliarius iste accipit notitiam peccatorum non ab ipsa Confessione, quasi sigillatam, sed ab ipso pœnitente, ac si ipse referret (quia idem est, si de consensu illius referat Sacerdos) jam verò non novit ex Confessione pœnitentis, sed relatione factâ extra Confessionem ab ipso pœnitente, vel à Sacerdote de consensu illius, quod idem est, ac si ipse referret: quod verò ita refertur, nec in Confessione, neque ex Confessione refertur. Ergo non oritur obligatio sigilli Confessionis. Ita Diana.

67. Probatio.

Sed propter illud argumentum non arbitror recedendum à Conclusione, quam ego judico probabiliorem. Et ratio ejus est; quia tota notitia, quam habet Confessarius, subordinatur voluntati pœnitentis, ac proinde non potest alteri communicari, nisi cum simili subordinatione. Ergo nisi pœnitens consentiat, non poterit Consiliarius eam alteri communicare. Atqui non consentit hoc ipso, quòd dat licentiam Confessario: ergo &c.

Probo Subsumptum; quia si interrogaretur, indubiè responderet, se velle retinere obligationem sigilli, quantùm fieri potest. Vel ergo absolutè non potest illa notitia dari Consiliario, cum obligatione sigilli, vel certè censetur eo modo dari; hic enim modus, si possibilis est, maximè congruit reverentiæ Sacramenti; quod alioquin fieret odiosum pœnitenti, qui meritò poterit timere, quando habet casus aliquos perplexos, ne fortè Confessarius per se sit sufficiens ad eos resolvendum, & per consequens debeat alium consulere, adeòque suum peccatum revelare absque obligatione sigilli. Ergo reverentiæ Sacramenti planè expediens fuit, ut pœnitens posset extendere obligationem sigilli ad Consiliarium.

68. Objectio ex Regio.

Dices cum Regio Disp. 9 n. 43. Christus imponens eam obligationem, solùm voluit prospicere ei peccatorum narrationi, quæ necessaria est ad obtinendam sacramentalem Absolutionem; atqui nunquam ad illam præcisè est necessarium, ut Confessarius audita in Confessione alteri revelet, præsertim ita ut persona confitentis cognoscatur: ergo &c. Minor probatur; quia quòd necessarium sit aliquando, audita in Confessione, consilii vel auxilii petendi causâ alteri explicare fit, vel quia Confessarius dubitat, an pœnitens teneatur aliquid restituere, vel an possit imposterum sine peccato in tali vel tali statu perseverare, aut talem contractum exercere; uri liberè matrimonio, aut simile quid facere; vel demum, quia ratione casûs reservati non potest eum absolvere, nisi ad hoc facultatem obtineat.

Qualiscumque autem ex omnibus ejusmodi casibus possit oriri necessitas, aperiendi alteri audita in Confessione, hæc in solo postremo casu oritur aliquo modo ex vi ac institutione ipsius Confessionis, sive ut pœnitens possit directè absolvi à peccatis. In reliquis autem omnibus nullo modo indè oritur (nam pœnitens sine ulla tali revelatione potest statim absolvi, modò promittat se postea per se (quod in Confessione facere potest) vel per Confessarium, vel per alios consulturum viros doctos & eorum judicio staturum) sed oritur ex eo, quòd pœnitens imposterum teneatur vitare omnia peccata & proxima peccandi pericula.

69. Unde teneretur per se, vel per alios eodem modo suum statum aperire, etsi Confessio nunquam esset instituta. Quare quòd is, cui extra Confessionem talia revelantur per Confessarium non obligetur sigillo, nullo modo reddit odiosam Confessionem. Adde, hanc revelationem communiter posse sufficienter fieri, ita ut non possit colligi persona pœnitentis, & consequenter sine ullo ejus gravamine.

In postremo autem casu nunquam videtur occurrere necessitas ullo modo revelandi Confessionem. Nam si velit pœnitens, potest semper per se Superiorem adire, eique confiteri, vel committere priori Confessario, ut ita petat facultatem absolvendi à casu reservato, ut nullo modo persona confitentis possit colligi.

Ex quibus patet, nullo modo reddi onerosam Confessionem per hoc, quòd ita consultus

non teneatur ad sigillum; quare cùm sigillum solùm sit impositum, ne Confessio reddatur onerosa, ratio legis ad eum casum nullo modo se extendit. Hucusque Regius.

70. Prima responsio Arriagæ.

Respondet Arriaga Disp. 45. n. 17. Si hæc objectio quidquam valet, sequi, multos non teneri ad sigillum Confessionis, quos tamen teneri fatentur ipsi Adversarii; nam neque ille, qui casu esset in eodem loco Confessionis & ea peccata audiret, nec qui Confessionem scriptam inveniret, nec qui à Confessario iniquè ea narrante audiret, teneretur: quia hæ omnes narrationes non sunt institutæ à Christo ad obtinendam sacramentalem Absolutionem.

Secunda.

Respondet II. posse negari, illam consultationem non esse institutam; nam Christus instituit Sacerdotes, ut prudentes ministros, ac proinde voluit, ut quando ex se non sufficiunt, consulant viros prudentes. Tota ergo ea consultatio dici potest ex Christi institutione venire; ideòque debuit omnis illa notitia manere sub sigillo ad pœnitentis securitatem. Hæc ille.

Approbantur ab Auctore.

Et meritò; quia si Confiliarius non teneatur sigillo, jam loquendo cum Confessario, communicat ei scientiam eorumdem peccatorum non sigillatam; ergo Confessarius sinè fractione sigilli poterit illa peccata revelare, æquè ac ipse Confiliarius, & per consequens quando foret necessarium pro bono communi teneretur ea revelare, non quatenus ea novit ex Confessione, sed quatenus ea audivit à Confiliario. Ac proinde aliquo modo redditur onerosa Confessio per hoc, quòd ita consultus non teneatur ad sigillum; quare cùm sigillum sit impositum ne Confessio reddatur onerosa, ratio legis ad eum casum aliquo modo se extendit.

71. Pœnitens habet jus ut suum statum aperiat in ipsa Confessione.

Nec obstat, quod suprà ait Regius; pœnitens teneretur per se vel per alios eodem modo suum statum aperire, etsi Confessio nunquam esset instituta. Non obstat, inquam, quia ut verum esset, equidem suppositâ institutione, habet jus, ut suum statum aperiat in ipsa Confessione, adeòque habet jus, ut Confessarius per se vel per alium in ipsa Confessione ei consulat, per consequens ut illud consilium maneat sub eodem secreto.

Alioquin longè pejoris erit conditionis pœnitens, qui confitetur Confessario haud excellenter docto, qui per se non possit casus resolvere; & cùm non possit scire, quinam sint excellenter docti, ut sinè recursu ad alium possint casus extraordinarios resolvere, redditur procul dubio ipsi Confessio onerosa, præ aliis, qui non habent tam difficiles casus, nisi & ipse Confiliarius teneatur ad sigillum.

Cùm ergo non omnes Confessarii ex vi institutionis Sacramenti debeant esse tam excellentes, ut possint per se quoslibet casus resolvere, planè conveniens fuit, ut ex vi ejusdem institutionis, Confiliarius, qui supplet defectum Confessarii, ac eatenus participat suo modo Clavem scientiæ, unam moraliter cum eo personam constituens, ministrum, inquam, habentem omnia necessaria ad hoc munus; planè, dico, conveniens fuit, imò quodammodo necessarium, ut participaret eandem obligationem silentii. Sicuti in aliis Tribunalibus, quando aliquis adhibetur tamquam Confiliarius cum communicatione causæ, obligatur eodem modo ad silentium, quo ipsi Iudices.

Si dixeris; Confiliarius potest esse merus laicus; ergo verè non habet Clavem scientiæ, sed tantùm scientiam, quâ instruit Confessarium, ut ipse habeat Clavem scientiæ sufficientem: ex eo autem quòd aliquis sit Magister Confessarii, nullo modo est Confessarius aut participat ejus Claves.

Respondeo; Confiliarius non eo sensu complet unum ministrum cum Confessario, quasi ille verè absolveret partialiter; sed quia in ordine ad hoc Sacramentum hic & nunc perfectè administrandum concurrit, dirigendo aliquo modo, non solùm dando generalia principia, ut concurrit Magister, aut concurrunt libri; sed in particulari cum notitia facti, & aliquando personæ, ac proinde videtur obligatus ad silentium, ad quod non potest obligari Professor aut Magister, qui tradit regulas generales in Scholis; quia ùt sic non habet notitiam particularium culparum aut factorum, super quæ præcisè cadit ea obligatio sigilli.

Rursum objicis; Si pœnitens immediatè consuleret virum doctum, non obligaretur hic ad secretum: ergo neque obligatur quando id facit per Confessarium.

Respondeo Neg. Conseq. Ratio disparitatis communiter assignatur; quia in primo casu illa notitia nullo modo dependet sive desumitur ex Confessione; secùs in secundo casu. Et ideo (inquit Lugo Disp 23. n. 31.) non per se, sed per Confessarium vult pœnitens consulere Doctorem, ut tota illa notitia habeatur, & maneat sub eodem sigillo. Quæ cautela adhiberi etiam solet respectu ipsius Confessarii: quando enim aliquis vult aliquem frequenter consulere de aliqua materia, confitetur priùs illi, & dicit ei sub sigillo rem ipsam, & postea dat illi licentiam, ut salvo sigillo possit cum ipso solo loqui de re illa extra Confessionem. Ecce tunc extra Confessionem consulit sæpiùs, & confert cum Confessario de re illa, & tamen quia non vult ei dare aliam notitiam, nisi dependenter à prima, quam habuit ex Confessione, semper manet sub sigillo: quod non esset, si ipsum absque præcedenti Confessione consuleret. Ita Emin.

Cæteroquin quoties de consensu pœnitentis, Confessarius cum eo ageret de auditis in Confessione, eo ipso acciperet notitiam extrasacramentalem, seu non sigillatam, quod est incredibile: ergo neque credibile est, talem notitiam accipere, quoties de consensu pœnitentis, potest agere de peccatis confessis cum alio quo

quo tertio, consultationis gratiâ ; estò etiam illa consultatio non foret necessaria ad Absolutionem sacramentalem, ùt patet ex casu præcedenti; quantò minùs , si foret necessaria, v.g. si dubitat Confessarius, an pœnitens sit sufficienter dispositus, vel an ipse habeat potestatem absolvendi, & non possit se resolvere, nisi præviâ consultatione, cum declaratione peccati confessi, & personæ pœnitentis, quod quàmvis rarò contingat, equidem non est moraliter impossibile.

Obligatio sigilli posita est ad finem Absolutionis.

De cætero admittimus, sigilli obligationem positam esse ad finem Absolutionis, & non consultationis ; quia tamen consultatio in casu proposito , sit ex notitia accepta in Confessione, & ejus revelatio posset homines avertere ab ipsa Confessione , ideo & notitia, habita ex consultatione de peccatis confessis , pendet ex limitatione seu voluntate pœnitentis , vel potiùs ex reverentia ipsius Sacramenti.

75. Sententia Regii.

Ex his patet, quid sentiendum de eo, quod ait Regius suprà n. 45. Quàmvis Confessarius in hac explicatione utatur aliquo modo cognitione, habitâ ex Confessione , cognitio tamen, quam alteri dat , non oritur propriè ex cognitione sacramentali ; sed ex commissione pœnitentis, cujus ipse est instrumentum, & cognitio sacramentalis solùm se habet, tamquam conditio requisita, ut Confessarius possit alteri casum explicare.

Sicut si pœnitens, quò liberiùs possit à Confessario dirigi, & in omnibus juvari, extra Confessionem ei diceret : *Fateor me ea omnia fecisse, quæ tibi iam ante inter confitendum narravi* ; hoc ipso moraliter, sive in ordine ad actus humanos dirigendos, daret Confessario cognitionem suorum peccatorum , distinctam à sacramentali , etsi omninò ab hac dependentem & physicè eamdem cum ea. Et contrà, qui extra Sacramentum narrasset Sacerdoti omnia sua peccata , postea in Confessione dicendo : *Fateor me fecisse ea omnia , quæ iam antè narravi* ; daret ei sufficientem cognitionem sacramentalem.

Sicut igitur in hoc casu , Confessarius verè accipit cognitionem sacramentalem ; sic in priori verè potest dici, cognoscere peccata pœnitentis, etiam extra Confessionem : & eodem omnino modo , ita consultus accipit à pœnitente cognitionem , nullo modo sacramentalem, licèt dependenter ab opera Confessarii & cognitione sacramentali. Hactenus Regius.

76. Rejicitur.

Sed non est audiendus : quia pœnitens non dat licentiam consultandi extra Confessionem, sed in ipsa Confessione , quæ , ùt suppono, nondum completa est per Absolutionem sacramentalem ; & quàmvis jam completa esset ante consultationem , & post eam daretur licentia consultandi, nisi pœnitens significet, explicitè vel implicitè , se dare aliam notitiam præter sacramentalem, dicendo : *Quæ dixi tibi in Confessione , iterum dico extra Confessionem , ut liberiùs possis consultare* , non censetur pœnitens velle dare cognitionem extra Sacramentum; sed solùm concedere usum cognitionis sacramentalis ad illum effectum , & non ad alium.

77. Nostra sententia est magis recepta, & in praxi servanda.

Hinc (contra Regium suprà n. 50.) dico; nostram sententiam niti firmioribus rationibus. Quæ etiam (ut ibidem bene docet idem Auctor) est magis recepta , & propter reverentiam Sacramenti videtur in praxi communiter servanda. Atque ob eam reverentiam, etiam Auctores , qui oppositam tuentur , fatentur , hujusmodi Confiliarium teneri strictiùs illud secretum servare , quàm qui illud quâcumque aliâ viâ secretâ noviſſet, aut etiam se secretum servaturùm promisisset. Unde & communiter asserunt , nullâ unquàm ratione licitum esse , dictâ cognitione uti in ordine ad accusationem, vel punitionem pœnitentis; quia hoc fieret cum aliqua irreverentia Sacramenti.

Objectio solvitur.

Si inferas ; ergo tantùm est quæstio de nomine ; Neg. Conseq. quia non dicunt hi Auctores (ùt perperàm ait Lugo suprà n. 24.) nullo prorsus casu revelandum esse hoc secretum ; sed tantùm , ùt vidimus , non esse revelandum in ordine ad accusationem & punitionem pœnitentis , per quod non negant, Confiliarium posse uti illâ notitiâ ad conservandam propriam vitam, ad avertendum damnum proximi commune, aut privatum &c. dummodò id fieri possit absque accusatione , & punitione pœnitentis. Quidquid sit de mente Regii , & aliorum Auctorum , ego omnibus hujusmodi Confiliariis consulo, ut in nullo prorsus casu utantur illâ scientiâ aliter , quàm ipse Confessarius.

78. An quæ Confiliarii eadem sit ratio Prælati , à quo petitur licentia absolvendi à reservatis.

Sed nunquid eadem ratio Prælati, à quo petitur licentia absolvendi à casibus reservatis? Pater Coninck (inquit Arriaga suprà n. 18.) ait : Si ea licentia petatur per Confessarium ex consensu pœnitentis, esse obligationem secreti; secùs si immediatè ipse pœnitens eam petat; quia tunc non est notitia ex Confessione. In hac doctrina minùs consequenter hunc Auctorem discurriſſe, dixi paulò antè (n. 16.) agens de Confiliario , cui Confessarius revelat peccata, nunc absolutè & breviter Respondeo : eam licentiam, etsi non sit intra Confessionem, ordinari tamen intrinsecè ad illam , ideòque debere habere eamdem obligationem secreti. Hæc ille.

Arriaga arguit Regium inconsequentiæ.

Et sanè (prosequitur) hic mihi videtur esse secundus defectus Consequentiæ in Coninck; nam etiam ipsa petitio per Confessarium non est actualis Confessio , nec magis ordinatur ad Confessionem , quàm dum immediatè eam pœnitens petit : in utroque enim casu est antè Confessionem; in utroque ad illam ordinatur; in utroque ipse Prælatus non est auditurus Confessionem; quæ ergo, quæso, est differentia, probans magis in uno , quàm in altero debere esse sub sigillo ? Ita interrogat hic Auctor.

79. sed perpe-ràm, ùt ostendit Auctor.

Sed tu Lector adverte, Coninck haud equidem aliam agnoscere obligationem in Prælato, à quo per pœnitentem vel Confessarium petitur licentia absolvendi à casibus reservatis, quàm in Consiliario, cui vel pœnitens vel Cõfessarius revelat peccatum; sed prorsus eamdem, ùt patet ex ejus verbis, quæ subscribo.

Infertur secundò; idem dicendum esse de Superiore, à quo extra Sacramentum petitur venia absolvendi à casu reservato, quando aut pœnitens hanc per se petit, ut possit ab eo absolvi, aut quando ipse Confessario extra Confessionem dixit, ut eam facultatem peteret. Ratio est; quia in neutro casu est ullo modo Confessio sacramentalis, ex qua tamen sola sigillum oritur.

Nec enim ex eo, quòd talis petitio ordinetur ad Confessionem postea futuram, ullo modo (ùt Aliqui volunt) sequitur, eam esse Confessionem inchoatam. Nam eodem modo, quando quis bonâ fide alicui amico suo narrat aliqua sua peccata, ut ab eo discat, quâ ratione ea postea debeat confiteri; ea narratio ordinatur ad Confessionem, & tamen non habet rationem Confessionis sacramentalis. Et confirmatur; quia utraque narratio potest æqualiter fieri non Sacerdoti ac Sacerdoti.

Quòd si hæc petitio facultatis absolvendi, cum explicatione personæ pœnitentis, fieret ex hujus venia per Confessarium, qui ex sola Confessione sacramentali haberet casûs cognitionem; eadem esset obligatio illius Superioris, & ejus, qui à Confessario cum venia pœnitentis consulitur. Hactenus Coninck.

Idem planè asserens de tali Prælato, quod priùs dixerat de Consiliario; nisi quòd hìc clariùs distinguat inter Confessarium, qui extra Confessionem accipit licentiam petendi potestatem à Prælato, & illum, qui eam accipit in Confessione, cùm tamen priùs generaliter videatur dicere, licentiam consultandi semper dari extra Confessionem, ùt patet ex dictis. Igitur secundùm Regium vel Consiliarius aliquando obligatur propriè dicto sigillo, vel Prælatus nunquam tenetur.

80. Sententia Lugonis, Prælatum semper teneri obligatione sigilli.

Sententia Lugonis est, Prælatum semper teneri eâdem obligatione sigilli, quâ tenetur Confessarius: quia, inquit suprà n. 34. notitia illa, quâ Prælatus accipit à Confessario, semper oritur ex notitia, quam ipse in Confessione inchoata accepit à pœnitente; quare, juxta Regulam suprà positam, transit cum eadem obligatione ex intentione pœnitentis. Hæc ille.

Miror Lugonem hìc adferre illam Regulam, quam suprà n. 25. impugnaverat dicens: Res sub naturali secreto manifestata alicui, non transit semper cum illo onere: nam si ille injustè eam deferat ad Judicem, Judex procedit ad inquirendum judicialiter; ergo nec in Confessione deberet res transire ad alios cum eodem onere. Ita Lugo.

Alii respondent ad hanc Regulam, obligationem sigilli, cùm sit obligatio ex præcepto, priùs afficere personam, cui imponitur præceptum; quare non est sicut in pignore & hypotheca, quæ proximè afficit ipsam rem, & ideo non mirùm si transeat cum ipsa re.

Relictâ ergo hâc Regula, unica ratio videtur esse, quam assignat Eminent. n. 35. ubi sic ait: Magìs posset dubitari, quando non per Confessarium, sed per seipsum recurrit subditus ad Prælatum & petit ab eo licentiam ut absolvatur à reservato; quia ille recursus non videtur esse Confessio sacramentalis, cùm non sit in ordine ad Absolutionem ab eo obtinendam, sed petitio licentiæ confitendi.

Adhuc tamen in eo casu videtur esse obligatio sigilli: quia Auctores citati (Coninck suprà n. 50. & Henriquez lib. 6. c. 20. n. 3.) fatentur, tunc etiam Prælatum teneri ad secretum arctissimum, nullo unquam casu violabile: hæc autem tam stricta obligatio non potest esse solùm ex justitia aut secreto naturali; sed debet esse ex virtute Religionis propter reverentiam Sacramenti; atque adeo non differt à sigillo, nisi in vocibus, quatenus non oritur ex Confessione immediatè, sed per ordinem ad Confessionem. Ratio autem est, quia hoc etiam necessarium est ad finem Sacramenti, cùm à peccatis reservatis non possit obtineri Absolutio directa sine consensu Superioris. Ita Lugo.

Sed fallitur in eo, quòd ait; illos Auctores fateri arctissimum secretum, nullo unquam casu violabile, ùt suprà ostendi ex Regio, & nunc declaro ex Henriquez loco citato, ubi sic lego: Arctiori secreto quàm prædicti, & quod propriùs accedit ad sigillum, tenetur Doctor criminosum agnoscens, dum illum Confessor imprudenti sermone, vel de pœnitentis licentia rogat pro consilio capiendo. Sed adhuc arctiùs tenetur Prælatus, à quo licentiam petiit Confessor aut reus pro casu reservato: quia hic est persona Confessioni necessaria & aliquo modo Confessor: aliàs Confessio fieret odiosa: quàmvis enim ad cautionem possit prædictâ scientiâ uti, ob eam tamen non debet inquirere contra pœnitentẽ. Hæc ille. Quid clariùs dicere poterat, ut ostenderet, in aliquo casu illud secretum, quodcumque tandem sit, posse violari?

Quantùm ad rationem Lugonis, illa optima est, supposito quòd sine consensu Superioris non possit obtineri Absolutio directa. Quod addo; quia quando Superior paratus est per se absolvere, neque adest justa causa alteri confitendi, tunc ille consensus Superioris non est necessarius ad finem Sacramenti, cùm sine illo possit obtineri Absolutio directa à peccatis reservatis; ac proinde non videtur, quomodo tunc notitia, quæ datur Superiori, sit sacramentalis, cùm nullo modo sit necessaria ad Sacramentum, neque ad illam possit ordinari, quando-quidem, ùt suppono, Confessarius aut pœnitens

nitens sciat se injustè petere licentiam.

Et ideo in Conclusione addidi illas voces: *A quo iustè petitur*; quia tunc saltem illa notitia est necessaria ad directam Absolutionem obtinendam, simili modo, quo notitia Confessarii: ergo sicut hæc datur sigillata, ita etiam notitia Prælati.

84. Responsio ad rationem Regii supra pro opposita sententia.

Ex quo facilè respondetur ad rationem Regii suprà pro opposita sententia. Respondetur, inquam, narrationem peccatorum, quæ fit laico, ut pœnitens ab eo discat, quâ ratione ea postea debeat confiteri, minimè necessariam esse ad directam Absolutionem peccatorum, quia ab ipso Confessario in ipsa Confessione posset pœnitens id discere; & aliunde nimis remotè hæc narratio ordinatur ad Absolutionem sacramentalem, cùm oporteat rursùm illa peccata narrare Confessario. At verò narratio, quæ fieret Sacerdoti inferiori, tametsi pro tunc non sit sacramentalis, quia facta non Iudici; equidem obtentâ facultate absolvendi, transit in sacramentalem per hoc solùm, quòd pœnitens petat Absolutionem de peccatis anteà narratis: ergo illa narratio non potest æqualiter fieri non Sacerdoti ac Sacerdoti.

85. Confessio facta inferiori est inchoata Confessio.

Atque hinc patet, licèt Confessio facta inferiori, non sit perfecta & completa, nihilominus esse inchoatam, & in ordine ad Absolutionem ab eodem obtinendam: habet quippe potestatem inchoatam; & potest judicare, an sit necesse recurrere ad Superiorem. Potest etiam fieri, quòd adsit bona fides pœnitentis, existimantis eum esse legitimum Iudicem. Quidni ergo talis Confessarius obligetur sigillo? Non dubito obligari.

Alioquin malè provisum esset pœnitentibus, qui sæpissimè ignorant casus reservatos, & quàmvis hos sciant, ignorant tamen, an hic vel ille Confessarius habeat potestatem absolvendi à casibus reservatis, adeòque valde onerosa & odiosa redderetur Confessio, si Confessarius in casu proposito non teneretur ad sigillum. Immo tametsi pœnitens sciret Confessarium non habere potestatem absolvendi, adhuc tamen obligaretur ad sigillum; quia illa notitia datur proximè in ordine ad Absolutionem, sicuti quando confitetur per Interpretem aut Internuntium: ergo æqualem participat obligationem.

86. Ex eo oritur obligatio sigilli juxta Scotum.

Ita expressis verbis docet Scotus 4. dist. 21. q. 2. n. 14. ubi sic lego: *Sed de* cui, *dicitur, quòd cuilibet tenetur celare, nisi Superiori, cui in casu potest revelari. Sed rationes præmissa concludunt de Superiori, sicut de inferiori, nisi in casu, quando scilicet inferior non potest absolvere, sed recipit, ut referat Superiori, qui potest absolvere; & tunc censendum est, quòd confitens sibi ut inferiori, narrat sibi ut Interpreti tantùm: & tunc stat totum intrà unicum actum Confessionis, in quo confitens & Superior, qui solus tunc est Confessor, sunt judicandus & Iudex: medius autem qui audit & refert, tantummodò est Interpres: tenetur tamen ad silentium quantum ad omnem alium ab illo, cui est Interpres.*

Nec ipse solùm, sed etiam Prælatus, à quo pœnitens per se vel per alium petit potestatem, cùm in utroque casu compareat coram Superiore, ad observandum Christi præceptum, & obtinendam Absolutionem sacramentalem ab ipso, vel ab alio, à Prælato denominando. Nam fieri potest, quòd Prælatus non sit Sacerdos, vel estò Sacerdos sit, pœnitens tamen non teneatur ipsi confiteri, sed justè, ùt supponitur in Conclusione, petit potestatem alteri confitendi: ergo nulla est ratio, quare tunc Prælatus non teneatur sigillo Confessionis eo modo, quo tenetur, si ipse per se absolvisset.

87. Objectio.

Si dixeris; pœnitens non tenetur per se petere, sed potest petere per alium absque explicatione personæ; & ordinariè sic petitur licentia. Respondeo; aliquando non posse id fieri, quia v. g. alius renuit facere; & Superior posset non solùm validè, sed etiam aliquando licitè nolle dare licentiam, nisi compareat vel nominetur pœnitens. Ergo si pœnitens vult se manifestare Superiori, habet jus ad sigillum, faciendo id, quod per se requiritur ad finem Sacramenti.

Solvitur.

Et quoniam Consiliarius nullum habet jus, ut pœnitens coram illo compareat, aut nominetur; hinc si pœnitens per seipsum consulat, cùm id per se non requiratur ad finem Sacramenti, liquet profectò, ex illa consultatione Consiliarium haud contrahere obligationem sigilli, sed tantùm secreti naturalis.

88. Quicumque per Confessarium licèt injustè, aut casu transiens &c. venit in notitiam peccatorum, tenetur sigillo. Scotus.

Cæterùm (ut progrediamur ad sequentem partem Conclusionis) quicumque per Confessarium licèt injustè, aut casu transiens, vel malitiosè auscultans venit in notitiam peccatorum, tenetur sigillo Confessionis. Ita Scotus 4. dist. 21. q. 2. n. 13. ibi: *De quis, dico, quòd non solùm Confessor, sed & is, cui Confessor revelat licèt illicitè, tenetur celare. Probatio: quia transferens aliquid in alium de facto, quod non potest licitè de iure transferri, non dat illi alteri ius utendi vel transferendi istud in alterum; quia ex quo non habuit ius, non potuit ius in alium transferre, quia nemo dat, quod non habet: sed Confessor revelans non habuit jus transferendi istud in alterum: ergo si de facto transferat, alius non habet ibi ius, ulteriùs transferendi.*

Idem dico de illo, qui audit Confessionem confitentis, alius scilicet à Confessore. Si enim audit casualiter non peccat; tenetur tamen ad silentium: si verò dolosè, mortaliter peccat, & adhuc tenetur ad silentium.

Atque hæc est communis sententia, in praxi omnino amplectenda & sequenda. Et ratio generalis est: quia omnes illi habent notitiam sacramentalem, id est, notitiam saltem remotè acceptam ex sola Confessione sacramentali.

Probatio.

89. Oppositum docet Sotus de illo, qui casu audivit Confessionem.

Oppositum docet Sotus 4. dist. 18. q. 4. a. 5. de illo, qui casu audivit Confessionem: Si quis, inquit, casu audivit Confessionem, non se ingerendo, sed quia aliter locutus est altè, tenetur quidem etiam sub peccato mortali celare, sed non sub sacro sigillo Sacramenti. Si autem per injuriam aut fraudem sese ad audiendum ingereret; ille profectò artissimè omnium teneretur ad sigillum, licèt non sub censuris Sacerdoti decretis: esset tamen graviter puniendus. Hæc ille.

Rejicitur.

Sed non assignat rationem disparitatis. Fatemur, gravius peccare, qui utitur scientiâ acceptâ per injuriam vel fraudem; quia tenetur ratione injustæ acceptionis, injuriam Sacramento & pœnitenti illatam reparare, quam potiùs auget, quando revelat peccata; sed cùm ille titulus non requiratur ad obligationem sigilli, ùt patet in Confessario, sed sufficiat titulus rei acceptæ, &-aliunde, qui casu audivit Confessionem, habeat titulum rei acceptæ, unde probatur, quòd hic etiam non teneatur sacro sigillo Sacramenti?

Enimverò pœnitens nulli loquitur, ùt suppono, nisi Confessario: ergo tam ille, qui sponte se ingerit, quàm qui casu audit, participat eamdem notitiam cum Confessario: ergo sub eadem obligatione.

90. Quid si aliquis ex necessitate confiteatur aliis audientibus, aut per injuriam peccatum fuerit revelatum.

Hinc si quis confiteatur audientibus aliis, quia hìc & nunc aliter non potest, audientes, velint nolint, contrahunt obligationem sigilli, ne alioquin tali pœnitenti Sacramentum fiat odiosum & quasi inutile. Similiter si per injuriam crimen aliquod ex Confessione fuisset revelatum, & jam factum publicum & notum toti civitati, per se loquendo non possent cives sibi mutuo loqui de tali peccato.

Suarez.

Dico: *Per se loquendo*, id est si reverà tota notitia in sola confessione fundetur; alioquin, ùt notat Suarez Disp. 33. Sect. 4 n. 8. ex accidenti excusari possunt, vel quia in tanta hominum multitudine non potest omnibus hoc constare, vel certè quia illâ occasione res patefacta est aliis modis, & comparatâ aliâ notitiâ, cessat sigillum.

91. Alius casus.

Et quod dixi de civibus, etiam procul dubio intelligendum venit de pluribus Confessariis, quibus pœnitens idem peccatum confitetur: caveant itaque, ne sibi mutuo de illo peccato loquantur.

Eâdem cautione opus est Consiliario, qui à diversis Confessariis, de eodem peccato consulitur; nam ita cum utroque agere debet, ac si aliâ viâ illud non sciret, quia prior via etiam est sacramentalis, & ideo omnino debet esse secreta. Unde non potest uni dicere aliquam aliam circumstantiam, quam ab altero didicit; sed singulis respondere debet juxta ea, quæ singuli narrant. Poterit tamen dicere (inquit Lugo suprà n. 30.) sub conditione: Si res non esset hoc modo, sed alio diverso, cum tali circumstantia, aliter dicendum esset. Hoc verò ipsum debet cautè facere, & salvo sigillo. Ita Eminent.

Lugo.

Sed quid si pœnitens absque necessitate publicè multis audientibus peccata sua confiteatur, aut in chartâ describat, nunquid audientes vel legentes hujusmodi chartam tenentur sigillo?

Negat Conclusio cum communi DD. sensu, cujus ratio est: quia tali casu scitur peccatum non ex Confessione sacramentali, quæ fit soli Sacerdoti; sed ex alia Confessione, quam pœnitens instituit ad sui humiliationem; quàmvis enim sit una Confessio realiter quoad pronuntiationem verborum; attamen virtualiter est multiplex, quia ordinatur ad plures ex intentione loquentis: ad plures, inquam, non in ordine ad accipiendam ab illis pluribus Absolutionem sacramentalem; nam si ita fieret, oriretur indubiè in omnibus Confessariis, qui simul ita audiunt, obligatio sigilli; sed ad alium finem, putà, sicut statim dixi, ad humiliationem pœnitentis.

Unde licèt tali casu non posset Sacerdos, qui audit in ordine ad Absolutionem, uti illâ scientiâ extra Confessionem, quatenus sic audivit; equidem, quia etiam audit, sicut alii, ad alium finem, quidni tali ratione posset uti illâ scientiâ extra Confessionem, veluti aliis utuntur?

Audiamus Arriagam Disp. 45. n. 190. in fine: Fortasse, inquit, posset tunc quis judicare illam ipsam Confessionem, etiam prout factam Sacerdoti, sub his circumstantiis non esse secretam; quia eo ipso, quòd pœnitens voluit alios esse præsentes pro humiliatione, cessit suo jure non aliter, quàm si post Confessionem publicè dixisset Confessario: *Do tibi licentiam, ut pro tuo libitu reveles totam meam Confessionem*, quo casu Sacerdos loqui posset de ea Confessione ex scientia, quam in illa habuit, quia jam est ablatum impedimentum. Unde in præsenti meliùs etiam dicemus, Sacerdotem loqui ex scientia sibi facta, cùm jam sit ablata obligatio secreti per advocationem aliorum. Hæc ille.

Sed, meo judicio, talis licentia non sufficit, ut Confessio, prout facta Sacerdoti, non debeat servari secreta; quia Christus secretum annexuit Confessioni sacramentali, quod secretum non pendet à voluntate pœnitentis, ùt infrà videbimus: quàmvis facere possit, ut peccata confessa non debeant celari, dando aliam notitiam extra Sacramentum. Ergo licèt tali casu Sacerdos posset revelare peccata confessa, non tamen propterea Confessionem, prout factam Sacerdoti, id est, Confessionem sacramentalem; sed solùm prout factam aliis, quâ ratione non est sacramentalis. Unde non posset dicere: Talis pœnitens mihi confessus est hæc vel illa peccata sacramentaliter, sive in ordine

ordine ad Absolutionem sacramentalem; licèt posset dicere: Talis pœnitens fecit hæc vel illa peccata, de quo plura Sect. seq.

94. An ex Confessione scripta oriatur sigillum. Rodulphus.

Quantùm ad Confessionem scriptam, intelligenda est Conclusio de scriptione omnino libera facta ad sui humiliationem, sicut legitur fecisse B. Ioannes Capistranus, de quo Petrus Rodulphus lib. 1. Histor. Seraph. Relig. hæc refert: *Reversus est in patriam; ubi venditis, quæ habebat, pauperibusque distributis, redit Perusiam sordidis & lugubribus indutus vestibus, per mediam urbem vectus asello, tiarâ papiraceâ redimitus, in qua scripta erant sua peccata: quæ res non parvam Perusinis, qui eum in fastigio dignitatis noverant, admirationem intulit.* De tali scriptione intellecta Conclus. nullam habet difficultatem, quia æquivalet verbis; unde eadem est utriusque ratio.

Porrò de scriptione, quæ fieret ex necessitate, v. g. si mutus non posset aliter confiteri, quàm per literas, vel memoriæ causâ, non parva est difficultas.

95. Sententia affirmativa Malderi.

Malderus in particulari Tractatu de Sigillo Confessionis cap. 13. sic ait: Qui invenerit descripta pœnitentis peccata, quæ literis mandavit, fortè memoriæ causâ, ut ea exactius confiteatur, tenetur sigillo, sive jam Confessio facta sit, sive adhuc facienda. Est communis DD. Ratio est, quia chartæ istius tenor, est aliquid Confessionis, & quasi Confessio scripta; ita ut æquiparari possit, chartam eo modo inveniens, illi, qui casu audit confitentem. Est etiam charta illa quasi internuntia juvans memoriam confitentis: itaque censetur sigillata sacro sigillo. Rectè addit Navarrus in cap. *Sacerdos* de Pœnit. d. 6. n. 9. qui talem schedulam invenerit, si ex titulo deprehendat, contineri eâ proximi Confessionem, debere à lectione ejus abstinere. Hucusque Malderus.

Quòd aprobat Dian.

Et rectè quidem, inquit Dia. part 3. tract. 4. resol. 112. nam charta illa dici potest Confessio inchoata, &, si peccata illa sint confessa, jam effecta; ideo firmiùs dicere possumus, cadere illa sub eodem sigillo, sicut illa, quæ aliquis revelavit mihi ex dicto Confessarii, vel ex auditione Confessionis. Et licèt pro contraria opinione adsint DD. tamen nostra est amplectenda, quia favorabilior est Sacramento. Ita Dia.

96. Opposita sententia Suarii.

Sed Suarez suprà n. 5. putat hanc extensionem esse nimiam; quia, inquit, illud est instrumentum valdè remotum, & sacramentalis Confessio nullo modo ibi est inchoata; erit ergo illud sub secreto naturali.

Quam Lugo reprobat.

Atque hanc sententiam Lugo suprà n. 47. existimat regulariter loquendo esse veriorem; quia illa scriptura non est Confessio, sed materia Confessionis præparata, ut facilius fiat Confessio. Sicut ergo si pœnitens dum facit apud semetipsum examen ad Confessionem, loqueretur voce intelligibili, ille qui audiret, non obligaretur ad sigillum; quia non audivit Confessionem, sed præparationem ad Confessionem; sic scriptura illa nihil aliud est, nisi præparatio ad Confessionem, quam pro sua memoria facit pœnitens: ergo notitia ex illa scriptura non oritur ex Confessione, sed ex præparatione pœnitentis apud semetipsum ad Confessionem.

Interim fatetur Eminent. illos, qui olim dicebant fieri posse Confessionem per literas, debuisse consequenter dicere, literas illas ad Confessarium missas, si ab aliquo interciperentur & legerentur, obligare ad sigillum, quia illa epistola erat vera Confessio.

97. excepto uno aut alio casu.

Deinde n. 48. adhuc in uno aut altero casu admittit primam sententiam. Primò, si aliquis mutus confiteatur per scripturam Confessario præsenti, & hanc scripturam aliquis casu legeret, maximè dum in ipso actu Confessionis est in manu Confessarii, teneretur utique ad sigillum: quia illa scriptura tunc est locutio & Confessio propria, cùm non aliter confiteatur mutus ille, nisi per illam scripturam. Primus casus.

Immo licèt post Absolutionem aliquis inveniset eam in confessionali, probabile videtur, quòd teneretur ad sigillum, quia illa videtur esse ipsa Confessio manens. Sicuti si post datam Absolutionem, ab echo verba ultimi peccati per reflexionem reverterentur, qui illa audiret, procul dubio teneretur ad sigillum, quia accepit notitiam ab eadem Confessione perseverante in aëre per totum illud tempus. Sic ergo scriptura illa videtur esse eadem Confessio, & eadem locutio pœnitentis permanens in charta, etiam quando jam actu non confiteretur.

Secundus?

Alium casum assignat Lugo suprà n. 49. quando aliquis per literas peteret à Prælato licentiam ad hoc, ut absolveretur à tali casu reservato, qui legeret illas literas, eodem modo obligaretur ad sigillum, sicut ipse Prælatus; & sicut ille, qui casu audiret subditum, petentem illam licentiam: nam per literas loquitur formaliffimè cum Prælato; atque ideo notitia ex iis literis habita, haberetur omnino ex petitione, quâ subditus recurrit ad Prælatum, & petit ab eo licentiam pro suo peccato reservato. Ita Lugo. Existimans in aliis casibus, in quibus scriptura solùm deservit pro ipso pœnitente, & ejus memoria, non esse obligationem sigilli; quàmvis sit obligatio gravissima secreti naturalis, & humani.

98. Doctrinam Lugonis amplectitur Arriaga, cum aliquo tamen exceptione.

Hanc doctrinam amplectitur Arriaga, eo excepto, quòd putet, postquam jam est finita Confessio, sive parùm, sive multùm temporis intercedat, non obligari eum sigillo, qui illam legeret. Similiter, qui inveniret literas in cubiculo Prælati post datam licentiam; quia (inquit n. 25.) ea scriptura jam non esset petitio

petitio licentiæ, utì Confessio scripta inventa, ex qua aliquis confessus est, non est jam Confessio.

Ad instantiam, ex echone desumptam, respondet ibidem, eam non valere; nam, inquit, ibi illa repercussio est moraliter ipsamet locutio pœnitentis, ideòque sortitur eandem obligationem secreti. At scriptura manens, non est effectus Confessionis, sed primæ scriptionis, & quidem per se jam quasi externus: eodem enim modo durat, sive jam dudum scripserit, sive immediatè antè; ac proinde pœnitentis vitio debet tribui, quòd eam schedam reliquerit, non minùs, quàm si surgens eam amisisset in templo. Hæc ille.

99. Iudicium Auctoris de hac controversia.

Quærit aliquis, quid ego sentiam de hac controversia? Citiùs Respondeo; me summopore mirari, tot esse diversas sententias in materia adeò periculosa. Et sanè, vel revelatio scripturæ, seu peccati cogniti ex scriptura in casibus propositis, reddit Sacramentum odiosum & onerosum, vel non. Si non; nescio, quare magìs arctum vinculum secreti oriatur ex ea, quàm ex alia scriptura, nullo modo concernente Sacramentum. Sin ita; quare non dicitur esse obligatio sigilli? Nam ideo ex Confessione oritur obligatio sigilli, quia ejus revelatio reddit Sacramentum odiosum & onerosum.

Eadem est ratio scripturæ antiquæ & novæ.

Cæterùm puto, eamdem esse rationem scripturæ antiquæ & novæ, veteris & recentis; scilicet utramque esse eamdem Confessionem, & eamdem locutionem pœnitentis, permanentem in charta; adeòque tamdiu permanere, quamdiu permanet charta; per consequens perinde esse, ubicumque charta illa inveniatur, sive in sede confessionali, sive in templo, sive in platea aut cubiculo Confessarii vel pœnitentis; seu statim post Confessionem, seu post unum aut plures annos; semper enim est Confessio scripta, Confessio, inquam, facta.

100.

Sicut ergo, si quis post plures annos, per possibile vel impossibile, audiret Confessionem vocalem, nihilominus obligaretur sigillo æquè, ac si audivisset, quando immediatè antè facta fuerat: quidni similiter obligaretur, qui videret Confessionem scriptam, factam ante plures annos, æquè ac si vidisset immediatè antè factam? Sola enim differentia inter has Confessiones est, quòd vox sit signum transiens, scriptura autem signum permanens ex natura sua, juxta illud commune dictum: *Litera scripta manet*; deinde (ùt Aliqui volunt) quòd omnis scriptura ex natura sua nata sit esse publica, secùs vox.

Sicut Confessio vocalis debet manere secreta, ita quoque Confessio scripta.

Et ideo scriptura est signum minus idoneum in Confessione, ac proinde non obligans pœnitentem, ut tali signo confiteatur, ùt alibi diffusius explicavimus. Quia tamen potest eo uti, saltem validè, immo & aliquando licitè; ideo sicut voces debent manere secretæ, & auditæ obligant ad sigillum semper observandum; ita etiam scriptura, quâ aliquis confitetur, vel quam aliquis adhibet tamquam instrumentum ad confitendum, debet manere secreta, & lecta obligat ad sigillum semper observandum.

Censes, si aliquis adhiberet interpretem, solùm ad melius explicanda sua peccata, censes, inquam, quòd qui audiret talem interpretem loquentem, non obligaretur ad sigillum? Cur ergo non obligabitur, qui legit chartam, quam pœnitens adhibet, solùm ad melius explicanda sua peccata? Non video disparitatem. Unde quod in uno casu dixeris, etiam dicito in alio; vel da rationem disparitatis.

Sicut autem, qui post plures annos audiret talem interpretem, referentem illa peccata, obligaretur ad sigillum Confessionis, supposito, quòd ipse interpres obligetur; quidni consimiliter obligaretur, qui post multos annos legeret peccata scripta, seu Confessionem scriptam? Quid si Sacerdos scriberet peccata confessa, putas, quia, qui legeret post plures annos illam scripturam, non obligaretur sigillo?

Deinde ponamus casum, quòd interpres peccata, sibi relata in ordine ad Confessionem, antequam ea explicet Confessario, referat alicui tertio; existimas, quia hic non obligabitur sigillo, eò quòd adhuc Confessio sit facienda Sacerdoti? Certum est, si interpres obligetur, & tertium istum obligari. Ergo consimiliter obligabitur ille, qui chartam legit, antequam Confessio sit facta Sacerdoti.

Itaque, ut finem imponamus huic controversiæ, charta illa non tam est præparatio ad Confessionem, quàm ipsa Confessio inchoata, sicuti revelatio peccatorum facta interpreti non tam est præparatio ad Confessionem, quàm inchoata Confessio, quam interpres, & per ipsum pœnitens perficit, quando illa peccata explicantur Sacerdoti: in casu autem proposito perficitur, quando pœnitens tradit illam chartam Sacerdoti, vel ex ipsa charta recitat. Sola ergo differentia inter illos casus est, quòd pœnitens in uno casu per interpretem explicet peccata, & perficiat inchoatam Confessionem, in alio casu per traditionem chartæ, aut per recitationem propriam ex charta.

Et quid si dixero; etiam locutionem intelligibilem, dum pœnitens apud semetipsum facit examen, esse Confessionem inchoatam, & per consequens obligare ad sigillum? Quis me arguet de errore? Enimverò quid refert, sive dicam illa peccata interpreti, ut ea melius referat Sacerdoti, sive dicam mihiipsi, ut ego melius ea referam? Non video aliam disparitatem, nisi quòd interpres non possit ea scire, nisi per meam sensibilem locutionem, quæ tamen non est necessaria, ut ego ipse sciam.

Interim

Interim potest esse necessaria, ut sciam debitis & congruis verbis explicare, propter ignorantiam idiomatis, vel aliam similem causam.

103. In praxi amplectendus est sententia Malderi. Herincx.

Ut ut sit speculativè loquendo, in praxi judico amplectendam sententiam Malderi, suprà relatam; quia favorabilior est Sacramento, ùt bene docet Herincx hic Disput. 8. de Sigillo n. 11. in fine dicens: Quòd si Confessarius dubitet, an Confessio sit sacramentalis, an non, tenetur ad sigillum; eò quòd præsumendum sit in favorem Confessionis & pœnitentis, ne confessio fiat odiosa. Quare hìc locum non habet libertas loquendi; in cujus possessione videtur esse Confessarius: contrà illam enim prævalet ex voluntate Christi periculum certum avocandi fideles à Sacramento Pœnitentiæ. Hæc ille.

Unde miror, eumdem Auctorem infrà n. 25. tam generaliter & indistinctè proferre suam sententiam de præsenti controversia hisce verbis: *Qui legit chartam, continentem alterius peccata, descripta in ordine ad faciendam Confessionem, etsi graviter peccet, propter iniuriam proximo illatam; tamen, iuxta DD. communiùs; non tenetur sigillo Confessionis, sed secreto naturali, cùm descriptio illa non sit pars Confessionis; sed præparatio ad illam.* Quæ utique est ratio Lugonis, suprà allegata; qui tamen excipit duos casus, ùt vidimus, in quibus putat oriri obligationem.

104. Quæ est magis communis.

Deinde quod ait; *Iuxta DD. communiùs*; non credo esse verum; cùm Malderus suprà dicat, suam sententiam esse communem, & pro ea plures Doctores allegentur à Diana suprà, quàm pro opposita. Atque ut utraque sententia æqualiter foret probabilis, cur in tali dubio non erit judicandum pro Sacramento, cùm contra libertatem ejus, qui legit talem chartam, prævaleat ex voluntate Christi, periculum certum avocandi fideles à Sacramento Pœnitentiæ?

Denique quod docet Herincx ibid. n. 18. loquens de Confiliario (qui secundùm ipsum probabiliter non obligatur sigillo) docet, inquam, certum nihilominus esse, quòd sit obligatio arctissimi secreti naturalis, immo quòd nullo casu revelari queat; non approbo, cùm plures Doctores, qui cum ipso docent hanc probabilitatem, non asserant talem obligationem, ùt suprà ostendi. Unde ergo ipsi ea certitudo?

105. Pœnitens non obligatur sigillo ad tacendum dicta Confessarii.

Hoc ego certum existimo, pœnitentem non obligari sigillo, quod in favorem illius inductum est, ad tacendum dicta Confessarii, etiam satisfactionem sacramentalem. Quàmvis indubiè obligari posset secreto naturali quoad ea, quæ sibi tali lege specialiter commissa & acceptata forent; quod non est frequens. Obligatur etiam celare ea, quæ honori seu existimationi Confessarii obesse possent, aut ex quibus in alia re detrimentum incurreret, juxta regulas communes. Quare non dicet concubina suo complici, sibi à Confessario interdictam cum eo conversationem, quando Sacerdoti indè crearetur periculum. Peccant proinde qui Pœnitentiarios adeunt curiositatis & tentationis causâ, ut eos reprehendant, traducant, & rideant apud alios, narratis defectibus ipsorum in confessione observatis.

106. An pœnitens possit negare se dixisse aliquâ peccata in Confessione, quæ tamen revera dixit *Malderus*.

Notat autem Malderus suprà; quàmvis pœnitens non teneatur celare, quænam ipse confessus sit, per obligationem sigilli Confessionis sacramentalis; posse tamen eadem ùt talia celare, & asseveranter, ac etiam juratò dicere, quòd illa nemini dixerit, cùm nemini dixerit, ùt homini, sed tantùm ùt Deo. Item, quòd ea non sit confessus huic vel illi Sacerdoti asseverare potest, quando super hoc urgetur, intelligendo quòd non sit confessus ulli hominum, ùt homini, sed, ùt Deo; præsertim cùm interrogatio non debeat alio sensu accepta præsumi, quàm quo legitimè accipi potuit: & in hoc similis est ratio pœnitentis & Sacerdotis. Ita Malderus cum Aliis, quos citat.

Arguitur contra sententiam affirmantem.

Sed, meo videri, magna est disparitas inter pœnitentem & Sacerdotem. Nam Sacerdos, ùt suppono, non potest absque gravissimo peccato illa peccata revelare: ergo interrogans non præsumitur alio sensu interrogare, quàm ipse possit licitè respondere: ergo negando loquitur ad mentem, quam debet habere interrogans, videlicet se nescire illa peccata, ita ut absque peccato possit ea ipsi revelare, de quo plura suo loco. At verò pœnitens, ùt suppono, potest licitè illa peccata revelare, & consequenter interrogans potest licitè velle eorum revelationem, & censetur velle, maximè si interrogat, an dixerit in Confessione. Et aliunde fieri posset, ut ex negatione interrogans pateretur grave detrimentum. Quo jure ergo pœnitens tali casu hoc negaret? Quomodo saltem, dicet aliquis, tali casu non mentiretur? Quæritur enim, an dixerit alicui, non ùt homini, sed, ùt Deo.

107. Sotus adhæret sententiæ negativæ.

Hinc Sotus 4. distinct. 18. q. 4. a. 5. Si, inquit, interrogetur, an dixerit in Confessione, nequaquam licet negare; nam sensus esset: Non dixi, ùt Deo, qui sensus esset falsus; sed tunc respondendum est cum acrimonia, quia interrogatio illa impia & sacrilega est.

Quid si ergo interrogatio sit pia? v. g. aliquis accusatur de scientia proditionis, non delatæ ad Magistratum civitatis, cùm tamen eam sub pœna capitis debuerit deferre, nisi habuerit solam scientiam confessionalem; ipse autem non potest dicere se habuisse solam illam scientiam; sic enim revelaret sigillum, quod

nunquam licet: quæritur ergo ab ipso proditore, an tali suam proditionem fuerit confessus, si affirmet, dimittetur Confessarius liber; si neget, indubiè morte morietur & non vivet; quis adeò desipiat, ut dicere audeat, talem proditorem posse negare, se crimen illud ei fuisse confessum? Cùm enim possit licitè affirmare, sinè ulla impietate & sacrilegio, & tali viâ Confessarium innocentem à morte injusta liberare, ego certè non auderem talem excusare à gravissimo peccato, si negaret.

Nec puto Malderum & alios Auctores de tali casu intelligendos, salvo meliori judicio, sed de casu, quo affirmatio vergeret in detrimentum proprium vel Confessarii, aut alterius tertii, aut certè negatio nulli foret nociva; quàmvis enim tunc posset veritatem aperire, salvâ reverentiâ Sacramenti, tamen non teneretur, adeòque censeretur negare se dixisse, etiam ùt Deo, ita ut interroganti debeat respondere ad suam mentem.

108. Pœnitens solicitatus ad turpia in Confessione non tenetur id facere.

Cæterùm si Confessarius ad turpia sollicitaverit pœnitentem in Confessione (quod absit) non tenetur pœnitens sigillo, nec aliâ obligatione ad illud tacendum; sed quatenus opus est, secundùm regulas prudentiæ, revelare poterit extra Confessionem, ubi & quando oportuerit, non secùs ac si in Confessione non esset dictum: est enim in hoc par Confessario, qui non tenetur celare, quando ipse à pœnitente ad illicita sollicitatur, ùt suprà dictum est. Talia enim merè concomitanter se habent ad Confessionem, immo potiùs tamquam ei adversa, censentur ab ipsa prorsùs aliena.

Bulla Greg. XV contra solicitantes ad turpia in Confessione.

Unde mandat Greg. XV. Bullâ: *Universi Dominici gregis* 34. apud Cherubinum, omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos ad turpia in Confessione sacramentali, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes Inquisitoribus seu locorum Ordinariis.

In hac Bulla Pontifex §. 3. Motu proprio & ex certa scientia ac matura deliberatione approbat & confirmat Bullam Pii IV. *Cùm sicut nuper* 31. apud Cherubinum, quâ conceditur facultas Inquisitoribus hæreticæ pravitatis procedendi contra Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes, in actu Confessionis ad actus inhonestos provocare & allicere tentant. Eamque, solùm datam pro regnis Hispaniarum, extendit ad universas Christiani orbis partes.

109. Plenius contra eos disponit quàm fecerat Pius IV.

Ac præterea (inquit §. 4.) *ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus & declaramus, quòd omnes & singuli Sacerdotes tam sæculares quàm quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum, Ordinum, Institutorum, Societatum & Congregationum Regulares, cuiuscumque dignitatis & præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quascumque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetrandæ, in actu sacramentalis Confessionis, sive anteà vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu Confessionis huiusmodi, etiam ipsâ Confessione non secutâ, sive extra occasionem Confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones sacramentales audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in officio S. Inquisitionis severissimè, ùt infrà, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum universi orbis Christiani in suis quemque Diœcesibus & Territoriis per has nostras literas, etiam privative quoad omnes alios, specialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, ut super his contra præditos, simul, vel separatim in omnibus, prout in causis Fidei, iuxta Sacrorum Canonum formam, nec non Officii Inquisitionis huiusmodi Constitutiones, Privilegia, Consuetudines, & Decreta diligenter inquirant, & procedant: & quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles reperint; in eos pro criminum qualitate & circumstantiis, suspensionis ab executione Ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non reatis activæ & passivæ, si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & carcerationis in perpetuum absque ulla spe gratiæ, aliisque pœnas decernant, eos quoque si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debitâ præsidente degradatione, Curiæ sæculari puniendos tradant.*

Addit §. 3. *Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam pernicio sum, ob probationum defectum, impunitum, cùm difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus concurrentibus, præsumptionibus, indicis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & Curiæ sæculari ùt præfertur, reum tradendum esse pronuntiandi. Non obstantibus,* (ùt ait §. 6.) *omnibus, quæ dictus prædecessor in suis literis præditis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Denique §. 7. ad propositum nostrum sic lego; *Mandantes omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut suprà sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu ùt præfertur tractantes, Inquisitoribus seu locorum Ordinariis prædictis: quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denuntiandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ùt suprà, iidem locorum Ordinarii, & Inquisitores.*

tores illos pro modo culpæ punire non negligant &c. Dat. Romæ apud S. M. Maiorem sub annulo Piscatoris die 30. Augusti 1622. Pontif. nostri anno secundo.

De hac obligatione denuntiandi vide apud Dian. integrum tractatum part. 1. in ordine est tract. 4. ubi plures casus desuper resolvit, quos, quia ad propositum nostrum non pertinent, non examino, sed Lectori examinandos relinquo.

Progrediendo autem in opere incepto, à personis, quæ obligantur sigillo Confessionis, transeo ad materiam sigilli, de qua instituo sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO IV.

Cadunt sub sigillum directè mortalia in genere vel specie: venialia autem solùm quoad speciem, frequentiam, & numerum; etiam publica, & illa, quæ pœnitens dubius, vel formidans, narrat ùt peccata, cùm talia non sint.

111. Quid directè cadat sub sigillum.

ILlud directè cadit sub sigillum, quod est directa materia Absolutionis. Et quid aliud est directa materia Absolutionis, quàm peccatum? Igitur peccatum directè cadit sub sigillum. Cùm autem sit duplex peccatum, mortale & veniale, & veniale non sit materia necessaria, sed libera; quæritur: an solùm mortale, an verò etiam peccatum veniale sit directa materia sigilli?

112. Peccatũ mortale revelare, vel mortale in genere, vel unum in specie;

Et quidem peccatum mortale, tam in genere, quàm in specie, esse materiam gravem, ita ut peccaret mortaliter, qui diceret: *Talis pœnitens confessus fuit mihi peccatum mortale*, vel, *Vnum peccatum fornicationis*, nemo dubitat, estò etiam, quod facilè contingere potest, non foret respectu pœnitentis gravis infamia; quia semper est gravis injuria, & grave nocumentum respectu Sacramenti; à quo meritò pœnitens avertitur propter illam revelationem.

itemque unum veniale in specie, vel multa in genere, non graviora;

Et eadem videtur ratio peccati venialis in specie, v. g. si Confessor diceret: *Petrus est mihi confessus mendacium iocosum*, vel etiam in genere, *Multa peccata venialia*, aut, *graviora venialia*. Quia, præterquam, quòd subinde respectu pœnitentis posset esse gravis infamia, semper est gravis injuria, & grave nocumentum respectu Sacramenti; licèt enim peccatum veniale non sit materia necessaria, equidem est materia sufficiens, & materia directa Absolutionis, quæ licèt non sit necessaria; est tamen valde utilis, & magni momenti in ordine ad salutem. Potrò ab ea meritò averteretur pœnitens, si talis revelatio foret licita; licèt ergo peccatum revelatum in se non sit grave; attamen ipsa revelatio est gravis materia, quia impedit frequentationem tam utilis Sacramenti.

112. estò etiam alii non intelligant id fieri ex Confessione. *Ledesma, Suarez,*

Non igitur audiendus Ledesma 2. part. 4. q. 11. a. 1. c. 5. ubi (ùt refert Suarez Disp. 33. Sect. 3. n. 2.) hoc limitat, dicens: Si quis simpliciter revelat peccatum veniale, ita ut alii non intelligant, id facere ex Confessione, esse tantùm peccatum veniale. Hæc, inquam, limitatio est improbabilis, secundùm Suarium loco mox citato; quia hoc non est peccatum mortale tantùm propter scandalum aliorum, quod tunc oritur, quando intelligunt illam esse revelationem Confessionis; sed per se propter fractionem sigilli: quippe non solùm fit odiosa Confessio ex eo, quòd reveletur formaliter (ut sic dicam) sed etiam quòd res ibi cognitæ revelentur: immo vel hoc solùm, quòd possint res ibi cognitæ revelari, facit Confessionem odiosam, quantò magis ipsa revelatio?

Et verò, si revelatio peccati venialis per se loquendo solùm est venialis, cur erit mortale scandalum aliorum? Non enim solent homines graviter scandalizari, viso peccato tantùm veniali. Quin ex gravi scandalo sæpè colligitur ipsa gravitas peccati secundùm se, ùt patet in aliis materiis. Ergo similiter impræsentiarùm, si homines graviter scandalizentur, quando sciunt, peccatum veniale revelari ex scientia Confessionis, signum manifestum est, ipsam revelationem secundùm se esse peccatum grave.

113. Directa revelatio peccati nunquam est venialis ex parvitate materiæ;

Igitur directa revelatio peccati, nunquam est venialis ex parvitate materiæ, secùs ex inadvertentia vel indeliberatione. Voco revelationem directam, quando v. g. aliquis in terminis dicit: *Petrus fuit fornicatus*; *Petrus fuit mentitus* &c. & dico, omnem talem revelationem esse materiam gravem, adeoque peccatum mortale.

Porrò indirecta revelatio est, quando, tametsi non exprimatur persona, quæ fuit confessa, tamen ita narratur peccatum confessum, ut alicui ingeratur suspicio personæ; quæ etiam revelatio procul dubio graviter per se loquendo peccaminosa est: quia etiam per illam fit Sacramentum odiosum; ùt videbimus Sect. seq.

secùs indirecta. *Lugo.*

Interim non videtur, quare hæc revelatio non posset esse venialis ex parvitate materiæ. Negari enim non potest (inquit Lugo Disp. 23. n. 71.) non consistere in indivisibili obligationem non loquendi de auditis in Confessione. Quia aliquando de illis licitè loquimur, quando nullum est periculum manifestationis; aliquando est clarum periculum, & est grave peccatum ita loqui, aliquando verò potest esse adeò remotum periculum, ut licèt meliùs

esset tacere, & possit esse veniale loqui, non tamen sufficiat ad mortale. Hæc ille.

114. Quidquid ergo sit de revelatione indirecta, de qua Sect. seq. latiùs tractabimus: firmissimè teneas & nullatenus dubites, omnem revelationem directam, etiam minimi peccati venialis in sua specie, esse peccatum mortale contra reverentiam debitam Sacramento Pœnitentiæ.

Licitè revelatur unicum peccatum veniale in genere.

Et idem est, si revelentur plura vel graviora peccata in genere. Secùs si solùm reveletur peccatum veniale in genere, dicendo: *Talis confessus est peccatum veniale*; quia eo ipso quòd confessus est, supponitur confessus unum saltem veniale. Sicut ergo Confessarius per se loquendo potest dicere: *Talis mihi confessus est*; ita etiam potest dicere: *Talis mihi confessus est peccatum veniale.*

115. Objectio. Si inferas: ergo dicere poterit; *Confessus est verbum otiosum*, hoc est enim minimum peccatum; adeòque tunc Confessarius nihil plus, immo quodammodo minus dicit, quàm si præcisè diceret: *Confessus est veniale*; possem enim tunc cogitare, confessum aliquod ex majoribus venialibus.

Responsio Arriagæ. Respondet Arriaga Disp. 45. n. 26. in fine: Etsi, rem metaphysicè considerando, fortasse dicere possemus, ex eo capite non esse contra sigillum Confessionis; nihilominus vel quia nunquam scitur, quod sit minimum veniale, vel ne aperiatur porta, ut Confessarius putet pro suo libitu, hoc esse minimum, interim sit ex majoribus; & ne si in uno casu admittatur exceptio, trahatur ad alios paulò graviores consequentia (ùt sæpè fieri solet in rebus moralibus) oportuit ut neque in hoc id esset licitum. Hæc ille.

Deinde ratio disparitatis est; quòd in casu consequentis Confessarius aliquid aperiat ex Confessione, quod aliis determinatè non erat notum; jam autem quòd sit confessus, patet exteriùs ex ipsa Confessione: quare dum hoc dicit, & addit peccatum veniale in genere, non tam revelat aliquod pœnitentis peccatum, quàm arceat opinionem vel suspicionem, quòd confessus sit mortalia. Quidni ergo id licitum sit per se loquendo?

116. Casus, in quo non licet revelare peccatum veniale in genere. Dico: *Per se loquendo*; quia si duo vel tres eidem Confessario fuissent publicè confessi, & de uno dumtaxat diceret: *Confessus est mihi veniale*, daret occasionem suspicandi alios confessos fuisse mortale; ac proinde licèt non violaret sigillum respectu ejus, quem dicit confessum veniale, indirectè tamen violaret sigillum respectu aliorum, de quibus ex ejus dicto suspicantur auditores Confessionem peccati mortalis.

Similiter non frangitur sigillum dicendo: *Talis mihi fecit Confessionem generalem totius vitæ*; nisi præberetur occasio suspicandi pœnitentem habuisse casus reservatos, aut debuisse repetere Confessiones irritas, vel aliud simile. Ideo cum maxima cautela est utendum similibus loquendi modis, vel potiùs ab iis omnino abstinendum, de quo plura Sect. seq.

Nunc quæro, an etiam peccata publica sint materia sigilli? Affirmat Conclusio, quæ est communis contra Medinam Cod. de Confess. q. 51. circa principium, ubi, teste Suario supra n. 6. dicit: Quando peccatum est notum aliis & publicum, posse Confessorem dicere, Petrum sibi esse confessum tale peccatum cum magno dolore &c. quia hoc non cedit in infamiam pœnitentis, nec in odium Confessionis.

Sed est omnino falsum (inquit Suarius loco citato) quia in primis grave generaretur scandalum, etiam inter pios & doctos, quod est signum, hanc esse revelationem sigilli & gravem. Ratio verò est: quia in hoc attendendum est iis, quæ sunt per se, non verò quæ sunt per accidens; est autem per accidens, illos habere notitiam illius peccati aliâ viâ: per se autem est, quòd notitia Confessionis in publicum deferatur, quod simpliciter malum est & injuriosum Sacramento, quod non potest non fieri onerosum hâc ratione, & facilè posset extendi hæc revelatio ad res alias, forte non ita publicas & certas, & ex ipsa Confessione posset magis augeri infamia alterius. Hæc ille.

Rogas, quâ ratione posset magis augeri? Respondetur, quia posset addere majorem circumstantiam; fieri namque posset, ut qui commisit peccatum publicum, habuerit interim ignorantiam aliquam invincibilem, illum excusantem, aut libertate caruerit &c. quando autem jam dico, eum confessum esse, offendit illum non materialiter tantùm, sed etiam formaliter peccasse.

Atque ut non augeret infamiam, immo potiùs diminueret, & cederet in magnam ædem pœnitentis; haud equidem propterea licet; quia sigillum inductum est non tantùm in favorem pœnitentis, sed maximè ipsius Sacramenti: quod etiam tali casu, ùt dictum est, patitur præjudicium.

Audiamus Cajetanum bene explicantem hunc casum in Sum. verb. *Confessor*, circa finem: Nota (inquit) quòd si ego sciam cum toto populo Magdalenam concubinam, & Magdalena mihi confessa sit de peccatis suis & specialiter de concubinatu suo, si ego postea dixero: *Magdalena confessa est mihi peccata sua*, non revelo Confessionem; quia Confessio non fit nisi de peccatis. Sed si dixero: *Magdalena confessa est mihi de concubinatu suo*, jam revelo Confessionem; quia concubinatus, ùt cognitus per Confessionem, manifestatur. Et simile est de usurariis, & de aliis peccatis.

Et propterea Confessor quum audire eum contingit Confessiones publicorum peccatorum,

rum, licentiam petat à pœnitente loquendi de istis publicis, ad dicendum, quòd iste confessus est de tali peccato, & reliquit illud, & petit veniam de scandalo & mandat restitui &c. Potest tamen sinè omni licentia dicere: *Ego audivi Confessionem istius; ritè confessus est; Absolutionis beneficium impendi*; hæc enim bona generalia potest dicere. Hucusque Cajet.

120. Etiam circumstantiæ peccatorum cadunt sub sigillum.

Cæterùm quod hactenus dictum est de peccatis, etiam accipiendum est de circumstantiis, quæ vel speciem peccati mutant, vel malitiam ejusdem speciei augent aut multiplicant numerum; quia & hæ circumstantiæ peccatum sunt, aut pars peccati, & ùt notat Doctor Subtilis non possunt bene revelari sinè revelatione facti. Sic inquit 4. dist. 21. q. 2. n. 16. *De* quid *dico, quòd non tantùm peccatum principale confitentis, & circumstantias peccati, quia circumstantiæ non possunt bene revelari sinè revelatione facti, sed & persona secunda, cum qua peccatur* &c. Quod maximè verùm est de circumstantiis propriè dictis, de quibus hìc loquor, sequenti Conclusione de aliis acturus, quæ non directè, sed solùm indirectè cadunt sub sigillum.

Sotus.

Præmitto unam quæstionem pro fine hujus Conclusionis; an etiam illa, quæ pœnitens dubius vel formidans narrat tamquam peccata, cùm tamen non sint peccata, censeri debeant directa materia sigilli, ac si reverà essent peccata?

121. Probatur ultima pars Conclus.

Resolutio est affirmativa, ùt patet ex ultima parte Conclusionis, cujus ratio est: quia vel illa tenetur confiteri, si sint mortalia, juxta communiorem sententiam, quæ docet peccata dubia esse confitenda; vel saltem potest confiteri, & instar aliorum confitetur; ergo nulla est ratio, quare etiam instar aliorum non sint directa materia sigilli: quippe proponuntur Confessario tamquam directa materia Absolutionis, & directè absolverentur, casu quo essent vera peccata.

Sicuti ergo ad inducendum sigillum sufficit intentio Confessionis sacramentalis, licèt ex aliqua causa non sit talis; ita videtur sufficere intentio dicendi illa tamquam peccata, & per consequens, ùt partem Confessionis sacramentalis, estò reverà non sint talis pars.

122. Illicitè revelantur ea, quæ à pœnitente dicuntur ùt peccata, etsi peccata non sint.

Enimverò difficilè satìs est multis pœnitentibus, discernere & dijudicare, an aliquid hìc & nunc sit peccatum; an aliquid hìc & nunc sit necessariò exprimendum, vel saltem utiliter possit exprimi; adeòque si Confessarius ea omnia, quæ ipse judicat non esse peccata, posset ex Confessione revelare, Sacramentum haud modicum redderetur odiosum & onerosum: ergo illicitè ea revelantur, ùt patet ex dictis Conclusione primâ, ubì ostendimus principale fundamentum sigilli esse odium, quod generatur Sacramento per revelationem eorum, quæ in Confessione aperiuntur.

Unde non tantùm peccata, & circumstantiæ propriè dictæ peccatorum, manere debent sigillata, sed etiam, quæ ùt talia narrantur, estò reverà talia non sint. Immo, quod plus est, etiam illa, quæ pœnitens optimè novit non esse peccata, sunt tamen necessaria ad explicandum peccatum, de quibus ponitur

CONCLUSIO V.

Indirectè cadunt sub sigillum omnes circumstantiæ odiosæ, quæ conducunt, saltem ex judicio pœnitentis, ad peccati manifestationem; ùt imperfectiones naturales vel morales, occasiones peccatorum, peccatum complicis, & quæcumque aliena, ex sola Confessione cognita. Item peccatum à pœnitente committendum, dummodo propositum illud sacramentaliter confiteatur.

DIco; *Indirectè cadunt*, quia sicut hæc omnia solùm indirectè spectant ad Confessionem; neque enim sunt materia Absolutionis, ita quoque solùm indirectè possunt spectare ad sigillum, tanquam utilia, immo aliquando necessaria ad finem Confessionis, à qua proinde eorum revelatio retraheret, fortè non minùs, quàm revelatio peccatorum. 123.

Exemplum Conclusionis, in eo, qui confitetur se violasse votum.

Pono casum, aliquis confitetur se peccasse contra votum castitatis, licèt votum illud non sit malum, nec peccatum; sed potiùs bonum, & virtus; equidem quia necessariò explicatur in Confessione, & eatenus indirectè ad eam spectat, nequit Confessarius dicere ex illa scientia: *Talis habet votum castitatis*; præcipuè si addat, se id scire ex Confessione: licèt enim potuerit pœnitens illud votum dicere Confessario, tum ut sciret ejus obligationem, tum ut quæreret dispensationem, vel ob alium finem indifferentem; equidem cùm similia frequentiùs soleant tractari extra Confessionem, non modica ingeneratur opinio seu suspicio, quòd id intellexerit ex peccato aliquo contra illud votum, quod est indirectè revelare illud peccatum, ac proinde prorsus illicitum; quia meritò avertit pœnitentem à Confessione.

124. quod votum nequit Confessarius ex Confessione revelare.

Atque ut non diceret, se id scire ex Confessione, tamen pœnitens audiens suum Confessarium dixisse de illo voto, ipsi soli cognito, sinè dubio intelliget illum revelasse aliquid de Confessione; & fieri posset, quòd multùm interesse pateretur ex illa revelatione: v. g. est

Religiosus, qui sub habitu sæculari latet, de quo si dixeris, habere votum castitatis, statim incidet suspicio, quòd sit Religiosus, & cum magno sui præjudicio cogetur redire ad suam Religionem, à qua alioquin etiam justè poterat se subtrahere. Quis dubitat, quin tali casu maxima fiat injuria tum pœnitenti, tum ipsi Sacramento?

tametsi etiam pœnitens id desideraret.

Et quàmvis in casu particulari possint hæc incommoda cessare, immo pœnitens desiderare talem revelationem; attamen cessante fine legis in casu particulari negativè tantùm, non cessat lex, ùt habet communis doctrina Theologorum; licèt nec tunc cesset adæquatus finis, qui est evitatio omnis irreverentiæ, seu odii Sacramenti Confessionis, quod odium non evitatur, si in aliquo casu sit licitum revelare illud votum; quia semper pœnitentes erunt anxii, ne forrè Confessarius apprehendat revelationem sibi licitam, ubì hìc & nunc est illicita, & ipsi mallent, eam nullatenus fieri, propter rationes sibi meliùs cognitas, quàm Confessario. Ut ergo omnimoda esset securitas, oportuit, ut in nullo omnino casu, etiam ubì hìc & nunc nullum pœnitenti generatur incommodum, talis revelatio foret licita; quia semper aliis generatur illa anxietas, ad quam tollendam, sigillum à Christo fuit appositum.

225. Quæ sint imperfectiones naturales, quæ nequeunt revelari.

Et eadem est ratio imperfectionum naturalium & moralium, occasionum peccatorum & aliorum, quæ in Conclusione enumerantur. Si autem quæritur, quæ sint imperfectiones naturales? Respondeo: defectus natalium, macula originis, ignorantia & similia, quæ reddunt aliquem indignum beneficio, vel officio adepto, vel adipiscendo.

Quid sentiat Vasquez de his imperfectionibus.

Vasquez q. 93. a. 4. dub. 3. n. 2. distinguit; vel enim peccatum, ratione cujus est defectus ille defectus naturalis, est occultum, ut si dixerit se, estò haberet defectum natalium, habuisse animum accipiendi officium, quod tamen suscipi cum eo defectu non potest; & tunc ait non esse contra sigillum, revelare illum defectum, quia indè non potest ullo modo veniri in cognitionem peccati: si verò jam illud officium susceperit, tunc fatetur, Confessarium, illum defectum natalium revelantem, peccare contra sigillum; quia eo ipso revelat peccatum ejus pœnitentis, qui enim sciunt, illum esse Sacerdotem, & audiunt habere talem defectum, eo ipso inferunt: ergo peccavit suscipiendo eos Ordines seu illud officium. Hisce verbis refert sententiam Vasquez Arriaga disp. 45. n. 28.

Sed placet audire ipsum Vasquezium loco citato: Nescio, inquit, quâ ratione sit verum, quod docet Dominicus Soto art. illo 5. paulò ante secundam Conclusionem, contra sigillum esse Confessionis, revelare defectus naturales natalium, aut parentum, aut statûs personæ, etiam quando nullum indicium esse possunt peccatorum aut peccati alicujus; sic enim, cùm non pertineant, nec per accidens ad Confessionem, nescio quomodo sub illius sigillo contineantur, cùm sigillum tantùm videatur esse respectu eorum, quæ sunt materia Confessionis, quorum est notitia in hoc foro; & ita nobiscum docet Ledesma 2. 4. q. 10. a. 2. 2. Concluf. tenetur tamen ad secretum aliâ viâ. Nihilominus Ledesma docet, quòd inferat detrimentum Sacramento aliquod, quod ego non video, saltem quòd sit speciale peccatum. Hactenus Vasquez.

Sed si verum est, quòd inferat detrimentum aliquod Sacramento; ego satis clarè video, quòd sit speciale peccatum contra sigillum. Et quia id verum est; ideo dico cum Soto suprà, quem sequitur Suarius suprà n. 5. Lugo suprà n. 55. Arriaga statim citatus, & Alii, non licere unquam manifestare hujusmodi defectus, quoties à pœnitente dicuntur ad declarandum peccatum; etiamsi fortasse minùs prudenter agat, quia posset aliter dicere. Ratio est; quia hoc est necessarium ad communem modum confitendi hominum, & oportet, ut etiam simplices & ignorantes possint securè & sinè timore revelationis confiteri. Et aliunde revelatio hujusmodi defectuum sæpè est occasio majoris doloris, quàm si revelaretur aliquod peccatum, etiam mortale.

Est ergo maximè in hoc puncto attendendum ad notoreitatem rei dictæ, & ad hoc, quòd non sit materia pudoris vel doloris, & quòd ex illa nihil possit inferri de peccato ipso: his enim tribus positis, videtur planè certum, pœnitentem non dixisse eam circumstantiam sub secreto, sed sinè mysterio quod hoc punctum, estò alioquin dixerit ad declarandam malitiam peccati. Et hinc, si quis ad explicandam malitiam adulterii dicat, se esse conjugatum, vel ad explicandam malitiam sacrilegii, se esse Sacerdotem, poterit per se loquendo Confessarius postea dicere, se audivisse Sacerdotem, vel uxoratum: hæc enim moraliter nota sunt, neque sunt materia pudoris aut doloris, nihilque ex illis potest inferri de peccato ipso; adeòque per se loquendo non dicuntur à pœnitente sub secreto.

Dico; *Per se loquendo*; quia per accidens v. g. si Matrimonium vel Sacerdotium sit planè occultum, & sinè magno præjudicio pœnitentis non potest fieri publicum, indubiè tali casu censetur pœnitens id dicere sub secreto, & cùm dicat ad declarandam malitiam peccati, quod aliter non potest integrè confiteri, proculdubio revelatio foret contra sigillum Confessionis.

Quantùm ad defectus morales, v. g. quòd pœnitens sit scrupulosus, quòd nugis terat tempus, quòd sit molestus &c. existimat Lugo suprà n. 60. eos non contineri sub sigillo. Ratio ejus est; quia Confessarius non audit hujus-

Lugo existimat eos non cadere sub sigillo.

hujusmodi defectus ex relatione pœnitentis, sed ipse eos videt & percipit; sicuti si pœnitens sit blæsus, si rudis, si hebetis ingenii, qui & similes defectus naturales, quia in Confessione percipiuntur, ideo non manent sub sigillo.

Similiter ergo, si ostendat se naturæ molestæ, irresolutæ, durioris ad credendum, qui omnes defectus ibi fiunt, & per consequens non sunt materia Confessionis illius, non erunt sub sigillo: sicut si ibi committeret aliquod peccatum blasphemiæ, contumeliæ in Confessarium, & similia, non erunt sub sigillo: quia illa peccata non confitetur, sed committit videnti Confessario, nisi peccatum versetur circa ipsam Confessionem; ùt si peccatum, quod priùs fecerat, neget; quæ negatio est peccatum novum ibi commissum, sed manet sub sigillo; quia non potest illud detegere Confessarius, nisi dicendo Confessionem fuisse diminutam, quod jam esset revelare ipsam Confessionem, & ejus defectum. Ita Eminent.

Lugonem sequitur Arriaga.

Quem sequitur Arriaga suprà n. 31. dicens: Communis sensus videtur docere, eos defectus non esse sub sigillo; nam passim sinè ullo planè scrupulo solemus dicere, hunc aut illum esse ob suos scrupulos intolerabilem in Confessione.

128.

An passim hoc fiat sinè ullo planè scrupulo, valde dubito; saltem ego non facerem sinè ullo planè scrupulo, & puto scrupulum faciendum, quando aliunde illa scrupulositas pœnitentis, ex nimia frequentia Confessionis; aut aliis signis externis non est nota. Et procul dubio meliùs est tacere; imò fortè obligatorium, ùt habet Concluſio, quam docet Coninck Disput. 9. de Sigillo n. 11. ibi: Ex dictis Navar. c. 8. n. 12. infert, eum non frangere sigillum, qui dicit Petrum solere sibi obtundere caput munitissima peccata confitendo. Sed etsi talis directè non frangat sigillum, malè tamen & periculosè hoc dicit. Nam videtur innuere talem esse scrupulosum; aut saltem facilè posset audientibus talem ingerere opinionem; atque ita indirectè sigillum frangere. Hæc ille.

Oppositum docet Coninck.

Quem sequitur Auctor.

Ergo secundùm hunc Auctorem, qui diceret, talem esse scrupulòsum, frangeret sigillum. Quæ sententia magis favet Sacramento (& ideo eam elegimus) nam certum est revelationem illius & similium defectuum, si non cognoscantur ab aliis, neque à Confessario, nisi præcisè ex ipsa Confessione, posse reddere Sacramentum odiosum similibus pœnitentibus.

129. Sententia Malderi.

Hinc Mald. suprà c. 15. quærens, an sub sigillum cadant ipsi errores pœnitentis, in modo confitendi admissi. Respondet: Quidquid verecundiam pœnitenti inferre potest, celandum est. Itaque & ejusmodi errores celandi hactenus, ut cum designatione personæ detegi non possint; quæ designatio personæ sufficienter fit, quando Sacerdos dicit: Hic quem vides, non novit modum confitendi, etiamsi persona neutri sit nota. Hæc ille. Nam hoc ipso persona illa sive nota, sive ignota suffunditur rubore, & per consequens fit ei Confessio odiosa.

Solvitur objectio.

Nec obstat; quòd illos defectus non cognoscat Confessarius ex directa Confessione, quia saltem indirectè cognoscit ex Confessione; cùm sæpè moraliter sit impossibile hujusmodi hominibus aliter peccata sua explicare: cumque aliunde cedat in gravamen eorum, quòd tales defectus in sola Confessione cogniti revelentur, videtur reverentia Sacramenti obligare ad sigillum. Aliud est de peccatis, quæ ibi committuntur, quoniam merè accidentaliter & omnino impertinenter se habent ad Confessionem.

130. Quid dicendum de occasionibus peccatorum & peccatis aliorum.

Venio ad occasiones peccatorum, & peccata aliorum, quæ aliquando necessariò, aliquando utiliter in Confessione explicantur. Necessariò quidem occasiones proximæ, & peccata aliena, quando sinè illis nequeunt propria peccata specificè & numericè declarari; utiliter autem occasiones remotæ, ad petendum consilium eas evadendi; & similiter peccata aliena, ut ita meliùs innotescat Confessario peccatum proprium.

Atque ut nullo modo spectarent ad Confessionem, sive ad explicationem peccatorum pœnitentis, immo pœnitens novo peccato detractionis peccaret, ea revelando; cùm tamen aliundè sint vera materia Confessionis, & non cognoscantur nisi in ipsa Confessione, videntur nihilominùs cadere sub sigillum, ne per eorum revelationem Sacramentum fiat odiosum.

131. Sententia Malderi.

Audiamus Malderum in Tract. de Sigillo Confess. c. 16. Non potest, inquit, esse dubium, quin sigillo comprehendantur omnia aliorum peccata, quæ ità cum suo peccato pœnitens exprimit, ut connexionem aliquam cum illo habeant, ob quam putavit ea esse narranda. Exempli causâ: Adultera narrat se malè à marito fuisse exceptam; ideòque in adulterium lapsam fuisse: non est dubium, quin peccatum mariti sigillo contineatur. Si verò omninò concomitanter narrata sint, sciat Sacerdos, malè se fecisse ejusmodi narrationem admittendo; pejus autem facturum imprudenter & sinè magna causa de illis postea loquendo: quàmvis enim sub sigillum non cadant, naturali tamen secreto continentur; eo etiam accedente, quòd eorum revelatio redundaret in odium Confessionis, & scandalum; præsertim cùm proclive sit hominibus suspicari, non nisi ad Confessionem pertinentia, in Confessione esse dicta, & fortè jam rescitum sit, tempore Confessionis talia dicta esse Sacerdoti. Hæc ille.

Sed

Expenditur ab Auctore.

Sed si verum est, ut puto, revelationem eorum redundare in odium Confessionis, melius dicitur, illa cadere sub sigillum; cùm illud odium sit unicum fundamentum, seu ratio, ut jam non semel dixi, obligationis sigilli.

132. Unde idem Auctor c. 15. in principio sic ait: Continetur etiam sigillo, quidquid Confessione explicatum tale est, ut narratum aut revelatum explicitè vel implicitè, directè vel indirectè detectum, Confessionem reddat apud pœnitentem aut alios odiosam, aut aliquo modo in damnum, gravamen, aut pudefactionem pœnitentis, aut in injuriam Sacramenti cedat.

Peccatum complicis comprehenditur sigillo.

Et de peccato complicis c. 17. docet, certissimum esse sigillo comprehendi, sive fuerit ex justa necessitate detectum, sive peccatum fuerit in ipsa detectione, utpote quia non erat necessaria absolutè ad explicandum proprium peccatum; vel licèt esset necessaria, adiri poterat alius Sacerdos non noscens complicem.

133. Probatur ex Scoto,

Quæ est communis omnium sententia, quam docet Scotus 4. dist. 21. q. 2. n. 16. in principio hisce verbis: *De Quid dico, quòd non tantùm peccatum principale confitentis & circumstantias peccati ..... sed & personam secundam, cum qua peccatur, quod patet per rationes positas ad primam & secundam Conclusionem; quia etiam confitens vult famam personæ, cum qua peccavit, salvare, id est, deberet velle, sicut sui: immo eò magis, quòd persona illa sibi fuit coniuncta in crimine: tantùm enim magis tenetur ei ad boni restitutionem, quod per illam amisit, & ad custodiam illius boni, quod potest custodire, non obstante illo malo commisso. Fidelitas etiam & veracitas & unitas seu communitas patet hìc ut priùs.*

Consimiliter tres rationes pro secunda Conclusione; quia non celatio retrahit à Confessione; deducit etiam ad forum alium, quòd est in hoc foro ventilatum, & est occasio mentiendi in isto foro, ut priùs dictum est. Ita Doctor Subtilis.

& Concil. Leodiensi.

Astipulatur Conc. Leodiense celebratum an. 1445. c. 4. ibi: *In Confessione caveant Sacerdotes, quòd si confitentes nomina eorum indicaverint, cum quibus peccaverint, secretum teneant, sicut confitentis peccatum.*

134. Item ratione ex Maldero.

Ratio est, inquit Malderus suprà, quia ex revelato peccato complicis adeò magna sequuntur incommoda in odium Confessionis, ut quando revelatio timeretur, non teneretur complicem pœnitens exprimere.

Deinde, complices sint Titius & Livia, & uterque fateatur peccatum suum uni & eidem Sacerdoti, nisi complex sit sigillatus, poterit Titio ex Confessione Liviæ, & Liviæ ex Confessione Titii Sacerdos objicere peccatum suum. Adde, quòd apud alios etiam via facilè sternatur, ad revelandum peccatum confitentis, si complicis peccatum per Sacerdotem prodatur.

Denique, sicut ex parte Confessarii tenetur celare interpres, tamquam accessorius ad excipiendum Confessionem; ita ex parte confitentis meritò debet celari complex, tamquam accessorium quid, faciens pro explicanda Confessione, sive bene, sive malè interim complex ipse prodatur à pœnitente. Ita pro sententia communi argumentatur Malderus. Et rectè quidem.

Sed eadem argumenta videntur probare nostram sententiam, de qua est controversia. Nam in primis, etiam ex revelato peccato, planè concomitanter narrato in Confessione, sequitur odium Confessionis & scandalum, ut fatetur Malderus. Deinde, narret concomitanter Titius peccatum aliquod Liviæ, & Livia peccatum aliquod Titii eidem Confessario, nisi illa peccata sint sigillata, poterit Confessarius Titio ex Confessione Liviæ, & Liviæ ex Confessione Titii peccatum suum objicere.

Si dixeris; non ex Confessione, sed peccatum suum in Confessione narratum; idem ego dicam de peccato complicis, quando confitens scit, neque necessarium, neque utile esse illud peccatum in Confessione explicare; sed ex mera malitia, cum novo detractionis peccato explicat. Et tamen etiam tunc peccatum complicis est sigillatum: ergo etiam peccatum non complicis in eisdem circumstantiis. Neque enim complex, qui prorsus impertinenter explicatur in Confessione, potiùs facit quid accessorium pro explicanda Confessione, quàm non complex. Itaque videtur idem posse dici de peccato complicis, & non complicis in eisdem circumstantiis.

Rogas; an saltem sinè relatione ad confitentem, possit Confessarius revelare peccatum complicis, dicendo v. g. quòd fornicatus sit, & non cum qua? Respondet Malderus suprà cùm Aliis, quos citat, non posse. Ratio est, quia Confessio non tantùm redditur odiosa detectione peccati ipsius confitentis, sed & detectione peccati complicis; & secretum commissum est, non tantùm in ordine ad personam confitentis, sed etiam in ordine ad personam complicis. In tantum, ut etiam revelans solum complicem, incurrat pœnam Canonis: *Omnis utriusque* 12. de Pœnit. & remiss. ut ibidem docet Marderus cum Aliis, quos citat; quoniam dispositio Capitis est contra eum, qui revelat peccatum in Confessione detectum.

Hæc sunt verba cap. *Caveat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo, aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ cautè requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à sacerdotali officio deponendum &c.*

Quæ

Quæ verba sicuti prohibent Confessario prodere peccatorem tam pœnitentem, quàm complicem; nam ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus: ita etiam puniunt Confessarium, qui detegit seu prodit peccatorem tum pœnitentem, tum complicem. Atque hæc satis de peccatis præteritis seu commissis.

137. An peccata committenda cadant sub sigillum.

Restat quæstio de peccatis futuris, seu committendis, num & ista contineantur sub sigillo: v. g. aliquis dicit in Confessione, se habere propositum alterum occidendi; propositum fornicandi &c. & nequit Confessarius eum à tali proposito avertere, nunquid poterit objectum illius propositi revelare? Dico; *Obiectum*; quia quòd non possit ipsum propositum revelare, clarum est, utpote formale peccatum, quod pœnitens tenetur confiteri; quidni ergo debeat manere sigillatum? Non est dubium. Alioquin quoties pœnitens non absolvitur propter indispositionem, posset Confessarius peccatum revelare, quod est clarè falsum, ùt patet ex dictis.

Controversia ergo est de objecto peccati; v. g. de homicidio, vel fornicatione, quæstio, inquam, est, an posset dicere Confessarius; *Cras Paulus occidet Ioannem*; *Cras Paulus fornicabitur cum Ioanna*. Et videtur respondendum affirmativè, quando foret justa causa, v. g. si diceretur ei, qui posset impedire homicidium, vel fornicationem: nam Confessio non est de peccatis futuris, sed præteritis; ergo peccata futura non continentur sub sigillo.

Ratio pro parte negativa.

138. Triplicitet potest aliquis peccatum confiteri ex Alensi.

Hanc quæstionem proponit Alex. Alensis 4. part. Sum. q. 78. memb. 2. a. 2. ad cujus evidentiam Notat, quòd tripliciter potest aliquis peccatum confiteri. Uno modo confitendo peccatum præteritum, quod nollet fecisse; nec proponit facere, & talis Confessio clauditur sub sigillo. Alio modo potest quis confiteri peccatum præteritum, quod nollet fecisse; non tamen proponit desistere, sed potiùs permanere, & talis Confessio adhuc clauditur sub sigillo: quàmvis enim peccatum, quod proponit facere de futuro, secundùm se claudi non habeat sub sigillo, tamen propter connexionem, quam habet in Confessione cum peccato de præterito, quod nollet fecisse, sub sigillo habet occultari. Tertio modo potest quis confiteri peccatum præsens, non tamen ùt præsens, sed potiùs ùt est in proposito de futuro, sicut in casu isto, de quo hìc est quæstio.

Sententia Alensis de hac controversia.

Dico ergo: quòd non tenetur celare simpliciter; nec si Sacerdos talem Confessionem revelaret, posset condemnari tamquam violator sigilli Confessionis: tamen, quia hoc quædam species esset mala, & infamia sequeretur, propter hoc credo, etsi non teneatur de jure talem Confessionem occultare, debet tamen celare ratione publicæ honestatis, nisi inconveniens aliquod grave sequeretur: tunc enim credo, quòd non esset talis Confessio penitùs tacenda; nec tamen publicè revelanda propter periculum infamiæ. sed cautè & secretò alicui, qui posset & vellet prodesse innotescendo. Hactenus Alensis.

139. quæ displiceat Auctori, nisi commodè intelligatur.

Sed displicet; nisi commodè intelligatur de confessione non sacramentali, id est, quando propositum illud confitetur animo potiùs irridendi Sacramentum, quàm animo subjiciendi Clavibus Ecclesiæ seu directioni Confessarii.

Malderus.

Ut discernas; inquit Malderus suprà c. 15. an peccatum futurum, tibi in Confessione dictum, teneàris habere sub sigillo, inspice quo animo te accesserit peccator; si enim præter futurum peccatum nihil dicens, potiùs rideat, quàm faciat Confessionem, non teneris sigillo. Si verò vel alia peccata sit cum intentione relata ad Claves confessus, & futurum detegat, à cujus proposito, passione superatus, se desistere non posse fateatur, aut etiam nihil aliud fateatur, quàm hoc ipsum malum propositum se habuisse, & etiamnum habere, & nescire, quomodo sese ab eo poterit expedire, & similia, teneris sigillo; quia agit cum Confessario ùt tali, & ùt animæ medico, cujus est pro virili sua, vulnera peccatoris, sibi ostensa, sanare, & in omnem eventum summo studio & quasi emplastro quodam suo tegere, ne tales penè desperati omnino detrectentur à Confessionis necessario remedio, quo maximè indigent.

Sigillum hic habet locum, quando est Confessio sacramentalis,

Itaque sigillum habet locum, quando Confessio fit animo se accusandi in hoc foro pœnitentiæ secreto, & aliquo modo se Clavibus subjiciendi, ut juvetur eo modo, quo Confessor judicabit id fieri posse, si non absolvendo, saltem dando consilium, ne lignum fumigans extinguatur, & similibus modis, non obstante aliàs malâ dispositione; v. g. etiamsi dicat, se, cùm non sit Sacerdos celebrasse, & velle imposterùm celebrare. Hucusque Malderus.

140. Quare dicatur in Concluf. *Dummodo propositum &c.*

Ex quo patet, quare addiderim in Conclusione illam particulam: *Dummodo propositum illud sacramentaliter confiteatur.* Quia tunc propositum illud spectat ad Confessionem, si non ùt materia Absolutionis, saltem ùt impedimentum illius, cujus cognitio ita ad Sacerdotem pertinet, sicut ipsorum peccatorum quæ absolvenda sunt, & hoc in quantum ille Iudex est in hoc foro. Et eodem modo spectat ad Confessionem ipsum peccatum, quod est objectum propositi, utpote cum eo habens necessariam connexionem, quòd proinde non potest manifestari, nisi simul implicitè manifestetur ipsum propositum; ita quòd quilibet, qui audiret illud peccatum revelari ex Confessione, statim intelligeret propositum illius peccati.

Si ergo propositum non potest revelari, neque ejus objectum seu peccatum, eo modo quo dictum est; & per consequens neque circumstantiæ odiosæ peccati, propter connexionem, quam habent cum ipso peccato. Hanc sententiam sequitur Diana part. 5. tract. 11. resol. 25. cum Aliis quos citat, quibus adde Vasq. q. 39. a. 4. dub. 3. Lug. suprà n. 53. & alios Recentiores.

Diana.

Vasquez. Lugo.

Rogas, quid dicendum de circumstantiis non odiosis, v. g. de nomine pœnitentis, patria, dignitate &c. Item de odiosis sinè ordine ad peccatum expositis. Denique de virtutibus, & revelationibus pœnitentis? Respondeo:

CONCLUSIO VI.

Circumstantiæ non odiosæ, ut nomen, patria, dignitas, status; & odiosæ sinè ordine ad peccatum expositæ; similiter virtutes, aut revelationes, non sunt per se loquendo materia sigilli.

141. Quæ sint circumstantiæ non odiosæ, quæ non cadunt sub sigillū.

Circumstantias non odiosas voco, quarum revelatio non reddit Sacramentum odiosum; tales sunt, ùt habet Conclusio, nomen, patria, dignitas, status, &c. sive enim pœnitens vocetur Paulus, sive Petrus, sive sit Antuerpiensis, sive Mechliniensis, sive Lovaniensis, Sacerdos, vel sæcularis, hujus vel illius Religionis, Consul civitatis, vel de communi plebe, omnes tenentur sua peccata confiteri ex præcepto divino: ergo Confessarius revelando illas circumstantias per se loquendo nulli facit injuriam, nec aliquis meritò potest indè retrahi à Confessione.

Dico; *Per se loquendo*; quia, ùt superiùs notavimus, posset fieri, ùt revelando aliquas ex his circumstantiis, pœnitens adduceretur in suspicionem certi peccati, aut aliud notabile damnum incurreret; quo casu indubiè revelatio redderet Sacramentum odiosum, & ideo ibi diximus, tunc Confessarium obligari sigillo, quia jam sunt circumstantiæ odiosæ; sed hoc per accidens est: & ideo simpliciter hìc appellantur non odiosæ, ab eo, quod per se illis convenit.

142. Illud tantùm est materia sigilli quod revelatum reddit Sacramentum odiosum.

Ex quo sequitur, eas per se loquendo non esse materiam sigilli; quia illud tantùm est materia sigilli, quod revelatum reddit Sacramentum odiosum seu onerosum pœnitenti, causans aversionem ab ejus susceptione, cujus signum est, quòd pœnitens noluisset extra Confessionem illud dicere Confessario. Iam autem, nomen, patriam &c. per se loquendo pœnitens æquè facilè diceret extra Confessionem, quàm intrà, si eadem se offerret occasio.

Hinc si aliquis se accuset, quòd gavisus fuerit de homicidio, quod heri contigit in foro, estò homicidium illud sit peccatum alienum, cujus revelatio ex Confessione, per se loquendo, redderet Sacramentum odiosum, adeòque illicita; tamen quia hìc & nunc narratur seu exprimitur tamquam publicum, ita quòd æquè facilè pœnitens illud diceret extra Confessionem, putant DD. illud peccatum publicum non esse sigillatum, ita ut Sacerdos licèt illud per accidens ignorasset, equidem jam haberet scientiam liberam: nam pœnitens illud potiùs præsupponit omnibus notum, & ideo non dicit illud sub sigillo; sed solùm suum peccatum, circa illud, tamquam circa objectum, commissum. Ita Lugo suprà n. 57. quem sequitur Arriaga Disp. 45. n. 29. in fine, ponens exemplum in eo, qui diceret: *Accuso me, quòd heri interfuerim duello illi publico.*

Solùm obstare videtur, quod Conclusione præcedenti diximus; peccatum publicum pœnitentis esse materiam sigilli, etiam juxta præfatos Auctores: hoc, inquam, obstare videtur; quia cùm pœnitens sciat peccatum suum esse publicum, non videtur velle illud dicere sub sigillo, eo modo, quo non vult dicere sub sigillo peccatum alienum, quod scit esse publicum.

Respon. disparitatem esse; quòd peccatum proprium sit materia per se Confessionis & pudoris; secùs peccatum alienum; de quo in casu præcedenti; & ideo per revelationem prioris redderetur Sacramentum odiosum; secùs per revelationem posterioris. Itaque quòd Sacerdos revelet peccatum alienum publicum, nullum potest afferre pœnitenti pudorem, aut aliud causare incommodum, propter quod averteretur à Confessione, sicuti dum revelat peccatum alienum occultum, aut peccatum proprium publicum, ùt patet consideranti.

Sed quid dicam de virtutibus & revelationibus, quæ per accidens in Confessione deteguntur, ad habendam instructionem à Confessario, & directionem in vita spirituali, vel ad manifestandum integræ conscientiæ statum?

Indubiè non sunt materia per se accusationis aut pudoris, sed laudis potiùs & gaudii; adeòque earum detectio non potest per se loquendo reddere Sacramentum odiosum, & per consequens non sunt materia sigilli; ùt communiter docent Theologi. Poterit tamen, inquit Malderus suprà cap. 15. esse naturalis obligatio celandi quantum pœnitens voluerit; alioqui certum est, earum revelationem non reddere Confessionem odiosam, nisi fortè ex virtutum narratione, sternatur via directè vel indirectè, ad detegenda aliqua confessi vitia vel peccata, ùt bene Medina Codice de Confess. q. 27. & Reginal.

Reginaldus. ginal. lib. 3. c. 4. initio. Exemplum est, si absque licentia peccatorem, etiam publicum, laudet de seria sua pœnitentia, quam in sola Confessione advertit. Licitæ laudis exemplum est in vita B. Tho. Aquin. cujus Confessarius testatus est, ipsum virginem & innocentem fuisse. Absit tamen in istis semper indirecta aliorum vituperatio. Ab hoc defectu libera esse poterat viri tam conspicuæ sanctitatis commendatio. Simile quid reperitur in vita B. Iacobi de Marchia.

Soto. Bene monuit Soto, infrà citandus, rarissimè Confessarium, etiam post mortem, debere dicere de suo pœnitente: *Numquam talis confessus est mihi peccatum mortale.* Si è contrario Confessarius audiat laudari ab aliis pœnitentem, quem ipse novit non esse tam bonum, ac vulgò putatur, caveat ne laudantem ex Confessione corrigat; sed dissimulet se audire, vel vulgi opinioni exteriùs se quoad potest conformet. Ita Major.

Bene etiam monuit idem Sotus de tegendo secreto memb. 3. q. 4. non solùm non esse Confessario dicendum, quid in Confessione audiverit; sed neque negandum ei esse ibi audivisse, quę non audivit; adeò ut in favorem innocentis non possit testari, ipsum in Confessione sibi hoc delictum non esse fassum. Hucusque Malderus.

145. Et accidens possunt cadere sub sigillum.

Et ideo signanter dixi in Conclusione: *Per se loquendo*: quia per accidens, ùt patet ex dictis, possent virtutes esse materia sigilli. Hinc Eminent. suprà n. 58. Aliquando (inquit) dici possunt (virtutes, revelationes & similes gratiæ) ad declarandum meliùs aliquod peccatum, v. g. ingratitudinem erga Deum post hæc & illa dona & beneficia Dei, vel inconstantiam in bono

Lug. post tale propositum firmum procurandæ perfectionis & similia; & tunc credo, quòd pertineant ad sigillum, cùm jam sint, saltem in obliquo, materia Confessionis; & aliunde appareat, quòd pœnitens non vult illa extra Confessionem manifestare, sed retinere illa sub sigillo arctissimo Confessionis. Hæc ille.

Arriaga. Sed displicent Arriagæ suprà n. 30 ubi sic ait: Ego non puto ex hoc capite posse ullam sumi disparitatem; quia sive hoc fine, sive alio dicantur, numquam sunt peccata, nec materia Confessionis, ne quidem in obliquo, sed tantùm purus terminus extrinsecùs ejus peccati ingratitudinis; nec ullo modo ostendunt peccatum dictum in Confessione; nec apparet ex hoc capite, cur malit pœnitens occultari, quando eas dicit hoc modo, quàm si eas dixisset, ut consuleret Confessarium circa suæ conscientiæ directionem.

146. Non est liberum pœnitenti obligare Confessarium ad sigillum in quacumque re.

Adde; non videri liberum pœnitenti, obligare Confessarium ad sigillum in his, quæ non sunt ex se materia illius; ut si ille eloquentissimè in Confessione locutus fuisset, estò vellet eam eloquentiam manere sub secreto, non est tamen id in voluntate ipsius: debet enim esse aliquid, quod ex se sit peccatum, aut circumstantia illius, vel in pudorem & minorem illius æstimationem, vel certè ex quo possit quodammodo veniri in peccati cognitionem. Ita Arriaga. Quæ doctrina magis placet.

Cæterùm, ne quispiam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat, pro clariori intelligentia eorum, quæ hactenus dicta sunt de sigillo, instituo novam Sectionem de Effectu Sigilli.

SECTIO SEPTIMA.

De Effectu Sigilli.

1. Confessarius non potest loqui de materia sigilli, etiam cum pœnitente, eo invito.

OBligatus sigillo illicitè loquitur de illius materia etiam cum ipso pœnitente, citrà ejus veniam; quàmvis enim respectu ipsius non sit propriè secretum, nihilominus potest esse obligatio non loquendi cum ipso de tali re, quam etiam obligationem propriè significat sigillum, ùt constat ex communi sensu & consuetudine Ecclesiæ.

Quid miramur? Nam talis locutio, si alteri fieret, proderet peccatorem; quòd autem fiat ipsi pœnitenti, per accidens est. Itaque sic loquens per se & ex natura suæ locutionis, prodit peccatorem; quia pœnitens jam novit se esse peccatorem, estò per impossibile anteà non novisset, idque ex Confessione: ergo de Confessario sic loquente verificatur, quod legitur cap. *Omnis utriusque sexûs* 12. de Pœnit. & remiss. *Caveant autem omnino, ne verbo aut signo, aut alio quovis modo, aliquatenus prodat peccatorem*, id est, sic loquatur, ùt audientes scire possint, hunc pœnitentem hoc aut illud peccatum cõmisisse.

cap. 12. de Pœnit. & remiss.

Ergo qui loquitur de peccato confesso cum ipso pœnitente, aliquatenus prodit peccatorem; quia sic loquitur, ut ipse pœnitens ex illa locutione sciat, se hoc vel illud peccatum commisisse & fuisse confessum, quod repugnat fini hujus legis, & bono ipsius Sacramenti: licèt enim talis locutio non sit infamia pœnitentis, haud equidem fit sinè ejus rubore & pudore, adeòq; Confessionem reddit odiosam. Hoc ergo supposito cum communi DD. uno vel alio excepto:

Quæro primò; an Confessarius possit uti scientiâ præcedente, vel consequente Confessionem. Secundò; an liceat referre peccatum, non nominando personam. Responsio ad utramque quæstionem erit.

CONCLUSIO I.

Confessarius potest uti scientiâ præcedente vel consequente Confessionem, dummodo propter hanc non addat aliquam certitudinem vel circumstantiam. Similiter referre peccatum, non nominando personam, quando nullum est periculum, deveniendi in notitiam personæ.

2. Probatur 1. pars Concl.

HÆc Conclusio duas habet partes. Prima probatur; quia Confessarius, qui utitur scientiâ præcedente vel consequente Confessionem, dummodò propter Confessionem non addat aliquam certitudinem, vel circumstantiam, perinde loquitur, ac si Confessionem non audivisset; & aliunde gravissimum esset onus Confessarii, si propter Confessionem amitteret jus utendi scientiâ, antè vel post habitâ: immo & pœnitentes indè sumerent occasionem eludendi Sacerdotes, non absque gravissimo nocumento boni communis, aut etiam privati.

Ponamus casum: subditus sciens, suum peccatum Superiori aliunde cognitum, ut evadat justam punitionem, necessariam pro bono communi, confitetur illud Superiori. Similiter fur injustè retinens res Confessarii, confitetur eidem, quia timet accusationem ex præcedente scientia, putas quia Confessarius non poterit eum actusare, ut tali viâ recuperet rem suam? Noli putare; quidquid Aliqui olim dixerint.

3. Quid de ipsa senserit D. Bonavent.

De hac controversia ita scribit Doctor Seraphicus 4. dist. 21. part. 2. a. 2. q. 3. *Dicunt quidam, quòd ex quo aliquis scit aliquid per Confessionem, qualitercumque sciat, & quandocumque sciat, illud verè non potest revelari; quia non potest tale quid revelari, cùm sit pars Confessionis, quin fiat sigillo Confessionis præiudicium, quod maximè & præcipuè servandum est integrum. Ad obiecta respondent, sicut suprà tactum est, quòd si videatur generari præiudicium vel sequi malum, non debet recipere sub sigillo Confessionis, sed cum protestatione, quòd nolit tenere secretum.*

Etsi ista opinio (subjungit S. Bonavent.) *pia videatur pro eo, quòd multum tribuit sigillo, scilicet Confessionis; tamen posset ducere in magnum periculum, scilicet quòd fieret veritati, & innocentiæ, & obedientiæ præiudicium, & fraudi præstaretur patrocinium, sicut ostensum est. Et constat, quòd sigillum Confessionis institutum est ad evitandum scandalum: veritas autem propter scandalum dimittenda non est.*

Et iterum, illa protestatio non facit, ut possit revelare, quod alias tenetur celare. Et iterum, si aliquis audivit Confessionem alicuius, & ille de illo peccato sit infamis, nunquid fractor sigilli dicatur, si de hac materia cum aliquibus loquitur? Hæc videtur nimis durum & impium.

Et ideo est secunda opinio, quæ videtur esse temperatior; quòd Confessio claudit os respectu cognitionis præcedentis, non respectu sequentis. Et ratio huius est; quia ille, qui prius novit, & in Confessione recipit, os sibi clauditur respectu præcedentis, sed non respectu sequentis. Sed hæc positio minus est rationabilis quàm prima, quamvis videatur magis sobria. Primùm; quia ex hac positione, ita generatur veritati præiudicium, sicut ex prima. Vlteriùs dicit, quòd sigillum Confessionis potest omnem cognitionem antecedentem claudere, & post cognitio superveniens potest illud aperire. Si enim Confessio ideo clauderet prius scitum, quia revelare scitum est frangere sigillum, cùm illud contineatur sub sigillo; quomodo cognitio sequens dabit potentiam loquendi vel manifestandi illud, quod sub sigillo erat clausum? Sub revelare, quod post scitur, in quantum post scitur, non præiudicat Confessionis sigillo; quare revelet prius scitum, cùm unum & idem possit sciri per visum: deinde per Confessionem; & tertiò per alterum revelationem? Ita Doctor Seraphicus arguit contra duas illas opiniones, quæ jam è Scholis evanuerunt.

Ipse autem docet Conclusionem nostram, continuò attexens: *Et ideo est tertius modus dicendi magis consonus veritati & rationi: quòd illud, quod scitur duplici viâ, duplici cognitione scitur, & sicut duplici cognitione scitur, ita potest homo oblivisci unum modum sciendi, & memorari alterum, sicut patet; quia aliquando obliviscitur se audivisse per relationem, & meminit se audivisse ex Confessione. Et sicut duplex est scientia, sive modus sciendi, sic duplex est modus revelandi, nec unus præiudicat alteri; ut si quis dicat:* Ego vidi; *vel dicat:* Ego in Confessione didici, *nec unus modus alteri præiudicat, & sinè sigilli fractione & præiudicio, & absque præiudicio veritatis potest, quod scitum per Confessionem, & per alium modum, revelari; ita tamen, quòd modus sciendi per Confessionem semper maneat in occulto.*

Quia tamen posset ex hoc scandalum generari, maximè apud pœnitentem, & apud alios; credo, quòd de bono & æquo magis debet celare, quam unus alius; & ideo propter vitandum scandalum pœnitentis, debet ei protestari in Confessione, quòd non debet illud celare; non quia illa protestatio acquirat ius revelandi, sed quia proximo aufert rationem scandali. Debet etiam permittere se cogi ad dicendum: cogitur autem, sive quia veritati generatur præiudicium, sive per mandatum: & ex tunc potest dicere absque omni remorsu: cum magna enim maturitate revelandum est alienum peccatum, etiam ubi non est annexum Confessionis sigillum. Et hæc positio rationabilior & securior videtur, & Iurisperiti in hanc magis consentiunt. Nec tantùm Iurisperiti, sed etiam Si Theologi, ùt superiùs annotavi.

5. Objectio ex c. 12. de Pœnit. & remiss.

Si objicias cap. *Omnis utriusque* 12. de Pœnit. & remiss. ibi: *Qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum, præsumpserit revelare, non solùm à sacerdotali officio deponendum* &c.

Resp. D. Bonavent.

Respondet D. Bonav. suprà: *Loquitur de revelatione peccati eatenus, quatenus per Confessionem scitum est.* Quòd tunc fieret in casu proposito, quando Confessarius propter Confessionem adderet aliquam certitudinem, vel circumstantiam.

Malderus.

Siquidem, ùt benè notavit Malderus suprà c. 10. per Confessionem pœnitentis peccatum certiùs quoad substantiam, & extensiùs & perfectiùs cognoscitur quoad animum, quo admissum est: quare etiam, quando aliunde scis Confessarium de peccatis tuis scire, teneris nihilominus eadem in Confessione teipsum accusando ei dicere. Esset itaque fractio sigilli, si Sacerdos peccatum, quod utroque modo in Confessione, & extra eam novit, dicat se certò scire, malo animo admissum esse, quod videndo, aut audiendo, non potuit scire tam certò, quo animo sit admissum, nisi aliud accedat.

6. Consultur Confessarius, ut taceant de peccatis, quæ audiverunt in Confessione, & alium, si etiam ea noverint.

Consultum itaque valde est, etiam de talibus tacere Confessarium, quando ejusmodi periculis posset intricari facilè de talibus loquendo. Nam & memoria falli potest, existimans se etiam extra Confessionem audivisse, quod in ea sola audivit, præsertim in præcipiti loquacitate. Potest etiam contingere facilè, ut pœnitens audiens, tale quid narratum fuisse à Confessario, ignoret aliundè, quàm ex Confessione sua, ipsi hoc innotuisse, atque ita graviter scandalizetur, & à Confessione sacramentali avertatur. Hactenus Malderus.

Igitur consultum erit, ad evitandum scandalum, simul explicare alium modum scientiæ, quem de tali re habet Confessarius, dicendo: *Vidi hoc*, vel, *Audivi à tali* &c. Absolutè autem cavendum, ne addat, sicut habet Conclusio, majorem certitudinem, aut aliquam circumstantiam ex sola Confessione cognitam. V. g. Confessarius suspicatur ex aliquibus indiciis, Petrum furatum esse res suas, tametsi jam hoc certò sciat ex Confessione, poterit nihilominus accusare eum, dummodò non alio modo accuset, ac si solùm haberet suspicionem; neque addat aliquam circumstantiam, v. g. Petrum tempore furti fuisse in loco furti, quam ante Confessionem ignorabat.

7. Objectio.

Ex his facilè solvuntur aliæ objectones Adversariorum. Nulla, inquiunt, Confessio est revelanda; hoc peccatum est Confessio, vel pars Confessionis, quod dupliciter novit: ergo &c.

Solutio D. Bonavent.

Respondet S. Bonav. suprà: *Quod ibi est Sophisma secundùm accidens pro eo, quòd isti peccato, in quantùm revelandum, extranea est Confessio; cum enim dupliciter sciatur, secundùm unum modum revelari potest, & debet; secundùm alium verò minimè,* Igitur falsum est, quòd non possit revelari hoc peccatum; quin reveletur Confessio.

8. Alia objectio.

Præterea objiciunt: illæ duæ cognitiones habent oppositionem & gradum, nam per unam cognoscit ùt Deus, per aliam autem ùt homo; quandocumque autem opposita sunt circa idem, necesse est quòd alterum vel utrumque cadat à sui proprietate; si ergo majus dominatur supra minus, & dominando vincit, & cognitio quâ cognoscit per modum Dei, sim pliciter major est; ergo videtur quòd illam tenetur sequi, & ita celare.

Respon. D. Bonav.

Respondet S. Bonavent. suprà: *Quod verum est, quod gradum habent, sed tamen non habent oppositionem, pro eo, quòd secundùm diversas vias sunt: unde idem potest esse scitum & tredditum: sic in proposito est intelligendum.*

9. Tertia objectio.

Objiciunt tertiò: sigillum Confessionis ita arctè institutum est, propter scandalum, & ne mali Sacerdotes malignari possint, & fideles per hoc à Confessione retrahi. Sed si ita esset, quòd posset aliquis revelare, quod per aliam viam novit, quilibet sub hoc prætextu posset omnia, vel pro magna parte revelare, dicens, se aliter nosse: & sic nullus malus posset convinci, nec in malitia deprehendi.

Solvitur à D. Bonav.

Respondet Doctor Seraphicus ibidem: *Quòd nunquam omnino potest malis claudi aditus malè faciendi; nec adeò debet claudi, quòd ex hoc claudatur bonis via rectè agendi; nec debet claudi aditus uni malo, ut aperiatur alteri; & ideo ratio illa non concludit, quòd illud, quod dupliciter est cognitum, necessariò oporteat celari.*

Accedit; quòd Confessario, juxta DD. communiter, incumbat probatio cognitionis aliunde acceptæ, alioquin puniendus pœnâ extraordinariâ: ergo non est periculum, quòd hoc prætextu omniâ, vel pro magna parte revelabit, & facilè erit malum Sacerdotem convincere, & in malita sua deprehendere.

10. Objectio 4.

Objiciunt quartò: sigillum Confessionis ita annexum est Confessioni, ut quicumque Confessiones audit, hoc ipso, quòd audit, se obligat ad secreti habitionem; sed si tu scires aliquid, & postmodùm promitteres referenti illud, quòd numquam illud diceres, teneris omnino celare: ergo &c.

Resp. ejusdem S. Doctoris.

Respondet D. Bonavent. suprà: *Ad illud, quod objicitur, quòd promittit habere secretum cùm audit, verum est ipsam Confessionem, & illud eatenùs, quatenùs sic scitur: aliter non promittit. Si etiam promitteret, ubi veritas vel obedientia præciperet revelari, quòd per aliam viam sciret, quia illud solùm revelari potest, promissio vel juramentum nullum esset. Unde si vidissem proximum peccantem tali peccato, quod teneor dicere Superiori, si iurem sibi non dicere, non absolvor; immo dicere oportet, & facienda est pœnitentia de periurio pro eo, quòd contrà iustitiam iuravit. Et sic patet totum.* Hæc Doctor Seraphic.

Extemplò subjungens: *Ex hoc autem, quòd dictum est, non debet Sacerdos sumere audaciam revelandi & loquendi de facili de eo, quod per Confessionem novit, pro eo, quòd Confessionis sigillum adeò est custodiendum, ut non solùm vitetur fractio, immo etiam dignum est, ut tollatur de hoc omnis suspicio, ne in contemptum veniat Sacramentum Confessionis.*

Finio hanc controversiam, & dico cum Maldero suprà c. 10. Etiamsi certò præsciat Sacerdos, se à Iudice cogendum, ut ferat testimonium ex aliundè notis contra reum, non propterea debere se excusare ab audienda ejus Confessione; quàmvis justa sit causa, quando commodè id fieri potest, istâ vice subterfugiendi ejus auditionem. Hactenus de prima parte Conclus.

11. Quid dicendum de Confessario, qui revelat peccatum auditum in Confessione, non nominando personam?

Sed quid dicam de secunda, id est, de Confessario, qui revelat peccatum auditum in Confessione, non nominando personam? Quàmvis id per se non sit illicitum, magnâ tamen opus est cautelâ, ne aliquis auditorum, combinando unum dictum cum alio, veniat in cognitionem personæ.

Circumfertur quædam historiola, quæ sive vera sit, sive falsa, & ad Confessarios monendos & deterrendos conficta; rem tamen bene declarat. Est autem hæc: Confessarius quidam remoto satìs loco ab eo, ubì Confessiones audierat, dixit: *Prima persona, quam audivi confitentem, fuit adultera.* Post aliquot annos dum in illam personam, marito præsente, incidisset, oblitus jam prioris sui dicti, cùm jubilo dixit eam salutans: *Vestra dominatio fuit prima, cuius Confessionem in vita mea audivi.* Maritus, qui & priorem, & hanc secundam propositionem Confessarii audiverat, Consequentiam facilè intulit, & suam uxorem, ut de adulterio à se clarè convictam, interfecit.

Malderus.

Hi fructus sunt (inquit Malderus suprà c. 14.) nimis proclivium ad colloquendum familiariter, etiam in genere, de auditis in Confessione. Meritò ideo eos passim reprehendunt Doctores; quàmvis, etiam citra periculum revelationis, inhonestum sit & irreligiosum ad jocos adhibere aut recreationem, quæ ex isto Sanctuario accepta fuerint. Quare meritò id reprehendit Sotus Relect. de tegendo secreto memb. 3. q. 4. & Hostiensis dixit, esse tales Confessarios, qui, quasi ridentes & jocantes conferunt inter sese Confessiones auditas, privandos facultate audiendi Confessiones. Certè partem mihi videntur habituri cum illis Babyloniis, qui temulenti biberunt ex sacris vasis templi Dan. 5 Hæc ille. Quæ digna sunt consideratione.

12. Per se loquendo non frangit sigillum juxta Scotum.

Interim Conclusionem nostram docet Scotus 4. dist. 21. q. 2. n. 15. hisce verbis: *Generaliter est verum..... quòd peccatum confitentis, non relatum, nec determinatum, ad personam confitentem, potest dici à Confessore, & utiliter, immo necessariò, quando non est ita peritus, ut sciat ipse consulere, & tunc potest utiliter & necessariò dicere cuicumque prudenti, qui scit consulere sibi.*

Quod eâdem q. n. 6. probaverat ex jure Canonico c. Officii 9. de Pœnit. & remiss. ibi: *Significasti quamdam mulierem in pœnitentia tibi confessam, quòd timens, ne viri possessio devolveretur ad alios, quorumdam herbarum succum potavit, & sic venter eius intumuit, & inde gravidam se ostendens, sibi partum supposuit alienum, timens scilicet maritum, non vult facinus ipsi detegere: qui prolem credit sine dubitatione qualibet esse suam.* Hæc erat consultatio Card. S. Laur. in Lucina, in qua detegitur peccatum confessum, absque revelatione tamen, aut determinatione ad personam confitentem.

Et ideo Papa consultantem non redarguit de revelatione illa in universali, sed respondit qualiter sit tali personæ confitenti consulendum, dicens: *Quoniam igitur postulas edoceri, utrùm ei, hâc fraude durante, sit pœnitentia imponenda: Respondemus, quòd sicut mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia denegenda: ita nec illi debet pœnitentia denegari, maximè si per alios, intelligas alienos, ad quos timet possessionem viri devolvi: sed competens satisfactio per discretum Sacerdotem ei debet iniungi.* Ita Innocent. III.

Hoc etiam patet (inquit Scotus suprà n. 6.) *ex communi usu Confessorum. Sive enim in communi sermone, sive in prædicatione aliquando dicunt, talis casus contigit, aliqua persona sic & sic peccavit. Habetur igitur illa propositio, quòd Confessor potest licitè extra Confessionem dicere peccatum sibi confessum, ita tamen, quòd nullo modo relatum ad personam confitentem, ut possit deveniri ad notitiam eius.* Quæ est nostra Conclusio, non indigens aliâ probatione, sed explicatione quorumdam casuum, in quibus ex revelatione illa in universali, potest deveniri in notitiam personæ confitentis.

Antequam autem illos casus explicem, generaliter Noto; peccare contra obligationem sigilli, illum, qui facit, ut etiam tantùm in suspicionem veniat peccatum & peccatores. Quippe omnis ille aliquatenus prodit peccatorem, quod sufficit etiam ad incurrendam pœnam cap. *Omnis utriusque* 12. de Pœnit. & remiss. ùt patet ex his ejus verbis, in quibus continetur nostra doctrina: *Caveat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo, aliquatenus prodat peccatorem: sed si prudenter consilio indiguerit, illud, absque ulla expressione personæ, cautè requirat: quoniam qui peccatum, in pœnitentiali iudicio sibi detectum, præsumpserit revelare, non solùm à sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam &c.*

Ubì in primis significat Concil. sigillum violari non solùm verbis, sed etiam factis & nutibus. Ratio est: quia non tantùm verbis, sed

sed etiam factis & nutibus potest peccator, & peccatum confessum exteriùs significari; adeòque æqualis fit injuria pœnitenti, & Sacramento. Sicuti non minùs peccat, qui factis aut nutibus, quàm qui verbis detrahit, seu crimen occultum, extra Confessionem cognitum, propalat.

Occurritur objectioni.

Nec obstat, quòd facta aut nutus non sint per se instituta ad significandos conceptus; sufficit namque, quòd absolutè significent peccatorem, & peccatum confessum, sive sint instituta ad hoc, sive non; cùm æquale semper, ùt dictum est, fiat præjudicium pœnitenti, & Sacramento; quoniam æquè infamatur pœnitens, ùt clarum est, adeòque æquè redditur Sacramentum odiosum.

15. Non licet etiam indirecta revelatio.

Secundò declarat ibi Concilium; neque licitum esse, indirectè revelare peccatorem & peccatum, dicit enim: *Aut alio quovis modo aliquatenus prodat* &c. id est, directè vel indirectè; quoniam in moralibus ejusdem rationis est, aliquid indirectè velle, quando objectum, seu effectus vel detrimentum, idem est, prout est in præsenti casu.

Quid sit indirectè revelare,

Fit autem revelatio indirectè, quando non quidem expressis verbis, aut aliis signis proditur peccator & peccatum, dicitur tamen, aut fit aliquid, ex quo audientes vel videntes, possunt peccatorem vel peccatum aliquo modo fundatè suspicari. Et ideo addidit Concil. ly *Cautè*, id est, non solùm absque ulla directa expressione personæ, sed etiam absque ulla suspicione personæ.

Denique in illis verbis significatur; duo debere concurrere, ut sigillum violetur: unum est, ut peccatum vel peccata in Confessione detecta revelentur; alterum, ut persona, quæ confessa est, aliquo modo prodatur: *Caveat* (inquit Concil.) *ne aliquatenus prodat peccatorem.* Et infrà: *Quoniam qui peccatum ..... præsumpserit revelare*, sic videlicet, quòd aliquousque conjunctim prodatur ipse peccator.

16. Quomodo Sacerdos debeat celare peccata confitentis.

Quando ergo dicitur, Sacerdos debere celare peccata confitentis, intelligendum id est, conjunctim & non divisim, ita ut non possit dicere: *Talis est mihi confessus talia peccata*; quàmvis dicere possit: *Talis est mihi confessus*, quando ex illis verbis, ne remotè quidem, aliquis potest suspicari ipsa peccata; vel etiam: *Talia peccata audivi in Confessione*, quando nemo ex eis, ne remotè quidem, potest suspicari personam confitentem.

c. 2. dist. 6. de Pœnit.

Appositè Greg. cap. 2. dist. 6. de Pœnit. *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur, peccata alicui recitet.* Non recitat autem peccata de his, qui ei confitentur, nisi conjunctim revelet peccata & peccatorem.

His præsuppositis, accedo ad casus particulares, in quibus indirectè revelatur peccatum & peccator conjunctim. Itaque

CONCLUSIO II.

Caveat sibi Sacerdos referre peccatum, quod ex paucis pœnitentibus audivit. Et ne dixerit, pœnitentem esse talis Religionis vel Monasterii; aut in tali Civitate, maximè si non est ampla, regnare sodomiam, usuram &c. Possent etiam occurrere tales circumstantiæ, ut dicendo: *Talis mihi hodie confessus est*, frangeretur sigillum.

17. Probatur 1. pars Concl.

Ecce casus aliqui particulares, in quibus indirectè frangitur sigillum. De primo casu patet veritas Conclusionis; quia singuli ex illa relatione patiuntur suspicionem contra se, ac proinde fit ipsis injuria, & Sacramento, quod redditur odiosum.

Probatio 2. part.

Eadem est ratio secundi casus; cùm ex tali locutione redundet ignominia in totum Ordinem seu Monasterium, & consequenter in ipsum pœnitentem, qui est pars Ordinis vel Monasterii.

18. Ratio dubitandi 3. parte.

De tertio casu est major ratio dubitandi, eò quòd infamia unius civis, non ita redundet in infamiam totius civitatis vel concivium, sicut infamia unius Religiosi redundat in infamiam totius Ordinis, vel aliorum Religiosorum. Ratio disparitatis; quia Religiosi ob unius Instituti professionem incredibiliter sunt magis uniti & connexi, quàm homines, qui tantùm intra eosdem muros habitant, qui parùm curant, si aliquis ex ipsis sit fur, & suspendatur publicè, quod tamen gravissimè toleraretur in religioso Ordine.

Probatur hac pars.

Sed quàmvis hoc verum sit, haud equidem idcirco recedendum à Conclusione: nam certum est aliquam esse connexionem inter concives, ratione cujus constituunt unum aliquod corpus politicum, quod licèt non reddatur infame propter unius vel alterius peccatum, tamen verè infame est, si in eo regnent sodomia, usura, & similia gravissima peccata, propter quæ meritò cives omnes haberentur suspecti, maximè, sicut habet Conclusio, si non est ampla civitas. Quidni ergo reddatur Confessio odiosa? Ita Multi docent, quos citat Diana part. 2. tract. 15. resol. 13. quibus adde Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 9. diff 73. n. 5. & alios Recentiores.

Diana. Villalobos.

19. Aliquibus

His tamen non obstantibus, non ignobiles (inquit Diana ibi) Auctores sentiunt in his casibus

Placet opposita sententia. *Onuphrius. Sylvius.*

casibus (2. & 3.) Confessarium peccare, non tamen frangere sigillum. Ita Onuphrius Opus. de Sigill. Sect. 4. q. 4. §. *Sequitur ultimò*, & novissimè Sylvius in Addit. ad 3. p. q. 11. a. 3. quæst. 2. ubi asserit: Qui solitus in aliquo loco excipere Confessiones, dicit, in eo committi gravia crimina, non quidem frangit sigillum; sed nihilominus, si absque spirituali utilitate, vel coram infirmioribus hoc dicat, existimantibus Confessionem tali sermone revelari, graviter peccat, tum contra Sacramentum, à quo sic alienari possunt, tum per scandalum. Hæc Sylvius. Et ante ipsum hoc idem docuerat Navar. in Manuali c. 8. n. 16. Vivaldus in Candel. tract. de Sigill. n. 26. Megala in 1. p. l. 1. c. 16. n. 11. Henriquez in Sum. lib. 6. c. 21. n. 6. Hucusque Diana.

Navarrus. Vivaldus. Megala. Henriquez.

Sed tu tene nostram sententiam, quoniam omnis illa revelatio est contra sigillum, quæ nata est alienare peccatores ab ipso Sacramento: nam sigillum inductum est, ne homines alienarentur à Confessione; cùm ergo, ùt fatetur Sylvius, revelatio in illis casibus possit saltem infirmiores alienare à Confessione; quidni sit propriè peccatum contra sigillum? Præsertim cùm non solùm infirmiores, sed etiam multi viri docti existiment, Confessionem tali sermone revelari; proinde & ipsi poterunt ab illo Sacramento alienari, & scandalizabuntur audito tali sermone.

2o. An in tali casu incurratur pœna cap. *Omnis utriusque.*

Si autem quæratur; an etiam talis Confessarius incurrat pœnam ordinariam cap. *Omnis utriusque.* Adverte, inquit Arriaga Disp. 45. n. 32. in fine, in hoc casu non incurri pœnas impositas à jure, contra revelantes Confessionem; quia hi non pœnitentis, sed civitatis vel Ordinis peccata manifestant. Hæc ille.

Negant Arriaga & Malderus.

Et Malderus suprà cap. 12. postquam dixit, non licere Confessario dicere, quòd in loco, ubi Confessiones audivit, gravia fiant peccata; nam etiam hoc, inquit, redundat in gravamen istius Communitatis, & posset Confessionem reddere odiosam, præsertim in Communitate non adeò magna. Post hanc, inquam, doctrinam quærit præfatus Auctor, an violet Confessionis sigillum, qui dicit, in Ordine tali Religiosorum hoc aut illud peccatum fuisse admissum, quod ex sola Confessione noverit: & respondet; talem graviter peccare, quàmvis (inquit) non possit puniri pœnâ ordinariâ Canonis *Omnis utriusque.* Eò autem magis peccat, quò magis in particulari dicit de hoc Ordine. Nugnus tamen excusat, & putat idem esse, ac si Religiosus dicat ex Confessione, inter sæculares Sacerdotes fieri ista peccata.

Verùm in his prudens judicabit: quàmvis enim non detegatur in particulari pœnitens, fieri tamen potest, ut in fama sua lædatur aliqua Communitas, vel Universitas, vel Ordo aliquis: quod per se est illicitum, & majus peccatum, quando fit ex Confessione; præsertim cùm etiam ex consensu pœnitentis non liceat Confessionem revelare, quando id cederet in infamiam alterius. Hactenus Malderus. Non satis explicans; an illa major malitia sit propriè fractio sigilli, an verò alia irreverentia respectu Sacramenti; nisi quòd dicat, talem non posse puniri pœnâ ordinariâ; sinè tamen aliqua probatione.

Et ego judico, probationem Arriagæ frivolam esse; non enim civitas vel Ordo peccat, sed cives vel Religiosi; adeòque revelans peccata civitatis vel Ordinis, revelat peccata civium vel Religiosorum: cur ergo non possit puniri pœna ordinariâ Canonis: *Omnis utriusque*? Quia, inquis, licèt peccatum peccatoris revelet, non tamen ipsum peccatorem.

Sed responsio patet ex dictis: licèt enim non prodat peccatorem directè & perfectè, ut sic dicam, equidem indirectè & inchoativè seu remotè; quia reddit omnes, quorum unus est ipse peccator, suspectos; jam autem jus non aliud requirit, quàm ut quovis modo aliquatenùs prodat peccatorem.

Hinc etiam solvitur alia ratio, quàm suprà adducit Dian. Nam, inquit, in illis locis quendi modis nulli pœnitenti fit injuria, cùm non sit periculum (ùt suppono) quòd Auctor illorum peccatorum cognoscatur.

Respondeo; non est periculum, ut in particulari cognoscatur, Transeat; ergo non fit illi injuria, Neg. Conseq. sufficit enim ad hoc, quòd cognoscatur in confuso, & quòd fiat injuria toti civitati vel Ordini, cujus ipse est pars. Et ideo judico probabilius, Confessarium in illis casibus non solùm peccare propriè contra sigillum, sed etiam posse puniri pœnâ ordinariâ cap. *Omnis utriusque.*

Idem sit judicium de sequenti casu; v. g. Confessarius dicit de aliquo Religioso, qui solet confiteri Confessario ordinario, nec potest alteri confiteri, sinè licentia speciali Prælati: *Talis mihi hodie fuit confessus*, dum tamen aliunde audientes probè sciant, non defuisse illo die Confessarium ordinarium; maximè si hoc dicat, postquam petierat à Prælato facultatem absolvendi unum subditum à reservatis.

Ratio est; quia in illis circumstantiis implicitè dicit; *Talis confessus est mihi peccatum aliquod reservatum:* sicuti ergo qui hoc diceret explicitè, ab omnibus haberetur fractor sigilli, & dignus pœnâ ordinariâ; pari ratione etiam ille, qui hoc diceret implicitè, cùm æqualis fiat injuria, ùt suprà tactum est, per implicitam & explicitam revelationem.

Unde, inquit Lugo Disp. 23. n. 65. multò minùs Prælatus posset dicere: *Titius petiit à me facultatem totam pro suo Confessario*; per hoc enim magis declararetur vel indicaretur necessitas pœnitentis. Ita Eminent.

Verùm

Verùm non sufficit, quòd magis declararetur necessitas, nisi declararetur ex Confessione. Unde qui negant, per illam petitionem in Prælato generari scientiam confessionalem, consequenter negarent illam Consequentiam Lugonis, & rationem disparitatis darent, quòd Prælatus non declaret necessitatem pœnitentis ex Confessione; secùs Confessarius, qui audivit peccatum reservatum in Confessione. Ut ergo Consequentia Lugonis valeat, debet supponi (de quo disputavimus Concluſ. præced.) per petitionem illam pœnitentis generari in Prælato scientiam confessionalem, hoc est, illam petitionem esse inchoatam Confessionem:

25. Alius casus de Prælato examinatur.

Sed nunquid eadem est ratio Prælati, qui, postquam dedit mihi potestatem, absolvendi unum subditum à reservatis, casu invenit eum mihi confitentem? Putas, quia hic poterit dicere eidem subdito: *Ego te inveni confitentem Confessario extraordinario*, absque fractione sigilli? quid si aliquis tertius illum invenisset mihi confitentem, num tenebitur illud habere sub sigillo?

Videtur quòd teneatur: quia dicere illum tali horâ mihi extraordinariè confessum, videtur æquivalenter esse dicere, quòd ille confitebatur reservata, vel certè vehementem suspicionem de hoc ingerit. Sicut ergo esset contra sigillum dicere, quòd ille confitebatur reservata, si aliquis casu audivisset, sic videtur esse contra sigillum, si dicas, confessum mihi fuisse tali horâ.

26. Sententia Arriagæ, eum obligati sigillo.

Ita docet Arriaga suprà n. 34. in fine dicens: Omnibus ergo ponderatis judicarem illum, qui vidit ipsum confitentem, teneri eo sigillo ad secretum: & reverà estò sigillo Confessionis non teneatur, tenebitur gravissimè sigillo naturali; loquor casu quo indè possit deveniri in suspicionem gravis peccati. Hæc ille.

Oppositam tenet Lugo.

At verò Lugo suprà n. 67. Credo, inquit, Prælatum imprudenter acturum, si de re illa loquatur ipsi subdito, vel ulli alteri; item tertium illum iniquè acturum, si manifestet, quòd vidit illum confitentem; neutrum tamen credo esse violatorem sigilli sacramentalis: si enim ille Religiosus iret ad Pœnitentiarium Papæ in Basilica S. Petri, licèt daret occasionem suspicandi de casu reservato non tenerentur ad sigillum omnes, qui illum ibi vident confitentem.

27. Ratio ejus.

Ratio autem est; quia qui illum vident, non accipiunt illam notitiam ex notitia, quam pœnitens dat Confessario, sed ex notitia, quam per ipsam actionem dat omnibus, qui eum vident: notitia autem, quæ aliis datur, non est Confessio: ergo illa non affert obligationem sigilli, ùt suprà diximus de illo, qui vult adesse alios testes suæ Confessionis, non obligari testes ad sigillum, propter eamdem rationem.

Aliud verò est de ipso Confessario, cùm dicit mihi pœnitens, se velle mihi confiteri; illa enim est Confessio inchoata & notitia, quam incipit mihi dare ùt Confessario, in ordine ad Absolutionem obtinendam; quare ego teneor ad sigillum: illi autem alii, qui vident illam actionem externam, quæ ex se est notitia ad alios, non tenentur ad sigillum; sed solùm ad secretum, ne infament pœnitentem, dum illa actio est secreta, quæ actio, prout in ordine ad alios, non est Confessio, etiam inchoata, licet in ordine ad Confessarium sit talis, & ideo eum obliget ad sigillum. Hucusque Lugo.

28. Argumentum in contrarium.

Sed contrà facit; quòd Confessarius non tantùm habeat notitiam Confessionis ex verbis pœnitentis, quibus dicit, se velle mihi confiteri, sed etiam ex visione illius actionis externæ; habet quippe oculos, sicut ille, qui casu transit, & videt pœnitentem genuflectentem ante Confessarium: sicut ergo ille, qui transit, ex illa visione accepit notitiam non sacramentalem, quâ proinde potest uti absque fractione sigilli, ùt vult Eminent. quidni etiam Confessarius?

Vel si notitia, quam accipit Confessarius ex illa visione est sacramentalis, quâ proinde non possit uti sinè fractione sigilli; quidni etiam notitia, quam transiens accipit ex simili visione? Nonne notitia, quam transiens accipit ex auditione Confessionis est sacramentalis? Ergo similiter quam accipit ex visione; si verùm est, quòd notitia Sacerdotis sit talis.

Putas; quia Pœnitentiarius Papæ, in exemplo suprà posito, potiùs teneatur ad sigillum, quàm alii, qui vident Religiosum confitentem? Hi autem non tenentur; quoniam qui it ad eum locum publicum, jam eo ipso exponit se omnibus, ut videatur, dum confitetur; ac proinde non potest velle esse sub secreto, quòd sit confessus: sicut qui, advocatis testibus, diceret sua peccata, non tenerentur illi ad sigillum, neque Confessarius, qui hoc ipso habet duplicem scientiam, unam confessionalem, aliam communem cum cæteris, hâc autem quare non posset uti sicuti cæteri? Vide dicta Sect. præced. Concluſ. 3.

Arriaga.

At verò qui secretò confitetur (ùt supponitur in casu) intendit directè hoc ipsum occultare, ac proinde debet hoc esse sub secreto. Ita Argumentatur Arriaga suprà n. 34.

29. Quod non videtur generaliter concludere.

Verùm hoc argumentum non videtur generaliter concludere, sed tunc solùm, quando talis Religiosus posset secretò confiteri si vellet, vadit tamen ad locum publicum ad majorem sui humiliationem. Nam si aliquis non posset confiteri, nisi audientibus aliis, v. g. in navi tempore naufragii, certum est, omnes audientes teneri ad sigillum. Ergo si ita

obligat visio in casu proposito, sicuti auditio, sequitur manifestè, omnes qui vident aliquem publicè confitentem, quando secretò non potest confiteri, obligari ad sigillum.

Ecce fundamenta utriusque sententiæ, elige magìs favorabilem Sacramento, & non errabis in Fide aut bonis moribus. Ad alios casus festinat calamus, & quærit, quomodo possit & debeat respondere Confessarius, quando interrogatur de auditis in Confessione?

CONCLUSIO III.

Interrogatus de peccato confesso, quâcumque restrictione additâ, licitè affirmat, etiam cum juramento, se nescire. Interrogatus, an talem absolverit, si non absolvit, dicat, se functum fuisse suo officio, vel, *Quid ad te?* Poterit tali casu schedulam Confessionis negare pœnitenti; &, si est peccator publicus, etiam Communionem.

30. Confessarius, simpliciter interrogatus de peccato confesso, debet illud negare,

QUando non additur ad interrogationem aliqua restrictio, sed simpliciter quæritur à Confessario; num sciat, Petrum v.g. occidisse Paulum, vel, an Petrus occiderit Paulum; potest secundùm omnes respondere, se nescire; immo si diceret, se scire, non solùm indirectè, sed directissimè violaret sigillum Confessionis, ùt clarum est.

Perinde autem est, sive dicat, se nescire, sive dicat, non occidisse. Ratio est; quia si dicat, se nescire, subintelligitur, aut certè ab omnibus subintelligi debet, tali scientiâ, quæ subservire potest ad illud revelandum; nam hic est sensus interrogationis: ergo responsio negativa de hujusmodi scientia ab omnibus debet intelligi. Et reverà talem scientiam non habet Confessarius ex sola Confessione.

Idem est, si dicat, Petrum non occidisse Paulum; subintelligitur quippe, aut certè ab omnibus subintelligi debet, ita ut possim, aut debeam tibi hoc revelare; ille enim est sensus interrogationis: ergo similiter responsionis: ergo nullum hìc intervenit mendacium; quia non est restrictio purè mentalis, sed quæ ex circumstantiis ab omnibus prudentibus facilè percipitur, aut percipi potest. Cumque juramentum sequatur significationem verborum, quam hìc & nunc habent, liquet profectò, Confessarium in illis circumstantiis posse jurare, se nescire, Petrum occidisse Paulum, vel, Petrum non occidisse Paulum, vel etiam, se non audivisse, Petrum occidisse Paulum.

etiam cum juramento,

Quod ultimum addo: quia Aliqui affingunt Soto, quòd dixerit 4. dist. 18. q. 4. a. 5. illa verba: *Non scio*, faciliùs posse excusari, quàm illa: *Non audivi*. Sed melius dicitur cum communi DD. eodem modo posse excusari; quia sicut hæc: *Non scio*, restringuntur ex intentione loquentis & aliis circumstantiis ad scientiam, de qua interrogatio fit, vel fieri debet; pari ratione etiam ista: *Non audivi*, restringuntur ad illam auditionem, de qua interrogatio fit, vel fieri debet, id est, auditione extra Sacramentum, sive in ordine ad rem auditam alteri manifestandam.

Dixi: *Affingunt Soto*; quia reverà id non decet, ùt patet ex ejus verbis, quæ subscribo: Quid autem, si Sacerdos interrogetur: *Vidisti audisti Petrum hoc crimen patrasse?* Tunc enim non admitteretur responsio per, *Nescio*, quia inepta esset: nam licèt quis nesciat illud esse factum, quod audivit factum esse, scit tamen audivisse. Respondetur; optimè posset respondere: *Non memini*: Nam idem est dicere: *Nescio*, ut dicam, quod: *Non memini*, ut dicam meminisse enim scire est. Sed præterea, si inde generaretur suspicio, optimè etiam respondere potest: *Non audivi*: quoniam cùm audire ad scientiam quoque pertineat, eumdem recipit sensum, scilicet: *Non audivi*, tamquam homo, ut dicam, sed ùt Deus, ut non dicam. Ita Sotus.

Hoc ergo suppono tamquam satis certum, & tutum in praxi. Quæro autem; an idem si dicendum, quando Iudex v.g. licèt injustè, expresè tamen excludit illam restrictionem, interrogans Confessarium, an in Confessione, & ùt minister Dei, audiverit tale peccatum, v.g. Petrum occidisse Paulum; quæro, inquam, an tali casu possit Confessarius dicere absque mendacio: *Non audivi*, & jurare sinè perjurio, se non audivisse.

Ante omnia (inquit Dicastillo Disput. 11. n. 125.) rejiciendus est error Gabriel. in 4. dist. 21. q. 1. a. 3. dub. 1. casu 3. dicentis, Confessarium interrogatum sub juramento, & coactum ad respondendum, debere revelare Confessionem, ne sit perjurus. Ita Dicastillo.

Sed nobis ante omnia rejiciendus est error Dicastillonis, qui, ùt manifestè patet, non legit Gabrielem propriis oculis; sed cæcus, cæcos secutus fuit, & ideo in foveam cecidit. Quod ne gratis dicere videar, subscribo verba Gabrielis. Tertius casus est: Si celatio Confessionis cederet in peccatum Confessoris; ut si Confessor produceretur in testem contra confitentem,

fitentem, accusatum de crimine; & compulsus jurasset dicere veritatem: si non diceret, mentiretur, interrogatus per juramentum, non dicendo: immo perjurium incideret, non respondendo: quia juravit dicere veritatem in inquisitis: si diceret, se ignorare, mentiretur: ergo tenetur dicere veritatem, & per consequens revelare secretum, putà Confessionem: plùs enim tenetur cavere peccatum in seipso, quàm famam in proximo. Hæc ille.

Sed nunquid ex propria sententia? Minimè. Nam infrà sic respondet ad hunc casum. Ad argumentum in tertio casu, dicunt communiter DD. imitantes Alex. Tho. Bona. Rich. Pe. de Pal. quòd in casu argumenti potest Sacerdos securè jurare, aut dicere sub juramento, se nescire, quæ novit per Confessionem; quoniam illa non novit ùt homo, sed ùt Deus. Et respondendo Iudici, respondet ùt homo, non ùt Deus: nam eadem persona verè affirmare potest aliquid in persona alterius loquens, quod verè negat loquens in propria persona &c. Contra hæc arguit Scotus, probando, quòd ea, quæ novit Confessor in Confessione, non novit ùt Deus, sed ùt homo minister Dei. Vide Sect. præced. Conclus. 1.

34. Sententia Gabrielis, tali casu tacendum esse.

Ideo (inquit Gabriel) ad rationem aliter respondetur; quòd in casu, quo Confessor producitur in testem, & jurat respondere veritatem de interrogatis; si quæritur de aliquo, quod non novit, nisi ex Confessione, non debet respondere: nec, *Scio*, neque, *Nescio*: nec non respondendo est transgressor juramenti; quia juramentum intelligi debet de interrogatis, ad quæ potest licitè respondere, licèt sonet generaliter: alioquin si generaliter intelligeretur, esset juramentum temerarium & illicitum, & per consequens non obligaret: unde posset Confessor respondere in casu: *In his, in quibus possum perhibere testimonium, nihil scio*, vel simili modo. Neque Iudex ultra debet, nec potest compellere: sicut in simili, productus in testem, non debet manifestare ea, quæ sub secreto sibi commendata recepit; sic enim manifestando ageret contra legem naturæ, ad quod nemo compelli debet.

35. Objectio.

Sed diceres; tacendo, & non respondendo, generat suspicionem in animis audientium, quòd talia, de quibus agitur, commissa sunt per N. & quòd ipse noverit per Confessionem, & ita facto revelat Confessionem.

Solvitur.

Respondendum; quòd tacere, est signum de se indifferens, ad aliquid esse confessum, vel non confessum; & ideo de se & ex sui natura non est signum, Confessionis revelativum; sed magis clausivum. Si verò aliqui voluerint hoc, quod est tacere, accipere ùt signum revelativum ex suis phantasiis, nihil hoc ad Confessorem, & ideo non erit illicitum Confessori tacere: etiam per Confessoris taciturnitatem nihil probari potest contra eum, contra quem producitur in testem. Hucusque Gabriel.

Ergo dicit hic Auctor, Confessarium interrogatum sub juramento, & coactum ad respondendum, debere revelare Confessionem, ne sit perjurus: Qualis Consequentia! Immo contrarium dicit, ostendens illam taciturnitatem, ad quam, secundùm ipsum, tenetur, non esse revelationem Confessionis.

Et sanè, ùt dicam, quod sentio; valde difficulter Dicastillo, aut alius quilibet probare poterit contrarium, si verùm est illa verba: *Quid ad tè?* non esse revelationem; nam etiam ex his verbis audientes poterunt suspicari, peccatum dictum in Confessione, neque minùs fundatè, quàm ex taciturnitate; & tamen communis sententia est, Confessarium posse uti illis verbis, quando interrogatur, an aliquem non absolverit. Itaque sententia Gab. non est error. Sententia Gabr. non est error.

Nisi etiam errorem dixeris sententiam Soti 4. dist. 18. q. 4. a. 5. ubi sic ait: Dubium autem, quod urgentiùs premit, est; quid si vel infidelis Tyrannus, vel improbissimus Christianus, peculiariter à Sacerdote exquireret, utrùm audierit in Confessione, Petrum hoc fecisse? Profectò non licebit respondere: *Non audivi in Confessione*; nam responsio hæc non recipit moderationem illam: *Non audivi ut dicam*: quia totum exprimitur in interrogatione, scilicet, *Utrùm audivisti, ut non dicas; aut ùt Deus*; & ideo responsio: *Non audivi ùt Deus*, est mendacium, quod quidem dicere nulla de causa licet. 36. Sententia Soti de hac controversia.

Igitur in tali casu, si Tyrannus est infidelis, respondendum est illi, tamquam Sacramentum vituperanti, Religionem Christianam præcipere, de sacramentali Confessione in neutram partem quidquam esse loquendum. Et multò efficaciùs respondendum esset reprobatissimo Christiano tamquam sacrilego: *Non est fas, ut tibi ad istam tuam sacrilegam interrogationem quidquam respondeatur.* Et in utroque casu, si mortem illi Tyranni Sacerdoti comminarentur, illa potiùs esset oppetenda, quàm verbum ullum proferendum, quod in revelationem Sacramenti Confessionis vergeret. Hucusque Sotus.

Iam autem quid interest, seu quæ est differentia inter hanc sententiam, & sententiam Gabr.? Sanè nulla, si verum est, quod ait Dicast. Gabrielem loqui de illo casu, in quo quæritur à Confessario, an in Confessione audiverit peccatum. An autem loquatur de hoc casu, non satis compertum habeo. Ut ùt sit, si ita liceat loqui cum Soto, quando excluditur restrictio, nulla est ratio, quare non liceat similiter loqui cùm Gabriele, quando non excluditur restrictio; cùm illa locutio seu taciturnitas non sit major revelatio Confessionis in uno casu, quàm in alio. Non videtur differre à sententia Gabr.

37. Communis sententia est, tali casu Confessarium absolutè posse negare peccatum.

Interim communis sententia est, etiam in casu, quo interrogans excludit, quantùm potest, omnem restrictionem, Confessarium posse absolutè negare peccatum, quod solùm novit ex Confessione, absque peccato mendacii: quia nimirum interrogans facere non potest, ut verba illa; *Non scio*; *Non audivi*, & similia, quæ imposita sunt ad significandam scientiam vel auditionem talem, qualis requiritur ad licitè respondendum, ut illam, inquam, non significent in casu proposito; cùm non possit facere, ut licitè ipsi respondeam, me scire, vel, me audivisse.

Probatur à simili.

Sicuti, quia vox *Canis* æquivoca est; imposita ad significandum tam canem terrestrem, quàm marinum, licèt aliquis me interroget, an viderim canem tetrestrem, possum absque mendacio respondere: *Non vidi canem*, subintelligendo marinum. Ergo similiter, si quis interroget Confessarium, an sciat scientiâ Confessionis, seu aliàs inutili ad respondendum, Petrum occidisse Paulum, poterit absque mendacio dicere: *Non scio Petrum occidisse Paulum*, vel etiam: *Scio Petrum non occidisse Paulum*, subintelligendo, ut illud tibi dicam, vel, dicere debeam, eodem modo, quo ipse Petrus posset respondere Iudici, illegitimè interroganti; *Scio me non occidisse Paulum*, ita videlicet, ut debeam tibi hoc dicere; quæ non est restrictio merè mentalis, sed exteriùs satìs patens, & ab omnibus prudentibus perceptibilis.

Unde tametsi Iudex interrogaret Petrum, an occultè occidisset Paulum, vel, an sciat se ita occidisse, ut tamen non teneatur crimen fateri, posset adhuc Petrus dicere absque mendacio: *Non occidi occultè: Non scio me ita occidisse, ut non tenear crimen fateri*, subintelligendo semper, ut debeam tibi hoc dicere. Ergo similiter Confessarius, qui non habet majorem, immo habet minorem obligationem respondendi ad intentionem interrogantis, quàm ipse Petrus.

38. In illo casu Confessarius respondet ad intentionem quam interrogans debet habere.

Quare in illis casibus Petrus, & ejus Confessarius respondent non secundùm intentionem, quam Iudex habet, sed quam Iudex deberet habere, quòd sufficit, ut non mentiantur: sive voces immediatè significent conceptus, sive potiùs res ipsas, quæ est quæstio logica, parùm utilis ad præsentem controversiam, & ideo non inhæreo; videri possunt Arriaga Disput. 46. n. 3. & 4. & Dicast. suprà n. 129. ubi contra Lugonem docent, voces immediatè significare non conceptus loquentis, sed ipsas res; quod etiam mihi apparet verius; sed, sicut dixi, nolo hìc immorari illi quæstioni, quia impertinens est ad propositam difficultatè.

Pro qua bene observat Arriaga suprà n. 5. utì ille stultè interrogat, admittens me habere scientiam, ex qua non possum loqui, & simul volens me cogere ad loquendum; ita è contrario, ego illi respondeo prudenter, admisso priori sensu, *Me non scire, etiam scientiâ inutili ad loquendum*: in quo haud dubiè verum dico. Nam si ea scientia est inutilis ad loquendum: ergo quod per eam scio, non scio ad loquendum; ergo quod per eam scio, non scio ad loquendum, sed potiùs ad tacendum. Hæc ille.

Si inferas: ergo quando aliquis interroget me, an viderim canem terrestrem, possum respondere: *Non vidi*, vel etiam: *Non vidi canem terrestrem*, etsi à parte rei viderim: quia possum subintelligere, ut tibi dicam, vel, debeam dicere. Ergo restrictio purè mentalis est licita.

Respondeo; restrictionem purè mentalem [illegible] esse purissimum mendacium, quidquid Aliqui in contrarium asserant; & ideo dico, restrictionem in casu proposito non esse licitam, nisi ex circumstantiis aliquo modo possit colligi: sicut potest colligi, quando interrogatur Sacerdos de peccatis, auditis in Confessione, & reus interrogatur à Iudice de peccato occulto, vel aliàs illegitimè, ita ut in conscientia non teneatur respondere: secùs si ita interrogetur, ut in conscientia teneatur respondere; tunc enim, si neget crimen commissum, & juret desuper, dico, eum mentiri, & esse perjurum, tametsi in mente restringat sua verba: *Non fui*, scilicet, ut dicam tibi; quia tunc illa restrictio est purè mentalis, quam nemo prudens percipit, aut potest percipere ex circumstantiis, quoniam circumstantiæ tales sunt, ut teneatur Iudici interroganti aperire veritatem: unde tali casu sic fecit peccatum, ut debeat Iudici dicere; ergo mentitur si dicat: *Non fui*, quamvis subintelligat, ut dicam tibi, vel, ut debeam dicere tibi; quia reverà debet dicere, & scit se debere dicere: ergo loquitur contra mentem; ergo mentitur, cùm mendacium non sit aliud, quàm locutio contra mentem.

Et quoniam Confessarius, sive interrogatus, sive non interrogatus, nequit revelare peccatum, quod novit ex sola Confessione; ideo [illegible] potest, etiam non interrogatus, absque mendacio dicere, se nescire Petrum v. g. occidisse Paulum, vel, se scire Petrum hoc non fecisse; quia quilibet prudens subintelligit: *Ita ut possim homicidium revelare*; quod cum verissimum sit, liquet, quòd non loquatur contra suam mentem, adeòque non mentitur.

Solùm obstare videtur; quòd dum Confessarius interrogatur, an aliquem absolverit, si reverà non absolvit, non possit dicere: *Ego eum absolvi*; ergo similiter, quando interrogatur, an audiverit tale peccatum, non poterit dicere: *Scio me non audivisse*, vel, *Non audivi*.

Respondeo disparitatem esse; quòd hæc propositio: *Ego eum absolvi*, habeat pro objecto affirmato aliquid positivum, scilicet absolutionem; ergo ut propositio sit verà, debet hæc existere, vel aliquando extitisse aliquo saltem modo intelligibili ab audientibus; jam autem in casu proposito supponitur numquam extitisse tali modo, aut de facto existere: ergo absolutè

absolutè est falsa, & per consequens mendacium; quia difformis, non tantùm suo objecto, sed etiam menti loquentis, exteriùs aliquo modo expressæ. At verò hæc propositio: *Scio me non audivisse*, vel, *Non audivi*, pro objecto habet negationem, quæ aliquo modo intelligibili ab audientibus existit; quod enim re ipsâ existit, potest in ordine ad aliquos effectus reputari, ac si non esset, ideòque verè potest dici: *Audivi*, quia à parte rei auditio extitit, & etiam potest verè dici: *Non audivi*, hoc scilicet sensu; *Ut possim tibi dicere*, ùt patet ex dictis.

41. Quid faciendum Confessario, si interrogetur, an absolverit.

Si autem à me quæritur; quid ergo faciendum Confessario, qui non absolvit pœnitentem, propter indispositionem suam, casu quo interrogetur: *Absolvisti ne eum?* Respondeo; dicat: *Functus fui meo officio*, vel, *Quid ad te?* Hic est optimus modus respondendi, ùt fatentur omnes Doctores.

Cajetanus.

Si non absolvit (inquit Cajet. in Sum. verb. *Confessori necessaria*) & oporteat respondere interrogantibus, debet dicere: *Ego feci officium meum*, vel aliquid hujusmodi. Si tamen diceret: *Ego illum non absolvi*, non esset de juris rigore revelator Confessionis; quia ista negatio nullum manifestat peccatum confitentis, quia potest ex pluribus causis provenire. Ex parte quidem Confessionis; putà, quia Confessio non est completa, ùt contingit in producentibus unam Confessionem per multos dies, & ex aliis causis. Ex parte verò Confessoris; quia noluit absolvere, ùt contingit iis, qui proprii capitis sunt. Ex parte quoque pœnitentis; quia pœnitenti non satisfacit Confessor; & ex pluribus aliis causis. Quia tamen suspicio non irrationabilis impœnitentiæ confitentis, ex his verbis quandoque generatur: non est dicendum: *Ego illum non absolvi*; sed, *Ego feci officium meum.*

42. Nullatenus potest dicere: *Eum non absolvi, quia nolebat restituere*

Nullo autem modo excusari posset, si diceret causam, putà, non absolvi; quia non vult restituere; quia est impœnitens seu obstinatus; quia non vult relinquere concubinam. Hoc enim, manifestè Confessionem revelat. Hæc ille.

Sed si verum est (ùt puto) ex illis verbis: *Ego illum non absolvi*, quandoque generari rationabilem suspicionem impœnitentiæ confitentis, consequenter dicendum videtur, quòd qui ita responderet, de rigore juris foret revelator Confessionis; cùm jus nihil aliud requirat, ùt suprà vidimus, quàm ut aliquo modo aliquatenus prodat peccatorem & peccatum ejus, quod in casu nostro fieret.

Si ergo velit respondere Confessarius: *Ego illum non absolvi*, addat expressè aliquam causam, propter quam non absolvit; v. g. quia non habebat materiam Absolutionis; quia non perfecerat Confessionem generalem; quia interruptus fui & vocatus ad alium, & quando redii, non inveni illum.

Numquid etiam; quia erat capitosus & amicus suæ sententiæ, cujus contrariam ego teneo? Aliqui dicunt, non esse sacrilegium; Alii id admittunt, si addat, eum non habere peccatum mortale; sed propositum rei, quæ revera est mortalis, licèt ipse putet esse licitam. 43. An possit dicere: *Quia erat capitosus* &c.

Sed nec cum ea limitatione placet, inquit Lugo Disp. 23. n. 85. quia Absolutio non negatur, nisi propter indispositionem pœnitentis: quare si negata est, quia nolebat acquiescere sententiæ Confessarii, supponitur, quòd debebat ei acquiescere, & per consequens non faciebat id, ad quod sub peccato tenebatur. Negat Lugo.

Sed contrà: Absolutio aliquando negatur ex capitositate, ùt sic loquar, ipsius Confessarii, qui innixus propriæ sententiæ, & præoccupatus, non satis attendit ad fundamenta oppositæ sententiæ, quam pœnitens sequitur, nolens acquiescere Confessario, quia judicat suam sententiam probabiliorem, aut saltem æquè probabilem, in quo nullatenus peccat; adeòque tali casu non negatur Absolutio propter indispositionem, quia pœnitens verè dispositus est: ergo saltem tali casu poterit id dicere Confessarius ad excusandum pœnitentem, qui aliunde scitur non fuisse absolutus. 44. Contra hæc infertur.

Respondeo: illum non esse casum, de quo quæritur. Quis ergo? Quando pœnitens debebat se conformare sententiæ Confessarii, & noluit; ideoque passus est repulsam, quo casu si non revelatur peccatum, saltem revelatur illis verbis moralis aliquis defectus, cognitus ex, seu in sola Confessione; quod suprà diximus illicitum, maximè quando propterea negatur Absolutio. Responsio.

Dubitant hìc Aliqui; an Confessarius, qui audivit Confessionem publici peccatoris, possit dicere: *Ego eum non absolvi, quia non egerat publicam pœnitentiam.* 45. Quid dicendum de Confessario, qui non absolvit publicum peccatorem.

Cajet. suprà sic ait: Curatus quum ad communicandum concubinarios, usurarios & hujusmodi vocatur, non petat à Confessore, si est absolutus: sed etiamsi ipsemet illius Confessionem audisset, & non absolvisset, habeat se tamquam si nihil in Confessione sciret & dicat: *Quia iste hactenus fuit, & est quantùm apparet in tali peccato publico, & peccatum publicum debet publicâ pœnitentiâ apud homines purgari propter scandalum: ideo nisi publicè constet te vel illum reliquisse peccatum, nolo Communionem dare, nec ad Ecclesiasticam sepulturam admittere*, & sic absque hoc, quòd ipse revelet Confessionem, negabit Communionem &c. justè & sanctè.

Si quoque diceret: *Ego non possum aut potui eum absolvere, quia non video pœnitentiam publicam de peccato publici concubinatûs, apostasiæ, usuræ*, &c. non revelat Confessionem: quia nihil dicit, quod sciat per Confessionem, sed quod tam ipsi, quàm alii vident, scilicet non pœnitere publicè de peccato publico; quum debeat publica pœnitentia præcedere Absolutionem, Sententia Cajetani.

si peccatum est publicum; ita quòd saltem debeat pœnitens publicè satisfacere publico Ecclesiæ scandalo, docendo publicè, quòd reliquit concubinam, quòd restituit &c.

Aliud quippe est dicere: *Iste non facit aut fecit pœnitentiam publicè*, & aliud est dicere: *Iste non vult pœnitere, iste est obduratus in peccato suo*; hoc enim Confessor per Confessionem scit, quia ille dixit confitendo: *Ego nolo relinquere statum meum malum:* illud verò Confessor videt sicut cæteri, & ideo hoc tacendum, & illud dicendum est. Hactenus Cajet.

46. quàm Lugo putat Aliis meritò displicere.

Hoc tamen, inquit Lugo suprà n. 85. Aliis meritò displicet: quia si erat dispositus, non erat privandus Absolutione.

Prorsus non erat privandus; sed cùm indispositio, propter quam meritò privatus fuit, publicè constet Confessario, sicut & aliis adstantibus; quidni ipse possit dicere: *Propter talem causam, quam omnes oculis nostris videmus, eum non absolvi?* Suppono enim, illam causam per se solam sufficere, ad negandam Absolutionem.

47. Auctor existimat quod immeritò, certo modo intellecta.

Unde immeritò displicet Aliis sententia Cajet. sic intellecta. Meritò autem, si intelligatur de illo casu, in quo absque pœnitentia publica, si alioquin erat dispositus, poterat absolvi, v. g. si pœnitentia publica erat ei moraliter impossibilis; nam tunc dicendo: *Non absolvi eum, quia non egerat pœnitentiam publicam*, significat Confessarius aliquam aliam indispositionem, cognitam ex sola Confessione, v. g. propositum non faciendi pœnitentiam publicam, tametsi possibilis foret, quod indubiè est contra sigillum Confessionis.

Optimus modus respondendi in casu proposito, & aliàs semper.

Cæterùm consultius semper erit, & optimus modus respondendi, sive Confessarius absolverit, sive non, sive sit publicus peccator, sive occultus, & qualiscumque fuerit causa non absolvendi, respondendi, inquam, ùt habetur in Concluſ. *Ego functus sum meo officio; feci quod debui*; sic enim perfectissimè tollitur omnis suspicio indispositionis. Enimverò si quando re ipsâ absolvi, dico: *Absolvi*, sicuti dicere possum; & quando non absolvi, nihil aliud dico, quàm: *Functus sum meo officio*, periculum est, ne hoc ipso aliqui audientes judicent, eum non esse absolutum; alioquin (dicent illi) falsus fuisset sincerè, se eum absolvisse.

48. qui tamen non semper obligat.

Si inferas: ergo Confessarius tenetur semper dicere; *Functus sum meo officio.* Resp. Neg. Conseq. quia ille discursus non est imputandus verbis Confessarii, quæ id non denotant; sicuti dum Confessarius dicit, se nescire id, de quo interrogatur, possunt aliqui suspicari, eum scire; negare tamen, quia obligatur ad hoc per sigillum.

Non ergo requiritur, ut ego positivè ab illis auferam omnem suspicionem; sed ne dem illis meis verbis aut factis ullam occasionem, unde ipsi deprehendant quidquam de peccato ex Confessione noto; quòd si aliunde ipsi argumentati fuerint, ipsi viderint.

Daret autem occasionem, si dum pœnitens falsò jactat, se fuisse absolutum, Confessarius id negaret; unde tunc solùm potest dicere, se functum fuisse suo officio. Patet; quia id negando, simpliciter asserit, pœnitentem non fuisse absolutum; illud autem dat occasionem suspicandi indispositionem, nisi alia causa addatur, ùt suprà diximus.

Sed quid si ipse pœnitens audiente Confessario dicat, se non fuisse absolutum propter indispositionem, numquid idem poterit affirmare Confessarius? Aliqui, inquit Lugo suprà n. 85. dicunt posse. Sed est omnino falsum; quia nec peccata ipsa publica, audita in Confessione, possunt revelari. Immo nec placet quod Aliqui addunt, posse Confessarium dicere: *Ipse dicit, quòd ego eum non absolvi*; hoc enim ipsum videtur approbare veritatem negatæ Absolutionis, nisi aliquo modo constet, Confessarium illud non approbare. Hæc ille.

Sed contrà: Confessarius potest uti scientiâ præcedente vel subsequente Confessionem, revelando peccata dicta in Confessione, etsi non tamquam dicta in Confessione, ùt suprà diximus: jam autem per illa verba pœnitentis accipit Confessarius, sicuti cæteri audientes, scientiam subsequentem Confessionem, sive non sacramentalem; cur ergo ipse non poterit eâ uti sicut cæteri? Non video disparitatem; dummodo non addat aliquam certitudinem vel circumstantiam ex scientia Confessionali, juxta superiùs dicta.

Quapropter caveat omnino Sacerdos, ne dum absolvit publicum peccatorem, quia eum bene dispositum invenit, dicat: *Ego eum absolvi à tali peccato publico*; quia per illa verba adderet aliquam certitudinem ex Confessione, ùt suprà ostendimus, & ipsam circumstantiam Confessionis, sed ad summum dicat: *Confessus est mihi sua peccata cum magno dolore & contritione; & ego eum absolvi prout debebam.*

Restat hìc quæstio; quid faciendum sit cum pœnitente, cui Absolutionem negavi, & nihilominus petit schedulam Confessionis, vel etiam Communionis.

Respondet ultima pars Concluſ. Potest Confessarius *schedulam Confessionis negare, & si est peccator publicus, etiam Communionem.* Sed numquid tenetur? Respondeo; tenetur negare Communionem, nisi aliquid aliud obsteret, alioquin cooperabitur peccato indignæ Communionis, utpote quam commodè potuisset impedire, & ex officio tenebatur impedire.

Quòd si dicat pœnitens: *Confessus tibi sum, & tu me absolvisti.* Respondeat: *Ego eum occultè & secreto Confessionis facio juxta ea, quæ ibi inveni; in publico autem, seu extra illud forum inveni te publicum peccatorem, & non debeo, immo non possum*

sinè satisfactione publica dare tibi in publico Sacramenta. Vel dicat: *De Confessione tua nihil scio, sed scio te esse publicum peccatorem, & ideo te repello à Communione.* Non itaque repellit ipsum Confessarius ex notitia Confessionis; sed ex notitia publica peccatorum, quorum non ostendit emendationem.

Quis hic vocetur peccator publicus.

Nam illum hìc voco peccatorem publicum, quem publicè constat, post Confessionem mihi factam, adhuc permanere in pristinis peccatis, v. g. in concubinatu, in usuris &c. Quòd si publicè constaret de emendatione, estò propter indispositionem non absolvissem eum, admittendus equidem foret in publico ad Communionem; alioquin repelleretur ex notitia Confessionis, ùt patet; quia jam ampliùs non est peccator publicus.

51. An possit Confessarius dare schedulam.

Quantùm ad schedulam Confessionis; certum in primis est, non posse Confessarium dare talem schedulam in qua dicitur: *Audivi & absolvi*, sic enim mentiretur, cùm, ùt supponitur, non absolverit. Quæstio ergo tantùm est de schedula, in qua solùm dicitur: *Audivi Confessionem*, sive, *Confessus est*, quod verum est, tametsi pœnitens propter indispositionem non fuerit absolutus.

Probatur eum posse negare.

Quod autem hujusmodi schedulam possit Confessarius negare absque fractione sigilli, est communis sententia. Confessarius enim nihil dicit, sed solùm non approbat testimonio positivo illam Confessionem, ad quod non tenetur, inquit Lugo suprà n. 87. quid enim si usus esset, in schedula dicere: *Audivi & absolvi* &c.? Quod quidem absque mendacio dicere non posset de eo, quem non absolvit. Item, numquid publicæ meretrici, perseveranti in suo statu, deberet dare schedulam Confessionis? Sibi ergo imputet pœnitens, si Confessarius non vult positivè eum defendere, nec etiam condemnare. Hæc ille.

52. Contrà argumentum primo.

Sed contra; hoc est quod quæritur; an, supposito, quòd Confessarius possit dare talem schedulam, an, inquam, pœnitens non habeat jus illam exigendi; & per consequens Confessarius obligationem illam dandi; nam pœnitens non aliud exigit, quàm testimonium ejus, quod à parte rei fecit, id est, Confessionis; & aliunde fieri posset, ut si illud testimonium non afferat, patiatur grave aliquod damnum.

Arguitur 2.

Deinde argumentor sic: illa negatio schedulæ æquivalet his vocibus: *Ego ipsum non absolvi.* Probatur; quia omnes, qui sciunt eum esse confessum, & non habere schedulam, suspicabuntur non fuisse absolutum propter indispositionem, saltem in illo casu, in quo omnibus solet dari talis schedula: ergo sicut in nullo casu licet dicere: *Ego ipsum non absolvi*, sinè fractione sigilli, ita neque in eisdem circumstantiis erit licitum negare talem schedulam, etiam ad evitanda gravissima aliàs inconvenientia.

Respondetur ad primum; si Confessarius posset dare schedulam, in qua diceret: *Petrus confessus mihi fuit, sed eum non absolvi*; transeat, quòd tunc Confessarius teneretur eam dare: verùm enimverò cùm hoc non liceat, ùt liquidò constat, & per schedulam, quâ Confessarius testatur solam Confessionem, homines ordinariè apprehendant etiam Absolutionem, quam tamen pœnitens ex sua culpa non accepit, non videtur quòd jus ipse habeat ad talem schedulam, per quam decipit Parochum, decipit dominos suos sub specie virtutis, existimantes eum absolutum & liberum à peccatis, qui tamen manet & perseverat in illis. 53. Responsio ad primum.

Et verò quod jus potest habere publica meretrix, ut ego dem illi testimonium Confessionis cum scandalo totius populi, qui meritò suspicabitur, me talem personam absolvisse, quam tamen constat esse indignam Absolutione? Herculè in illis circumstantiis, id est, quando petitur schedula ad decipiendum Parochum, vel dominum, aut cum periculo scandali, non solùm non tenetur Confessarius eam dare, sed etiam non potest eam dare, ùt docet Bonacina Disp. 5. q. 6. Sect. 5. punct. 4. n. 7. quem sequitur Lugo suprà. *Bonacina. Lugo.*

Posset tamen (inquit Eminent.) alicui, cui per accidens debet differri Absolutio ad breve tempus, & sperat rediturum, dare illud testimonium, ne interim incurrat iram Domini vel Principis. Idem dicerem de illo, cui ex justa causa imponitur à Confessario in Paschate, ut præparet se per aliquot dies ad Confessionem generalem faciendam, cui etiam posset dari interim schedula, quando speratur reditus & profectus. Hæc ille.

Quid ergo ad secundum argumentum? Respondetur primò; fortè propter istud, contrarium fore practicandum, etiam in iis casibus, in quibus sequitur aliquis abusus, quia sequitur per accidens; eo semper salvo, ùt talis fuerit Confessio, ex qua oritur sigillum. 54. Responsio ad secundum.

Audiamus Malderum suprà cap. 12. Duodecimo, inquit, non rectè Confessarios, qui dant frequenter testimonia confessis, in quorumdam testimonio addere, quòd eos absolverint; in aliorum solùm, quòd sibi sint confessi. Hinc enim fit, ut qui de Absolutione sibi impensa testimonium non habent, præsumantur vel malè fuisse dispositi, vel casum reservatum habuisse. Præstaret ergo solùm dare testimonium Confessionis factæ, & tale dare etiam indispositis ad Absolutionem, ne prodatur eorum indispositio. Ita sentit Coninck Disp. 9. dub. 1. n. 14. à quo immeritò recedit Bonacina Disp. 5. q 6. Sect 5 punct 4. n. 7. *Malderus. Coninck. Bonacina.*

Si enim ponamus casum, quem ponit Coninck, Patremfamilias velle, ut famuli afferant schedulam, quâ sibi constet, ipsos esse confessos, si cui hæc schedula negetur, statim 55.

oritur

oritur suspicio, quòd non fuerit dispositus ad Absolutionem; sicuti alii, qui simul eidem confessi sunt, & hunc confitentem viderunt.

Casus in quo potest negari schedula confesso malè dispositi.

Credo tamen, posse dari casum, ubi posset negari talis schedula confesso, malè dispositi; quando nimirum cessaret etiam indirecta revelatio secreti, ùt si nemo sciret, præter Sacerdotem, hunc esse confessum, & ipse confessus vellet ludificare hoc testimonio Parochum in Paschate.

In quo graviter peccant Sacerdotes, si schedulam hoc casu dent, quòd non advertant, ipsam Confessionem fieri in ludibrium, ita ut non sit, nisi ficta, eo modo, quo cap. 8. diximus, fictam non obligare ad sigillum. Quales Confessiones fieri constat, ubi qui Catholici non sunt, fictè confitentur timore alicujus humanæ pœnæ. Quando ergo novit Confessarius, pœnitentem esse hæreticum, aut ex Confessione id advertit; cavere debet, ne det ei testimonium ullum factæ Confessionis, quo Superiores fallat, ne communicet ejus sacrilegio.

Expediret etiam talibus non credi, etiamsi optimum etiam Absolutionis habeant testimonium; nisi testimonio insertum sit, Confessarium personam ex nomine probè novisse: quia solent eâ fraude uti, ùt testimonio Confessionis inseratur nomen non illius, qui confessus est, sed alterius hæretici, qui vult eo testimonio apud Superiores abuti. Hucusque Malderus.

56. Sed non est ad propositum,

Sed, pace ejus, casus, quem ponit, non est ad propositum: nam de tali hæretico posset omnibus dici, non fuisse absolutum propter indispositionem; cùm, ùt supponitur, ex ejus Confessione non oriatur sigillum: nemo ergo potest dubitare, an liceat ei negare schedulam, sive solus Sacerdos sciat, eum fuisse confessum, sive totus populus; dummodo satis possit probari, eum non fuisse confessum sacramentaliter, sed in ludibrium Sacramenti.

Quod ergo quæritur, est: an suppositâ Confessione sacramentali, ex qua oritur sigillum, Confessarius absque fractione sigilli possit negare schedulam, estò ex carentia schedulæ aliqui suspicentur, non fuisse datam Absolutionem. Quod affirmat Bonacina suprà, & videtur negare Malderus jam citatus. Nobis magìs placet sententia affirmativa. Unde ad argumentum superiùs propositum,

57. Secunda responsio ad argumentum suprà propositum.

Respondetur secundò: hoc argumentum, nimirum probaret, & ideo nihil probat. Ostenditur; quia sequeretur, quòd Confessarius deberet dare schedulam, in qua dicitur: *Confessus est, & absolvi*, ubi moris esset, talem schedulam dare legitimè absolutis; etenim nisi hoc fiat, generatur suspicio, quòd non sit absolutus propter indispositionem: ergo Confessarius tali casu deberet vel mentiri, vel frangere sigillum, quod est manifestè absurdum.

Dicendum itaque, illam negationem, seu carentiam schedulæ, nequaquam æquivalere istis verbis: *Ego non absolvi eum propter indispositionem*; sed potiùs æquivalet taciturnitati, dum Confessarius interrogatus, an talem absolverit, nec negat, nec affirmat; sed vel absolutè nihil dicit, vel respondet: *Quid ad te?* aut simili modo, quod licere, docet Gabriel suprà.

Sicut ergo Sacerdos interrogatus, non tenetur dicere: *Ego eum absolvi*, vel, *Non absolvi*, sed potest tacere, vel respondere: *Quid ad te?* pari ratione non tenetur dare schedulam Confessionis; hoc enim solùm est ipsum non defendere: quòd autem defendere debeat, unde probatur? Ut proinde ipse pœnitens sit, qui tali casu suam indispositionem propalat, non asserendo schedulam, quam afferre posset, si vellet se disponere.

Si inferas: ergo etiam tali casu Confessarius interrogatus poterit respondere, se pœnitentem non absolvisse, cùm & pœnitens tali casu sit causa non Absolutionis. Resp. Neg. Conseq. disparitatem do; quòd pœnitens tunc nihil faciat, ex quo illa non Absolutio possit colligi, sicut in alio casu non afferendo testimonium.

Fatemur itaque, ex negatione illius schedulæ posse oriri aliquam suspicionem non datæ Absolutionis, sive propter indispositionem, sive ex alia causa; sicut etiam oriri potest ex his verbis: *Ego sum functus officio meo*, vel, *Quid ad te?* Equidem quia hoc per accidens est ex illa verba, excusamus taliter loquentem, etiam ab indirecta revelatione sigilli: ergo similiter, quia illa suspicio per accidens est ad negationem schedulæ, oportet ipsam excusare, etiam ab indirecta revelatione secreti; quidquid saltem suprà existimet Malderus, à quo in hoc puncto, quia nimis scrupulosus, recedimus; ne Confessarios, seu munus ipsorum, nimium aggravemus & odiosum reddamus, cùm homines nimis facilè aliquando suspicentur sua peccata revelari ex Confessione.

Profectò si Confessor Monialium, qui statis diebus tenetur eisdem Verbum Dei proponere, vitia & virtutes annuntiare, pœnam & gloriam, cum brevitate sermonis, si, inquam, talis Confessarius obligetur evitare omnes, etiam remotissimas suspiciones, & planè temerarias revelatæ Confessionis, onus foret intolerabile, & munus plenum scrupulis & anxietatibus conscientiæ; cùm tamen hodie videamus, multos parùm ab illo munere abhorrere. Signum, quòd non sit illa obligatio, quæ, sicut dixi, foret intolerabilis.

Sed relinquamus Confessores Monialium cum suis Monialibus in pace, & prosequendo materiam nostram, videamus, si liceat Confessario revelare pœnitentiam à se impositam & de puero, de quo dubitatur, an sit capax usûs rationis dicere: *Confessus mihi fuit peccata venia-*

venialia. Item, si cùm paucos audierit, putà duos vel tres, liceat ei dicere, unum ex illis designando: *Hic solùm habuit venialia.*

CONCLUSIO IV.

Confessarius nequit revelare pœnitentiam extraordinariam. Potest dicere de puero, de quo dubitatur, an sit capax usûs rationis, sibi confessum peccata venialia. Caveat autem omnino, ne, dum duos tantùm aut tres audivit, unum designando dicat: *Hic solum confessus fuit venialia.* Similiter ne dicat pœnitentem fuisse confessum nova peccata venialia.

60. Confessarius non potest revelare pœnitentiam extraordinariam, & quæ hæc sit.

PEr pœnitentiam extraordinariam, de qua fit mentio in prima parte Conclusionis, intelligo pœnitentiam, quæ non solet imponi, nisi pro peccatis mortalibus, aut aliquibus gravioribus vel determinatis peccatis venialibus. Sicut ergo nequit Confessarius absque fractione sigilli dicere: *Hic confessus fuit peccatum mortale*, vel, *graviora venialia*, aut, *mendacium iocosum*; ita etiam fractor erit sigilli, si dicat: *Imposui isti ieiunium*; quia hoc ipso implicitè dicit: Talis confessus fuit peccatum mortale, aut certè graviora, & plura venialia, cùm talis pœnitentia non soleat imponi, nisi pro hujusmodi peccatis.

Unde non bene fecit quidam Confessarius, qui, cùm cuidam ob gravia, sed ignota peccata, injunxisset in Confessione, longo tempore publicè audire solemne Sacrum Collegiale flexis genibus, indicavit eis, qui hoc observaverant, à se id profectum esse.

61. Occurritur objectioni, desumptæ ex Trident.

Est quidem verum, Concil Trid. sess. 24. c. 8. de Refor. statuisse in hunc modum: *Quando igitur ab aliquo publicè & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosq; fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè iniungi oportet; ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam.* Sed quid tum? Etenim tali casu non ipse Confessarius revelat pœnitentiam, sed potiùs pœnitens, qui voluntariè eam suscipit & implet, ùt latiùs diximus in materia de Satisfactione.

Vnde sicuti, non obstante, quòd peccata sint publica, pro quibus imponitur publica pœnitentia, Confessarius nequit dicere se ea peccata in Confessione audivisse, ùt patet ex dictis Sect. præced. pari quoque ratione illicitè diceret, se illam pœnitentiam in Confessione imposuisse; nam hoc ipso diceret, illa peccata se audivisse in Confessione.

Quantum ad pœnitentiam ordinariam, quæ solet imponi pro peccato veniali non adeò gravi, patet nullum esse peccatum illam manifestare, sicut nullum est peccatum dicere, pœnitentem confessum fuisse peccatum veniale in genere. Quæ autem sint leves pœnitentiæ dicerem, nisi omnibus satis essent notæ; unum *Pater & Ave, Salve Regina*, vel quid simile.

62. Revelare ordinariam pœnitentiam nullum est peccatum.

Quæ sit ordinaria pœnitentia.

Diana.

Dia. 5. part. tract. 11. resol. 31. pro exemplis allegat unum *Miserere*, quinque *Pater & Ave.* Sed hæc exempla non placent Dicastillo Disp. 12. n. 122. Solet enim, inquit ille, sciri & constare (præsertim in communitatibus Religiosis) aliquem communem multorum Religiosorum Confessarium, non solere injungere pro ordinariis & frequentissimis Confessionibus, nisi unum *Pater & Ave*, unum *Salve Regina*, vel quid simile; at quando paulò plures defectus afferuntur, etiam solùm venialis, vel quando fit Confessio longioris temporis (ùt sunt semestres Confessiones generales in nostra Societate, quæ ex Regulæ præscripto fieri solent) constat apud alios, qui id experti sunt, solere injungere unum *Miserere*, aut, quinquies *Pater & Ave.*

Dicastillo.

Si talis Confessarius in una ordinaria Confessione, quæ singulis hebdomadibus aut etiam bis aut ter fieri solet in eadem hebdomada, dicat, se illi injunxisse *Miserere*, aut quinquies *Pater & Ave*; profectò non parvam ansam præbebit aliis suspicandi, quòd ille pœnitens illâ vice sordidam venialium peccatorum sarcinulam paulò graviorem, sive numero, sive specie in ea Confessione deponendam attulerit, quod revelare aut indicare non licet, perinde atque non licet speciem aut determinatum numerum. Nec, seclusâ inadvertentiâ, aut ineptissimâ ignorantiâ, facilè excusarem talem Confessarium à culpa gravi, nec puto in hoc dissensuros Dianam & Alios. Hucusque Dicastillo.

63. An unum *Miserere*, significet graviora peccata venialia.

Nec ego puto, dummodo verum sit, quòd pœnitentiæ illæ significent sordidam venialium peccatorum sarcinulam paulò graviorem sive numero, sive specie; in hac autem veritate puto dissensuros Dianam & Alios, quia, dicent, aliqui Confessarii tam facilè imponunt *Miserere*, aut quinquies *Pater & Ave*, quàm alii pro eisdem peccatis unum *Pater & Ave*, aut, *Salve Regina:* ubi ergo contrarium non constat ex usu, etiam seclusâ inadvertentiâ & ineptissimâ ignorantiâ, facilè ipsi excusarent talem Confessarium à culpa gravi, quia non præbet satis magnam ansam aliis suspicandi, quòd ille pœnitens illâ vice sordidam venialium peccatorum sarcinulam paulò graviorem sive numero,

sive specie, in ea Confessione deponendam attulerit.

64. Consulitur Confessarius, ut ne minimam quidem pœnitentiam revelet.

Interim placeat consilium meum, ut ne minimam quidem pœnitentiam reveles, tunc immaculatus eris, & emundaberis à delicto etiam minimo. Et siquidem homines possent refrænare linguas suas, & recordarentur illius communis dicti: *Audi, vide, tace, si vis vivere in pace*, non esset opus tempus suum terere, & chartam implere tot quæstionibus examinandis & resolvendis.

Iac. 3. Sed quid dicit Scriptura? *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ inflammata à gehenna. Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana; linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero.* Iac. c. 3. v. 6. 7. & 8.

Et ideo in eodem cap. v. 2. dicitur: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Potest enim fræno circumducere corpus suum.* Sed quoniam pauci tales viri inveniuntur, ne saltem graviter in verbo Confessionis offendamus, operæpretium erit reliquas quæstiones examinare & resolvere.

65. Confessarius potest dicere, puerum confitentem esse capacem rationis.

Prima sit: Aliquis confitetur, de quo dubitatur, an sit capax rationis, nunquid licitum erit Confessario dicere: *Talis confessus fuit mihi peccatum veniale?* Affirmat secunda pars Conclusionis; alioquin Confessarius non posset dicere: *Talis est capax rationis*, quod est contra communem sensum fidelium, quandoquidem ex Confessione Confessarius judicet, an puer v. g. sit capax Extremæ Unctionis, Viatici aut sepulturæ adulti, an pro eo offerenda sint suffragia &c.

Ratio à priori est: quia puer v.g. non dicit usum rationis suæ Confessario, saltem sub secreto; sed illum cognoscit Confessarius ex discursu & factis pueri. Neque vituperabile est per se loquendo uti ratione, sed potiùs valde laudabile: sicut ergo Confessarius potest revelare virtutes pœnitentis, patriam, statum, nomen & alias circumstantias non odiosas, cognitas in sola Confessione, ùt dictum est Sect. præced. Concluſ. ultimâ; quidni etiam possit per se loquendo revelare usum rationis, id est, ingenium, capacitatem & judicium pœnitentis?

66. Per accidens posset esse illicitum.

Dico; *Per se loquendo*; quia si aliquis vel ob mortificationem, vel ob interesse aliquod temporale, fingeret se fatuum & amentem, atque hoc ipsum in Confessione manifestaret, ut sua peccata confiteri posset: tunc crederem (inquit Lugo suprà n. 91.) sub sigillo contineri illud secretum sapientiæ & statûs sui, quod manifestavit Confessario, narrando illud ad declaranda peccata, & committendo illud sub eodem sigillo.

Idem ego crederem; nam tali casu judicium seu usus rationis est circumstantia odiosa, cujus revelatio redderet Sacramentum onerosum.

Nec dixeris; etiam odiosum est puero, quòd homines jam certò sciant ipsum peccasse venialiter, de quo antea erant incerti, propter incertitudinem usûs rationis.

Nam facilè respondetur; hoc non magis odiosum esse, quàm quòd homines certò sciant, me esse confessum, de quo antea erant incerti: quis autem dixerit, Confessarium, interrogatum à Superiore, dubitante de Confessione alicujus Religiosi, non posse dicere, eum fuisse confessum, quando nullum aliud malum timetur, quàm certa notitia peccati venialis in genere?

Cur ergo similiter, Confessarius non poterit dicere de puero, quòd fuerit confessus? Et per consequens, quòd fuerit confessus aliquod peccatum veniale? Sanè non video, quâ ratione illa certitudo peccati venialis possit reddere Confessionem odiosam & onerosam. Nam puer quantùm est ex se, accedendo ad Confessarium sufficientem dat rationem suspicandi peccatum veniale; immo facto suo quodammodo dicit, se habere peccatum veniale. Unde omnes videntes, & aliunde non habentes rationem dubitandi de usu rationis, ita prudenter judicarent. Quod ergo hic odium, quod potest avertere à Confessione? Nullum omnino.

Sed nunquid, interrogat quispiam, redditur Confessio odiosa, quando Confessarius de eo, qui frequentiùs confitetur, revelat, confessum fuisse hodie novum peccatum veniale? Sufficit quippe ad validam Confessionem peccatum veniale antiquum: ergo Confessarius, qui dicit, illum confessum fuisse novum peccatum, jam revelat plus, quàm ipse actus Confessionis dicat: ergo hoc ipso facit contra sigillum, estò aliunde constaret, ipsum habuisse novum peccatum. Sicuti facit contra sigillum, qui de publico hæretico converso dicit: *Confessus est mihi suam hæresim*, quandoquidem vix sit æquè notum aliunde, hunc commisisse novum peccatum, quàm sit notum illum alterum fuisse hæreticum. Et ideo Conclusionem nostram docet, tamquam probabiliorem, Arriaga Disp. 46. n. 10.

At verò Lugo suprà n. 90. distinguendum putat; nam, inquit, si breve sit tempus ab ultima Confessione, id credo illicitum: quia brevi illo tempore potuit non committere aliqua, saltem clara & certa. Si verò tempus longius intercessit, non videtur esse contra sigillum, cùm certum sit eo tempore alterum committi, quæ diligens pœnitens primo loco confitetur, & in eorum defectum confitetur antiqua. Hæc ille.

Sed responsio patet ex dictis; nam quantumcumque longum tempus intercesserit, & dato quòd plura nova venialia fecisset; equidem non

non tenetur ea confiteri, sed potest velle solùm confiteri peccatum antiquum.

Ulteriam distinctio Dicastillonis.

Quo argumento etiam rejicitur distinctio Dicastillonis Disp. 12. n. 123. qui putat non esse contra sigillum, si reveletur novum peccatum veniale, intelligendo peccatum, quod de novo occurrit, non quod de novo factum est; hæc, inquam, distinctio eodem argumento rejicitur: nam etsi novum peccatum occurrat, & hoc clarè omnibus constet, tamen potest pœnitens non velle confiteri illud novum peccatum, sed solum antiquum, quod immediatè antè confessus fuit. Interim bene dicit hic Auctor: Absolutè tamen oportet tacere, & sic loquentes Confessarii, ab iis, quibus incumbit, seriò compescendi essent.

Solvitur ob. jectio.

Si inferas; ergo non licebit simpliciter dicere: *Confessus est veniale.* Neg. Conseq. quia eo ipso quòd ille accedit ad Confessionem, & non curat sciri, se esse confessum, jam prodit se habere aliquod veniale, quia alioquin Confessionem non posset facere; ideòque qui dicit, illum habuisse veniale, nihil penitùs plus revelat, quàm ipse pœnitens revelet, dum vult confiteri. Hæc de ultima parte Conclusionis.

70. Probatur penultima pars Conc. que est Malderi.

Restat penultima, quam docet Malderus suprà cap. 12. cum Aliis quos citat. Ratio est: quia suspicio oritur indè, quòd alii confessi sint mortalia. Immo expedit planè, ut à tali laude omnino abstineat Confessarius, estò plures pœnitentes audierit, ne dum unum extollit, alios indirectè gravet, de quibus similia non dicit. De personis confessis (inquit Gerson Alphab. 41. lit. H.) expedit magis tacere, quàm aliquid dicere vel laudando vel vituperando in genere vel specie. Et Alphabet. 18. lit. I. de laudantibus pœnitentes suos dicit, quòd dent occasionem malè suspicandi de aliis, quos non laudant; & mendaciter confitendi, ut videlicet etiam laudentur.

Gerson.

Ad hoc propositum allegant DD. quod Gregor. Homil. 18. in Euang. (agens de calumnia Iudæorum: *Nonne bene dicimus, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?*) ait: *Duo quippe ei illata fuerunt, unum negavit, alterum tacendo concessit.* Quod refertur cap. *Nonne* 5. de Præsumpt. Et cap. *Qualis* 4. distinct. 25. (quòd est Gregor. Dialog. lib. 4. cap. 39.) sic lego: *Quod de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur.*

71. Paradigma huc pertinens apud Lud. de Beia.

Est paradigma huc pertinens apud Ludovicum de Beia, Respons. p. 3. casu 15. ubi duarum sororum Confessarius juniorem laudans, quòd virgo sit, & sinè crimine, efficit, ut seniore relictâ, ejus matrimonium adolescens quidam expetat. Meritò, inquit Malderus suprà, Confessarium istum damnat, ùt revelatorem Confessionis senioris sororis.

Malderus.

Ne tamen (subjungit idem Auctor) quis putet hinc consequens esse, ut numquam liceat Confessario, præsertim Parocho, qui omnes suos audit Parochianos, unum ex illis ex Confessione laudare, monet idem Beia, etiam ex Confessione posse quempiam laudari præ alio, quando res, de qua agitur, non est talis, ut putetur aliunde, quàm ex Confessione non posse sciri, & non agitur de personis ita conjunctis, ut quod de una affirmatur, de altera negari intelligatur. Quare violat secretum Confessionis, si dicat, in sua Parochia solam Ioannam esse virginem aut castam. Ita Malderus. Et quis audeat contradicere?

Hic ergo erit finis hujus Conclusionis; sed nondum statim Sectionis: nam restant duæ celebres quæstiones, Prima; An sigillum solvatur per consensum pœnitentis? Altera; Quomodo Confessarius possit uti, vel non uti scientiâ Confessionis? De prima instituitur

CONCLUSIO V.

Non solvitur sigillum per expressum consensum pœnitentis, nedum per præsumptum.

PRima pars videtur esse Scoti 4. dist. 21. q. 2. ubi quærit: *Vtrùm Confessor in quocumque casu teneatur celare peccatum sibi in Confessione detectum?* Et n. 1. ait: *Videtur quòd non, quia licitum est unicuique renuntiare iuri suo: ergo confitenti, cùm ius suum sit, peccatum suum celari, licet huic iuri renuntiare, licentiando Confessorem, ut non teneatur illud celare.* 72. Prima pars Concl. videtur esse Scoti.

Respondet autem ad hoc argumentum n. 18. *Quòd peccatum confessum debere celari, non est tantùm ius confitentis, sed ius communitatis; quia ex opposito, scilicet revelatione, sequeretur continua perturbatio in communitate, quia passim quilibet reputaret alium abominabilem: & non licet isti renuntiare iuri communitatis, licèt suo.*

Aliter potest dici; estò etiam, quòd tantùm esset ius istius, id est, in favorem istius indulti, non licet isti renuntiare quoad hoc, quòd Confessor sit liber ad revelandum; quia Confessor tunc tenetur multiplici iure, naturæ scilicet & positivo, quorum nullius revocatio est in potestate confitentis.

Rogas Doct. Subt. Quid igitur faciet Confessor, confesso volente peccatum suum prodi? Respondet ibidem: *Quòd confitens potest postea peccatum suum extra Confessionem dicere; & si ùt secretum, adhuc licentia sequens non absolvit Confessorem à lege naturæ, quin teneatur celare;* 73. Quid faciet Confessor, quando confitens vult aliis Confessionem suam dici.

sed si dicit, ut non habeatur secretum, & maximè apud aliam personam, vel apud alias certas, quibus fortè licet propter aliquem bonum finem, qui potest sequi ex revelatione istis facta, vel illi: tunc Confessor potest dicere illud, tamquam sibi publicè dictum extra omne secretum.

Quæris rursùm: Numquid potest tunc dicere; *Audivi hoc in Confessione?* Respondet Doctor n. 19. *Dicitur, quòd hæc sola verba:* Audivi hoc peccatum, & hujus personæ in Confessione, *includunt peccatum mortale; quia includunt revelationem huius ùt cogniti, eo modo, quo non licet revelari. Vnde cui post Confessionem revelatur extra omne secretum, caveat in modo narrandi, ne hoc narret, tanquam sibi dictum modo, quo non licet revelari.*

74. Objectio ex Scoto. *Contra hoc: Licet hoc narratum extra Confessionem dicere, quibus ille vult, & non est narratio specialis per hoc, quòd dicit, hoc esse sibi confessum: hoc igitur dicere est sibi licitum.*

Solvitur. Hanc objectionem lego apud Scotum, sed solutionem non invenio. Fortè eam Doctor omisit, quia satìs notum erat aliter narrare peccatum, qui dicit: *Petrus commisit homicidium*, aliter qui dicit: *Petrus confessus est mihi homicidium.* Quippe prima narratio pro objecto suo solùm habet homicidium, abstrahens omnino ab ejus Confessione; secunda autem narratio, præter homicidium, pro objecto suo habet actum Confessionis. Et ideo suprà diximus, licitum esse Confessario revelare peccatum publicum, abstrahendo à Confessione; illicitum autem illud revelare tanquam dictum in Confessione.

75. Hiquæus putat eam non esse Scoti. Interim Hiquæus in suo Comment. ad illum locum Scoti n. 38. Hæc, inquit, objectio non est Doctoris, neque cohæret suæ litteræ, ùt patet ex tota responsione ad argumentum hoc, & ex doctrina: quia si per eum nullo modo licet, etiam de voluntate pœnitentis, revelare Confessionem; & ad effectum revelandi peccatum confessum, exigit, ut extra Confessionem & secretum ei dicatur; sequitur, neque Confessarium dando causam scientiæ, posse allegare Confessionem, & huc omnes rationes ejus tendunt. Notatur etiam ut additio in secunda correctione Mauritii. Unde vel est ipsius Mauritii vel Antonii Tarvisini, non autem Doctoris. Hæc ille.

76. Contrà arguit Auctor, existimans eam esse Scoti. Respondeo; me summè mirari, si additio est, eam ùt talem non notari ab Hugone Cavello, qui novissimè recognovit quæstiones Scoti in 3. & 4. Sententiarum, & habitâ collatione cum selectioribus antiquis editionibus, ac vetustissimo Codice manuscripto, ab innumeris mendis & vitiis, quibus ubique scatebant, castigavit. Præsertim cùm alias additiones, quæ veræ additiones sunt, notet.

Deinde, quod ait hic Auctor; omnes rationes Scoti hùc tendere, ut probet, Confessarium, dando causam scientiæ, non posse allegare Confessionem, potiùs probat, illam esse objectionem Scoti, qui noluit dissimulare, sicut Aliqui hodie faciunt, vel minimam difficultatem, oppositam suæ litteræ: unde hæc objectio optimè cohæret suæ litteræ eo modo, quo objectiones debent cohærere, id est, repugnat litteræ suæ, & ideo ait: *Contra hoc.* Ut ut sit de Auctore hujus objectionis, soluta est, quod sufficit.

Nihilominus maxima pars Doctorum existimat, Confessarium de consensu expresso pœnitentis posse revelare audita in Confessione, hoc fundamento, quasi unico; quòd per talem revelationem non reddatur Sacramentum odiosũ. Unde, inquiunt, pœnitens tali casu non dispensat aut relaxat jus naturale, divinum vel Ecclesiasticum; sed ponit conditionem, quâ positâ jus non obligat; quia solùm obligat ad non revelandum, absque expressa licentia pœnitentis: quoniam hæc sola revelatio posset reddere Sacramentum odiosum, propter quod odium evitandum, inducta est obligatio.

Igitur tali casu cessat ratio legis adæquatè, idque in universali: ergo cessat ipsa lex, seu potiùs, ab initio talis casus non fuit legi illi comprehensus. Sicuti non comprehenditur lege secreti naturalis, casus in quo aliquid revelatur de licentia ejus, qui commiserat secretum.

Verùm hæc ratio nimium probat, & ideo nihil; quod sic declaro: secretum naturale non potest solvi de licentia committentis, ut nullo omnino maneat obligatio vel in eo, qui revelat, vel in altero, cui secretum revelatur ergo similiter ita posset solvi sigillum de licentia pœnitentis, ut non maneret amplius obligatio sigilli in Confessario, neque in tertio, cui de licentia pœnitentis peccatum revelatur; quod tamen non videntur Lugo & alii Auctores, quos citat suprà n. 133. admittere.

Sic enim ait Eminent. Secunda sententia communis affirmat, pœnitentem, non solùm posse ea, quæ dixit in Confessione, extra Confessionem dicere, de quo non est dubium; sed etiam dare licentiam, ut manente sigillo Confessionis, possit Confessarius ad talem vel talem effectum uti illâ scientiâ, vel illum alteri communicare sub eodem sigillo. Ita S. Thomas dist. 21. q. 3. a. 2. Bonaventura, Richardus, Palud. Adria. Henricus, Sylvest. uterque Soto, Ioan. Med. Antonin. Navar. Covarr. & Alii, quos afferunt & sequuntur Suarez dictâ Sectione 5. n. 6. & Vasquez q. 93. a. 4. dub. 5. n. 2 & alii Recentiores communiter.

Est autem magna differentia inter hunc modum licentiæ, & illum alium: nam si pœnitens primo modo procedat, dicendo extra Confessionem, quod priùs in Confessione dixerat, jam nec Sacerdos, nec ii, quibus ipse diceret, obligantur ad secretum sigilli Confessionis, sed ad secretum naturale pro qualitate materiæ: quare in multis casibus

possit

posset illud absque alia licentia manifestare ad aliquod damnum vitandum; secùs verò, quando licentia datur hoc secundo modo, retinendo sigillum Confessionis, & non dando aliam notitiam extra Confessionem, sed licentiam utendi notitiâ Confessionis ad talem vel talem effectum: tunc enim omnes ii, ad quos transit ea notitia, obligantur eodem Confessionis sigillo. Hactenus Lugo.

Ergò secundùm ipsum & alios Auctores, quos citat, tali casu non solvitur sigillum, sed solùm extenditur ad pauciores vel plures juxta beneplacitum pœnitentis. Idem docet Malderus suprà c. 4. dicens: Istud facilè admiserim, non nisi ex legitima causa utili & honorifica confitenti, immo satìs necessaria, utendum esse hâc praxi; & etiam ipsum, cui de consensu pœnitentis fit revelatio, teneri secreto sigilli.

Malderus.

80. Sed numquid Scotus contrarium docet? Minimè, ùt patet ex his ejus verbis, suprà relatis: *Quia ex oppositio, scilicet ex revelatione, sequeretur continua perturbatio in communitate*; quæ non sequitur ex revelatione sigillata (ut sic loquar) sive extensione tantùm sigilli ad aliquem tertium.

Scotus nunquam improbavit extensionem sigilli.

Unde non est verisimile, Scotum voluisse improbare illam extensionem, v. g. ad interpretem, consiliarium &c. sed tantùm solutionem sigilli, id est, talem revelationem, ut nec Confessarius, nec alii, quibus fit revelatio, teneantur sigillo, sed possint de illis peccatis loqui, etiam ùt dictis in Confessione, sicut de aliis peccatis publicis vel occultis, nunquam confessis.

Meritò Scotus improbavit revelationem sigilli.

Et verò Scotum meritò improbasse talem revelationem, patet: quia est dedecus Sacramenti, quòd Sacerdos & alii ita utantur ejus notitiâ (ùt sic loquar) ac si non esset Sacramentum; unde & redditur odiosum, si non ipsi pœnitenti, qui dedit licentiam, saltem aliis, qui nesciunt licentiam datam; & quàmvis eam scirent, tamen cogitant Confessarium facilè posse excedere ob volubilitatem linguæ, & inconsiderationem seu inadvertentiam; ac proinde non rarò contingere, ut ea narret, quæ aliàs non deberet narrare. Vide quæ de hac re diximus Disp. præced. Sect. 9. concl. 4. ubi de revelatione complicis, & ejus correctione ex scientia confessionali.

Sic magis consulitur honori Sacramenti.

81. Sanè nemo, arbitror, negare potest, sic magis consuli honori & reverentiæ debitæ hujc Sacramento; ergo verisimile est, Christum sic instituisse hoc Sacramentum, ùt Confessarius, ne quidem de licentia pœnitentis, possit uti notitiâ confessionali, ac si talis non esset; præsertim cùm talis usus nec necessarius, nec utilis esse possit; nam unico verbo potest dare scientiam extra Sacramentum, dicendo: *Quæ tibi dixi in Confessione, dico nunc extra Confessionem*, ùt est communis sententia DD. quidquid Aliqui pauci sinè fundamento reclament, postulantes novam declarationem peccatorum in particulari.

Et quàmvis hæc necessaria foret (quod non) haud equidem difficilis iis, qui sua peccata volunt aliis manifestare per Confessarium absque ulla obligatione sigilli: ergo nulla est necessitas, vel utilitas utendi notitiâ sacramentali, quasi non esset sacramentalis, quæ est aliqua irreverentia Sacramenti, sicut statim dixi.

Probatur à simili; quia est aliqua irreverentia & dedecus statûs Ecclesiastici, quòd persona Ecclesiastica seu Clericus, etiam volens, trahatur ad tribunal laicum, instar alterius laici, cùm reverà sit Clericus. 82. *Probatio à simili.*

Et ideo sic scriptum habes cap. *Si diligenti* 12. de foro competenti: *Cùm igitur hoc ius in Milevitanensi & Carthaginensi Ecclesiis sit specialiter promulgatum, ne Clerici Clericos relicto suo Pontifice, ad iudicia publica pertrahant; alioquin causam perdant, & à communione habeantur extranei, & tam Episcopi, quàm Diaconi, seu quilibet Clerici in criminali seu in civili negotio, si derelicto Ecclesiastico iudicio, publicis iudiciis se purgare voluerint, etiamsi pro eis sit lata sententia, locum suum amittant, & hoc in criminali actione; in civili verò perdant, quod evicerint, si locum suum maluerint obtinere. Manifestè probatur, quòd non solùm inviti, sed etiam voluntarii, paciſci non possunt, ut sæcularia iudicia subeant, cùm non sit beneficium hoc personale, cui renuntiari valeat, sed potiùs toti collegio Ecclesiastico publicè sit indultum: cui privatorum pactio derogare non potest.* *c. 12. de Foro competenti.*

Si dixeris cum Maldero suprà; hic casus non est similis; quia læditur jus Prælati Ecclesiastici, qui est Iudex competens, quando Clericus renuntiat privilegio fori. 83. *Objectio ex Maldero.*

Respondeo; etiam hìc læditur jus Prælati Ecclesiastici sive ipsius Ecclesiæ, quod habet, ne aliquis utatur rebus sacramentalibus instar rerum profanarum & sæcularium. Deinde similitudo est, quòd sicut privilegium seu beneficium exemptionis non est personale, sed potiùs toti collegio Ecclesiastico publicè indultum; ita quoque privilegium sigilli non sit privilegium personale, sed potiùs toti collegio pœnitentium, seu toti Ecclesiæ publicè indultum, ad majorem reverentiam & amorem Sacramento adeò difficili conciliandum, cui proinde privatorum licentia non potest derogare. *Solvitur.*

Nam quod Adversarii dicunt, obligatio sigilli pendet ex voluntate pœnitentis; verba sunt, & nihil aliud, nisi sic intelligas; quòd pœnitens eadem peccata, quæ sub sigillo dixit, possit de novo dicere extra Sacramentum, & per consequens extra sigillum, quæ proinde sic dicta poterunt aliis revelari: at verò quòd pœnitens possit facere, ut peccata sigillata, seu dicta in Confessione, ùt talia possint revelari à Confessario, quasi non essent dicta in Con-

fessione, hoc est quod quæritur, & nemo hactenus satis probavit, & ideo à Scoto & Aliis rectè negatur.

84. Celatio Confessionis per se primò concernit favorem publicum, contra Adrianum & Maldeum,

Perperàm autem observat Adrianus, & post ipsum Malderus suprà, celationem Confessionis per se primò solùm esse in favorem confitentium, quàmvis ex consequenti concernat favorem publicum; nam contrarium verum est, scilicet, celationem Confessionis per se primò concernere favorem publicum, scilicet favorem Sacramenti, quod publicum est, id est, pro communitate fidelium institutum, quàmvis ex consequenti concernat favorem singulorum pœnitentium, eo modo, quo beneficium exemptionis Clericorum, per se primò est in favorem totius collegii Ecclesiastici, quàmvis ex consequenti concernat singulos Clericos in particulari.

Distinctio inter secretum naturale & sacramentale.

Hinc non est eadem ratio secreti naturalis & secreti sacramentalis, quidquid Adrianus & Malderus suprà dicant; quia constat secretum naturale per se primò solùm esse in favorem ejus, qui secretum commisit, cùm ab ipsius voluntate dependeat; secùs secretum sacramentale, quod inductum est à Christo Institutore Sacramenti, & ab Ecclesia, ut constat ex antè dictis, etiam pro tali casu, quo pœnitens, quia sacrilegè confitetur, nullum meretur favorem. Porrò inductum esse sub illa conditione, nisi pœnitens consenserit, dicitur quidem, sed non probatur.

85. Audiamus Arriagam Disp. 46. n. 47. Dices: Notitia antiqua est sacramentalis: ergo nisi nova detur, semper manebit sub sigillo.

Argumentum Arriagæ pro communi sententia.

Respondeo Primò; totum hoc sigillum esse juxta voluntatem pœnitentis; si ergo dicat: *Ego do tibi licentiam, ut narres hoc quibus vel is, & illi, quibus velint, sinè ulla prorsus ulteriori obligatione*, sinè dubio jam manebunt omnes liberi ab obligatione: sicuti enim potuit, non narrando de novo historiam, pœnitens licentiam dare, ut diceret Sacerdos duobus, potuit & quatuor; quo casu exceptis illis quatuor non posset res ulteriùs narrari; potuit ergo & sex; potuit & omnibus, quia eadem est ratio: eo autem ipso, quòd omnibus, jam ex integro abstulit, non narrando de novo peccata, obligationem sigilli, & reduxit totaliter rem ad notitiam habitam extra Confessionem. Hæc ille.

86. Responsio Auctoris.

Sed si ipse asserendo probavit, ego negando reprobavi. Nego itaque eo ipso, quòd pœnitens dedit licentiam omnibus dicendi, jam ex integro abstulisse, non narrando de novo peccata, obligationem sigilli, & reduxisse totaliter rem ad notitiam habitam extra Confessionem. Et probo adhuc manere posse obligationem sigilli ex eodem Auctore n. 46. ubi sic ait: Hoc secretum totum quantum, est in favorem Confessionis, ne ea reddatur odiosa pœnitentibus, ideòque est dependens à voluntate pœnitentis; ex eo autem quòd ipse dare possit licentiam, ut Confessarius loquatur cum hoc aut cum illo, non redditur odiosa Confessio, immo magis appetibilis; cùm ita pœnitens sit dominus ejus secreti, ut possit pro libitu dare, vel negare licentiam, vel eam ad duos, tres, quatuorve, vel etiam ad plures extendere: quo casu omnes, ad quos ex ea licentia notitia illa peccati devenit, tenentur sigillo ad non propalandum illud peccatum, ultra quàm licentia pœnitentis extenditur. Ita hic Auctor.

Infero ego: ergo si pœnitens dedisset licentiam Sacerdoti dicendi omnibus, omnes, ad quos ex ea licentia notitia illa peccati devenisset, tenerentur sigillo ad non propalandum illud peccatum; cur enim magis teneantur duo, tres, quatuorve, vel etiam plures, quàm omnes? Quòd autem omnes possint obligari, liquet: quia si omnes casu, vel ex malitia audivissent meam Confessionem, omnes obligarentur, nec possent mutuo loqui de peccatis auditis in illa Confessione.

Ergo hoc ipso, quòd pœnitens dat licentiam Sacerdoti dicendi omnibus, non narrando de novo peccata, minimè ex integro abstulit obligationem sigilli, & reduxit totaliter rem ad notitiam habitam extra Confessionem. Ergo per illam licentiam non solvitur sigillum, sed tantùm extenditur. Ergo nisi de novo peccata narrentur, non reducitur res ad notitiam habitam extra Confessionem.

Et quidem optimum ac securissimum erit repetere extra Confessionem omnia peccata singillatim, sicut si Confessarius nihil sciret; attamen etiam secutum est, si dicat Confessario: *Quod in Confessione dixi, id totum dico tibi nunc extra Confessionem, ut possis facilius tua notitiâ uti.* Sicut enim pœnitens dat notitiam confessionalem seu in Confessione, si dicat: *Accuso me de illo peccato, quod extra Confessionem tibi dixi*, nec oportet aliam novam scientiam dare Confessario per repetitionem historiæ; pari utique ratione videtur dare notitiam non confessionalem, seu extra Confessionem, dicendo: *Peccatum, quod dixi in Confessione, dico tibi extra Confessionem*, non dando aliam novam scientiam per repetitionem historiæ.

Itaque in utroque casu, illa notitia brevis & compendiosa, æquivalet notitiæ distinctæ priùs datæ; atque ideo in casu nostro accipit virtualiter & æquivalenter extra Confessionem totam illam notitiam, sicut in alio casu accipit totam illam notitiam virtualiter & æquivalenter intra Confessionem. Ac proinde in nostro casu non utitur extra Confessionem notitiâ, acceptâ in Confessione, magis, quàm in alio casu utitur in Confessione notitiâ, acceptâ extra Confessionem.

Quæ cùm ita sint, dico iterum, Non solvitur sigillum per expressum consensum pœni-

non extenditur per præsumptum consensum pœnitentis.

pœnitentis, sed tantùm extenditur. Sed nec extenditur quidem per consensum tantùm præsumptum, ùt communiter docent Theologi.

Ratio est: quia facilè Confessarii fingerent sibi potiùs, quàm rationabiliter præsumerent consensum pœnitentis, per quod indubiè redderent Confessionem odiosam, revelando peccata contra veram voluntatem pœnitentis. Unde tametsi tibi certum sit, pœnitentem debere rationabiliter consentire in revelationem alicujus peccati, sive ad impediendum proprium damnum, sive ad avertendum damnum alienum, privatum aut commune; caveas tamen ne absque expressa & formali licentia peccatum reveles; quia fieri potest, ut nolit consentire, etsi hìc & nunc deberet consentire.

Et dato, quòd consentiret, si interrogaretur, & hoc tibi constaret; tamen fieri potest, ut nolit consentire, neque consentiat, nisi actu interrogetur; & rationabilis est talis voluntas, & meritò præsumitur propter abusus, qui aliàs in materia tam odiosa facilè contingerent. Non sufficit ergo consensus præsumptus vel interpretativus, sed requiritur consensus aliquo modo expressus & formalis.

89. Non semper requiritur ut dicat expressis verbis: *Do tibi licentiam loquendi*.

Dico: *Aliquo modo*; quia non semper requiritur ut dicat expressis verbis: *Do tibi licentiam loquendi de peccatis auditis in Confessione*; sed sufficit, quòd pœnitens v. g. interroget, vel loquatur cum Confessario de aliquo, quod dixit in Confessione; hoc ipso enim censetur dare licentiam respondendi & loquendi de tali re, cùm alioquin frustrà interrogaret.

Lugo.

Quare, inquit Lugo suprà n. 131. nimia videtur esse cautela Aliquorum, qui ad ostendendam magìs fidelitatem & observantiam sigilli, tunc etiam expressam licentiam peti volunt.

Meo judicio, nimia cautela non nocet; unde quàmvis non sit obligatoria, tamen consulitur, quando commodè potest adhiberi, ne fortè pœnitens sit in contraria opinione, & putet frangi sigillum, quando Confessarius absque alia prævia licentia respondet.

90. Quid faciendum si infirmus mandet Confessario, ut post mortem hoc vel illud restituat. Graffius.

Alius casus esse potest, quando morti proximus mandat Confessario, ut post ejus mortem dicat hæredibus, ut hoc vel illud restituant, quod ipse aliis debebat ex delicto: quæritur, an si Confessarius non possit exequi mandatum, nisi cum revelatione vel suspicione delicti, debeat exequi.

Graffius Decis. lib. 1. c. 23. n. 14. sic ait: Constat tunc tantùm confessionem revelari posse de licentia pœnitentis, quando cedit in ejus utilitatem; immo hoc procedit, etiamsi non expressa, sed tacita fuerit concessa facultas revelandi. Hinc Confessarius justè revelare potest hæredibus, cujus ipse Confessionem audivit, sibique mandavit, ut post ejus obitum diceret eis, ut illud restituerent, quod ipse aliis debebat: cùm per tale mandatum, saltem tacita potestas revelandi, justa de causa concedatur arg. c. *Præterea* de Offic. deleg. Navarr. in Manu. c. 12. n. 23. Hæc ille.

Verùm Navarrus loco citato nihil simile scribit. In jure autem allegato sic habetur in fine: *Quia eo, quòd causa sibi committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur plenariam recipit potestatem.* Ex quibus verbis probabilis apparet sententia Graffii, ex hypothesi, quòd non possit aliter Confessarius exequi mandatum, nisi revelando delictum, & hoc probè noverit mandans, quando mandatum dedit: hæc tamen licentia tacita, est aliquo modo expressa in ipso mandato.

91. Sententia Malderi contra Graffium.

Sed Graffius dispicet Maldero suprà, ubì sic ait: Neque verum existimo quod dixit Graffius Decis. l. 1. c. 23. n. 14. ex tacito consensu pœnitentis posse ejus revelari Confessionem, quando cedit in ipsius confitentis utilitatem. Itaque si morti proximus habeat occultum debitum ex delicto, & petat à Sacerdote restitutionem injungi hæredibus, non poterit Sacerdos dicere, hoc ex delicto deberi, sed solùm quòd talibus hoc dari voluerit; & satiùs esset suadere moribundo, ut secreto suo Codicillo talia inserat hæredibus injungenda. Si tamen ex sola executione mandati oriatur suspicio delicti, Sacerdos mandatarius excusatur, ùt benè Reginaldus.

Reginaldus.

Quod ergo Graffius dixit, esse casum, quo sufficiat tacitus consensus pœnitentis, ut Confessarius peccatum ejus revelet, per abusum est dictum; cùm potiùs dicere debuerit, & fortè, ùt arguit exemplum, quod adducit, voluerit dari casum, ubì ex actione Confessarii, in quam pœnitens apertè consensit, tacitè sequatur revelatio peccati. Sanè multùm differunt, tacitum esse consensum, & esse consensum in tacitam revelationem. Hucusque Malderus.

92. Defenditur Graffius.

Ego autem existimo, quod Graffius dixit, per abusum non esse dictum: nam apertè consentire in actionem Confessarii, ex qua sive directè, sive indirectè sequitur necessariò revelatio peccati, est tacitè consentire in revelationem peccati. Sicuti quando Superior expressè seu apertè consentit in peregrinationem v. g. & non prohibet aliquid recipere, eo ipso tacitè concedit potestatem recipiendi ea, quæ aliàs prudenter, & cum decentia religiosa recipi possunt.

Similiter, quia Superior vult convenienter & in commodum suæ Religionis administrare munus suum, ideo tacitè censetur velle, ut quando ipse est absens, vel facilè conveniri non potest, & est periculum in mora, subditus possit aliquid accipere, absque alia expressa licentia. Præterea, expressa licentia generalis aliqua certa recipiendi, est tacita licentia singulorum actuum in particulari.

Quid sit licentia tacita.

Breviter, tacita licentia est, quæ in aliquo actu

actu expresso, juxta legalem & rationabilem interpretationem, virtute continetur. Præsumpta propriè dicitur, quæ per conjecturas vel rationes probabiliter creditur futura, si Superior conveniretur; de præsenti autem nullo modo existit, nec per generalem, nec per specialem aliquam voluntatem Superioris. Et quàmvis communis sententia doceat, licentiam præsumptam non sufficere, attamen licentiam tacitam excusare à peccato, non video quo argumento efficaciter possit improbari.

93. Quid si licentia revelandi Confessionem fraude aut metu extorqueatur.

Sed quid dicam de licentia fraude, vi aut metu extorta? v. g. si persuadeatur pœnitenti, quòd teneatur consentire, quando revera non tenetur; si maritus metu mortis cogat adulteram, ut det licentiam Confessario dicendi sibi, quòd ipsa de adulterio sit confessa. Certum est apud omnes, non posse Confessarium, sinè sigilli violatione, illius virtute aliquid revelare, ne alioquin Sacramentum maximè reddatur odiosum, cùm sic passim possent pœnitentes cogi, ad præbendum consensum cum sui infamia.

94. Quid si revelatio vergat in infamiam propriam aut alienam.

Sed quid, si pœnitens spontaneè & prorsùs liberè det licentiam aliquid revelandi, quod vergit in perniciem, aut infamiam propriam vel alienam? Si verum est, totum hoc sigillum esse juxta voluntatem pœnitentis, quemadmodum secretum naturale, non video, quare tali casu Sacerdos peccaret contra sigillum; quàmvis sicut ipse pœnitens, ita & Sacerdos posset peccare contra charitatem, vel etiam contra justitiam, prout pernicies vel infamia, quæ sequitur ex revelatione, opponitur charitati vel justitiæ.

Verùm enimverò, cùm secundùm Scotum hoc sigillum non sit juxta voluntatem pœnitentis, quemadmodum secretum naturale, sed etiam juxta voluntatem Dei & Ecclesiæ; videtur, pœnitentem non posse illud extendere, quando illa extensio est contra charitatem, vel justitiam, vel aliam virtutem; sed tunc tantùm, quando vel charitas, vel alia virtus ad eam inclinat; & quodammodo obligat: quia tunc tantùm consentur Deus & Ecclesia consentire. Estò igitur Deus & Ecclesia concesserint illam extensionem dependenter à consensu pœnitentis, id tamen intelligendum venit de consensu rationabili.

Si autem à me quæritur; an licitum sit de peccatis, dictis in præcedenti Confessione, agere in sequenti Confessione? Item, an post Absolutionem, si danda est pœnitentia, possit simul per modum remedii aliquid injungi, in quo peccati fiat mentio? Respondeo citius:

CONCLUSIO VI.

Licitum est de peccatis, dictis in præcedenti Confessione, agere in sequenti, quando pœnitens solet talem Confessarium frequentare; præsertim si confiteatur circumstantiam pertinentem ad priora peccata. Item post Absolutionem, si danda est pœnitentia, potest simul per modum remedii aliquid injungi in quo peccati fiat mentio. Ut admoneatur extra Confessionem de defectu, commisso in Confessione, non sufficit licentia petita, & non obtenta.

Quantum ad primam partem Conclusionis (quam à posterioti satis probat communis praxis, sinè ullo scrupulo peccati) multi Auctores judicant, teneri Confessarium ad injungendam Absolutionem pœnitenti, quando agnoscit ex præcedentibus Confessionibus, illum frequenter relabi in idem peccatum, ita ut & maneat in proxima peccandi occasione, & videatur non habere serium propositum emendationis.

Deinde, est consilium omnium, qui de gubernanda conscientia agunt, ut pœnitens quoad fieri potest semper habeant eumdem patrem spiritualem, ut meliùs possint dirigi in spiritu. At si Confessarius nihil posset dicere vi præcedentis Confessionis, nihil penitùs juvaret ea consuetudo eidem confitendi, idemque omnino esset confiteri hodie uni, & cras alteri, ac semper uni.

Ratio à priori hujus doctrinæ (inquit Arriaga Disp. 46. n. 39.) est: quia sigillum Confessionis solùm respicit forum, ut sic dictum, externum; nam utì intrà Confessionem dicit quilibet sua peccata, ita intrà illam debet permittere Confessarium suum agere de illis, & ut ipsum dirigat ex notitia illius.

Sed contra: ergo si ego sui interpres Paulo confitentis sua peccata Ioanni, & postea ad me veniat idem Paulus ad Confessionem, possim ego loqui in Confessione de eis peccatis, quæ per me, tamquam per interpretem, confessus est. Similiter, si casu audivissem eum confitentem, vel consiliarius fuissem, quem Confessarius consuluerat, non habitâ licentiâ personam nominandi, deinde ex Confessione depre-

deprehendissem, hunc esse, qui commiserat ea peccata.

Solutio. Respondet Arriaga suprà n. 39. concedendo totum, quantùm ad interpretem; etenim, inquit, neque quidpiam novi ipsi pœnitenti eveniret, neque alioquin magis odiosum: quàm quando idem Confessarius ex prima Confessione monet in secunda.

97. Replica. Solvitur. Si dixeris; duo Confessarii, successivè audientes eadem peccata, non possunt sibi mutuo de illis loqui. Respondet, id esse planè extra propositum; quia illi inter se non loquerentur in Sacramento, neque si dum sibi invicem confiterentur, id dicerent, loquerentur in Sacramento cum eo, cujus peccata sibi narrant: quomodo ergo, quæso, hinc quidpiam infertur ad casum propositum, ubi collocutio est cum ipso pœnitente, de ipsius peccatis, intrà Confessionem?

Quid dicendum de Confessario, & eo, qui casu audivit Confessionem? Sententia Arriagæ. Quod ad Confiliarium attinet, & eum, qui casu audivit confitentem, respectu horum, inquit Arriaga, mihi non videtur ullum dubium, quin ea locutio sit contra sigillum: his enim duobus à pœnitente non sunt dicta peccata, ac proinde, si hi, etiam in Confessione, ea dicerent pœnitenti, ei aliquid novum & valde ingratum dicerent, scilicet se audivisse ea peccata, id quod pœnitens ignorabat. Secundò, Confiliarius ostenderet sibi ea dicta à Confessario; & licèt posset se excusare, quòd non fuissent dicta nominando personam, tamen id difficulter crederet pœnitens, inducereturque primus Confessarius in gravem culpæ suspicionem, & ipsi pœnitenti hoc esset ingratissimum, quòd ita de suis peccatis locutus fuerit, ùt facilè postea deprehendi potuerit se esse eorum Auctorem. Hæc ille.

98. quam eruminat Auctor. Sed quæro ego; quid ergo dicendum, si ego audivissem eum confitentem, & ipse hoc probè nosset? Quid si consiliarius fuissem, quem Confessarius consuluerat, habitâ licentiâ personam nominandi? Profectò tunc cessant omnes rationes, propter quas Arriaga non dubitat, quin ea locutio sit contra sigillum: ergo tunc ea locutio non erit contra sigillum.

Imò si verum est, quòd sigillum solùm respiciat forum externum, nunquam ea locutio erit contra sigillum, quia semper est in foro interno seu sacramentali. Et inde multùm redderetur probabilis sententia, quæ asserit in aliquo casu licitum, unam Confessionem in alia revelare.

An una Confessio possit revelari in alia Confessione. Exempli gratiâ: Sacerdos accessit ad sororem, ignorantiâ vincibili ignorans esse sororem, & hæc postea confitetur fratri, se esse illam, ad quam accesserat. Et Sacerdos non potest confiteri nisi alii, qui scit unicam illi esse sororem, tenebitur nihilominùs confiteri illi circumstantiam incestûs.

Idem est de Sacerdote, qui inter audiendam Confessionem errante clave peccavit, absolvendo v. g. alterum Sacerdotem à peccato cui erat annexa excommunicatio & irregularitas, ob cujus errorem alter excommunicatus celebrat; si non sit, nisi alius tertius Sacerdos, cui iste confiteatur, debet suum confiteri errorem, cum manifesto periculo, quòd audiens intelliget, quisnam sit ille Sacerdos malè absolutus.

Hæc, inquam, sententia, quæ communiter rejicitur, multùm redderetur probabilis, si sigillum non respiceret nisi forum externum. Immo non tantùm in illis duobus casibus, sed nunquam foret contra sigillum, quæ in una Confessione audiuntur, in alia sic explicare, ut venire queat Sacerdos in notitiam personæ, quod tamen negat Sotus; tametsi alioquin admittat duos priores casus, ùt suo loco videbimus.

99. Sigillum respicit tam forum externum, quàm sacramentale. Itaque sigillum respicit tam forum externum, quàm internum seu sacramentale, ita ut Confessarius de peccatis dictis in præcedenti Confessione, nequeat loqui in sequenti Confessione, nisi de licentia pœnitentis, quam censetur dare, quando solet aliquem Confessarium frequentare, & ad Confessionem accedit, ut ab ipso juvetur in statu animæ suæ.

Maldonat. Ita docet Malderus suprà cap. 22. dicens: Potest Sacerdos uti scientiâ prioris Confessionis, quatenus opus est ad directionem pœnitentis in præsenti Confessione, & eo ipso quòd ad Confessionem accedit, satìs ad hoc censetur consensisse: vult enim juvari in statu animæ suæ, & res scitur fore secretissima propter sigillum. Sanè sicuti quando extra Confessionem de peccato, quod confessus est, consulit Confessarium, jam satìs ei dat licentiam de eo loquendi, immo hoc ipsum requirit ab eo: ita similiter, quando statum animæ suæ exponit, & de eo judicari & tractari vult in secunda Confessione, satìs censetur, de necessariis ad bonam Confessionis directionem, Confessario tractandi secum potestatem facere.

100. An Confessarius possit pœnitentem reprehendere de peccatis auditis in præcedenti Confessione. *Henriquez, Bonacina, Onuphrius, Sanchius, Navarrus.* Quod magis locum habet, quando peccata prioris Confessionis, sunt aliquo modo circumstantiæ peccatorum in secunda Confessione expressorum. Ita Henriquez lib. 3. de Pœnit. c. 2. n. 7. Quando ergo narrat pœnitens peccata ejusdem rationis cum illis, quæ eidem Sacerdoti pridem est confessus, potest reprehendere Confessarius ipsum de suo relapsu, sæpiùs facto in eadem peccata, ùt bene observat Bonacina Disp. 5. q. 6. Sect. 5. p. 4. n. 8. qui pro eadem Alios citat, Onuphrium, Sanchium, & Navarrum. Hucusque Mald.

Sententia Dianæ & Fagundez. Verùm ego absolutè (inquit Dia. p. 5. tract. 11. resol. 20. in fine) his non obstantibus, existimo cum Fagundez pr. 2. lib. 6. c. 4. n. 36.

non posse Confessarium loqui cum pœnitente in secunda Confessione, nisi de illis tantùm peccatis confessis in prima, quæ ipse pœnitens tangit, ac confitetur in secunda; non autem de omnibus, nisi de licentia expressa illius, quam poterit facilè petere, si opus fuerit; quia aliàs erit virtualis exprobratio aliorum peccatorum, & fortè id ægrè ferent pœnitentes, & molestam reddent exosamque Confessionem. Deinde, oportet, ut pœnitentes sint certi de fidelitate Confessorum in sigillo. Et denique; quia prima Confessio jam fuit perfecta & consummata, & in ea expiravit auctoritas Confessarii quoad peccata, in illa confessa: oportet ergo habere novam licentiam expresè concessam, non in confuso. Hactenus Dia.

101. Iudicium Auctoris. Et quidem licentia expressa indubiè tutior est & consulenda, quando commodè peti potest; interim confusa, quidni sufficiat, & tuta sit in praxi? Hæc autem non habetur pro omnibus peccatis, sed pro illis tantùm, quorum mentio necessaria est ad rectè & convenienter ac utiliter administrandum secundum Sacramentum, quo casu non erit virtualis exprobratio; neque id ægrè ferent pœnitentes, aut molestam reddent exosamque Confessionem; sed potiùs in spiritu exultabunt, & tantò promptiùs talem Confessarium frequentabunt, quantò vident se ab eo meliùs dirigi in viam salutis.

Deinde, satis certi sunt de fidelitate Confessorum in sigillo, quando audiunt solùm ea referri, quæ sunt necessaria aut valde utilia ad ipsorum directionem.

Et denique, licèt prima Confessio jam fuerit perfecta & consummata, & in ea expiraverit auctoritas Confessarii quoad peccata, in illa confessa, ita ut ampliùs non sint materia necessaria Confessionis; non sic tamen, quin aliquando eorum memoria sit necessaria, aut certè valde utilis ad convenienter administrandum Sacramentum, & pœnitentem dirigendum in viam salutis æternæ; cur ergo tali casu non posset cum pœnitente in Confessione de iis loqui? Ita Multi sentiunt & practicant sinè ullo scrupulo conscientiæ, ùt in principio Concluf. dixi, quam praxim damnare non audeo.

102. Sententia Puteani. Immo Puteanus in 3. part. Divi Thomæ part. 2. q. ult. dub. ult. Concluf. 3. notab. 2. existimat licitum sinè licentia pœnitentis cum eo loqui, etiam extra Confessionem, ad procurandum seu promovendum ejus bonum spirituale.

Rejicitur. Sed hoc ab omnibus unanimiter rejicitur, & meritò; quia sic posset ei exprobrare peccata, ad promovendam v. g. humilitatem, quod cederet in maximum onus pœnitentis, & indubiè redderet Confessionem molestam & exosam, quare nullatenus practicandum, quando illa allocutio fieret omnino extra Sacramentum.

Quod addo; quia si fieret statim post Absolutionem, antequam pœnitens recesserit à sede confessionali, præsertim si adhuc danda est pœnitentia, probabiliter licet, ùt habet sequens pars Concluf. Quæ probatur; quia tunc moraliter adhuc durat Confessio, quandoquidem satisfactio sit pars integralis Sacramenti; aliàs neque liceret imponere extraordinariam pœnitentiam, cùm illa impositio significet gravia peccata.

Confirmatur; quia si Confessarius post Absolutionem imposuisset tria jejunia, & ut continenti revocaret & diceret, sufficit unum jejunium, violaret sigillum, quod nullus exerit; idque, quia moraliter censetur adhuc durare impositio pœnitentiæ. Ergo consimiliter poterit adhuc monere & suadere ea, quæ utilia & necessaria sunt pro evitatione peccati, quia moraliter censetur adhuc durare idem judicium.

Veluti; si quis die jejunii absolviset prandium, etiam animo ampliùs non comedendi, si tamen incontinenti afferantur aliqui cibi, potest comedere absque fractione jejunii, efficiendo moraliter unum prandium cum priori.

Item; qui solicitat feminam immediatè post Confessionem, antequam recesserit à sede confessionali, censetur solicitare quodammodo in ipsa Confessione; unde, secundùm communiorem sententiam, talis solicitatio est casus reservatus non minùs, quàm si fieret ante Absolutionem.

Tertiò; si Sacerdos advertat defectum in aliquâ specie consecrationis, tenetur defectum supplere, si nondum ab altari recesserit; quia tunc efficitur unum sacrificium cum præcedenti consecratione; secùs si jam sit in Sacristia.

Quartò; non requiritur coexistentia physica materiæ & formæ v. g. Baptismi; sed sufficit moralis; ergo etiam quæ dicuntur immediatè post Absolutionem & impositionem pœnitentiæ, possunt & debent censeri pertinere ad actum illum judicii præcedentem. Secùs si longior mora intercesserit, v. g. si jam recesserit à sede confessionali, cùm neque tali casu posset imponere satisfactionem extraordinariam, eò quòd ampliùs non censeatur moraliter durare idem judicium seu prius Sacramentum.

Hanc sententiam docet Henriquez lib. 3. de Pœnit. c. 21. n. 2. ubi sic ait: Datâ Absolutione non prohibetur de rebus, ad Confessionem pertinentibus, agere statim cum pœnitente, si quid oblitus est monere: aliàs fileat omnino. Ejusdem opinionis est Præpositus in 3. p. q. 11. de Sigillo dub. 5. n. 41.

Quia

Quia, inquit, morali judicio id non censetur fieri extra idem forum, sed censetur pertinere ad actûs complementum. Hoc ipsum ob eamdem rationem approbat Lugo suprà n. 129. Dicastillo Disp. 12. n. 95. Arriaga suprà n. 41. & Alii Recentiores.

105. Oppositum tenet Fagundez.

Contrarium mordicùs tenet Fagundez pr. 2. l. 6. c. 4. n. 33. ubi ita ait: Asserunt Aliqui; si statim post finitam Confessionem, & datam Absolutionem, occurrat error emendandus; posse Confessarium loqui cum ipso pœnitente de Confessione & errore corrigendo, absque prædicta licentia; in quo profectò minùs bene docent; tum, quia scandalo fortè erit pœnitenti; tum, quia est contra doctrinam, quàm tradunt DD. qui omnes absolutè dicunt, post finitam Confessionem non licere Confessario loqui cum pœnitente de rebus confessis, nisi de licentia expressa pœnitentis.

Sicuti enim finitâ Confessione, si statim peccatum aliud confitendum pœnitenti occurrat, tenetur illud Confessor audire, & novam dare Absolutionem, propterea, quod est nova Confessio, & novum Sacramentum, quia per primam Absolutionem finitum fuit prius Sacramentum: sic etiam in nostro casu expiravit auctoritas Confessarii, quam solùm habebat ad loquendum de rebus confessis intrà ipsam Confessionem; unde eâ finitâ, requiritur licentia expressa ipsius pœnitentis, ùt sæpè diximus: nam, si post perfectam Confessionem liceret Confessori loqui cum pœnitente de rebus, in Confessione auditis, sinè ejus licentia, profectò id per se loquendo esset valde onerosum pœnitenti, & rubore suffunderetur vehementer, pudorcque afficeretur; quòd sinè dubio redundaret in injuriam Sacramenti: ergo &c.

106. Responsio ad ejus probationem.

Respondeo; id per se loquendo non est magis onerosum pœnitenti, nec magis verecundum, quàm si, post Absolutionem datam, imponeretur pœnitentia proportionata gravibus peccatis; & tamen licet imponere, secundùm omnes Doctores. Quando ergo omnes Doctores dicunt, post finitam Confessionem non licere Confessario loqui cum pœnitente de rebus confessis, intellige post finitam Confessionem tam physicè, quàm moraliter, cùm plurimi Doctores teneant oppositam sententiam, ùt vidimus.

Fateor, finitâ Confessione, etiam antè impositam pœnitentiam, si statim peccatum aliud confitendum pœnitenti occurrat, tenetur illud Confessor audire, & novam dare Absolutionem, propterea quod est nova Confessio & novum Sacramentum: ergo per primam Absolutionem finitum fuit prius Sacramentum; distinguo Consequens, physicè, Concedo; moraliter, Nego. Quia autem moralis permanentia non sufficit, ad directam remissionem peccatorum quoad culpam (nemo quippe directè absolvit ab ignotis, sed à peccatis confessis) ideo requiritur nova Absolutio. Porrò ut imponatur satisfactio; & fiat mentio peccatorum, satis est, quòd moraliter adhuc homo censeatur durare in eo judicio; tamdiu enim censetur manere licentia loquendi de iis, quæ ad judicium istud spectant.

107. An sufficiat licentia petita, & non obtenta, ut Confessor pœnitentem admoneat de defectu commisso.

Et quamvis secundùm omnes DD. finitâ omnino Confessione tam physicè, quàm moraliter; ùt pœnitens admoneatur de defectu commisso, planè necessarium sit petere novam licentiam; ut pœnitens, inquam, admoneatur extra sequentem Confessionem; attamen disputatur, an sufficiat licentia petita, & non obtenta. Suarius Disput. 33. Sect. 5. n. 3. Si verò; inquit, renuat, dicat nihilominus, si commodè possit, quia tunc jam verè non loquitur extra Confessionem, sed supplet & perficit eam, quæ inchoata & imperfecta manserat, & pœnitens tunc est irrationabiliter invitus.

Affirmat Suarez & Alii.

Pro hac sententia Dia. p. 2. tract. 1. Miscell. resol. 12. citat Nugnum in Addit. ad 3. p. to. 2. q. 11. a. 1. & Filliucium in q. mor. to. 1. tract. 7. cap. 11. q. 5. n. 324. Suarium autem citat pro opposita sententia, cùm tamen hanc in terminis doceat, ùt patet ex ejus verbis, mox relatis. Quem errorem correxit p. 3. tract. 4. resol. 87. ibique suam opinionem manifestavit dicens:

108. Negant Diana & Fagundez.

Sed mihi summopere displicet, viros doctos hæc docuisse, & ideo hanc sententiam Fagundez p. 2. l. 6. c. 4. n. 33. improbabilem putat; quia ex illa daretur casus, in quo, absque licentia pœnitentis expressa, loqui possit Confessarius cum ipso pœnitente de rebus, sibi confessis, quod est absurdum; & omnes Doctores negant, & taliter facere erit exprobrare pœnitenti peccata confessa, & exosam reddere Confessionem, & injuriam facere Sacramento.

Unde in casu proposito, quando Confessor commisit aliquem errorem in Confessione, quia v. g. absolvit non subditum, vel excommunicatum, vel à casu reservato, vel non injunxit obligationem restitutionis, non potest loqui cum pœnitente de supradicto errore, sed petat licentiam ab illo, & si negat, culpa, quæ fuerat Confessarii, eo ipso in pœnitentem transfertur, & Confessarius liber ab omni obligatione manet. Vide Sylvium in Addit. ad 3. p. q. 8. a. 5. q. 8. concluf. 2. & Alios communiter. Hucusque Diana.

Sylvius.

109. Ex quo satis evidens est ultima pars nostræ Conclusionis, quæ est magis communis & conformis communi sensui fidelium, qui judicarent talem frangere sigillum, cùm, ùt supponitur, prius Sacramentum moraliter fuerit completum.

Occurritur objectioni.

Et quāvis in aliquibus casibus, jure humano sic disponente, sufficiat licentia petita, etsi non obtenta, ùt patet in Religioso petente licen-

tiam transeundi ad strictiorem Religionem
cap. 18. de Regul. cap. *Licet* 18. de Regul. ibi: *Talis ergo postquam à Prælato suo transeundi licentiam postulaverit, ex lege privata (quæ publicæ legi præiudicat) absolutus, liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere: non obstante protervâ indiscreti contradictione Prælati: quia privilegium meretur amittere, qui concessâ sibi abutitur potestate.*

Quàmvis, inquam, hoc verum sit; equidem quia est casus particularis, & in positivis non valet communiter argumentum à paritate rationis, ideo non bene hic casus trahitur in consequentiam, & hæc dispositio juris non rectè extenditur ad omnem aliam licentiam petitam, & non obtentam, ùt patet in licentia ad absolvendum à casibus reservatis, quæ petita, tametsi à Superiore irrationabiliter negetur, haud equidem propterea valet, ùt diximus suo loco, & similia plura exempla possent afferri. Ergo similiter non valet hæc illatio: sufficit licentia petita, etsi non obtenta, ut Religiosus transeat ad strictiorem Religionem; ergo etiam valet licentia petita, etsi non obtenta, ut Confessarius loquatur cum pœnitente extra Confessionem de defectu, commisso in Confessione.

110. Confirmatur hæc sententia ad hominem ex Lugone.

Et confirmari potest ad hominem, inquit Lugo suprà n. 140. quia Auctores contrariæ sententiæ dicunt, petendam esse priùs licentiam: si autem sigillum non obligat ad non loquendum cum pœnitente de Confessione in eo casu, non video necessitatem petendi licentiam, nisi causâ urbanitatis: nam licentia pœnitentis non requiritur, nisi propter obstaculum sigilli: si ergo non obstat sigillum, non requiritur petitio licentiæ, sed posset ex abrupto Confessarius dicere quod volebat; consequens autem non conceditur ab iis Auctoribus, nec credo facilè illud concessuros. Ita Eminent.

111. Objectio.

Sed contra, inquis; hæc confirmatio parvam habet vim, quippe Auctores contrariæ sententiæ possent dicere, in hoc casu obligare sigillum, sic tamen, ut sufficiat licentia petita, etsi non obtenta. Unde non requiritur petitio licentiæ tantùm urbanitatis causâ, sed propter obligationem sigilli, ita ut sit conditio planè necessaria ad licitè loquendum.

Sicuti in exemplo, suprà allato, Religiosus obligatur permanere in Religione, quam professus est, sic tamen, ut sufficiat licentia petita, etsi non obtenta, ut licitè transeat ad strictiorem Religionem. Ergo nulla est necessitas petendi licentiam, nisi causâ urbanitatis, & posset ex abrupto Religiosus transire ad strictiorem Religionem; Neg. Conseq. sed requiritur petitio licentiæ, tamquam conditio prorsùs necessaria ad licitè transeundum.

Nec solùm urbanitatis causâ, sed ne bonum obedientiæ contemnere videatur, ùt loquitur jus suprà citatum, ibi: *Quocirca noverint universi, quibus huiusmodi privilegium est concessum, & ad concedendam licentiam transeundi talibet postulantibus, de iure teneri: quia sicut subditus a Prælato cum humilitate & puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur: sic profectò Prælatus subdito, sine difficultate & pravitate qualibet, debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire divinitùs inspiratum.* Ita Innoc. III. Priori & Conventui Dimolienſi.

Cùm igitur pœnitens in casu proposito habeat privilegium & jus, ne aliquis ei loquatur de auditis in Confessione extra Confessionem; quid mirum, si Confessarius debeat licentiam postulare, ne illud privilegium seu jus contemnere videatur? Adeoque etsi Confessarius posset loqui cum pœnitente, sive hic det licentiam, sive non; haud equidem propterea posset judicari petitio licentiæ pura ceremonia, ùt perperam existimat Arriaga suprà n. 4.

Respondeo Concedendo totum. Ergo confirmatio Lugonis parvam habet vim; Neg. Conseq. quia Auctores, quod fortè possent dicere, hoc non dicunt; sed asserunt, sigillum tali casu non obligare, ùt patet ex ratione Suarii, suprà allegata: Quia tunc jam verè non loquitur extra Confessionem, sed supplet & perficit eam, quæ inchoata & imperfecta permanserat; jam autem sigillum non obligat ad tacendum intrà eamdem Confessionem, ad quid ergo necessaria petitio licentiæ?

Igitur, vel non requiritur licentia petita, vel non sufficit petita, & non obtenta; quia revera loquitur Confessarius extra Confessionem; quàmvis hæc enim à parte rei permanserit imperfecta, sive essentialiter, quia Absolutio defectu jurisdictionis fuit invalida; sive integraliter, quia non fuit imposita pœnitentia; sive accidentaliter, defectu debitæ admonitionis: attamen secundùm æstimationem pœnitentis fuit Confessio perfecta, quod sufficit.

Jmmo tametsi non fuisset sic perfecta, v. g. quando pœnitens scivit, propter suam indispositionem fuisse negatam Absolutionem; quis propterea dixerit, Confessarium, postquam pœnitens à sede confessionali recessit, posse eum admonere & exhortari ad debitam dispositionem, ut eâ ratione posset Sacramentum perficere, quod antea fuerat inchoatum? Nemo hactenus id asseruit, nec asseri potest, salvo sigillo.

Hinc contra Suarium argumentatur Eminent. suprà n. 141. dicens: Si hâc occasione perficiendi, quod defuit, posset Confessarius continuare per totam vitam eamdem Confessionem, sigillum certè prorsùs corrueret: nam ad Confessarium pro suo munere spectat, non solùm monere, sed corrigere etiam pœnitentem: quare posset per totam vitam corrigere, & objurgare pœnitentem propter illa peccata, quod

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quod totum diceret, se intrà Confessionem facere, quam quoad actum corrigendi & objurgandi vult magis perficere, quia non satis reprehendit pro merito peccatorem; quod certè Confessionem redderet intolerabilem, & fideles omnes gravissimè scandalizarentur quasi de sigillo omnino violato. Hæc ille.

114. Responsio ad Arriaga.

Huic tamen rationi (inquit Arriaga suprà n. 49.) facilè responderet Suarez, se, non nisi pro defectu præcedentis Confessionis supplendo, eam concedere licentiam, qualis v. g. esset, pœnitentiam imponere, monere de obligatione restituendi &c. At postea ob nova peccata eum corrigere ac monere, non spectat ad Confessionem præcedentem; ideoque eâ occasione non posset loqui ampliùs de Confessione præcedente; nec indè sequi, fore, ut id per totam vitam liceat.

Reficitur.

Sed contrà; non dicit Lugo: Ob nova peccata, sed; *Propter illa peccata*, scilicet quæ confessus fuit, supposito quod non satis ea reprehendisset.

115. Alia responsio Dicastillo.

Hinc meliùs ad hoc argumentum respondet Dicastillo Disp. 12. n. 82. Quando oppositæ sententiæ Auctores dicunt, posse monere, non loquuntur de quovis defectu, qui tunc intervenerit, quando Confessio fiebat; præsertim, si solùm fuerit omissio alicujus utilis quidem, sed non necessariæ advertentiæ aut instructionis; sed de defectu gravi, juxta prudentem æstimationem, & necessariò vitando à Confessario sub gravi obligatione id procurandi, ita ut si advertisset, debuisset non deesse in ea parte suo officio, aut si fortè sufficienter advertit, aut culpabiliter non expendit, aut omisit, graviter peccasset.

Atque, ut uno verbo dicam, loquuntur de iis casibus, in quibus, qui contra Suarium sentiunt, dicunt, etiam esse obligationem petendi (si fieri moraliter possit) facultatem à pœnitente (quam etiam Suarius dicit esse petendam) differt verò una sententia ab altera, quòd Suarii & Aliorum sententia doceat, petitâ facultate, si neget pœnitens, adhuc etiam posse pergere Confessarius & monere; altera verò sententia docet, quod si neget, non debet ampliùs pergere; sed relinquere pœnitentem, quia obligationi suæ sic abundè satisfecit, & tantùm doleat de peccato à se commisso, quando administravit Sacramentum. Utraque ergo sententia admittit esse petendam facultatem à pœnitente.

116. Argumentum contra sequentes sententiam communem.

Jam ergo quæro ab Eminentissimo & Aliis nostræ communis sententiæ, an possit aut debeat Confessarius per totam vitam ire ad pœnitentes, quos magis instruere potuisset, aut meliùs fuisset, si diutiùs instruxisset, aut etiam objurgasset & reprehendisset aut monuisset tempore, quo audivit illos confitentes, an, inquam, possit aut debeat ab iis postea per totam vitam petere facultatem illos monendi, instruendi, objurgandi &c.

Procul dubio negabunt, sed dicent, tantùm debere fieri in casibus certis & gravibus, in quibus recta ratio & prudentia dictat, per tale medium esse occurrendum illi malo, juxta regulas generales pro diversitate materiæ, & aliarum circumstantiarum. Hoc ergo ipsum respondebunt oppositæ sententiæ Auctores, nempe in illis ipsis casibus, & non aliis, sufficere licentiam petitam, etsi non obtentam. Non ergo sequitur (inquit præfatus Auctor) magis in una sententia, quàm in altera, semper & per totam vitam esse petendam facultatem, ut eâ concessâ vel negatâ procedendum sit ad eam admonitionem, vel ab illa abstinendum.

117. Probatur communis sententia.

Igitur argumentum istud Lugonis parùm aut nihil probat; sed non ideo recedendum à communi sententia, quæ satis probatur ex generali illo principio; quòd Confessarius extra Confessionem non possit loqui, etiam cum ipso pœnitente, de auditis in Confessione, absque licentia. Jam autem licentia petita tantùm, & non obtenta, non est vera licentia, sed potiùs negatio licentiæ, nisi jus commune, aut particulare, consensum suppleat.

Et aliunde nullum hìc est jus supplens, neque aliqua ratio sufficiens, ad excipiendum hunc casum à communi illo principio; præsertim accedente, ùt suprà dixi, communi sensu, seu æstimatione facti sigilli; qui utique sensus & æstimatio in hac re est maximi momenti, & urgens motivum, ut homines absterreantur à Confessione. Nam asperitatis, quæ est in præcepto hujus Sacramenti, ùt est magnum lenimentum strictissima observatio sigilli, ita non parvum est terriculum, si sciant, modo prædicto posse Confessarium loqui. Ita Dicast. sup. n. 83. cum quo finio hanc Conclusionem. Sequitur

CONCLUSIO VII.

Usus scientiæ sacramentalis, non ingratus pœnitenti (v.g. ostensio vultûs benignioris, declinatio insidiarum, studium casuum conscientiæ &c.) licet, secluso periculo revelationis.

118. Quis usus scientiæ sacramentalis dicatur gratus pœnitenti.

ILle usus dicitur gratus, seu non ingratus pœnitenti, qui nullo modo redundat in gravamen pœnitentis, sive ex quo non afficitur pudore, aut aliquod aliud detrimentum patitur in fama, honore, divitiis &c. Hunc autem usum esse licitum, probatur; quia non reddit, per se loquendo, Confessionem odiosam; immo quandoque magis appetibilem, ut

sic loquar: quis enim non libenter confiteatur ei, qui post peractam Confessionem ostendit vultum benigniorem, & particularem affectum amicitiæ? Aut quis ægrè ferre potest, immo non magis appetit & desiderat studium casuum conscientiæ, quo ipse meliùs à Confessario dirigatur in statu animæ suæ? Et verò declinationem insidiarum, ex qua pœnitens nec rubore suffunditur, nec aliud sentit incommodum, Confessarius autem maximum commodum, quis non ex animo exopter? Ut proinde potiùs alliciat ad Confessionem, quàm ab ea avertat. Itaque tales actiones licitæ sunt, tametsi pœnitens cognosceret, eas procedere ex scientia confessionali, ùt docet Lugo suprà n. 102.

Probatur hic usus esse licitus.

119. *Objectio.* Si objicias; talis actio est locutio indirecta de peccatis cum ipso pœnitente: ergo est contra sigillum.

Diluitur à Lugone. Respondet Eminent. n. 103. omnem quidem revelationem, etiam indirectam, peccati vel Confessionis, esse contra sigillum, quia omnis hujusmodi revelatio, etiam considerata ùt licitè possibilis, reddit onerosam & difficilem Confessionem: non tamen omnem locutionem indirectam, quæ non sit revelatio, esse contra sigillum; sed illam, cujus licentia redderet difficilem & gravem Confessionem. Reddit autem eam gravem & difficilem omnis exprobratio peccati, etiam indirecta: item omnis usus in damnum pœnitentis, aut ei ingratus; non tamen reddit difficilem Confessionem, quòd Confessarius possit ex tali notitia pœnitentem diligere, & peculiaribus benevolentiæ signis prosequi. Hæc ille.

120. *Quando propriè revelatur Confessio.* Ex quo consectim colligitur, quare addiderim illam particulam in Conclusione: *Secluso periculo revelationis.* Tunc autem propriè revelatur Confessio, quando alicui ejus notitia datur, qui anteà eam non habebat: quod illicitum est, etiamsi peccator id non curaret, vel etiam pridem mortuus esset, ùt docet *Malderus.* Malderus suprà c. 14. Quia licèt hic aut ille non curet; alii tamen curant, & ita fieri posset, ut Confessarius revelaret Confessionem, existimans pœnitentem non curare, cùm tamen oppidò curaret; nisi ergo accedat expressa licentia, caveat sibi omnino ab hujusmodi revelatione directa vel indirecta.

Non licet post mortem pœnitentis peccata revelare. Et idem dicendum est de mortuo; quamvis enim mortuus non afficiatur aliquo pudore, nec ipsi ampliùs per hoc fiat Confessio onerosa; quia tamen etiam mortuis cura est de bono nomine, ita ut peccet vero peccato detractionis, qui ejus peccata occulta propalat, sinè justa causa; meritò viventes retraherentur & averterentur à Confessione, si post mortem liceret Confessionem revelare.

121. Ex dictis oritur quæstio: Aliqui condixerunt interficere Sacerdotem in tali nemore, qui Sacerdos cum eis est viator; unus ante ingressum nemoris pœnitet, & confitetur eidem Sacerdoti hoc peccatum; censes, quia Sacerdos possit non ingredi nemus, sed ab illis declinare, estò indè alii colligant, ipsum hoc facere ex scientia confessionali?

Respondet Scotus 4. dist. 21. q. 2. n. 20. *Potest dici, quòd Sacerdos iste multiplicem occasionem potest habere non intrandi nemus, aliam ab ista malitia latronum sibi decreta, & ad minus multiplicem aliam potest cogitare, & dicere coram illis, utpote, volo hoc & illud facere, ad illum & illum locum declinare, antequam procedam ulteriùs. Et si ex tali occasione allegata videatur divertere, nec verbo nec facto revelat Confessionem. Si autem non possit ex aliqua occasione divertere, quin appareat illis aliis, quòd propter Confessionem diverteret, & in hoc facto revelaret Confessionem; dicit quidam* (Richardus præsenti dist. a. 4. q. 2.) *quòd tenetur intrare, & si exponit se morti, hoc est, pro causa justa, ut scilicet servet legem Dei de sigillo Confessionis, & per consequens si moritur; Martyr est.* Quid fiendum in casu in quo Sacerdos cognoscit per confessionem latronum insidias sibi factas? Richardus.

Sed aliter potest dici (ergo non loquitur hic Doctor omnino assertivè) *quòd facta possunt esse signa æquivoca, quia diversimodè à diversis concipi possunt, ad hoc scilicet, vel ad illud factum; igitur non debet reputari revelativum Confessionis, nisi ex natura sua prodat peccatum confessum; sed divertere à nemore, non sic ducit, quia si illi alii non fuissent priùs collocuti de illa interfectione, numquam per hoc, quòd ille divertit, cognoscerent illum esse confessum de voluntate occidendi istum. Si tamen divertere, ex ratione sui est signum ductivum in notitiam talis peccati confessi, duceret quoscumque in hoc, & istos, æquè si non fuissent collocuti, sicut si fuissent collocuti. Generaliter igitur dici potest, quòd signum, quod est de se indifferens, ad hoc, quòd est tale peccatum esse confessum, vel non esse, licèt sit aliquibus magis signum determinatum ex aliquo supposito, non est signum revelativum Confessionis, nec per consequens simpliciter illicitum Confessori.*

122. Hanc sententiam Coninck Disp. 9. de Sigil. Conf. n. 54. credit esse veriorem, saltem quando ex eo facto Sacerdotis nullum aliud notabile incommodum nascitur, nisi quòd forsan colligent, Pœnitentem hoc peccatum esse confessum. Immo probabile videtur, inquit ille, Sacerdotem eo casu non modo posse, sed etiam teneri fugere mortem, præsertim quando agitur de consecrando & sumendo vino infecto veneno; quia & hoc fieret cum magna irreverentia Sacramenti, & Sacerdos positivè se occideret, quòd illicitum est, quoties evitari potest. Possit fieri eam tenetur evitare? Coninck.

123. Prorsus, inquis, illicitum est, quoties evitari potest; sed Adversarii contendunt, tali casu evitari non posse, causantes fractionem sigilli, seu revelationem Confessionis peccati in specie, scilicet conspirationis, quam Confessionem socii ignorabant, & ex illa fuga cognoscunt. Igitur tali casu non potest fugere, sed tenetur consecrare & sumere vinum venenoinfe- Respondet Adversarii.

infectum, non obstante manifesto periculo mortis & irreverentiâ, quæ aliàs fieret Sacramento, consecrando tale vinum sinè justa causa, quia in aliis multis casibus necessitas excusat irreverentiam, & facit ut potiùs sit reverentia, quod aliàs foret irreverentia.

Deinde cùm eo casu, ùt suppono, sit ei moraliter impossibile abstinere ab eo potu, eum bibendo non censetur Sacerdos moraliter cooperari suæ neci; sed ob justam causam ac bonum finem facere aliquid, ex quo mors ejus sequitur, sicut facit is, qui suffodit hostilem turrim, cujus casu scit se obruendum.

Coninck. Ita ipse Coninck suprà excusat Sacerdotem à peccato propriæ occisionis, quando recusando vinum, daret rei ignaris occasionem suspicandi, pœnitentem miscuisse venenum.

124. Lessius. Quomodo autem eum excusaret Lessius, docens lib 2. de Iust. & Iure c. 9. n. 25. qui venenum sumit, seipsum directè occidere; quomodo, inquam, hic Auctor excusaret talem Sacerdotem à peccato propriæ occisionis, relinquo Aliis dispiciendum: fortè dicendo, tali casu propriam occisionem esse licitam, tamquam minus peccatum, quod præligendum, quando alterutrum est necessarium.

Quomodo possit excusari à propria occisione, qui sumit venenum de reveri Confessionem ex Suario. Vel certè cum Suario Disp. 33. Sect. 7. n. 7. In eo casu non est moralis occisio activa sui ipsius, quia non utitur Sacerdos in illo actu notitiâ Confessionis, sed scientiâ humanâ. Item non tenetur credere pœnitenti extra illud forum: nam licèt Confessor debeat credere pœnitenti ad gubernandum illum, non verò ad gubernandum se, nec ad dirigendas actiones: ergo ex hac parte illa actio non est mala moraliter, nec obligatur ille Sacerdos ad non bibendum calicem propter dictum pœnitentis, nec etiam ad conservandam vitam fugiendo. Aliunde autem instat bonum Sacramenti, ratione cujus detrimentum corporalis vitæ postponendum est. Ita Suarius.

125. Contra quem arguit Coninck. Sed hoc non satìs capio (inquit Coninck sup.) Primò; quia non video, quomodo sinè ullo probabili motivo sibi persuadere possit, pœnitentem mentiri, & nullum esse venenum in calice. Secundò; quia Confessarius, nisi ei evidenter de contrario constet, tenetur pœnitenti credere tam contra se, quàm pro se dicenti; quomodo ergo sinè ullo probabili argumento poterit credere, eum falsò confiteri, se feciſse illud peccatum, sive cum aliis venenum vino miscuisse? Hæc ille.

Ubi & Author. Quibus ego addo; impertinens esse ad hoc, ut occisio illa sit moralis, quâ scientiâ utatur, vel non utatur Sacerdos in illo actu; alioquin neque erit moralis occisio, tametsi posset non sumere calicem absque aliqua revelatione Confessionis. Probatur; quia non utetur scientiâ humanâ, sed solâ scientiâ confessionali, cùm, ùt supponitur, non sciat extra Confessionem, venenum fuisse mixtum, sed in sola Confessione. Puto autem, quòd Suarius non admitteret illam Consequentiam.

Aliud est exponere se periculo mortis, aliud directè occidere. Aliud ergo est, exponere se periculo mortis, quod in multis casibus licet, immo quandoque obligatorium est; adeoque non dubito, quin etiam liceat, immo obligatorium sit, quando alioquin sigillum foret revelandum; aliud verò est, directe seipsum occidere, quod nullo casu licet, secjusâ divinâ dispensatione.

126. An sumere venenum sit directè seipsum occidere. *Lessius.* An autem sumere venenum, sit directè seipsum occidere, disputari posset. Lessius suprà affirmat: quia qui venenum sumit, introsumit rem, quæ non minùs directè extinguit, quàm ignis vel gladius vel plumbum liquatum. Ita hic Auctor.

Sed oppositum probatur hâc ratione: sumptio ista ex se præcisè non infert mortem, sed retentio veneni; quæ non videtur inseparabiliter conjuncta, quia per antidotum posset fortassis liberari, nisi ab eo sumendo impediretur. Specialiter autem notandum in nostro casu, quòd mors, quæ sequitur, non intendatur, neque ùt finis, neque ùt medium; nam ut vitetur revelatio Confessionis, sufficit sumptio, tametsi per accidens mors impediatur.

127. An in casu proposito non sumptio calicis sit indirecta violatio sigilli. Sed mittamus ista, & accedamus ad controversiam, quæ hic est propria, scilicet; an in casu proposito non sumptio calicis, vel deviatio aut declinatio consortii, sit revelatio indirecta Confessionis, quando soli conspiratores possunt suspicari, quòd id fiat ex scientia confessionali.

Docet Scotus suprà, id posse negari, quem sequitur Gabriel ibid. q. 1. a. 3. dub. 1. ad 4. Sylvest. *Confessio* 3. q. 19. Henriquez lib. 6. cap. 24. n. 5. citans Majorem, Palàcios, Paludanum & Alios plurimos, quos sequitur Malderus suprà cap. 14. Coninck sup. Tho. Tamb. l. 5. c. 6. n. 4. & novissimè Herincx Disp. 8. de Sigil. n. 42.

Oppositum tenent Suarez suprà n. 6. Vasquez. q. 93. a. 4. dub. 10. n. 4. & Alii multi, quos sequitur Lugo Disp. 23. n. 110. Arriaga Disp. 46. n. 26. Dicast. Disp. 12 n. 157. & novissimè Bonæ Spei tract. 5. de Pœnit. Disput. 13. n. 57.

128. Probatur opinio affirmativa ex Bonæ Spei. Probatur, inquit hic Auctor: quia (præterquam quòd fugâ suâ, aut non consecratione, virtualiter & interpretativè peccatum in Confessione auditum pœnitenti suo objiceret) consociis significaret, alterum eorum esse ei tale peccatum confessum, & sic ejus Confessionem; non quidem in genere quasi diceret: *Est mihi confessus*, ùt malè putat Herincx; sed illius peccati in particulari, propter quod fugeret &c. eis revelaret: atqui hoc est directè contra sigilli obligationem, haud secùs quàm si Confessarius consociis diceret; *Socius vester mihi confessus est peccatum, propter quod scitis me fugere debere* &c. ergo &c.

129. Respondetur; fugam illam nequidem significare

Rejicitur primò.

ficare Confessionem, multò minùs Confessionem illius peccati in particulari, propter quod fugeret. Probatur; quia potuit extra Confessionem accepisse notitiam conspirationis, ac proinde socii non suspicantur Confessionem illius conspirationis ex illa fuga, vel abstinentia à consecratione; sed quia viderunt socium confitentem, & aliunde sciunt illam conspirationem.

Unde si non vidissent socium confitentem, quis eorum diceret; *Sacerdos abstinet à consecratione, quia novit ex Confessione vinum veneno infectum?* Et consimiliter, nisi essent socii conspirationis, tametsi vidissent eum confitentem, numquam tamen ex illa fuga vel abstinentia possent colligere Confessionem peccati conspirationis.

Quid simile reperitur in illis verbis: *Socius vester mihi confessus est peccatum, propter quod scitis me fugere debere?* Nam per ista directissimè proditur Confessio sociis, qui ipsum non viderunt confitentem, nec aliunde sciunt confessum; sed & ipsum peccatum conspirationis, aut simile confessum, etiam iis, qui aliunde non habent ejus notitiam, quod indubiè est contra obligationem sigilli.

130. Rejicitur 2.

Alioquin quæro; quid si Sacerdos extrà Confessionem noverit insidias paratas, nunquid quia unus sociorum aliis scientibus ei confitetur, non poterit ampliùs fugere, sicut potuisset, si non fuisset confessus? Communis sententia est, posse fugere.

Quæro rursum; Putas, quia talis Confessarius posset dicere consociis: *Socius vester mihi confessus est peccatum, propter quod scitis me fugere debere?* Scio, quia non putas. Ergo non bene argumentatur Bonæ Spei ab his verbis, ad fugam seu abstinentiam à consecratione; cùm hæc possit esse licita in aliquibus circumstantiis, in quibus tamen non licent ista verba absque violatione sigilli; scilicet, quando vel ante, vel post Confessionem, ab ipso pœnitente, vel ab alio, Confessarius accepit notitiam conspirationis.

Objicitur 3.

Omitto; fieri posse, ut jam Confessarius ex alio motivo decreverit fugere vel abstinere, antequam ex Confessione intelligat conspirationem, quis negaverit, auditâ Confessione posse eum fugere ex eodem motivo? Et quis affirmaverit, posse proferre ista verba?

131. Occurritur objectioni.

Nec obstat; quòd in casu proposito supponatur fugere vel abstinere ex notitia confessionali, & quòd socii suspicentur, quod à parte rei est: quia insuper requiritur, quòd actio Confessarii sit per se significativa illius notitiæ, ita ut saltem non planè temerariè alii possint suspicari, illam actionem procedere ex hac notitia. Jam autem ex illa fuga vel abstinentia non nisi planè temerariè suspicantur socii, Confessarium uti notitiâ confessionali; cùm facilè possit habere notitiam extra Confessionem, & nemo præsumendus sit violare sigillum, quando contrarium potest præsumi.

Dices; saltem ipse pœnitens novit, Confessarium non habere aliam notitiam: ergo potest rationabiliter præsumere ipsum uti tali notitiâ. Esto, quid tum, si nullum ei inde sequatur detrimentum? Neque enim locutio cum pœnitente semper est illicita, ut suprà diximus ex Lugone; sed tunc ad summum, quando indè afficitur pudore, aut patitur aliquod aliud detrimentum; atqui fieri potest in hoc casu, ut nec pœnitens afficiatur pudore, nec patiatur aliud detrimentum; quia & ipse fugit cum Sacerdote, vel socii, quàmvis sciant aliquem ex ipsis confessum, nesciunt tamen quis fuerit: ergo tali casu suâ fugâ Sacerdos nullatenus objicit pœnitenti peccatum, auditum in Confessione, id est, loquitur cum pœnitente de peccato, audito in Confessione, cum aliquo ejus incommodo.

Quid autem faciendum sit, si ex illa fuga, vel abstinentia à consecratione, pœnitens suffunderetur rubore, aut incurreret periculum vitæ, vel aliud incommodum, infrà dicam. Priùs subscribo verba Mald. conformia huic doctrinæ. Sic ait hic Auctor suprà:

Quàmvis sæpè ejusmodi casus potiùs sint metaphysici, quàm morales, & quàdam de exteritate semper prætexi justo dolo posit à Confessario alia causa sui discessûs; posito tamen, quòd hi impœnitentes viderint aliquos ex suis conspiratoribus Sacerdoti confitentes, quos in executione vident abesse, & simul Sacerdotem, cui insidiabantur, sese absentasse, existimo nihilominus, excusari Sacerdotem; quia hæc ejus actio nemini est onerosa, & non retrahit quemquam à Confessione, neque revelat Confessionem; præsertim cùm, ut cætera taceam, facilè suspicari possint hi latrones, etiam extra Confessionem amicè ipsum monitum esse hujus periculi, & ad fugam impulsum. Itaque talis in facto suo usus fuerit jure suo.

Accedit; quòd tales casus tam sint enormes & rari, ut indè nemo facilè sit avertendus à Confessionis Sacramento; sed quilibet potiùs sit judicaturus, prudenter fecisse Confessarium, ùt bene observat Nugnus in Supplem. q. 11. a. 1. Scoti tamen ratio videtur paulò generalior, & posse in praxi interdum habere periculum: quàmvis enim ex eo solo, quod Sacerdos facit, non conjiciat audiens id, aut videns, peccatum confessi, sed alio adminiculo utatur; puto tamen, hoc non semper excusare, sed solùm, quando Sacerdos utitur jure (cui non fuit præjudicatum per Confessionem) quod habet tuendi propriam vitam, aut simili, & actus ejus per se nihil indicat de Confessione. Aliàs quando jus simile non est, vel actus per se determinatè cooperatur ad revelandum secretum, etiamsi opus sit advertentium admi-

adminiculo; existimo quando coram talibus agit, teneri abstinere Sacerdotem à tali facto, prodituro Confessionem, ne Confessio fiat odiosa.

Adrianus. Quare non recipio, quod Adri. in 4. de hoc casu dicit, frustrà in eo laborari, quia hìc non ducit in notitiam criminis confessi Sacerdos, cùm crimen isti socii priùs satìs noverint, verùm in notitiam pœnitentiæ: hoc, inquam, non placet; quia non licet Confessario apud illos loqui de crimine pœnitentis, qui illud priùs noverunt, neque potest de pœnitentia ejus loqui, quando ea conjunctam habet indicationem criminis. Hucusque Malderus.

135. Defenditur Scotus. Sed advertere debuisset ad ultima verba Scoti, suprà relata: *Non est signum revelativum Confessionis, nec per consequens simpliciter illicitum Confessori*, id est, illicitum in omni prorsùs casu, sicuti est illicita fractio sigilli. Igitur ratio Scoti solùm probat, signum seu actum de se indifferentem, id est, qui per se nihil indicat de Confessione, simpliciter & propriè non esse fractionem sigilli, & ideo simpliciter non esse illicitum, sed aliquo casu posse cohonestari & esse licitum.

Quantum ad id, quod dicit Adrianus, & quod postea dixit Coninck suprà n. 53. & Alii, ipsum secuti, nec ego recipio; sed dico; fugam, vel non consecrationem in casu proposito, aut significare Confessionem conspirationis, aut certè nequidem significare ipsam Confessionem in genere.

136. Fuga in casu proposito non significat Confessionem. Et quidem non significare Confessionem in genere suprà dixi, & iterum dico; quia nisi videssent eum confitentem, numquam ex fuga, aut non consecratione, suspicati fuissent, saltem determinatè, Confessionem, quandoquidem extra Confessionem possit conspiratio detegi. Ergo Sacerdos suâ fugâ non significat, ipsum esse confessum, nec alii propterea suspicantur, eum confessum, sed quia oculis suis viderunt ipsum confitentem; & quàmvis Sacerdos non fugeret, equidem adhuc suspicari meritò possent, ipsum confessum fuisse conspirationem; cùm sciant ipsum teneri ad hujusmodi Confessionem, & meritò suspicari possint, eum voluisse ritè confiteri.

Ergo fuga Sacerdotis præcisè non significat Confessionem in genere; neque Confessionem conspirationis. Quid igitur? Potiùs ipsa Confessio, oculis inspecta, significat Confessionem conspirationis, ut proinde non tam Confessarius fugiens, quàm ipse pœnitens, confitens in eorum conspectu, censeatur prodere suam conspirationem seu Confessionem conspirationis.

137. Interim si fuga aliquid significet, id erit Confessio conspirationis; non enim propter Confessionem in genere fugit, sed propter Confessionem conspirationis, seu propter conspirationem. Verumtamen cùm Sacerdos possit fugere ob alias rationes, & possit fugere ob conspirationem, cognitam extra Confessionem, ùt suprà diximus; iterùm dico, talem fugam, vel non consecrationem, non esse signum ex natura sua revelativum Confessionis, & ideo simpliciter non esse illicitam, sed licitam in casu proposito, quidquid dicat Bonæ Spei suprà n. 59. ibi:

Bonæ Spei improbat doctrinam P. Herincx. Nec certè probare possum id, quod post Tamburinum P. Herincx hìc disp. 8. n. 42. docet: *Simulato aliquo prætextu facere, seu omittere aliquid, ex quo alii, aliunde peccatum scientes, sumant occasionem suspicandi peccatum esse confessum, esse licitum aliquando, immo non rarò debitum; cùm*, inquit, *non sit ulla detectio, nec verbo nec facto exhibita.* Quis hoc sibi persuadeat; cùm fuga illa sit nata sequi revelationem istius peccati, uti boni appetitus naturam, nec verbum expressum consociis plus significaret; ac proinde ibi est detectio peccati facto expresso, & verbo impresso: ergo &c. Hæc ille.

138. Improbatio rejicitur. Sed responsio patet ex dictis, videlicet, ibi non esse detectionem peccati, nec facto expresso, cùm possit fugere ob alias rationes, vel ob revelationem factam extra Sacramentum; nec verbo impresso, quia verbum expressum plus significaret sociis, scilicet determinatè Confessionem istius peccati, ita ut etsi priùs omnino illud ignorassent, jam haberent plenam & determinatam ejus notitiam, id est, jam scirent illud peccatum fuisse confessum à tali pœnitente.

Lugo. Hoc bene notavit Lugo disp. 23. n. 110. experientiam tot sæculorum ostendere, nunquam revelationem directam vel indirectam Confessionis fuisse necessariam, ad ea pericula fugienda; cùm vel ex licentia pœnitentis, vel aliis modis, obviari iis facilè possit absque fractione sigilli. Hoc, inquam, bene notavit Eminent. Sed quod hìc quæritur, est; an unus ex illis modis sit, fugere vel non consecrare in casu proposito; & sententia Scoti videtur nobis satis probabilis, saltem, quando pœnitens indè nullum patitur damnum.

139. Quid si pœnitens à consociis occidendus foret? Secundum Regium potest Sacerdos fugere. Sin autem propterea à consociis occidendus foret, Respondet Regius suprà primò; valde laudabile fore, tali casu potiùs fortiter sustinere mortem, quàm pœnitentem illo periculo exponere. Respondet secundò; absolutè tamen loquendo probabiliùs videri, Sacerdotem ad hoc non teneri; quia etsi laudabile sit vitam suam pro aliis exponere, tamen ad hoc non tenemur, nisi quando proximi æterna salus est in extremo periculo: aut quando quis ratione officii aut pacti singulariter ad illud obligatur, qualis hìc nulla obligatio occurrit. Quare cùm Sacerdos ita fugiendo non revelet sigillum, non video quare absolutè obligetur non fugere. Ita Coninck.

140. Occurritur objectioni.

Et occurrens communi objectioni, prosequitur n. 57. Quod autem per illam licentiam possint tales sicarii averti, ne in talibus circumstantiis suum factum confiteantur; cùm hic casus, ùt dixi, sit ferè metaphysicus, non sufficit, ut ideo possit dici Confessio reddi onerosa: aut ut Sacerdos ideo debeat subire mortem.

Probatur à simili.

Sicut si quidam ex famulis heri hæretici, Sacerdoti, inscio domino, confiteretur, & postea dominus suspicans aliquem ex famulis suis ei confessum esse, nesciens tamen quis esset, minaretur Sacerdoti mortem, nisi eum aperiret; absolutè loquendo posset Sacerdos, si aliter non posset evadere mortem, nominare eum, qui sibi esset confessus, etiamsi sciret, eum postea à domino occidendum, & alios aliquando avertendos, ne in tali occasione confiterentur. Nam per hæc non redditur Confessio odiosa secundùm se (quod cavet lex sigilli) sed solùm prout facta in talibus circumstantiis: atque ita homines per ea non avertuntur simpliciter à Confessione, sed ne in talibus circumstantiis confiteantur; quæ longè diversa sunt. Hactenus Coninck.

141. Responsio Lugonis ad simile.

Respondet autem ad hoc simile Lugo suprà n. 114. ea difficultas non provenit ex Confessione, ùt Confessio est; sed est communis omnibus operibus religiosis, quæ omnia odio habentur ab improbis, & afferunt secum pericula: omnes enim, qui volunt piè vivere, persecutionem patiuntur. Neque ideo oportuit, ob hanc difficultatem communem, imponere omnibus obligationem occultandi adeò strictam: quia difficultas hæc, & hæc pericula non arcent homines communiter ab exercitio eorum operum, ùt experientiâ constat: imò regulariter & in plurimum gaudent homines, quòd sciant alii, eos exercuisse opera pietatis: per accidens autem aliquando patiuntur ea de causa, & tunc ipsum pati glorioſum est. In Confessione autem oportebat secretum strictissimum imponi: quia in ea non deteguntur bona opera, sed crimina, quorum notitia infamat hominem, & propter quæ pati vel puniri glorioſum non est, sed indecorum. Non est ergo ad rem argumentum, quod ab exemplo petitur adeò dissimili. Ita Eminent.

142. Contra responsionem arguit Auctor.

Sed contrà; in nostro casu confessus non occidetur à sociis, propter crimen confessum; sed propter Confessionem criminis, propter quam pati vel puniri glorioſum est & decorum æquè, atque in simili à Coninck allato. Et aliunde fieri posset, ut mors infligeretur illi servo propter Confessionem, quâ Confessio est, & non præcisè quâ est opus bonum; v. g. si herus nullum aliud opus bonum puniret morte, præter Confessionem.

Quòd autem hæc difficultas, & hoc periculum, non arceret servos ab exercitio Confessionis, haud constat experientiâ; quin immo constat experientiâ, sæpè homines omittere opera bona, ob solam aliorum oblocutionem, & aliqualem derisionem, quantò magis omitterent ob periculum mortis, aut alterius similis mali?

Est igitur ad rem argumentum, quod ab exemplo petitur adeò simili; quo proinde hæc sententia, saltem speculativè, ostenditur probabilis; quamvis contraria sit magis communis; & pro majori reverentia Sacramenti præticanda; eo semper salvo, ut pœnitens venerit animo verè confitendi, & non potiùs animo iniquo ligandi Confessarium arctissimo sigillo, ne audeat fugere, ob metum violandi sigillum; quo casu non tenetur ad secretum, ùt patet ex ante dictis, atque hæc intentio ex circumstantiis potest bene deprehendi.

Hinc si pœnitens dicat Confessario: *Ego volo te occidere*, & petat gladium, quem habet apud ipsum depositum, nec velit dare licentiam fugiendi, signum manifestum est, quòd non venerit animo verè confitendi, sed potiùs ligandi Sacerdotem ne fugeret, & ut ita commodiùs posset ipsum occidere: & ideo tali casu Sacerdos potest negare gladium & fugere. Immo posito casu, quòd venisset animo confitendi, adhuc in aliquo casu posset negare gladium & fugere. Similiter si petiissem à Petro, ut audiret meam Confessionem, & ipse statim confiteretur mihi, se, cùm Sacerdos non sit, Confessiones audire, possem in aliquo casu, ob eam Confessionis notitiam, illi non confiteri.

Ita insinuat Sanchez lib. 3. de Matrimon. disp. 16. n. 5. ubi respondens ad duos istos casus, sic ait: Ad 4. dic in neutro casu sequi confusionem pœnitenti, nec ejus honori præjudicari, aut bono alicui temporali, quod homines æstiment, & esse hujusmodi casus metaphysicos, qui moraliter nunquam accidunt, quatenus licèt admittamus, posse Confessorem uti Confessionis scientiâ in iis casibus, ut sibi consulat: nullo modo reddi Confessionem odiosam, nec fore, ut ideo ab illa peccatores retrahantur.

Idem in primo casu sentit Arriaga suprà n. 28. dicens: Quòd se abscondat Sacerdos, non esse actionem, quæ vergat in odium Petri, & in ejus ruborem, vel in diminutionem honoris &c. sed esse potiùs quasi occultam liberationem ipsius à gravi periculo homicidii.

Consimiliter loquitur de secundo casu. Si, inquit, aliquis, cui ego confiteri soleo, mihi confiteatur, dicatque se non esse Sacerdotem, & non possem illum vitare, nisi indè aliquod dedecus in eum redundaret, non possem illum relinquere; deberem ergo eo casu alteri confiteri secretò, & illi propter formam, vel cum sola

sola intentione conditionata obtinendi Absolutionem, si est Sacerdos. Quòd si tamen ipse solus posset advertere, me ea de causa ad illum non accedere; judico cum Patre Tho. Sanchez n. 5. sinè sigilli violatione posse me eum deserere, quia actio hæc non videtur esse odiosa pœnitenti, ideoque nec usus scientiæ Confessionis per illam, reddit difficiliorem Confessionem; immo fortasse ille gaudebit, quòd subtraham ipsi occasionem novi peccati, sacrilegii gravissimi committendi, dum me audit. Hæc ille n. 33.

145. Alia responsio ad primum casum.

Aliter posset responderi ad primum casum, voluntatem illam occidendi non esse materiam Confessionis, sed peccatum ibi commissum, quod non cadit sub sigillum, ùt patet ex antedictis: quidni ergo Sacerdos possit negare gladium depositum, & fugere, etiam cum rubore aut alio damno pœnitentis? Et sicut potest fugere, ita etiam postea vocatus poterit non redire propter eamdem causam absque ulla violatione sigilli. Ita docet Lugo suprà n. 116.

Responsio ad 2. casum.

Quantùm ad secundum casum, si verum est, quod suprà diximus ex Coninck, Sacerdotem posse abstinere à consecratione, cum periculo mortis pœnitentis; quidni etiam posset relinquere fictum Confessarium, etsi indè aliquod dedecus in eum redundaret? Quippe illa derelictio, quæ ob varias causas potest fieri, non magis significat peccatum confessum, quàm non consecratio in alio casu.

Et idem, salvo meliori, dici posset de Sacerdote, qui vocatus ad audiendam Confessionem, renuit audire, timens periculum animæ suæ, vel molestias priùs expertas in illa Confessione ejusdem pœnitentis; quia etiam illa non auditio fieri potest ob alias causas non pertinentes ad Confessionem præteritam, adeoque tam est signum de se indifferens, quàm non consecratio, & per consequens non magis revelativum Confessionis; cur ergo minùs liceat unum signum, quàm aliud?

Interim communis sententia, à qua non est recedendum in praxi, docet, illam non auditionem esse illicitam, quando vel solus pœnitens, cum aliquo suo dedecore, aut alio damno, posset suspicari, quod à parte rei subest, scilicet eam procedere ex scientia confessionali, v. g. quia priùs fuit confessus turpia valde peccata, aut nimis intricata.

146. Quid faciendum Sacerdoti cognoscenti proximum periculum proprii peccati.

Quid ergo, inquis, faciet Confessarius, cognoscens proximum periculum, proprii peccati? Respondetur; petat à Deo confidentiùs auxilium, ad superandum illud periculum, qui non deerit in se sperantibus, & exponentibus se illi periculo propter reverentiam Sacramenti. Et ita fiet, ut jam non censeatur periculum proximum, etiam si alioquin in aliis similibus occasionibus expertus fuisset ruinam.

Atque ut censeretur adhuc proximum, istud tunc, secundùm Multorum sententiam (de qua egimus Disp. præced. Sect. 4. Concl. 10.) solùm dictat jus naturæ vitandum, quando commodè vitari potest, id est, quando nulla justa causa subest, exponendi se illi periculo; alioquin existente justâ causâ, non censetur Confessarius velle peccatum; sed alium effectum bonum, æquè immediatum, v. g. Absolutionem talis personæ, aut certè observationem sigilli Confessionis, quod nullo casu licet violare.

147. Sententia Lugonis, vix fingi posse casum in quo propter sigillum obligetur quis audire Confessionem cum periculo scandali.

Cæterùm putat Lugo suprà n. 116. & Alii post ipsum, vix posse fingi casum, in quo propter sigillum obligetur, ut eat ad audiendam Confessionem, in qua scandalum timet; quia vel illud scandalum oritur ab ipsomet Confessario, qui propter suam fragilitatem v. g. tentatur graviter à propria concupiscentia, dum audit talem personam, & tunc nihil facit contra sigillum, ùt constat, non eundo ad illam audiendam. Vel scandalum oritur à pœnitente, qui Confessarium provocat ad malum; & nec tunc facit contra sigillum, ùt constat, quia provocatio illa ad malum non est sub sigillo, cùm non sit peccatum, quod pœnitens confitetur, sed quod committit in ipsa Confessione. Posset alius casus esse, si ex eo, quòd pœnitens cõfitetur plura & extraordinaria peccata carnis, Confessarius sentiat vehementiores carnis stimulos; quam tentationem & periculum non videtur posse explicare postea propter connexionem, quam habet cum peccato pœnitentis. Ita Emin.

148. Examinatur.

Respondeo; si non possit postea explicare, taceat; neque enim tenetur suum peccatum explicare, si non possit sinè explicatione peccati pœnitentis, ùt infrà dicemus. Sed quid hoc ad propositum? Num ideo tenetur audire Confessionem istius pœnitentis; vel idcirco potest se excusare ab auditione? Non capio verbum istud. Hoc dico, facilè contingere posse, ut Confessarius peccet auditis turpibus peccatis per delectationem morosam, & tunc quæritur, an teneatur cum isto periculo, sive postea possit explicare suum peccatum sive non, an, inquam, teneatur ire ad sedem confessionalem; an verò possit se excusare, saltem quando vel pœnitens, vel alii suspicabuntur, id fieri propter peccata audita in prioribus Confessionibus.

Arriagæ

Arriaga suprà n. 29. in fine ait: Vix unquam ullus pœnitens suspicatur, se suis peccatis causare Confessario tentationem. De quo ego valde dubito, & ideo puto, ordinariè Confessarios non debere se excusare ab hujusmodi Confessionibus audiendis; ne reddant Confessionem odiosam; maximè quando non est periculum peccati, sed solùm molestæ tentationis, quam cum gratia Dei solent superare.

149. Quid dicendum de praxi aliquorum, qui se abscondunt, quando alios vident venientes ad Confessionem.

Sed numquid condemnanda multorum praxis, qui sinè ullo scrupulo se solent abscondere, ita tamen ut nemo advertat id fieri, quando vident venientes ad Confessionem aliquos ex his, quos sciunt solere habere graviora peccata, & non adeò bene esse dispositos?

Hæc quæstio habet difficultatem in sententia eorum, qui, ùt videbimus Conclus. seq. docent, non solùm esse illicitum, uti scientiâ Confessionis ad negandum v. g. subdito officium, quando ille suspicatur, id fieri ex ea scientia, sed etiamsi nullo modo suspicari id possit; quia ex eo solo, quòd homines sciant, id posse fieri, etiam ipsis insciis, redditur Confessio odiosa. Ergo videtur hæc praxis illicita; quia si homines scirent, illam absconsionem licitam esse, averterentur à Confessione.

150. Sententia alicujus,

Responderet aliquis, inquit Arriaga suprà n. 30. tunc solùm esse contra sigillum, uti scientiâ Confessionis, etiam insciο pœnitente, & aliis omnibus, quando ille usus vergit in ejus nocumentum; utì esset, auferre illi officium, mittere eum ad alium locum, ubì non libenter manet &c. Hinc fortasse ad rem nostram dici posset, non esse rem gravem pœnitenti, quòd aliquando unus aut alter Confessarius se secretò subtrahat à Confessione audienda, maximè in locis, ubì alii multi sunt Confessarii. Immo frequentissimè tales, maximè peccatores, quærere solent jam hunc, jam illum Confessarium; pudet enim illos, ad eumdem redire cum iisdem peccatis, sinè emendatione.

Dixi: *Maximè ubi sunt alii Confessores*; nam si esset unus tantùm, in primis, esset valde difficile ita se subtrahere, ut non adverteret pœnitens, unde id proveniret. Secundò, esset in grave damnum ejus pœnitentis, non enim haberet, cui posset confiteri: unde multò minùs id liceret unico illius loci Confessario, si simul esset Parochus pœnitentis; diximus enim suprà, hunc obligari ad audiendas semper Confessiones subditorum, quando non nimis frequenter veniunt. Hactenus Arriaga.

151. quam Arriaga vocat valde probabilem, quando Confessor se abscondit ob metum lapsûs.

Et continuò attexit: Valde probabilis est hæc solutio; & quidem quando Confessarius se abscondit non ob molestiam, sed quia timet lapsum, non dubitarem ullo modo habere locum; quia cùm damnum pœnitentis modo explicato leve sit, & ex altera parte periculum animæ in Confessario sit grave, non video, cur non debeat hoc prævalere.

Accedit; quòd non videatur ullus pœnitens invitus futurus, eò quòd suspicetur posse aliquando se subtrahere Confessarium, nullo tamen signo exteriùs dato, quòd id faciat ratione auditæ Confessionis; subtrahere, inquam, se, eò quòd timeat, ne labatur in peccatum, audiendo ipsum pœnitentem: supponitur enim hic ita seriò accedere ad Confessionem, ut non solùm ipse non habeat animum peccandi; sed nec cupiat esse causa, ut alii graviter peccent. Hæc ille.

152. Quid si Confessor se abscondat ad vitandam molestiam.

Major difficultas esse posset, quando Confessarius se abscondit solùm ad vitandam molestiam; hæc enim videtur esse res levis. Et quod dicebatur, id non fore molestum pœnitenti, quando adsunt alii Confessarii, non est semper verum: multi enim pœnitentes adeò libenter habent certam personam, ut si ei non possint confiteri, omnino à Confessione abineant.

Respondeo tamen, inquit idem Auctor n. 32. hoc esse rarissimum in gravioribus peccatoribus, ob quorum Confessiones non audiendas, diximus se abscondere eum Confessarium. Est ergo semper verum, aversionem, quæ inde oriri posset à Confessione, nullam esse, nisi in aliquo casu ferè metaphysico, qui pro generali regula non debet attendi; cùm, ùt jam ostendimus, nulla penitus manifestatio, vel locutio actualis, vi confessionis tunc intercedat, nec quidem cum ipso pœnitente; quandoquidem tunc nullo prorsus modo sciat, abscondisse se Confessarium, multò minùs, quòd id ex auditione Confessionis oriatur. Hactenus Arriaga.

Quem ego interrogo unum verbum. Cùm, sicut dicis, usus scientiæ confessionalis in tali casu non sit ingratus pœnitenti; & aliunde (ùt ipse cum Lugone doces n. 24.) usus gratis, qui non sunt manifestatio criminis, sed solùm locutio indirecta cum pœnitente, non sint illiciti; interrogo, inquam, cur Confessarius non posset se abscondere in casu proposito, etiam vidente pœnitente, & suspicante, id fieri occasione Confessionis auditæ? Expectabo responsionem, & interea proponam aliam quæstionem molestissimam; an liceat usus ingratus scientiæ confessionalis, saltem inscio pœnitente? Pro responsione erit

CONCLUSIO VIII.

Aliquando licet ex scientia Confessionis declinare consortium excommunicati, amovere indignum ab officio, negare indigno suffragium, Sacramentum &c. Numquam licet punire in corpore, privare beneficio vel officio, ad quod jam habet jus acquisitum &c.

Molestissima quæstio est, ùt statim dixi, utrùm liceat uti scientiâ confessionali, exercendo quosdam actus ingratos, id est, qui redundant in aliquod gravamen pœnitentis. Ut autem bene notat Coninck Disp. 9. de Sigillo n. 59. hæ actiones possunt esse quadruplices.

Primi generis sunt, quæ spectant aliquâ ratione ad justitiam vindicativam, utputà punire in corpore, aut privare beneficio vel officio, ad quod jam habet jus acquisitum, & similes.

similes. Et eodem etiam spectaret, si Superior sciens ex Confessione, subditum certo loco solitum committere peccatum, ei per se vel alios strueret insidias, ut eum in peccato deprehenderet.

Secundi. Secundi generis sunt, quæ spectant ad distributionem officiorum, v. g. negatio suffragii in electione ad aliquod officium aut beneficium; nolle aliquod officium alicui conferre; amovere aliquem à beneficio jam adepto, aut à certo loco, in quo quis habitat, quando Superior pro libitu potest ea facere.

155. Tertiæ. Tertiæ consistunt in negatione Sacramentorum, v. c. Eucharistiæ, Confirmationis, Ordinis, assistentiæ Matrimonii &c. Quibus etiam addi potest declinatio consortii ejus, quem scio ex Confessione excommunicatum.

Quartæ. Quartæ consistunt in objectione alicujus impedimenti, quo quis, sinè alio suo incommodo, impeditur ab aliquo peccato committendo; exempli gratiâ, Superior in aliqua Religione ex Confessione intelligit, suos subditos noctu per aliquem locum egredi è Monasterio, ad nequitias aliquas perpetrandas, quod sinè ulla aliorum suspicione facilè posset, ibi, quæsito alio colore, aliquid ædificando aut struem lignorum erigendo, aut simili modo impedire, quæritur, an hoc sit licitum.

156. Actiones quarti generis, ex eodem Auctore. Certè videtur, inquit Coninck suprà n. 68. valde durum negare, eum hoc posse facere, cùm nullum indè pœnitenti gravamen accidat, ob quod Confessio possit reddi odiosa. Nam nec ullum notabile commodum, quod sit à peccato distinctum, pœnitenti adimitur, ùt fit, quando impeditur à consequendo aliquo officio: nec peccatum aliquo facto vel signo ei exprobratur, ùt fit, quando pœnitenti negatur Sacramentum.

Objectio contra partem affirmantem solvitur. Si objicias; pœnitens id reputaturus est pro gravamine. Respondet idem Auctor n. 69. talis vanissimè hoc reputat. Unde ob ejusmodi metum nemo potest à confitendo retrahi, qui habet aliquo modo animum se emendandi. Adde, parùm curandum, si aliqui avertantur, ne cum tali voluntate perseverandi in suo scelere confiteantur. Consultum tamen est, etiam in hoc casu priùs petere pœnitentis consensum, ut omne periculum evitetur, quem ille sinè dubio, ut possit absolvi, tenetur dare. Quòd si nolit, potest Superior uti jure suo.

157. Replica ex Bulla Clement. VIII. Si replices; Superior Regularis non habet jus, propter prohibitionem Clement. VIII. quæ habetur apud Cherubinum inter Bullas Urbanianas fol. 67. ibi: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Et infrà: *Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint observari mandavit. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac cuiusvis Concilii, etiam Generalis Decretis &c.*

Solvitur. Respondet Coninck suprà: Hæc prohibitio solùm loquitur de actibus spectantibus ad gubernationem, quales sunt actus secundi, aut ad summum etiam tertii generis ex recensitis: Hi autem actus nullo modo spectant ad gubernationem personarum, cùm circa illas nihil decernatur: & fieri possent etiam ab illis, qui ad personarum gubernationem nullum jus habent, v. c. ab œconomo aut similibus. Hæc ille.

158. Enumeratur aliqui particulares actus. Atque ut Superioribus foret illicitum ex jure isto positivo, saltem aliis Confessariis licebit in hoc, vel simili casu, tali viâ peccatum impedire: v.g. scio ex Confessione, hâc nocte talem domum spoliandam, honesto aliquo prætextu curo vesperi in ea instrui convivium, & in seram noctem detineo convivas, quo spoliatio impediatur. Novi proditionem civitatis, cur non possum dicere iis, quibus custodia incumbit: *Vigilate*, quando non est ullum periculum expressionis confitentis? Famulus confitetur se habere clavem cistæ pecuniariæ, & furtum jam sæpiùs commissum, existimas, quia non possum alio prætextu pecuniam indè auferre, & recondere in alia cista, aut ceram mutare?

Si casus, propositus à Coninck suprà, admittitur, non video, quare etiam hi posteriores non possint admitti, quia solùm impeditur peccatum; & quàmvis pœnitens id reputet pro gravamine, tamen vanissimè. Immo potiùs deberet gaudere, quòd sinè suo dedecore & alio præjudicio famæ, honoris, aut alterius justi commodi, subtrahatur ei occasio peccandi; unde prorsus irrationabiliter per hoc averteretur à Confessione. Et ideo parum curandum; quia melius est, ut non confiteatur, quàm ut confiteatur cum tali voluntate perseverandi in suo peccato.

159. Probatur 2. pars Concl. Sed progrediamur ad alias actiones, atque in primis ad illas, quæ enumerantur in secunda parte Conclusionis, quas communis sententia Theologorum docet esse illicitas, etiam inscio pœnitente, non minùs, quàm directa vel indirecta revelatio peccati. Et meritò; quia sinè legitima probatione, facta in foro externo, injustè exercentur; jam autem notitia confessionalis planè inutilis est in foro externo, in tantum, ut si aliquis Iudex contra subditum interrogasset testes, processum instituisset, vel quid simile aggressus esset, atque appareret, hos actus initium habuisse à notitia confessionali, sacrilegè revelata, omnes hujusmodi actus, utpote invalidi, rescindi ab eodem, & à quocumque alio Iudice, qui id rescivit, omnino deberent.

Malderus. Hinc Malderus suprà c. 14. Caveat, inquit, Confessarius, ne dicat speciatim, à quo peccato immineat periculum, v. g. ne dicat,

Vigila, quia hâc nocte est committendum furtum; tunc enim non solùm ipse excederet, prodendo eminùs peccatorem, sed clauderet manum Iudici, ne sic deprehensum puniat.

160. An Iudex possit procedere contra confessum sacramentaliter, quando crimen est factum publicum per Confessorem. *Nugnus.*

Et cap. 13. ad idem propositum sic scribit: Nugnus in supplem. q. 11. a. 1. putat Iudicem posse procedere contra Confessum sacramentaliter, quando per Confessarium factum est publicum, quòd hic admiserit tale crimen, recedens à Soto, qui id concessit, quando occasione Confessionis Sacerdos dixisset licitè: *Vigila*, & vigilando deprehensus esset reus: negavit autem posse fieri, quando frangendo sigillum, eum prodidisset, & revelasset Confessionem.

Dicit ergo Nugnus, posteriori isto casu convenire quidem, ut non procedat Iudex ad talis delicti punitionem: si tamen procedat, non peccare; quia diligentia rectè est adhibita à Superiore vigilante super civitatem sibi commissam, & jam delictum est publicum; neque culpa Sacerdotis abstulit jus, quod ad punitionem habet Iudex. Ita quidem ille.

Sotus.

Sed, meo judicio, religiosiùs & meliùs locutus est in ea materia Sotus: quàmvis enim verum sit, quod Nugnus dicit, quando infamia orta est ex alia iniqua revelatione occulti criminis, reo etiam jam in foro animæ emendato; non est tamen verum, quando ea habet originem ex fractione sacramentalis sigilli; non quòd culpa Sacerdotis sacrilegi, Iudici adimat jus puniendi sontem, sed quòd Religio vetet cum Sacramenti damno, quod pluris fit, sarciri damnum humanæ Politiæ, quod minoris est faciendum. Hucusque Mald.

161. Pluris est faciendum damnum Sacramenti, quàm humanæ politiæ.

Quæris quod sit illud damnum Sacramenti, quod pluris est faciendum? Respondeo citiùs; justum & rationabile odium Sacramenti, & per consequens non frequentatio, seu non susceptio Sacramenti, ubi & quando foret necessarium illud frequentare seu suscipere.

Sotus.

Audiamus Sotum 4. dist. 18. q. 4. a. 5. circa finem: Quid, inquit, si rem sciat non per Confessionem, sed per viam Confessionis, ùt si quis scripsit sua peccata, & perdidit scriptum, quod Prælatus invenit. Scio hoc usuvenisse, ut quidam Prælatus per hanc viam ad inquisitionem processerit, sed fuit jure optimo à Superiore de hac re punitus. Est enim Confessio tam sacra, ut id etiam, quod ad eam ordinatur, sit perpetuo silentio sepeliendum. Hæc ille.

162. An Prælatus possit ex scientia confessionali contra aliquem instituere inquisitionem particularem. *Malderus*

Et Malderus suprà c. 14. sic ait: Non poterit Prælatus inquisitionem particularem contra aliquem instituere ex scientia, quam ex Confessione mediatè vel immediatè habet: sed potest specialiter intendere curæ eorum paternæ, quos improbos novit ex Confessione, modò id faciat eâ circumspectione & moderatione, ut in particulari non sciatur, hoc provenire ex Confessione, & nullo modo indè in odium veniat Confessionis Sacramentum.

Quare etiamsi usu vigilantiæ, quem suprà licitum diximus, deprehendat ex Confessione complicis aliquem suum subditum in flagranti delicto, non puniet eum publicè, sed paternè increpabit, eritque eâ confusione contentus. Cui conforme est, quod Petrus Damianus monet Ser. 2. de S. Andrea, ubi dicit: *Quòd si fortuitò de his, quæ in Confessione suscepit, causa aram eo fuerit ventilata, non tamquam conscius in pœnitentem declinet, sed quasi nescius iudiciarium ordinem permittat excurrere. Habeat autem in voluntate compati, & eum liberare, & mitatur aliquid detrahere severitati, imitans dulcedinem Domini* &c.

Dicunt tamen Doctores quidam, quos citat & sequitur Henriquez c. 23. quando non intenditur punitio, sed solùm inquiritur in merita ejus, de cujus promotione agitur, licere secreto & cum debita cautela, ne odio gravetur Confessio, sine ulla delicti manifestatione ex scientia orta ex Confessione alterius procedere ad particularem inquisitionem de conversatione complicis. Quod tamen ego existimo prohiberi Prælatis Religiosorum per Constitutionem Clementis supradictam; & in eventum, quo periculum ullum esset sciendi, hoc ex Confessione occasionem sumpsisse, existimo non esse in praxim deducendum, etiam extra Monasticum regimen. Hactenus Malder.

Igitur præcipua difficultas, & dissensio opinionum concernit actus, explicatos in prima parte Conclusionis, quos aliqui existimant semper esse illicitos, etiam inscio pœnitente, non solùm ex prohibitione illa Clement. suprà allegata, sed etiam ex vi institutionis hujus Sacramenti. Ratio eorum unica est; quia si scirent pœnitentes Confessarios hujusmodi actus posse exercere, etiam ipsis nihil minùs cogitantibus, averterentur à Confessione, & nollent confiteri, ubi & quando deberent confiteri. Quod magis verum est, quando illa fierent ipsis scientibus; quia tunc insuper videntur esse quasi aliqua, virtualis saltem, exprobratio peccati confessi, quæ nullo casu licet.

Et quidem, quando etiam alii, distincti à pœnitente, ex hujusmodi actionibus suspicarentur, cum aliquo fundamento, peccatum confessum, omnes unanimiter docent, eas esse illicitas; quia tunc sunt indirecta revelatio, quæ, ùt patet ex antedictis, simpliciter prohibetur per sigillum Confessionis.

Oportet Confessarium, inquit Arriaga suprà n. 23. etiam occasiones quidquam suspicandi de pœnitente vitare, si tamen probabiles sint, & ex se causativæ talis suspicionis; nam planè leves & remotas, & quæ fortè magis ex suspiciosa natura audientis, quàm ex re ipsa desumuntur, non tenetur vitare; esset enim id valde durum Confessariis.

Idem docet Lugo suprà n. 106. cum S. Tho. Quodl.

Quodl. 5. q. 13. & Aliis, quos citat, addens, quod videatur etiam in praxi obſervari. Facilius autem (proſequitur) excuſantur occaſiones negativæ, quàm poſitivæ; v. g. ſi uni pœnitenti, propter ejus puritatem & candorem internum, Confeſſarius majorem benevolentiam oſtendat, quàm aliis: tunc enim verè non omittit benevolentiæ ſigna, aliàs exhibenda, propter notitiam Confeſſionis, ſed ſolùm non movetur à Confeſſione, ad exhibenda alia ſigna magis ſpecialia, propter ſpecialia merita, quæ in Confeſſione cognoſcat. Hæc ille.

Facilius excuſantur occaſiones negativæ, quàm poſitivæ.

165. Occaſiones poſitivæ ſunt, oſtendere vultum ſolito auſteriorem, duriùs ſolito alloqui pœnitentem & ſimilia, quæ meritò à DD. reprobantur; quia ſunt virtualis exprobratio peccati, cum aliqua verecundia pœnitentis; adeoque onus merè extrinſecum Confeſſioni, meritò eam reddens odioſam.

Quæ ſint occaſiones poſitivæ.

Advertere etiam oportet (inquit Card. ſuprà) in aliqua materia propter ejus qualitatem & gravitatem non reputari levem ſuſpicionem, quæ aliàs fortaſſe levis eſſet: v.g. quæcumque occaſio daretur marito; etiam levis, ſuſpicandi adulterium uxoris ſuæ, eſſet graviſſimè contra ſigillum; quia nimis difficilis redderetur Confeſsio ex tali periculo.

166. Itaque non ſemper licent actiones, enumeratæ in prima parte Concluſionis. Sed numquid aliquando? Affirmat Scotus 4. diſt. 21. q. 2. Nec Scotus tantùm, ſed etiam ante ipſum Alenſis 4. p. q. 78. a. 1. memb. 2. ad 8. D. Tho. 4. diſt. 21. q. 3. a. 1. quæſtiun. 1. ad 3. & meliùs Quodl. 5. a. 13. D. Bonavent. 4. diſt. 21. in 2. p. a. 2. q. 1. n. 62. D. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 12. §. 2. & tit. 17. c. 22. §. 1. & alii graviſſimi Auctores, quos ultra 30. refert Sanchez lib. 3. de Matrim. diſp. 16. n. 2.

Aliquando licent actiones, enumeratæ in prima parte Concl. Affirmat Scotus, & Alii multi.

Qui omnes docent, Sacerdotem licitè uti ſcientiâ Confeſſionis ad externam gubernationem, ut faciat vel omittat aliqua, quæ aliàs non eſſet facturus vel omiſſurus, quando facere vel omittere poteſt abſque periculo detectionis Confeſſionis. Cùm autem ſcripſerint ante Decretum Clement. VIII. intelligendi veniunt de licito uſu, præcisè ſpectatâ inſtitutione Sacramenti.

Interim quoniam Decretum iſtud ſolùm loquitur de Superioribus Regularium, ùt patet ex verbis ſuprà relatis, liquet profectò, etiam nunc Concluſionem noſtram, ſecundùm illos Doctores, eſſe veram: quippe non approbat ſimpliciter & pro ſemper iſtos actus, ſed pro aliquando, ſeu in certis tantùm circumſtantiis, quarum una eſt, niſi aliunde huic vel illi Confeſſario ſint ſpecialiter per legem poſitivam prohibiti; prout Superioribus Regularium prohibiti ſunt omnes iſti actus, qui ſpectant ad externam gubernationem.

Prohibentur Superioribus Regularium illi actus, qui ſpectant ad externam gubernationem.

167. Sed dicet aliquis; ſi ex natura rei illi actus liciti ſint, non video, quomodo poſſint à Pontifice in univerſum Prælatis prohiberi; atqui in univerſum prohibentur: ergo etiam ex natura rei illiciti ſunt: ergo non ſolùm illiciti Prælatis Regularium, ſed etiam cæteris omnibus Confeſſariis.

Objectio.

Major probatur: nam ſi in aliquibus caſibus liciti eſſent, eſſent etiam neceſſarii ex præcepto naturali; v. g. ne eligatur ſcienter indignus ad Prælaturam, cùm talis electio ſit intrinſecè mala, & afferat graviſſimum nocumentum, quod Prælatus debet impedire, ſi poſſit.

Item, ſi ſciret ex Confeſſionis notitia, aliquem non eſſe Sacerdotem, deberet non deſignare illum in Confeſſarium ſuorum ſubditorum, ne illi irritas faciant omnes Confeſsiones, cum tanto ipſorum detrimento, & irreverentia Sacramenti. Et tamen, etiam in hoc caſu prohibet Pontifex uſum talis notitiæ ad gubernationem. Supponit ergo, antecedenter fuiſſe illicitum talem uſum, alioquin non poſſet, contra naturale præceptum charitatis & Religionis, præceptum merè Eccleſiaſticum obligare.

168. Confirmatur. Simili namque argumento probari ſolet, Confeſsionem & Abſolutionem per literas, & in abſentia, eſſe invalidam; quia alioquin non potuiſſet idem Pontifex prohibere, ne ullo umquam caſu contraria doctrina ad praxim reduceretur: nam ſi valida eſſet, lex naturalis obligaret ad abſolvendum in caſu extremæ neceſsitatis moribundum abſentem, cui præcepto charitatis non poſſet ulla lex humana derogare. Sic ergo in caſu propoſito præceptum Pontificium, adeò univerſale, probat ex natura rei fuiſſe, vel ex Chriſti prohibitione illicitum uſum talis ſcientiæ ad gubernationem, alioquin pro aliquibus caſibus non potuiſſet lex humana illum uſum prohibere.

Ita argumentatur Lugo pro contraria ſententia (quam libentiſſimè amplectitur ſuprà n. 93.) argumentatur, inquam, n. 94. arguens Suarium, quaſi videatur minùs conſequenter locutus diſp. 33. ſect. 7. n. 4. ubi dicit noſtram ſententiam ex natura rei, ſeu ſolâ ratione ſpectatam, improbari non poſſe; id tamen quod per ſe malum non eſt, ob periculum mali poſſe prohiberi.

Lugo arguit Suarium inconſequentiæ.

Sed, meo judicio, Suarius magis conſequenter locutus fuit, quàm Card. nam ſi electio indigni ad Prælaturam, & deſignatio non Sacerdotis in Confeſſarium, ſunt actiones intrinſecè malæ, ùt ibi Eminent. ſupponit, quomodo licent, imò debitæ ſunt, ùt idem Auctor vult, ratione ſigilli? Numquid facienda mala, ut eveniant bona? Numquid mendacium juſtificari poteſt propter idem ſigillum? Hoc negat Eminent. Ergo ſi electio indigni ad Prælaturam ita eſt intrinſecè mala, ſicuti mendacium, nec ipſa juſtificari poterit propter ſigillum.

169. Oſtenditur Suarium magis conſequenter locutum, quàm Lugonem.

Illæ ergo duæ actiones, & ſimiles, hoc ſolo ſen-

sensu debent dici intrinsecè malæ, si aliunde non præponderet majus præceptum. Sicut igitur præponderat præceptum sigilli, cur etiam non poterit præponderare Decretum istud Pontificium, quòd positum est, ut meliùs observetur sigillum?

170. An præceptum humanum possit præponderare præcepto divino.

An quia sigillum est præceptum divinum; hoc autem Decretum tantùm præceptum humanum? Nonne celebrare Missam cum vestibus sacris solùm est præceptum humanum, & tamen præponderat præcepto divino communicandi in articulo mortis?

Arriaga.

Immo putat Arriaga suprà, præceptum humanum, irritans matrimonium in gradibus consanguinitatis & affinitatis, ita obligare in omnibus casibus non obtentâ dispensatione, ut nemo, etiamsi deberet mori, possit, si ea consanguinitas sit ei nota, contrahere in eo gradu.

Idem est, inquit, in præcepto etiam positivo non contrahendi sinè Parocho & testibus. Idem est in præcepto non celebrandi sinè vestibus sacris, sinè ara &c. Idem respectu Sacerdotis latini in Ecclesia latina non celebrandi in fermentato; & tamen possunt occurrere casus, in quibus ad salutem etiam æternam infirmi esset necessarium eo modo celebrare.

Datâ enim sententiâ, quòd Eucharistia aliquando causet primam gratiam, si infirmus esset extra sensus, & non dedisset signa Confessionis, haberet tamen attritionem, posset per Eucharistiam justificari; utque alius modus supereresset, si Extrema Unctio non posset ei applicari, eò quòd non haberentur sacri liquores. Hæc ille.

171. Non peccat, qui metu mortis contrahit Matrimonium cum impedimento juris humani.

Quæ nec vera puto, nec necessaria ad propositum nostrum. Non vera; quia judico cum aliis Auctoribus, non peccare, qui metu mortis, vel alterius gravis nocumenti, contraheret matrimonium cum impedimento, jure tantùm humano contractum irritante aut prohibente. Item qui eodem metu contraheret sinè Parocho & testibus. Similiter qui consecraret in fermentato, aut sinè vestibus sacris, quando id esset necessarium ad æternam salutem infirmi.

Quando obliget lex humana cum periculo vitæ.

Et ratio patet ex hac Regula, quæ communiter traditur in Tract. de Leg. Lex humana non obligat cum periculo vitæ corporalis, minùs spiritualis & æternæ, nisi hujusmodi periculum sit per se annexum actui præcepto, vel non observantia cedat in formalem contemptum legis, implicitam fidei abnegationem, aut scandalum proximi, de quibus impræsentiarùm non est opus diffusiùs disputare: quia si vera est doctrina Arriagæ, tantò magis probatur falsitas doctrinæ Eminent. Sin autem falsa, ùt puto, tunc Respondeo; etiam Decretum istud Pontificium in similibus circumstantiis non obligare.

172. Respondetur ad objectionem

Et sanè mirum foret, si Pontifex sensisset, illam gubernationem ex natura rei vel præcepto Christi illicitam, quòd solis Prælatis Regularibus eam inhibuisset, & non omnibus omnino Prælatis, etiam sæcularibus, cùm eadem sit omnium obligatio sigilli: ergo dum solùm loquitur de Regularibus, supponit, alios ex jure naturæ aut divino non obligari; alioquin minùs prudenter egisset, dando ansam eo ipso Prælatis sæcularibus materialiter errandi, id est, cogitandi se non obligari; id quod de Pontifice (qui debet Ecclesiam docere circa ea, in quibus gravis error esse potest) non debet ullo modo dici.

Accedit; quòd si Pontifex judicasset, eam esse obligationem, ex institutione Christi annexam Sacramento, profectò id ad majorem sui præcepti valorem declarasset, & non quasi à se tantùm impositam (instar aliarum obligationum in eodem Decreto) eam dixisset.

Denique ad instantiam, quam adfert Card. de Confessione & Absolutione per literas, & in absentia, facilè respondetur; Pontificem interrogatum fuisse, an liceret in necessitate; non extra necessitatem secundùm Omnes etat illicita. Damnavit autem Pontifex hanc propositionem: *Licere à Sacerdote absente Absolutionem obtinere*, prohibuitque, ne deinceps in publicis, privatisque lectionibus doceatur, neque unquam tamquam ullo casu probabilis defendatur, aut in praxim deducatur, idque sub pœna excommunicationis; quæ non dicit Pontifex in præsenti Decreto, ùt patet ex ejus verbis suprà relatis: ergo non valet argumentum ab uno Decreto ad aliud.

Unde non placet, quod ait Malderus suprà c. 14. Videtur Clemens VIII. in motu proprio, edito a. 1594. 26. Maii de casuum reservatione, generaliter declarasse, non licere scientiam ex Confessione acceptam applicare ad externam gubernationem.

Hoc, inquam, non placet; quia sicut in illo motu proprio non decernit generaliter: *Non peccatorum Absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quæ sequuntur* &c. sed tantùm declarat, id non licere Regularium Superioribus; ita etiam non videtur generaliter declarasse, non licere scientiam, ex Confessione acceptam, applicare ad externam gubernationem, sed tantùm non licere id Superioribus Regularium; quæ enim ratio disparitatis?

Sed prosequamur doctrinam Malderi: In qua (inquit) Constitutione tamen potest intelligi aliquid Ecclesiasticæ Constitutionis, divino & naturali juri superadditum, obligans Religiosos, apud quos liberior videbatur posse esse usus scientiæ, ex Confessione acceptæ. Itaque Superior, qui ex Confessione novit confesso esse periculosum adire talem locum, non potest nunc ex illa scientia ei negare veniam, adeundi talem locum, aut prohibere, ne eumdem adeat, quàmvis aliter sensetit Henriquez ante hanc Constitutionem. Potest tamen in Confessione exigere propositum firmum, non am-

ampliùs eum locum adeundi, eiúque præcipere ne adeat, quando tantum est periculum, ut lege naturæ teneatur vitare, & defectu hujus propositi negare Absolutionem.

175. Oeterritur objectioni.

Neque obest; quòd ex vitatione istius loci aliqui suspicabuntur, de mala conversatione sua in eo loco, aliquid hunc pœnitentem esse confessum, quia ipsa illa vitatio fit ex consensu pœnitentis, & si quid de sua Confessione indè propalat, ipse debito modo propalat; quomodo & emendatio vitæ, indicium est bene factæ Confessionis. Ubi & illud monuerim, si Confessarius sit Superior, posse ipsum ex scientia, hausta ex Confessione, sibi subditos prudenter regere, magis insistendo vigilantiæ, eâ cautelâ, ut non possit unquam aliquid adverti in modo ejus agendi, unde Confessio revelaretur, aut in suspicionem vel odium aliquod veniret directè vel indirectè; si enim potest alios monere, ut vigilent, multò magis ipse potest vigilare attentiùs. Hæc ille.

Et aliquibus interjectis, concludit dicens: Cæterùm etiamsi quis possit ex Confessionis auditione fieri prudentior, non tamen ideo Confessionem audiat, ut in regimine suorum fiat prudentior. Optima sanè admonitio; quia aliâ viâ, minùs periculosâ, potest Superior fieri prudentior.

176. Superior potest uti scientia confessionali in iis, quæ sunt favorabilia;

Si tamen ex Confessione intelligat subditos sibi irasci, & oppidò murmurare, quod parcus & durus sit, audacter utatur eâ scientiâ ad hoc, ut deinde suaviùs & liberaliùs agat cum illis, det ultroneam licentiam ambulandi, colloquendi, ludendi &c. addat portionem aliquam cibi & potûs extraordinariam; & Confessio indè non fiet odiosa, etiam ei, qui hoc dixit in Confessione, & intelligit illam emendationem ex notitia suæ Confessionis provenire; quia fortè propterea dixit.

secùs in odiosis.

Ac proinde non timeat Decretum Pontificium, quod solùm loquitur de gubernatione personarum particularium in illis, quæ possunt esse odiosa; uti sunt actiones in Conclusione expressæ. In his ergo timeat Superior Regularis Decretum, non in illis.

Ut autem propiùs ad rem accedamus, patet ex dictis, Decretum Clementis non satis probare, universaliter (id est omnibus & semper) ex jure naturæ, aut prohibitione Christi, esse illicitum declinare confortium excommunicati, amovere indignum ab officio, negare indigno suffragium, Sacramenta &c.

177. Generalis Societatis Iesu Claudius Aquaviva prohibuit docere

Sed numquid aliunde probatur? Affirmant Aliqui apud Sanchez lib. 3. de Matrim. Disput. 16. n. 3. quos ipse sequitur cum aliis Auctoribus ex Societate Iesu. Quin etiam Generalis Societatis (ùt ibi refert Sanchez) Claudius Aquaviva a. 1590. probibuit contrariam doctrinam publicè aut privatim docere, illiusque usum; sicque concludit: *Ita prorsùs in omnibus casibus nostri se gerant Confessarii, ac si in Confessione nihil penitus audivissent: sibique persuadeant, ut humanarum rerum regimen ab hoc Sacramento longissimè distat, ita debere nullatenus ab eo pendere.* nostram Concl.

Quod præceptum, inquit Dicastillo Disput. 12. n. 140. non expiravit morte præcipientis, ùt apud nos indubitatum est, juxta nostras leges, quia jam pridem statutum erat in Generali Congregatione, ut mandata Generalis non expirarent, donec ab alio Generali, vel Generali Congregatione, vel à Pontifice revocentur. Immo jam etiam aliorum Superiorum mandata durant ipso mortuo, vel amoto, donec ab alio legitimè revocentur. Propter hæc & similia meritò miratur Diana, quòd Tannerus tom. 4. Disput. 6. q. 9. dub. 8. n. 146. oppositum docuerit. Ita Dicast. Quod præceptum non expiravit morte præcipientis juxta Dicast.

178. Et ideo PP. Societatis recedunt à nobis.

Ego autem non miror, nec aliquis mirari debet, quòd Lugo, Dicastillo, Arriaga & Alii ejusdem Societatis, qui alioquin satis mirabiles subinde docent sententias, non adhæserint sententiæ nostræ, quam tot Auctores, etiam doctissimi & sanctissimi, propugnarunt. Neque enim ausi fuerunt contravenire præcepto sui Generalis, in quo eos laudo. Quàmvis etiam non desint aliæ rationes, propter quas probabilissimum Aliqui putant, præfatas actiones prohibitas à Christo sub sigillo Confessionis.

Prima ratio pro sententia Societatis.

Prima est; quia avertunt pœnitentes à Confessione. Secunda; quia Superior sic agendo, censetur peccatum confessum tacitè objicere pœnitenti, præbendo fundamentum suspicandi, eas fieri ob Confessionem. Mallet millies, inquit Arriaga suprà n. 22. quilibet subditus, ut possit illi Prælatus dicere: *Recordaris talis peccati, quod mihi dixisti in Confessione*, quàm quòd nihil dicendo illi, eum vi ejus Confessionis deponeret ab officio, in quo libentissimè est; aut quòd ei neget id, quod vehementer appetit, aut eum mittat ad locum sibi ingratissimum. Neque est credendum, Christum prohibuisse in bonum hujus Sacramenti, & ad alliciendum ad ipsum homines, id, quod minus poterat retrahere, & non id, quod magis. Hæc ille. *Arriagæ*

Verbo ut absolvam, illæ actiones reddunt Confessionem odiosam, tametsi nec ipse pœnitens possit advertere, eas fieri ex notitia Confessionis, dummodo tantùm sciat, posse fieri: ergo non licent, etiam tunc, quando nec alii, nec ipse pœnitens possunt suspicari, eas fieri ex notitia Confessionis.

179. quæ est fa-

Estque hæc opinio favorabilior Sacramento & pœnitentibus, & ideo, nisi aliquid majoris

vorabilior Sacramento & pœnitentibus.

momenti obstet-, omnino in praxi suadenda; tum in casu, quo gravamen est tale, ut pœnitens illud ex se teneatur subire, quale est illud, quod exprimitur in Conclusione; tum maximè in casu, quo gravamen est tale, ut pœnitens illud ex se non teneatur subire, v. g. si pœnitens quidem sit officio dignus, Confessarius tamen ei non det suffragium, eò quòd ex Confessione advertat, pœnitentem sibi non esse amicum, vel intulisse damnum &c. Tunc quippe non solùm infirmi, sed etiam perfectiores meritò averterentur à Confessione, & possent dimidiare suam Confessionem, si prudenter timeant tale injustum gravamen, & planè extrinsecum Confessioni.

180. Malderus tenet hanc sententiam tamquam probabilem,

Cæterùm Malderus suprà cap. 14. ubi tenet hanc sententiam, tamquam probabilem, putat, in favorem Confessionis, non tantùm consideranda esse incommoda, respectu illorum, qui justa de causa à Confessione alienarentur; sed etiam respectu illorum infirmorum, qui apprehenderent eamdem Confessionem, si contra se ejus liceret uti scientiâ, tamquam odiosam, ideòque ab ea averterentur; non quidem omnino meritò, sed ex fragilitate quadam humana: homines enim infirmi magis alliciendi sunt ad Confessionem, eoque ipsi magis indigent, quàm perfectiores Ita præfatus Auctor.

quando non possunt prætexi aliæ causæ.

Et continuò subjungit: Hæc quidem procedunt, quando non possunt aliæ causæ prætexi prætereundi indignum: quia si allegari posit defectus ætatis, scientiæ, aut aliquid hujusmodi, non dubium quin Confessarius posit illis allegatis, præterire eum, quem ex Confessione secretò novit indignum. Hæc ille.

181. Contra arguit Auctor.

Sed quæro ego; Confessarius allegasset alias causas, v. g. defectum ætatis, scientiæ &c. non auditâ Confessione? Si affirmas, consentio posse præterire eum, quem ex Confessione novit indignum. Sin neges, ita ut, nisi sciviset eum indignum ex Confessione, non allegasset alias causas, sed absolutè ei dedisset suum suffragium; quomodo tunc verum est, quod Auctores illius sententiæ communiter dicunt, Confessarium non posse quidquam odiosum facere circa pœnitentem, auditâ ejus Confessione, quod aliàs non fecisset; sed ita debere se gerere, ac si non audivisset ejus Confessionem?

Numquid jam aliter se gerit, quærens alios prætextus, quos aliàs non quæsiisset? Nonne idem damnum sequitur pœnitenti, sive immediatè ex notitia Confessionis ipsum amoveas ab officio, aut neges ei suffragium, Sacramenta &c. sive immediatè ex alio prætextu, mediatè autem ex notitia Confessionis, quæ fuit causa, cur Confessarius alios prætextus quæsiverit, quos aliàs non quæsiisset?

Expendant hoc PP. Societatis, ne peccent contra præceptum sui Generalis, vel quærendo ex notitia Confessionis alios prætextus, vel docendo, licitum esse eos quærere; nam, ùt suprà vidimus, his verbis concludit Aquaviva suum Decretum: *Ita prorsus in omnibus casibus nostri se gerant Confessarii, ac si in Confessione nihil penitus audivissent.*

Ut proinde alicui posset videri, Lugonem Disput. 23. n. 116. contravenisse huic Decreto, quando ait: Fatemur debere redire Confessarium, si non possit se ex alio prætextu excusare, quin intelligatur id fieri propter pœnitentis peccata, quæ audivit. Ubi implicitè, immò satis explicitè significat, non debere redire Confessarium, si possit se ex alio prætextu excusare.

Nisi ergo Cardin. intelligat suam doctrinam de alio prætextu, quem allegaret, tametsi non audivisset peccata pœnitentis, quod ex illis verbis nullatenus datur intelligi, videri posset, eum contravenisse huic Decreto: quia docuit, in tali casu Confessarium non ita debere se gerere, ac si in Confessione nihil penitus audivisset; quia si nihil penitus in Confessione audivisset, absque prætextu alio quo, statim rediret; jam autem, quia audivit gravia peccata, non vult redire, quæsito alio prætextu.

Itaque si verum est, quod secunda sententia prætendit; scilicet, omnem illum usum scientiæ Confessionalis esse illicitum, & contra sigillum, qui reddit Sacramentum odiosum & onerosum, & per consequens quia natus est avertere pœnitentem sive rationabiliter, sive irrationabiliter à Confessione; dicere audeo (etsi in nullo Auctore id legerim) illicitum esse & contra sigillum, alio prætextu, quæsito præcisè propter notitiam Confessionis, amovere indignum ab officio, nolle communicare cum excommunicato, negare suffragium indigno, Sacramenta &c. quia æquè odiosum & onerosum est pœnitenti, hæc fieri ex illo quæsito prætextu, quàm si fierent absque illo prætextu, quia æquale semper incommodum: ergo æqualis aversio à Confessione, quæ est prima radix seu occasio illius incommodi.

Cæterùm an omne illud, quod potest rationabiliter vel irrationabiliter à Confessione avertere, à Christo prohibitum sit sub sigilli Confessionis præcepto, hoc opus, hoc labor est, ut probetur vel improbetur efficaciter. Scripturam non habemus, neque Traditionem; Sanctos Patres non video ab aliquo Auctore citari, neque Oecumenica Concilia; unde ergo efficax probatio vel improbatio?

Quis

184. Probatur id esse incertum.

Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Potuit Christus instituere hoc Sacramentum, prohibendo solùm illud quod rationabiliter potest avertere ab eo suscipiendo; potuit etiam instituere, prohibendo omne illud, quod rationabiliter vel irrationabiliter potest avertere. Quid factum sit, quis nobis edicet? Auctores Scholastici divisi sunt, sicut & rationes.

Igitur incertum est, quid Christus voluerit; ac proinde Clemens VIII. ut abstraheret ab hoc puncto, noluit quidpiam definire; sed prohibuit Superioribus Regularium, ne utantur notitiâ confessionali ad externam gubernationem subditorum; quia cùm plures sint casus reservati in Religionibus, & major gubernatio, hic usus majus poterat habere inconveniens inter Religiosos, quàm inter sæculares.

185. Putat Dicastillo consulum fore omnibus Confessoribus præcipere, ne utantur scientiâ confessionali, ad externam gubernationem.

Putat autem Dicastillo suprà n. 150. Summum Pontificem, aut etiam Concilium Generale (si quod cogeretur aliquando) consultissimè facturum, si seriò & sub gravibus pœnis omnibus Superioribus præcipiat, ne ullo modo ad externam gubernationem scientiâ habitâ in Confessione utantur, extendendo scilicet Decretum Clementis VIII. editum pro Religiosis, ad cæteros quoscumque Prælatos, & alios Confessarios; quàmvis enim rationes allatæ tanti momenti sint, ut meritò rem accuratè pensiculanti, possint videri efficacissimæ, timeri tamen potest, ut Aliqui multitudinem antiquorum Auctorum sequentes, in ipso lumine cæcutiant, & velint secretissimum & internum forum, cum publico & externo magna ex parte miscere.

Immo timendum pariter est, quòd in Communitatibus religiosis non pauci vel Confessarii vel Prælati, aut prædicti Pontificii Motûs proprii ignoratione, aut minori quàm par est consideratione, & reverentiâ Confessionis, periculosè exorbitent, eâque notitiâ non semel abutantur. Hactenus Dicastillo. Magis utique solicitus, quàm ipse Pontifex, aut Concilium Generale.

186. Et verò dato, quòd Pontifex aliquis, aut Concilium Generale, extenderet Decretum Clementis, putas, quia tunc ampliùs non esset timendum, quod Dicastillo ait jam esse timendum? Clarum est quòd sic; vel si non foret tunc timendum, neque jam timendum est; sed præsumendum, nisi contrarium constet, Superiores eâ notitiâ numquam, aut rarissimè abuti.

Frustrà etiam timet, ne Aliqui in lumine cæcutiant, nisi & antiquos Auctores, quos suprà citavimus, in lumine cæcutisse dixerit; nam rationes, quas ipse attulit, procul dubio illi Auctores accuratè pensiculârunt, & tamen non potuerunt videre, eas efficacissimas: sicut & nos videre non possumus; quia non probant, quod probandum est, scilicet omne illud à Christo prohibitum, quod quoque modo potest avertere à Confessione, sive justè, sive injustè, vel (ut Coninck Conclus. præcedenti) vanissimè.

Nostra sententia non miscet forum sacramentale cum foro publico.

Sed numquid ideo volumus, secretissimum & internum forum cum publico & externo magna ex parte miscere? Immo ne quidem ulla ex parte; quoniam publicum, & externum forum est illud, in quo requiritur publica & externa probatio, in quo foro neque antiqui Auctores dixerunt, neque nos dicimus, Superiorem vel alium Confessarium posse uti scientiâ confessionali, ùt patet ex antedictis.

187. Doctrina Scoti de primo casu Conclus.

Quid ergo dixerunt antiqui Auctores? Quantùm ad primum casum Conclus. (putà, aliquando licitum esse declinare consortium ejus, quem Confessarius novit ex Confessione excommunicatum non toleratum) ita dixit Scotus 4. distinct. 21. q. 2. n. 24. in fine: *Sed si sciret per viam Confessionis tantùm quid faceret? Respondeo sicut ad 3. argumentum; quia si potest per aliam viam vitare eum, quàm ex vitatione prodendo excommunicationem eius, debet vitare; sin autem non solùm non debet, immo non licet vitare: quia talis vitatio est de iure positivo Ecclesiastico tantùm: non prodere autem tenetur ille de lege naturæ, & de iure positivo divino & Ecclesiastico. Quando autem præcepta videntur esse contraria, illud quod superiùs, magis obligat, & ideo firmiùs est servandum, nec servans illud & prætermittens aliud, peccat: quia nullus ex lege divina & Ecclesiastica est perplexus.*

Nullo casu licet vitare excommunicatum, quando inde alii cognoscerent peccatum.

Quid autem Scotus intelligat per ly *Prodendo excommunicationem*, non satis constat ex illo loco; hoc certum est, & Omnes docent, non posse eum vitare coram aliis, quando alii ex illa vitatione venirent in cognitionem peccati seu excommunicationis confessæ, quia tunc illa vitatio est indirecta revelatio, quæ, sicut dictum est, nullo casu licet.

188. Probatur ex c. 2. de Offic. Ord.

Et ad hoc propositum communiter adducunt Auctores cap. 2. de Offic. Ordin. ubi sic lego: *Si Sacerdos sciat pro certo, aliquem esse reum alicuius criminis: vel si confessus fuerit, & emendare noluerit: nisi iudiciario ordine quis probare possit: non debet eum arguere nominatim, sed indeterminatè: sicut dixit Christus:* Unus vestrûm me traditurus est. *Sed si ille, cui damnum illatum est, petierit iustitiam, potest excommunicare auctorem damni, licèt etiam ei confessus sit* (scilicet, *in pœnitentia*, ut notat Glossa ibi verb. *Confessus*) *sed tamen non nominatim potest eum removere à Communione, licèt sciat eum esse reum; quia non ùt Iudex scit, sed ùt Deus: sed debet eum admonere, ne se ingerat: quia nec Christus Iudam à Communione removit.*

Item ex c. 24 de sentent. excom.

Allegatur etiam cap. *Cùm non ab homine* 24. de Sent. excom. ubì in principio sic dicitur: *Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd à communione illius, qui pro sacrilega manuum injectione in Clericum in edictum excommunicationis incidit, licèt denuntiatus non sit, debes abstinere: nisi forte id tibi soli pateret: in quo casu ipsum privatim tantummodo evitabis, quamdiu ab Ecclesia toleratur, ut saltem verecundiæ rubore suffusus pro latentis excessu satisfacere compellatur.*

189. Sed hoc cap. non loquitur de scientia confessionali. *Scitur.*

Sed, ùt bene advertit Scotus suprà, capitulum hoc, *Non loquitur expressè de illo, qui novit per Confessionem, aliquem esse excommunicatum, nec etiam per viam secreti sibi commissi: sed privatim, id est, sic iste scit, quòd communitas nescit, vel credit communitatem nescire; & sic privatim sciens, debet privatim vitare. Nec mirum, quia non est debitor illi alteri, id est, istius tamquam secreti.*

190. Respondetur ad aliud cap.

De alio capitulo quid dicam? Si verum est, quòd loquatur de scientia confessionali, ùt vult Glossa suprà allegata, & videtur colligi ex istis verbis: *Quia non, ùt Iudex scit, sed ut Deus*; non tantùm probat intentum, scilicet, non esse vitandum hujusmodi excommunicatum publicè coram aliis, qui possent indè venire in notitiam personæ, hoc enim esset nominatim eum arguere; verùm etiam probare videtur, eum posse vitari in occulto, quando ipse solus sciret, id fieri ex nótitia Confessionis.

& arguitur contra illud.

Si enim Sacerdos potest eum arguere indeterminatè, dicendo: *Vnus vestrùm excommunicatus est*, sicut Christus arguit Iudam, dum dixit: *Vnus vestrùm me traditurus est*; si, inquam, sic pœnitentem possit arguere, estò ipse sciat, se esse illum unum, veluti Iudas sciebat, se esse illum unum; quidni vera sit sententia Navarri in cap. *Sacerdos* n. 145. ubì, secutus Adrianum & Alios, quos refert, affirmat, & posse & debere Confessarium hujusmodi excommunicatum vitare in occulto, quando nullus alius adest, sed ipse solus? Quia tunc non revelat Confessionem, sicut Christus non revelabat peccatum Iudæ istis verbis: *Vnus vestrùm me traditurus est*; quia alii Apostoli non intelligibant, de quo diceret, quàmvis ipse Iudas bene intelligeret. Videant ergo Adversarii, qui illum textum communiter allegant, quid ad hoc argumentum respondeant.

191. Responsio Adversariorum.

Licèt, inquiunt, non revelet aliis; saltem ipsi pœnitenti facto loquitur; hoc autem etiam prohibitum est.

Rejicitur.

Sed contrà; numquid etiam loquitur facto, quando indeterminatè ipsum excommunicat? Et tamen juxta d. cap. hoc potest facere, estò crimen non sit sufficienter probatum judiciario ordine; alioquin jam etiam nominatim posset excommunicare, quia jam sciret ùt Iudex, & non tantùm ùt Deus: ergo si possit indeterminatè excommunicare, quando non scit ùt Iudex, sed ùt Deus, sequitur clarè, posse indeterminatè excommunicare ex sola scientia confessionali.

Sed pergamus ad alia. Sunt, qui in hoc casu censent, utendum distinctione: nam ubi solùm (aiunt) intervenit hæc communicatio, sinè ulla cooperatione ad malum intrinseco, tunc non est vitanda: quia solùm est prohibita humano jure, quod non obligat cum tanto rigore: sed in his solùm, quæ humano modo sunt cognita. At verò si talis cooperatio includatur, ut si v. g. ille pœnitens petat Eucharistiam à Confessore, qui ex Confessione novit, non esse dispositum, potest & debet negare, si nullus alius adsit, argumento sumpto à contrario sensu ex dicto cap. *Si Sacerdos*, & ex generali regula posita in d. cap. *Cùm ab homine*: quòd occultus excommunicatus occultè vitandus est.

Item; quia illa irreverentia Sacramenti potest vitari sinè incommodo: quia illa non est revelatio, & quàmvis videatur exprobrata, non est tam data à Confessore, quàm ab ipso pœnitente accepta: nam iniquè se ingerit, & cogit alium ad vitandum malum: quare etiam tunc non est pœnitens rationabiliter invitus, neque habet veram occasionem, ut ei fiat onerosa Confessio.

Item; quia hic usus scientiæ Confessionis non est ad aliquam gubernationem externam, neque ad aliquam actionem publicam, sed solùm est quædam negatio rei, aliàs non debitæ, solùm ad vitandam irreverentiam Sacramenti & cooperationem ad malum. Nam si liceret scientia Confessionis propriam pecuniam diligentiùs custodire, ne à fure surripiatur, cur non licebit Sacramentum etiam custodire?

Hinc Doctor Seraphicus loco suprà citato n. 61. ad hanc objectionem: Ponatur, quòd Sacerdos sciat per Confessionem, inter duos contractam esse affinitatem per coitum fornicarium, & post eos velle contrahere in facie Ecclesiæ; si Sacerdos jungit istos, cùm peccent mortaliter, consentit peccato eorum; ergo mortaliter peccat; ergo si non debet scelerum alieni fieri particeps, debet hoc manifestare. Similis casus est in Decano, qui audivit Confessionem habentium irregularitatem, an debeat eos præsentare ordinandos ab Episcopo, vel revelare Confessionem.

Ad hanc, inquit; objectionem, sic respondet D. Bonavent. *Dicendum, quòd Presbyter debet dissuadere ei, qui est confessus, & similiter Decanus Clerico; & si ille petat, debet differre; & nisi ille cogatur per Superiorem vel per scandalum populi* (quia aliàs populus suspicaretur peccatum confessum) *non debet nec Matrimonium tale benedicere, nec Clericos præsentare. Ex tunc autem potest, quia non ipse facit, sed Ecclesia, & Ecclesia judicat secundùm ea, quæ exterius sunt. Constitutum tamen est, quòd & Sacerdos & Decanus faciant per Vica-*

Vicarium; tum propter confusionem illorum occultam; tum etiam propter criminis horrorem: si tamen ipse faciat, non credo, quòd peccet, dum non ultro se offerat, sed coactus sustineat.

194. & à Suario vocatur probabilis, quamvis contraria videatur ei secutior.

Hanc sententiam Suarez Disp. 33. Sect. 6. n. 4. vocat probabilem, quàmvis contraria videatur ipsi securior & magis constans. Nam, inquit, illa reverà non est cooperatio: nam ille habet rationabilem causam ita se gerendi, ac si nihil sciret: sicut Iudex damnans innocentem contra scientiam privatam propter legitimam probationem. Si autem non est cooperatio, nulla est obligatio. Maximè cùm hodie non teneamur vitare excommunicatum occultum. Si ergo Sacerdos potest se alio titulo excusare, ne det Sacramentum, vel quia non tenetur ex officio, vel quia est occupatus, poterit se excusare si velit, quàmvis non teneatur; quia in utroque se gerit, ac si nihil sciret; at verò illo titulo negari non poterit. Hæc ille.

195. Objectio.

Sed contrà: hoc est quod quæritur, an habeat rationabilem causam ita se gerendi, ac si nihil sciret. Et Multi sunt, qui docent, Iudicem non posse damnare innocentem ad mortem, contra scientiam privatam, propter legitimam probationem. Immo Lyranus in c. 23. Exod. explicans illud, *Innocentem & iustum*. Angel. Panormitanus, & quidam Canonistæ putant, idem dicendum in causis civilibus, & in criminalibus, ubi non agitur, nisi de pœna pecuniaria, vel exilii, vel privationis officii aut beneficii.

Atque ut in his causis posset condemnare innocentem, ùt ferè sentiunt cæteri Doctores, ratio foret: quia Respublica habet auctoritatem disponendi de fortunis suorum civium, easque de uno in alium transferendi, prout bono publico conveniens fuerit, ùt patet ex legibus usucapionum. At verò solus Deus habet potestatem disponendi seu dandi licentiam administrandi Sacramentum indigno. Et quàmvis satis constaret, Rempublicam dedisse Iudici potestatem, transferendi bona fortunæ, contra scientiam privatam, propter legitimam probationem; unde constat, Deum dedisse potestatem administrandi Sacramentum indigno, contra scientiam Confessionis, quando potest negari absque revelatione peccati confessi? Hoc ergo probandum remanet.

196. An Sacerdos possit dare Sacramentum indigno, quando non tenetur.

Et verò, quâ auctoritate Sacerdos possit dare Sacramentum indigno, quando non tenetur dare, sed potest se alio titulo excusare, planè ignoro. Autumas, quia Iudex posset contra privatam scientiam damnare innocentem, quando hìc & nunc posset eum absolvere? Quomodo ergo Sacerdos contra privatam scientiam potest indigno ministrare Sacramentum, quando hìc & nunc non tenetur ministrare, sed potest se excusare? Quippe tunc reverà est cooperatio, cùm non habeat rationabilem causam administrandi. Nam tota causa rationabilis, quam Alii prætendunt, est fractio sigilli, seu illicitus usus scientiæ Confessionis: ergo seclusò illicito usu, non solùm potest, sed debet se excusare.

Quippe licèt se excuset, nihilominùs, in sententia Suarii, ita se gerit, ac si nihil sciret; vel si aliter se gerit, ut ego puto (salvo meliori) tunc ne quidem potest se excusare, stante Decreto Claudii Aquaviva, de quo suprà, immo salvâ sententiâ Suarii, Lugonis, Dicastillonis, Arriagæ & Aliorum, quia, ùt suprà dictum est, illa excusatio tam onerosa est pœnitenti, quàm si absque ulla excusatione negaret Sacramentum; si pœnitens intelligat, illam excusationem esse quæsitam ex scientia Confessionis, sicut potest facilè intelligere, si antehac, id est, ante factam illam Confessionem, tamesi non foret obligatus ex officio dare Sacramentum, tamen absque ulla remora solebat dare. Et si scirent pœnitentes, Confessarios ex scientia Confessionis posse quærere tales prætextus, quos aliàs non quæsivissent, æquè, sicut suprà dixi, averterentur à Confessione, ac si scirent, posse negare Sacramenta absque quæsito prætextu.

Sanè æquè confunditur pœnitens, sive simpliciter negetur ipsi Eucharistia, non allegando aliquam causam, sive id fiat dicendo; *Nolo dare, quia non teneor ex officio*, si aliàs solitus erat dare; quia utroque casu apprehendit id fieri ex notitia suorum peccatorum, saltem remotè, quod sufficit secundùm Lugonem suprà n. 123, ùt jam ostendo.

197. An Confessarius quem novit ex Confessione excommunicatum, possit in ipsa Confessione vitare, ex Lugone.

Docet ibi Eminent. Confessarium non solùm non debere aut posse vitare hujusmodi excommunicatum extrà Confessionem, sed nec etiam intrà eamdem Confessionem. Ratio, inquit, est; quia, etiam intrà Confessionem, non licet Confessario punire vel lædere pœnitentem, propter notitiam in Confessione habitam, nisi per pœnitentiam sacramentalem, aut correctionem, pertinentem ad illud forum; omnia enim alia detrimenta, quæ ex occasione illius notitiæ inferrentur, videntur esse extrinseca, & redderent Confessionem difficilem.

Unde non posset intrà Confessionem Sacerdos præcipere famulo, quòd exiret domo suâ propter notitiam furti sibi facti, nec auferre ab eo clavem, illi commissam, sui scrinii: quia hæc licèt materialiter fierent in Confessione, re tamen verâ essent detrimenta extrinseca Confessioni, & redderent Confessionem multò difficiliorem. Similiter ergo vitatio pœnitentis, & negatio communicationis civilis, licèt in Confessione fieret, esset extrinseca Confessioni, & redderet difficilem Confessionem talis peccati, ne incurreretur illud detrimentum; quare reverentia Sacramenti ad hæc etiam damna in Confessione non inferenda extendi debuit. Hæc ille.

198. Illatio Lugonis.

Ex quibus infert: licèt pœnitens dixerit, se esse publicè denuntiatum, vel notorium Clerici percussorem, non teneri Confessarium, finitâ Confessione, ad inquirendum, an ita sit; quàmvis id facere possit citra ullum revelationis periculum: quia hoc ipsum est aliquid incommodi pœnitentis, quod antea non habebat: cùm enim priùs Confessarius ignoraret invincibiliter ejus censuram, poterat cum eo communicare; quam communicationem auferet postea occasione acceptâ, saltem remotè, ex notitia per Confessionem data: quod jam videtur redundare in aliquam difficultatem & odium ipsius Confessionis, quæ ejusmodi detrimentis occasionem præbet. Ita Card.

Ergo sufficit, secundùm ipsum, quòd Confessio sit occasio remota. Quis autem dubitet Confessionem esse occasionem remotam, quando ratione ejus quæruntur alii prætextus, negandi Sacramenta?

199. Quàmvis hoc Consequens Lugonis placeat Arriagæ, displicet tamen Antecedens.

Et verò, tametsi hoc Consequens Lugonis placeat Arriagæ suprà n. 36. equidem displicet Antecedens seu sententia, ex qua infertur. Quòd (inquit n. 35.) intrà ipsam Confessionem præcisè dicat pœnitenti Confessarius: *Ecce tu mihi iam dicis, te esse excommunicatum, ac proinde ego non possum iam tecum loqui, nisi fortè putè, quæ pro Confessione necessaria sunt; extra Confessionem verò nullum omnino huius rei dabo signum*; profectò ego non video, quo pacto debeat hoc dici contra sigillum Confessionis ullo prorsus modo; si autem non est contra sigillum, quo, quæso, præcepto id prohibebitur?

Quod dicitur, per id fieri Confessionem odiosam, non urget; fortè enim id non est verum, quia illam superfluam collocutionem, quæ tunc ei negatur, nihili facit pœnitens: adde quòd ego, dum mihi licet agere cum illo de peccatis, ei ostendam, me nolle violare præceptum, non agendi cum excommunicatis, non debet esse contra sigillum Confessionis, licèt id ipse sibi reputet durum; non enim teneor ego extra hoc sigillum reddere ei dulcissimam Confessionem.

200. Responsio Arriagæ ad Instantias Lugonis.

Porrò ad instantiam allatam, de ejiciendo ex domo famulo, vel auferendis ei clavibus, Respondet: Illæ actiones licèt inchoativè essent intrà Confessionem, tamen directè & per se earum effectus esset duraturus extra Confessionem; & vel ipsi pœnitenti, vel etiam aliis daretur indè occasio, ut intelligerent, id ex Confessione venire: quid ergo mirum, si hoc non liceat? Ita interrogat hic Auctor.

Prorsus non est mirum, quando aliis daretur occasio intelligendi, id ex Confessione venire; nisi id esset necessarium ad evitandam occasionem proximam peccati, quam pœnitens, etiam absque præcepto Confessarii, tenetur vitare, estò alii indè colligant, id venire ex Confessione: v.g. Confessarius potest in Confessione præcipere, ut pœnitens ejiciat concubinam; vel ut ipse è domo concubinæ exeat, estò concubina colligat, id venire ex Confessione.

Cur ergo Confessarius non posset famulo sua præcipere in Confessione, quòd exeat domo sua, vel quòd reddat clavem scrinii, quando cognoscit retentionem clavis aut permanentiam in domo esse occasionem proximam furti? Immo sinè tali præcepto famulus ad hæc obligatur, unde tunc non Confessarius, sed ipse potiùs famulus revelat Confessionem, sicut quando pro peccatis publicis imponitur publica pœnitentia, non Confessarius, ùt alibi adhuc dixi, revelat Confessionem, sed pœnitens, qui voluntariè acceptat & implet illam pœnitentiam.

Deinde cùm Sacerdos possit imponere pœnitentiam sacramentalem non solùm vindicativam, sed etiam medicinalem; cur non posset famulo præcipere, ut exeat domo, vel reddat clavem per modum satisfactionis medicinalis, quando nullus alius præter ipsum potest scire, quòd id fiat ex Confessione? Non video, quid obstet.

Cur ergo similiter non posset ei negare communicationem civilem in ipsa Confessione, quando hoc servit ad ejus correctionem seu emendationem, ut ita ex verecundia resipiscat? Cur potiùs liceat verbis eum objurgare & confundere, quàm factis? Et si verbalis objurgatio non est onus extrinsecum Confessionis, cur erit objurgatio realis, ut sic loquar?

Ex his infertur, quid faciendum sit, quando Confessarius ex Confessione novit Ecclesiam esse violatam. Arriaga suprà n. 36. Vel, inquit, ex eo quòd omittat Sacrum, alii aut ipse pœnitens intelligere possunt, id venire ex Confessione; & tunc nullo modo id licebit, sed debebit pergere celebrando, perinde ac si nihil intellexisset; vel potest Sacrum omittere, ita ut nullus quidquam notet; & tunc omnino tenebitur, si credat verè esse pollutam, quia tunc nihil facit contra sigillum: nam omissio Sacri non est ex se gravis pœnitenti, qui nec Sacrum audire tunc vult, neque de eo cogitat, & in hoc differt ea omissio à negatione beneficii, vel depositione ab officio, quòd hæc estò pœnitens non sciat unde veniant, sunt tamen in se gravia pœnitenti, & ipsum scire, quòd ea possint sequi ex Confessione, reddit illi odiosam Confessionem; at quòd sciat ex mea Confessione, ille negliget Sacrum, quando ego abero, nemine sciente, unde id oriatur, non potest esse grave pœnitenti, neque illi reddere Confessionem molestam. Hæc ille.

Sed contrà: si omissio Sacri ex se non est odiosa pœnitenti, cur non poterit, immo debebit omittere, estò pœnitens intelligat id venire ex sua Confessione? Nam idem Auctor n. 24. docet, eum solum usum scientiæ Confessionis

fessionis esse illicitum, qui est per se odiosus pœnitenti. Videat Arriaga quid ad hoc respondeat.

203. Sententia Auctoris esse omittendum Sacrum, quando solus pœnitens cognoscit id fieri ex Confessione absque alterius pudore aut alio damno.

Ego existimo, parùm referre, quòd ipse pœnitens solus intelligat omissionem Sacri fieri ex ejus Confessione, dummodo indè non afficiatur pudore, aut aliquod aliud detrimentum extrinsecum Confessioni patiatur. Et puto Arriagam facilè consensurum, quàmvis verba ejus suprà allegata contrarium videantur innuere.

Et idem eodem modo dico de monitione aliorum, ut curent Ecclesiam reconciliari; si enim Sacerdos possit monere absque eo, quòd pœnitens afficiatur pudore, vel aliquod aliud detrimentum extrinsecum indè patiatur, indubiè potest & tenetur, estò pœnitens sciret id fieri ex sua Confessione. Sin autem alii venirent in notitiam peccati confessi & ipsius pœnitentis, procul dubio nec potest nec tenetur monere, ùt patet ex dictis.

204. Quid si afficeretur pudore?

Sed quid, si solus pœnitens intelligeret, & indè afficeretur pudore, aut pateretur aliud damnum extrinsecum? Et quid, si nec ipse quidem pœnitens sciret, interim pateretur aliquod damnum extrinsecum, v. g. non audiret Sacrum, quod aliàs volebat audire & audivisset?

Prima responsio?

Respondeo; secundùm sententiam Suarii, Lugonis & Aliorum, deberet Sacerdos celebrare in Ecclesia pollùta, ac si ignoraret eam pollutam; nec posset monere ministros Ecclesiæ, ut eam reconciliarent. At verò secundùm sententiam Aliorum teneretur Sacerdos obedire præcepto Ecclesiæ, id est, abstinere à celebratione Missæ, & monere Ecclesiæ ministros, ad quos spectat reconciliatio; quia potest obedire non prodendo peccatum, & aliunde damnum illud potiùs patitur pœnitens à seipso, quàm à Confessario; deberet quippe sponte exire, & nolle audire Sacrum, cùm audiendo peccet; ut proinde Sacerdos nolendo celebrare, solùm impediat novum peccatum pœnitentis: quare etiam tunc pœnitens non est rationabiliter invitus, cùm ultrò deberet dare licentiam non celebrandi; adeòque non habet veram occasionem, ut ei fiat onerosa Confessio.

Secunda.

Et idem dici potest de excommunicato, qui sponte deberet abstinere à communicatione civili, & ultrò dare licentiam Confessario eum vitandi, quando fieri potest, ùt supponitur à Scoto, absque proditione excommunicationis: si ergo nolit dare illam licentiam, sed potiùs velit peccare ingerendo se consortio Confessarii, cur hic non possit uti jure suo? Præsertim cùm fieri possit, ut Confessarius numquam antèà aliquam cum eo habuerit communicationem civilem, quòd ergo etiam nunc vitet eam communicationem, sive non communicet, quando aliunde ex præcepto Ecclesiæ tenetur vitare seu non communicare, parum aut nullum onus est pœnitentis, propter quod meritò, immo secundùm fragilitatem humanam, possit averti à Confessione. Ergo saltem in hoc casu erit vera sententia Scoti, & per consequens vera nostra Conclusio, quæ solùm dicit, aliquando hoc licere.

205. An ex scientia Confessionis liceat aliquando indignum amovere ab officio? Affirmat Scotus.

Sed numquid etiam aliquando licet amovere indignum ab officio? Affirmat Conclusio, quæ est Scoti suprà n. 23. ubi sic ait: *Si in collegio est consuetudo communis, ut sine nota quilibet extra Monasterium curam habens, vel sinè cura moram trahens, revocetur pro libito Præsidentis; vel etiam non pro libito, sed quandoque pro alia causa honesta, ut nunc iste quiescat in claustro, nunc laboret cum Martha in exteriori ministerio, & nunc ille prout utile visum fuerit Præsidenti; Dico tunc, quòd Monachum, confessum de crimine, commisso in aliquo loco extra Monasterium, ubi moratur, potest Abbas ad Monasterium revocare, quia in hoc nullo modo peccatum confessum prodit; licèt aliquis dixerit* (Henri. Quodl. 8. q. 18.) *quòd Confessor nullo modo potest se habere aliter ad confessum ratione Confessionis quàmùm ad quemcumque actum extra forum illum, quàm si penitus nihil audisset. Si autem est consuetudo in collegio, quòd non transferatur Monachus sic de loco forinseco ad claustrum, nisi ratione defectûs vel insufficientiæ in cura illius loci, non videtur tunc licitum Abbati, confessum ad Monasterium revocare.*

Objectio solvitur.

Si dicas; non apponit remedium ad salutem ovis suæ. Respondeo, consulat sibi in foro pœnitentiæ meliori modo quo poterit, ut illum locum sibi periculosum dimittat; si noluerit, non attentet esse Deus: sed defectus occultos sibi secundùm justitiam incorrigibiles, Dei correctioni dimittat.

206. Ultimæ parti hujus doctrinæ Omnes consentiunt; sed primæ parti à Multis contradicitur, tametsi Plures eam defendant, quos suprà allegavi ex Sanchio, qui propter auctoritatem tot Doctorum putat, eam esse probabilissimam. Inter cæteros Doct. Seraphicus 4. dist. 21. p. 2. a. 2. q. 1. n. 62. ita scribit: *Ad illud, quod quæritur de subdito, qui non vult à culpa cessare, dicendum, quòd Superior debet ei persuadere voluntariam cessionem, & quòd ipse petat absolvi ab onere officii. Quòd si non vult, non debet eum absolvere: sed debet eum sustinere, nisi sit talis Religio, in qua subditi possint transmutari vel transferri sinè infamiæ nota.*

Ante Scotum docuit hanc sententiam D. Bonav.

Ergo si talis sit Religio in qua subditi possunt transmutari vel transferri sinè infamiæ nota, non debet eum sustinere, sed transmutare vel transferre eodem jure, quo id faceret si Confessionem non audivisset: neque enim Confessio aufert jus, quod Prælatus ante Confessionem habebat pro libito suo subditum transmutandi vel transferendi, alioquin subditus eo medio uteretur, ut quàmvis indignus, equidem non posset transmutari vel transferri.

Probatio.

Respon-

207. Responsio Adversariorum.

Respondent Adversarii, hoc argumentum levissimum esse; quia contraria sententia non dicit, Prælato auferri antiquum jus, sed solùm negat, eum posse ex sola Confessione accipere occasionem, ad deponendum subditum; ad hoc autem non habuit anteà ullum jus. Fatebitur fortasse ea sententia, si Prælatus jam decreverat eam mutationem facere ante auditam Confessionem, omnino posse pergere in ea voluntate; quia Confessio non debet illi ligare manus, estò, ut sic dicam, eas non solvat. Ita Arriaga suprà n. 14. & Alii communiter.

Arriaga.

208. Contra quam arguit Auctor.

Sed contrà; si non debet illi ligare manus: ergo auditâ Confessione, non propter peccata audita, sed quia vult, potest eum deponere, sicut ante Confessionem poterat, absque alio prætextu, quàm propriæ voluntatis. Unde nostra sententia non dicit, posse eum deponere propter Confessionem, sed ex alio prætextu; scilicet, quia vult; sicuti posset eum deponere post Confessionem, allegando defectum ætatis, scientiæ aut alium similem. Qui ergo illos prætextus admittunt, nescio quare non debeant admittere hanc sententiam sic explicatam; nam in casu proposito justus prætextus est, defectus voluntatis, cùm ante Confessionem ille sufficiat.

Et eadem est ratio de negatione suffragii, quando ante Confessionem liberum prorsus erat, absque alia ratione, dare vel negare pro solo libito voluntatis; nam illum prætextum liberæ voluntatis non potest auferre Confessio, magis quàm prætextum minoris ætatis, scientiæ, &c,

209. Objectio ex Trident.

Dices; ergo præceptum Trident. Sess. 14. c. 7. *Sacerdotes cùm nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores & legitimos Iudices pro beneficio Absolutionis accedant*, erit intolerabile attentâ humanâ fragilitate, quæ majori impetu appetit honores & officia, quàm lapis feratur ad centrum. Unde eo ipso quòd subditus prudenter timeat (maximè communicato consilio cum prudenti Confessario aut viro docto) quòd Superior ita abutetur scientiâ Confessionis, in ordine ad externam gubernationem, ut ea circa illum statuat, quæ non statuisset, nisi audivisset peccatum, justam habet causam, non confitendi apud illum peccatum reservatum, unde id prudenter timet, poteritque vel per Confessarium urgere, ut facultatem absolvendi concedat, vel si nolit, tunc se gerere comparatione illius peccati, quasi non haberet copiam Confessarii, & contentus esse Absolutione directâ aliorum peccatorum.

Resp. propter difficultatem illius præcepti Pontifices voluisse, ut Superiores se faciles ostenderent, & benignos exhiberent, in concedenda facultate inferioribus Confessariis, absolvendi à reservatis, prout satis patet ex dictis proprio loco. Immo Clemens VIII. eodem Decreto, quo prohibuit Superioribus, ne uterentur scientiâ confessionali ad externam gubernationem, præcepit eisdem, ut in singulis domibus deputent aliquos Confessarios, quibus reservatorum Absolutio committatur, quando casus occurrerint, in quo eam debere committi, ipse in primis Confessarius judicaverit.

Respondetur.

Ergo tametsi possent Superiores uti scientiâ confessionali ad externam gubernationem, adhuc satis provisum foret fragilitati humanæ, cùm jam rarissimè, & non nisi planè voluntariè, absque ulla necessitate, subditi confiteantur peccata reservata suis Superioribus; ac proinde præceptum illud attentâ fragilitate immeritò diceretur intolerabile; quantò magis, cùm jam Superioribus Regularium inhibitum sit, uti illâ scientiâ ad externam gubernationem?

Unde si subditus regularis sciret Superiorem abusurum scientiâ confessionali, non dubito quin haberet justam rationem urgendi Superiorem per Confessarium, ut facultatem absolvendi concedat, aut certè se gerendi comparatione illius peccati ac si non haberet copiam Confessarii. Sed ille abusus minimè præsumendus est, nec facilè sciri potest, & ideo hoc prætextu non facilè dimidianda Confessio.

Et sanè quando pœnitens ita constitutus est, ut nolit deponi à suo officio, vel velit eligi ad officium, ad quod ineptus est, melius foret, quòd non confiteretur, quàm quòd confiteretur, & indispositus absolveretur, ùt omnibus liquidò constat.

Interim, quia fieri potest, ut Superior judicet indignum, qui dignus est in propria æstimatione, cùm illa dignitas non consistat in indivisibili, & quia sæpè expedit, ut etiam verè indignus accedat ad Confessionem, ut à Confessario instruatur de sua indignitate, acta sponte renuntiet officio, aut desistat officium prætendere; ideo consultum fuit, id generaliter Superioribus Regularium prohibere, ut tantò minùs subditi averterentur à Confessione, dum probè sciunt, Superiorem propter peccata audita in Confessione, nisi foret extrema aut gravis necessitas, non posse eos deponere ab officio, vel eis negare suffragium, estò moraliter certò constaret de ineptitudine seu indignitate.

Quæri potest (inquit Mald. suprà c. 14.) an Prælatus, qui ex Confessione novit pœnitentem esse indignum & inidoneum ad officium, quo fungitur, possit ipsum ab officio istò amovere; præsertim si moris sit Religiosos pro libitu tali officio admovere, & privare sinè ulla nota.

Respondeo; post Constitutionem Clementis non esse hoc faciendum, nisi aliâ scientiâ dirigatur Prælatus ad prudenter hunc amovendum;

dum; alioquin priùs non erat illicitum, modò fieret sinè omni periculo suspicandi, quòd scientia Confessionis ad hanc privationem concurrisset, ita ut ne quidem ipse amotus in hanc suspicionem esset deventurus. Prudenter id monuit Antoninus post D. Thom. Confessionalis sui c. 27. qui vult rem differri, donec sinè nota aut suspicione tali amoveri possit. Antoninus.

Si autem amoveri quemquam à tali officio sinè causa, moris non sit, non amoveat occasione Confessionis, sed expectet commoditatem occurrentis liquidæ alterius causæ. Cæterùm ne impediantur per Confessiones in suo regimine, & ut sua libertas servetur subditis; rectè statuit Clemens VIII. non licere Superioribus Regularium, subditorum Confessiones audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint; aut ipsimet subditi sponte & proprio motu id ab iis petierint. Hæc ille.

213. Quid sentiat Navarrus. Et Navar. in cap. *Sacerdos* n. 146. ait; non esse omnino verum, quod Quidam pro indubitato consulunt, nempe Confessarium quoad confitentem, perinde se extra Confessionem gerere debere, qualem se gessisset, si eum nullatenus audivisset. Nam primò; si nullatenus audivisset excommunicationem vel impedimentum (Matrimonii) non posset eum vel secretè monere, vel in secreto evitare, & tamen auditâ Confessione id efficere potest. Secundò; si quis per confessionem solam sciret, aliquem esse malum virum, quàmvis per omnes alias vias eum haberet & coleret, ùt optimum, occurrente tamen Prælati electione, in ea eumdem, si non audivisset ipsius Confessionem, & posset & deberet eligere: propter tamen illam scientiam, in Confessione quæsitam, neque deberet neque posset illi suffragari; argum. cap. *Cùm in cunctis* §. fin. de Elect. & cap. *Perpetuo* eodem tit. lib. 6. conjuncto cap. *Si Sacerdos*. de Offic. ord. Ita Navar.

Et n. 150. Secundùm omnes, inquit, justè quis posset electoribus dissuadere alicujus in Prælatum electionem, ob solam per Confessionem de ipso scitam malitiam, modo ita rem gereret, ut nullo modo peccatum ipsius prodoret ulli.

214. Docet nil casu eligentem indignum incurrere pœnam suspensionis. Hinc consequenter docet n. 148. eligentem tali casu indignum, incurrere pœnam suspensionis, constitutam eligentibus indignum cap. *Cùm in cunctis* 7 §. fin. de Elect. sequentis tenoris: *Clerici sanè, si contra formam istam quemquam elegerint, & eligendi tunc potestate privatos, & ab Ecclesiasticis beneficiis triennio noverint se suspensos: dignum est enim, ut quos Dei timor à malo non revocat, Ecclesiasticæ saltem coerceat severitas disciplinæ. Episcopus autem si contra hæc fecerit, aut consenserit fieri: in conferendis prædictis officiis & beneficiis potestatem amittat, & per Capitulum aut per Metropolitanum (si Capitulum concordare nequiverit) ordinetur.*

Probat autem Navar. suam doctrinam. Nam §. ille (juncto cap. *Cùm VVintonienſis* 25. eodem tit. ibi: *Quod illi, qui Decanum elegerant, eligendi erant potestate privati, pro illa maximè causa, quòd hominem non legitimè natum, scienter eligere præsumpserunt*) pœnam illam eligenti scienter indignum imponit: at is sciens eligit indignum, & tali scientiâ sciens, quæ facit ipsum peccare: quare igitur illam pœnam non incurrat? Facit, quòd tam efficax est illa scientia in negotio, quod inter Deum solum & hominem agitur, quàm alia, immò efficaciór; quippe quæ in ipso Dei foro est quæsita, ergo si alia facit incurrere hanc pœnam, faciet & ea; argum. l. *Illud* ff. de Leg. Aquil. & cap. *Inter cæteras* de Rescript. Probatio ex c. 7. & 25. de Elect.

Neque obstat, si dicatur, ibi agi de pœna, & pœnam in foro Dei non incurri, licèt in foro debeatur exteriori, ùt habet Glossa singularis in cap. *Fraternitas* 12. q. 2. Non, inquam, hoc obstat; quia illa Glossi non habet locum in censuris, quæ nullâ indigent executione aliâ; præter illam, quam secum ferunt & ille §. de suspensionis pœna agit, quæ una est de censuris. Hæc ille. Consequenter, sicut dixi, ad præcedentem doctrinam, quæ ait, scienter eligentem indignum in casu proposito peccare. 215. Occurritur objectioni.

Sin autem cum oppositâ sententia dixeris, eum non peccare, sed debere eligere indignum; consequenter dices, eligentem indignum non incurrere illam pœnam, ut dixit, Lugo suprà n. 104. & Alii, quod non est contra Navarrum, ùt perperàm ait Lugo; quia Navar. supponit peccatum, quod Lugo negat. Sed contrà Navarrum docent Paludanus & Adrianus (teste ipso Navar.) qui licèt admittant peccatum, æquidem negant pœnam. Lugo. Paludanus, Adrianus.

Controversia parvi momenti pro praxi; nam qui indignum eligunt, cùm sinè peccato id possint facere, sequendo sententiam Lugonis & Aliorum, dicentium, esse obligationem eligendi indignum, quidni eam sequantur? Nemo autem punitur pro eo, quod debet facere; sed pœna propriè dicta, qualis est illa suspensio, præsupponit culpam indebitæ electionis. 216.

Deinde existimo; jura suprà allegata non attendisse ad scientiam Confessionis, seu fori merè interni inter Deum & hominem; sed per ly *Scienter*, intellexisse solam scientiam fori externi, ut sic loquar, sicut ipsa electio indigna, de qua ibi loquuntur, indubiè spectat ad forum externum, adeòque suspensionem illam (latæ sententiæ, juxta Gloss. in cap. *Cùm VVintonienſis* ibi: *Notà, quòd qui scienter indignum eligit, amittit potestatem eligendi, & devolvitur ad illos, qui non peccaverunt. Ita pet hoc probatur, quod ille Canon*, Cùm in cunctis Jura suprà allegata non videntur ad tendisse ad scientiam Confessionis.

est Canon latæ sententiæ) suspensionem, inquam; illam non concernere Confessarios, qui eligunt indignum scienter ex sola Confessione, estò alioquin peccarent, secundùm sententiam Navarr. & Aliorum; de qua hactenus satis dictum est, cautissimè utique & rarissimè, si tamen umquam, practicanda; tum propter periculum revelationis peccati, tum propter Decretum Clement. VIII.

217. Rarò evenit, ut Superior ex sola Confessione noverit incapacitatem subditi.

Quamquam, ut hoc etiam notemus, credidero, perrarò occurrere circumstantias, in quibus Superior ex sola Confessione noverit incapacitatem sui subditi; neque enim solent, maximè qui talia habent peccata, propter quæ mererentur deponi ab officio, vel non promoveri ad officium, suis Superioribus confiteri, cùm alios sufficientes invenire possint, à quibus nihil est timendum; ut proinde hæc sententia non adeò sit onerosa pœnitenti, utì Aliqui bene apprehendunt.

Et indubiè majus sinè comparatione onus esset, si Confessarius pœnitenti posset objicere peccata confessa; quia licèt fortè aliquis hìc & nunc minùs curaret illam objectionem, quàm depositionem ab officio: quia tamen illa depositio rarissima est, objectio autem foret frequentissima, meritò Christus hanc prohibuit, tamquam nimis onerosam pœnitentibus; de illa autem patùm videtur fuisse solicitus; tamquam nullum ferè onus, iis præsertim, qui seriò volunt emendare sua peccata. Et certè gravius onus potuisset annectere Sacramento tam utili, si voluisset. Hìc ergo sit finis hujus molestissimæ quæstionis.

218. Quæstio finalis.

Finem autem Sectioni imponet quæstio non adeò difficilis (& ideo paucis expedienda) videlicet: Sacerdos de facto absolvit aliquem Episcopum simoniacum, quod non potest de jure: iste Sacerdos tenetur confiteri, & in speciali de isto peccato, & sic circumstantionato, quia est mortale, & istæ circumstantiæ aggravant; sed non potest sic confiteri nisi revelando in Confessione peccatum illius Episcopi simoniaci; quæritur, an teneatur confiteri.

Circumstantiæ specialiter aggravantes quandoque non manifestandæ in Confessione.

Respondet Doctor Subtilis suprà n. 21. *Dicò, quòd Confessor indiscretè ministrans Sacramentum Pœnitentiæ, tenetur non statim confiteri de facto suo indiscreto, quando scilicet Confessor suus poterit statim devenire in notitiam personæ, circa quam indiscretè exercuit usum Clavium: & hoc ad minus tenetur, non in speciali exprimere culpam circa quam, & modum quo indiscretè exercuit: sed vel præcisè in universali dicendo sic:* Meâ culpâ indiscretè & indebitè ministravi Sacramentum Pœnitentiæ: *vel si urget eum conscientia de Confessione facienda super hoc in speciali; ut dicit argumentum, quia est peccatum mortale speciale, & circumstantiæ specialiter aggravantes; tenetur expectare opportunitatem confitendi alicui, qui ex tali Confessione peccati, & circumstantiarum, non possit devenire in notitiam personæ hujus confessæ.*

Quòd si numquam possit haberi talis Confessor, quin ex explicatione peccati & circumstantiarum posset devenire in culpam, & personam ipsi confessam; iste est in casu impossibilitatis ad confitendum homini, quia plus tenetur ad præceptum non prodendi culpam sibì confessam, quàm ad confitendum explicitè culpam suam; quia ad primum multipliciter ex lege naturæ, ut probant rationes ad primam Conclusionem, & multipliciter ex lege positiva divina, ut probant rationes ad secundam Conclusionem: ad secundum verò ad plus de lege positiva divina, ut dictum est dist. 17. ergo ipse confiteatur Deo. Ita Scotus & Alii communiter; adeo ùt Suarius Disput. 33. Sect. 1. n. 18. contrariam opinionem (quæ est Soti 4. dist. 18. q. 4. a. 4.) dicat non esse probabilem.

Quia licèt integritas formalis sit de essentia Confessionis, tamen materialis non est adeò necessaria, quin propter alias causas prætermitti possit; nulla verò potest esse gravior, quàm observatio sigilli. Immo multi Auctores docent, solùm ob non revelandum peccatum proximi, licere, vel etiam debitum esse aliquid in Confessione omittere; sed hìc intercedit hæc causa, & præterea integritas sigilli: ergo excusat à formali dimidiatione, & consequenter obligat ad observationem sigilli.

Ex quo patet responsio ad secundam rationem Soti suprà, quæ talis est: Dicere in Confessione non est tam gravis infamia, postquam Sacerdos audiens tenetur ad sigillum illius. Respondetur, inquam, licèt non sit tam gravis infamia, sicut dicere extra Confessionem, equidem apud Multos sufficit ad dimidiandam Confessionem, etiam ubì nullum est periculum fractionis sigilli.

Deinde, num est gravis infamia, quòd Confessarius extra Confessionem dicat, suum pœnitentem confessum fuisse verbum otiosum? Et tamen illud non licet, estò per possibile vel impossibile foret necessarium ad integrè confitendum: ergo licèt nulla esset infamia in Confessione revelare peccatum confessum, non propterea foret licitum, estò necessarium ad integrè confitendum.

Ad primam rationem Soti, utputà, non est arctius vinculum servandi sigillum, quàm integrè confitendi, quandoquidem obligatio sigilli ex obligatione Confessionis emergat; bene respondet Suarius suprà: Licèt sigillum ordinetur ad integritatem, tamen majus detrimentum esset ipsiusmet integritatis, dare licentiam tunc ad loquendum, quàm obligare ad tacendum: quia ex primo servatur integritas in uno singulari casu; ex secundo verò daretur occasio sæpiùs illam non servandi.

Adde

Adde communem ac certam doctrinam; si Confessor audiens Confessionem duorum, ex uno intelligat, alium non confiteri integrè, neque dignè, non potest ullum indicium dare, sed debet absolvere, ne revelet Confessionem: quia secundùm præsentem scientiam bene facit, & aliâ uti non debet: ergo à fortiori &c.

222. Consulitur omnibus sententia Scoti.

Placeat itaque omnibus sententia Scoti, & communis aliorum Theologorum, & caveant omnes diligentissimè sub pœnis constitutis à Conc. Later cap. *Omnis utriusque*. 12. de Pœnit. & remiss. de quibus alibi egimus, ne verbo, opere, aut alio signo directè vel indirectè revelent peccatum confessum & peccatorem in ullo prorsus casu, etiamsi peccatum confessum foret contra bonum commune temporale aut spirituale, utpote crimen hæresis vel proditio Reipubl. &c.

Nullo casu licere Confessionem est contra charitatem ex Scoto.

Nam, ut bene Doctor Subtilis suprà n. 18. *Nullus casus potest esse, in quo contra charitatem liceat silentium, immo contra charitatem communem militaret oppositum. Et quando instas de bono communi; dico illud Deuter. 16.* Iustè quod justum est exequeris: *ergo charitativè quod charitatis est exequeris; sed non charitativè exequitur, qui contra legem naturæ modis prædictis manifestat aliquod malum commissum vel committendum. Quare reprobandus est ille versus Iuristarum:* Est hæresis crimen, quod nec Confessio celat; *non quin metrum sit bonum, sed sententia est falsa.*

A 223. cui consonat Doct. Seraphicus.

Consonat Doctor Seraphicus suprà n. 60. dicens: *Ad illud, quod objicitur de hæretico, dicendum, quod debet tacere: nec per illam cognitionem aliquid dicere specialiter: potest tamen sine revelatione Confessionis Superiori dicere:* Vigila super oves, quia lupus est in grege, *si probabiliter videt illum, qui confessus est, verum dixisse, & periculum ovium imminere; potest etiam & debet esse solicitus sine revelatione Confessionis, quo modo sciat & gregi dominico provideat; & tunc domino suo, & etiam confitenti fidem, quam debet, servat.* Hæc S. Bonavent.

Omitto plures alios particulares casus, quos ex principiis & fundamentis, hucusque à nobis positis, Auctores aliqui hic resolvunt; tum quia propè innumeri; tum quia ex iis, quos explicuimus, res est facilis. Progredior autem à sigillo, principali utique ac gravissima obligatione Confessariorum, ad quasdam aliquas obligationes minoris momenti.

SECTIO OCTAVA.

De quibusdam aliis obligationibus Confessariorum.

1. Aliquæ minores obligationes Confessariorum.

HÆ sunt obligatio audiendi suo tempore Confessiones, obligatio examinandi & instruendi pœnitentes, obligatio supplendi defectus in Confessione admissos &c. Incipiam ab obligatione audiendi Confessiones; & quæro Primò; an Parochus teneatur audire Confessiones subditorum toties quoties fuerit ab eis requisitus? Respondeo & Dico primò:

CONCLUSIO I.

Parochus requisitus tenetur ex justitia, per se vel alium, subditorum Confessiones excipere, semel vel pluries in anno, pro eorum multitudine, necessitate & annuo stipendio.

2. Parochus tenetur ex justitia administrare

PRima pars, scilicet, Pastorem ex justitia teneri administrare hoc Sacramentum suis ovibus, ab omnibus admittitur. Ratio in promptu est; quia officium inducit obligationem justitiæ, maximè accedente explicito vel implicito contractu, prout impræsentiarùm accedit: ad hoc enim hujusmodi officium est institutum, ut oves habeant certum animarum suarum Pastorem, à quo possint jure requirere pascua necessaria ad salutem, & ideo præstant annuum stipendium, & ad illud præstandum censentur se obligare ex justitia, ita ut non præstando peccent, & teneantur Pastori ad restitutionem.

Sacramentum Pœnitentiæ suis ovibus.

Quidni ergo pari ratione, Pastor eis ex justitia teneatur providere de necessariis pascuis? Inter quæ primum facilè locum obtinent Sacramenta, à Christo ad salutem ovium instituta. Atque inter Sacramenta, quòd magis necessarium lapsis post Baptismum, quàm Sacramentum Pœnitentiæ? Illud ergo tenetur Pastor requisitus administrare ex officio suo; adeòque ex justitia, ùt dictum est, quoniam officium cum hac conditione confertur & acceptatur.

Porrò veluti Superior civilis, Rex, Princeps, Magistratus &c. non obligantur per seipsos omnia sua munia exequi, sed sufficit, quòd per alium idoneum id faciant; argum. Reg 72. de Reg. Iuris in 6. *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum*, sic nulla est

ratio, injiciendi obligationem Superioribus Ecclesiasticis, pascendi gregem suum per seipsos, quando æquè utiliter possunt pascere per alium. Ita communiter DD.

3. An Parochus teneatur per seipsum audire subditos, quando id exigunt. *Arriaga. Possevinus. Diana.*

Illud, inquit, Arriaga Disp. 43. n. 6. posset in dubium verti; An si Parochus det subditis alium Confessarium idoneum, illi verò velint confiteri ipsimet Parocho, teneatur illos audire. Ioannes Baptista Possevinus de Offic. Curati cap. 5. q. 7. apud Dia. p. 2. tract. 2. Miscel. resol. 2. distinguit: Si enim hoc velint in hora mortis, & pro annua Confessione, tenetur ipsos audire; si verò confiteantur ex devotione, putat eum posse illos remittere ad alterum Confessarium, id quod probabile judicat ipse Diana.

Lugo.

Lugo verò Disp. 22. n. 3. ait, se non videre probabile fundamentum disparitatis inter hos duos casus. Nam si extra casum necessitatis providet sufficienter ovibus suis per alium Confessarium, etiam in casu necessitatis providebit sufficienter per eumdem.

Id quod mihi etiam placet, nisi fortè circa horam mortis infirmus haberet singularem devotionem confitendi Parocho; non enim in ea hora posset id ei negare, cùm maximè pro illa deberet dirigere suos subditos; & fortasse ex illa speciali devotione valor totius Confessionis pendêre posset: extra eum verò casum, dummodo det subdito sufficientem ministrum, non debet obligari Parochus ad omnes majoris devotionis occasiones procurandas ovibus. Hactenus Arriaga.

4. Quæ fuerit mens Possevini de hac controversia.

Ego autem dubito, an fuerit mens Possevini, obligare Curatum ad audiendum Confessiones per seipsum in Paschate aut morte. Nam in illa resolutione Dianæ non agitur de Confessione audienda per se vel per alium, sed de audienda Confessione subditi toties quoties Parochus fuerit requisitus, sive per se, sive per alium. Unde opinio affirmativa, quam primo loco ponit Diana, non asserit Parochum per seipsum debere audire, quoties rationabiliter fuerit requisitus, sed per seipsum, vel per alium. Et opposita opinio negat, per seipsum, vel per alium debere audire.

Quando ergo Possevinus distinguendo asserit, Curatum teneri dare Sacramenta, toties quoties petuntur, sub mortali, quando qui petit, est in Paschate aut morte, intelligi posset, quod teneatur dare per se vel per alium, ad hoc specialiter ab ipso deputatum; ita ut teneatur ille alius ex justitia eum audire, sicut Parochus teneretur, nisi illum alium substitueret. At si communicatur vel confitetur ex devotione, tunc teneri sub mortali per se vel per alium, ad hoc specialiter delegatum, quando qui petit, non habet alium, à quo recipiat; si verò habeat, à quo possit recipere, & recipiat si velit, non teneri sub mortali, nec per se, nec per alium, ad hoc specialiter delegatum, audire.

Interim ratio Possevini videtur æqualiter excusare Parochum, etiam in Paschate & morte. Ratio autem est hæc; quia si Curatus teneretur sub mortali, teneretur ratione damni notabilis, quod parochianus sustinet; at cùm nullo damno afficiatur sub distinctione dicta, videtur etiam Curatum non peccare mortaliter, Sacramentum non conferendo.

Sed numquid eadem ratio militat in Paschate vel morte? Prorsus, quia si habeat alium, à quo tunc recipiat Sacramenta, nullo omnino afficitur damno, nisi fortè privaretur aliquâ singulari consolatione; quæ an sit tanti momenti, ut propterea Parochus peccaret mortaliter, valde dubito, nisi ex ea pendêret valor totius Confessionis, quod non est facilè præsumendum.

Igitur præcipua difficultas hujus Conclusionis est; an Parochus teneatur administrare Confessionem, toties quoties subditi rationabiliter id petunt; an verò tunc solùm, quando ex præcepto divino vel Ecclesiastico tenentur confiteri. Reginaldus in Praxi tom. 1. lib. c. 8. n. 81. refert sententiam Medinæ, & Aliorum, quos citat, existimantium, ne Curatum quidem, teneri sub pœna peccati mortalis audire suorum Confessiones extra casum, in quo confiteri illi adstringuntur vel jure humano, ut semel in anno, vel jure divino, ut in verosimili mortis periculo: vel quoties ita remedium eis necessarium esse videtur, ad aliquod peccatum mortale vitandum.

Namque aliàs nec lege fraternæ charitatis, nec ratione pastoralis officii tenetur. Non quidem lege charitatis fraternæ, quæ omnes æqualiter respicit, juxta illud Ecclesiasti. 17. *Mandavit illis unicuique de proximo.* Unde cùm alius Sacerdos non peccet mortaliter contra legem fraternæ charitatis, nolendo audire alicujus Confessionem, nec peccabit Curatus. Ille autem alius extra casum necessitatis non peccat mortaliter, quia lex charitatis fraternæ non obligat sub mortali, nisi cùm proximus laborat gravi necessitate, seu quando verisimile est, ipsum sinè opera nostra salutem sive animæ, sive corporis adipisci non posse.

Nec etiam ratione pastoralis officii mortaliter peccare contra justitiam, probatur: quia officio suo satisfacit, si onera, sibi à jure, vel à Superiore imposita, compleat: sed neque jus, neque Superior imponit Curato Sacramentum Pœnitentiæ ministrare subditis, nisi cùm necessarium est hos illud recipere. Unde quàmvis Curato commissa sit cura subditorum, tamquam patri filiorum spiritualium; tamen sicut pater carnalis satisfacit suo officio, dando filio necessaria, aliis abundantioribus denegatis: ita etiam Curatus suo satisfacere judicandus est, Sacramenta necessaria tunc ministrando subdito, cùm eorum suscipiendorum necessitas urget. Hucusque Reginaldus. Qui

Qui cùm illam sententiam non rejiciat, videtur eandem approbare, maximè cùm statim subjungat.

7. quam approbare videtur Regin. Negandum tamen non est; quin officium Pastoris, si non de necessitate, saltem de congruitate exigat à Curato, ut suis operam præstet juxta priorem sententiam; ita ut eam denegans, vituperatione dignus sit, & venialiter peccet, idque nonnumquam graviter, ut cùm lucrandum esset Jubilæum, aut subditus ostenderet se pati aliquam indigentiam spiritualem, opportunoque tempore peteret, nec rationabilis negandi causa adesset.

Non peccaret tamen mortaliter contra debitum justitiæ; quia licèt subditus aliquod jus habeat petendi Sacramentum à suo Curato, quoties vult confiteri, non habet tamen coactivum, quo possit contra eum agere, & extra casum necessitatis compellere ad Sacramentum ipsum ministrandum; sicut nec filius potest compellere patrem ad aliqua non necessaria, licèt commoda sibi, largienda. Hæc ille. Ubi satis enucleatè ostendit, se subscribere sententiæ Medinæ.

8. Objectio. Sed contrà: pater carnalis (ut maneamus in simili adducto) non solùm tenetur providere filiis in extrema & gravi necessitate, ne moriantur, aut graviter infirmentur; sed etiam subministrare ea, quæ requiruntur ad vivendum cum decore & competenti honestate secundùm statum suum: ergo consimiliter patet spiritualis, qui est Parochus, non tantùm debet filiis suis spiritualibus, id est, subditis suis providere de Sacramentis, & aliis mediis salutis omnimodè necessariis, ne in æternum pereant, sed etiam subministrare ea, quæ requiruntur ad vivendum cum decore & competenti honestate secundùm statum suum, id est, ad piè & Christianè vivendum, ac in vita Christiana proficiendum; ad hunc autem profectum indubiè necessaria est frequentior Confessio, ut experientia docet. Immo (eâdem teste) vix aut ne vix quidem, qui semel tantùm in anno confitentur, ab omni peccato mortali abstinent.

9. Confirmatur. Ponamus ergo casum, quòd aliquis statim à Confessione in Paschate peccaverit mortaliter, putas quia Parochus ex officio suo non tenebitur hujusmodi volentem confiteri, & per Absolutionem sacramentalem recuperare amissam sanitatem, immo ipsam vitam spiritualem; putas, inquam, quia poterit sinè peccato mortali injustitiæ, subditum suum repellere, & nolle audire ejus Confessionem, nisi recurrente obligatione Paschali, aut periculo mortis?

Perseverantia in peccato mortali est gravissimum malum. Sanè perseverantia illa in peccato mortali, gravissimum malum est, ut per se patet; constituit enim hominem mancipium diaboli & filium gehennæ, capitalem inimicum Dei, & expertem omnis operis meritorii de condigno gratiæ & gloriæ. Et licèt seipsum possit ab hoc malo liberare, eliciendo Contritionem charitate perfectam; tamen quia hæc difficilis est, & valde incerta, rationabiliter prorsus petit à Pastore animæ suæ remedium certius, scilicet Sacramentum Pœnitentiæ. Quidni ergo medicus animarum teneatur illud volenti subministrare, etiam ex officio suo?

10. Medicus corporalis qui stipendium accipit tenetur ex officio curare omnes verè ægrotos? Nonne medicus corporalis seu corporum, qui stipendium accipit à communitate, ex officio suo tenetur curare omnes graviter ægrotos; quando rationabiliter id postulant, & ipse sinè incommodo gravi respectivè potest eos curare?

Non dubito; quin communitas, quando stipendium obtulit, intenderit hujusmodi obligationem imponere, & per consequens ipse, acceptando stipendium, voluerit se in tali casu obligare. Ergo obligatur non solùm ex aliqua congruitate, sed etiam ex vera necessitate, ita ut mortaliter peccet contra debitum justitiæ, & teneatur ad restitutionem damnorum, sequentium ex negata curatione.

ergo etiam medicus spiritualis. Quid si idem dixero de medico spirituali, qui accipit stipendium, ut depellat morbos spirituales, & sanet eos, à quibus stipendium accipit ab omnibus infirmitatibus, præsertim gravioribus, quando potest sinè gravi suo incommodo respectivè sanare, & ipsi rationabiliter postulant sanitatem? Non video, quid huic dicto obstare possit.

11. Objectio. Obstat, inquis; quòd ipse subditus non teneatur sub peccato mortali statim confiteri, estò perseverantia in statu peccati mortalis sit grave malum; cur ergo Parochus teneatur sub mortali illud peccatum tollere?

solvitur. Respondeo: quia dum subditus voluntariè patitur illud malum, cedit jure suo, quod alioquin habet, ad illud malum expellendum per Confessionem; an autem possit cedere jure illo, alibi dictum fuit, & sententiam affirmativam hic supponimus; unde quamdiu Parochus non requiritur, hic nullatenus obligatur ex justitia ei succurrere, quia censetur cedere jure suo. Eodem modo, quo medicus corporalis non tenetur visitare infirmum, vel eum curare ex officio seu justitia, quamdiu infirmus voluntariè permanet in sua infirmitate, nihil curans de medico, aut positivè eum repellens, & nolens admittere. Si autem requisitus fuerit, statim oritur obligatio in actu secundo eum sanandi; quia amplius non censetur cedere jure suo, sed jus suum exigere.

Ergo similiter, licèt peccator non teneatur statim confiteri, & per consequens Parochus non requisitus, haud teneatur ultro se ingerere audiendæ ipsius Confessioni, quia censetur cedere jure suo; equidem requisitus tenetur ex officio audire, quia jam amplius peccator non cedit jure suo, sed illud positivè exigit.

12. Respondetur ad argumenta Adversariorum.

Et verò, ut respondeamus ad alia argumenta Adversariorum, cur minùs illud jus sit coactivum, quàm jus quod habet Parochus ad suum stipendium? Vel quàm illud, quod habet communitas cogendi medicum, quem stipendio conduxit, & habet medicus cogendi ad solutionem stipendii? Non apparet sufficiens disparitas.

Nec mirum, quòd filius non possit cogere patrem, quia pater non obligatur ex justitia, sed solùm ex pietate; & disparitas est manifestissima; quia pater non accipit stipendium à filio, sicut Parochus à suis subditis.

13. Tàm jus quàm Superior imponunt Curato, Sacramentum ministrare subditis, quando rationabiliter exigitur omnibus consideratis.

Fateor itaque, Parochum satisfacere officio suo; si onera sibi à jure, vel Superiore imposita compleat; sed nego Subsumptum, putà: neque jus, neque Superior imponit Curato, Sacramentum Pœnitentiæ ministrare subditis, nisi cùm necessarium est, hos illud recipere; & dico, tam jus naturale, quàm Superiorem, imponere Curato Sacramentum ministrare subditis, quando, omnibus consideratis, rationabiliter illud exigunt.

Consideranda primò quantitas stipendii & multitudo subditorum.

Porrò consideranda hìc veniunt tum multitudo subditorum, tum necessitas physica & moralis, tum etiam quantitas stipendii, eodem modo sicut in medico corporali. Quantò enim majus est stipendium, tantò frequentius tenetur subire laborem, pro quo stipendium datur; quò autem plures sunt subditi, & minus stipendium, eò sæpiùs potest justè se excusare, ne alioquin labor sit improportionatus stipendio, & aliunde non possit sibi providere de necessariis ad sustentationem.

Quid si enim haberet mille v. g. immo centum tantùm subditos, & omnes singulis diebus vellent confiteri, esset onus planè intolerabile, quin etiam aliquando physicè impossibile sustinere, præsertim cùm etiam aliis functionibus, v. g. concionibus, administrationibus aliorum Sacramentorum, visitationi infirmorum ex officio debeat intendere. Ut omittam, non teneri Parochum summam diligentiam adhibere vel laborem, sed moderatam tantùm & prudentem solicitudinem.

14. Deinde necessitas Confessionis,

Consideranda etiam est, sicut dixi, necessitas Confessionis; nam qui habent peccata mortalia, majori premuntur necessitate, quàm qui solùm confitentur peccata venialia, & ideo istis sæpiùs, quàm his Sacramentum illud administrandum.

Deinde fieri potest, ut hìc & nunc subditus unus, præ alio, gravi aliquâ tentatione aut difficultate prematur; ut unus longum aliquod iter aggrediatur, in quo itinere difficulter poterit confiteri, alius autem maneat domi, & quotidie habeat occasionem confitendi.

Accedat; frequentiam Confessionis uni posse esse inutilem, vel quia contemnitur virtus Confessionis, vel propter scrupulorum perturbationem; alteri autem valde utilem propter maximam dispositionem, quâ solet hoc Sacramentum frequentare, & continuum profectum in virtutibus.

Denique uno tempore lucrandum est Jubilæum aut alia Indulgentia, quâ utilitate satis magnâ subditi privarentur, nisi confiterentur; quis dubitat quin magis isto tempore, quàm alio teneatur Parochus se exponere Confessionibus subditorum excipiendis? Ubi etiam excipiendis Confessionibus Sacerdotum, qui singulis diebus debent celebrare, quàm sæcularium, qui rariùs solent communicare?

His itaque omnibus maturè expensis, & prudenti judicio in statera appensis, quoties subditus rationabiliter petit Sacramentum Confessionis, toties tenetur Parochus illud administrare, per se quidem si rationabiliter id exigat, propter aliquam gravem causam, vel quia non potest aliter satisfacere suæ conscientiæ, quod tamen rarum est; aut certè per alium, quia moraliter sæpè impossibile est per seipsum facere. Hæc est Conclusio nostra & sententia communior ac verior magisque pia: quam docent Suarez Disp. 32. Sect. 1. n. 4. & seqq. Bonacina de Sacram. Disp. 5. q. 7. p. 4. §. 2. n. 23. cum aliis quos citat. Coninck Disp. 8. n. 129. Lugo Disp. 22. n. 1. Arriaga, Dicastillo & alii Recentiores & Antiquiores.

Rogas; an semper graviter peccet Parochus si semel aut iterum neget, aut differat Confessionem, quando alioquin ex officio teneatur eam audire? Respondet Suarez suprà n. 5. Si gravis aliqua causa urgeret, v. g. quia subditus gravi aliquâ tentatione aut difficultate premitur, vel quia longum & difficile iter aggreditur, vel certè quia est tempus Jubilæi, & privaretur magnâ utilitate, si non confiteretur; in his, inquit, & similibus eventibus, peccaret graviter Pastor, negando hoc Sacramentum. Tamen extra hos casus non erit peccatum mortale, etiamsi semel aut iterum neget seu differat, dummodò non sit dilatio nimia, ita ut censeatur subditus privari jure suo in re gravi, quod prudenti arbitrio existimandum est. Ita Suarez.

Et Nugnus in Addit. q. 8. a. 4. dub. 3. concl. 3. à mortali peccato excusat Parochum, qui semel aut iterum denegat Confessionem petenti rationabiliter; nam hæc videtur materia levis inquit Nugnus.

Sed hoc mihi, inquit Bonacina suprà, difficilè persuadeo: nam si omissio unius Confessionis censeretur materia levis, sequeretur, idem dicendum, qui semel in anno Confessionem præter-mittit, quam ex præcepto Ecclesiæ facere tenetur, vel qui Confessionem ex voto, vel ex injuncta pœnitentia, semel aut iterum omittit, non peccare mortaliter, quod non videtur admittendum.

Non

Non existimo tamen improbabilem Nugni & Aliorum opinionem, potiùs ob auctoritatem, quàm propter rationem: sicut etiam probabiliter censeo, excusari posse Parochum, qui, præcisâ pœnitentis necessitate, aut magnâ utilitate, semel aut iterum negat, aut differt hoc Sacramentum conferre, præsertim si pœnitens importunè & nimis frequenter confiteri velit; nam habenda etiam est ratio aliorum negotiorum & obligationum, quibus premuntur Parochi, qui non tenentur maximum laborem & diligentiam adhibere, sed moderatam juxta prudentis judicium. Ita Suarez loco citato n. 5. Hucusque Bonacina.

Itaque secundùm Suarium denegatio Confessionis in casu proposito est materia levis, præcisâ pœnitentis necessitate, aut magnâ utilitate; gravis autem, consideratâ pœnitentis necessitate aut magnâ utilitate.

18. Eadem materia potest esse gravis & levis respectu diversarum legum.

Quid ergo ad rationem Bonacinæ suprà contra Nugnum? Respondetur, eamdem materiam posse esse gravem respectu unius legis, & levem in ordine ad aliam legem, ùt alibi specificavimus in auditione Missæ; quæ respectu legis Ecclesiasticæ est materia gravis; in ordine tamen ad legem politicam posset esse materia tantùm levis, quando videlicet vel finis legis politicæ levis foret, vel si gravis, auditio Missæ leviter ad eum conduceret.

Sic igitur in casu proposito, illa negatio seu dilatio Confessionis ad parvum tempus, in ordine ad spirituale bonum subditi, quòd est finis obligationis Parochi, non videtur esse materia gravis, præcisâ necessitate & magnâ utilitate; quia subditus non patitur grave detrimentum; quàmvis in ordine ad satisfactionem, præstandam Deo pro peccatis commissis, quæ est finis annuæ Confessionis, possit esse & reverà sit materia gravis. Et eadem disparitas ostendi potest in Confessione debita ex voto, cujus finis est cultus Dei; & debita, ex præcepto Confessarii, cujus finis est integritas Sacramenti. Placet itaque sententia Suarii.

19. Non hoc ipso quod Parochus recusat audire Confessionem, dat licentiam alteri confitendi.

Displicet autem, quod Richardus, Sylvester & Fumus apud Reginaldum suprà n. 83. docent, scilicet, eo ipso quòd Parochus recusset audire Confessionem parochiani, censere concedere facultatem adeundi alium Confessarium. Neque enim licet talem licentiam facilè sibi fingere, cùm ad validitatem Confessionis ea tantopere sit necessaria; neque proposita Parochi recusatio, sit illius datæ sufficiens argumentum. Etsi namque facilis & misericors esse debeat Parochus, peccéque se præbendo difficilem; tamen meritò præsumitur velle, ut ea licentia expressè petatur, dum ipse suâ sponte eam non offert, præsertim cùm tam facilè possit responsum dare dicendo: *Adeas alium*, quàm dicendo; *Nolo te audire.*

Accedit, tum quòd volens alieno confiteri, teneatur licentiam à proprio Sacerdote petere ac obtinere ex præscripto cap. *Omnis utriusque sexûs* 12. de Pœnit. & Remiss. tum etiam, quòd Curato, recusanti audire subditum, adesse possint rationes, negandi licentiam confitendi cuilibet: cùm vereri debeat, ne is adeat aliquem minùs idoneum, qui non inducat ad vitæ emendationem & peccatorum odium, & non cogat ad restitutionem faciendam, aut ad declarandum peccatorum numerum & circumstantias, quæ sunt causæ justæ negandi talem licentiam. Ita Reginaldus suprà, vocans nostram sententiam probabiliorem; & pro ea citans Sotum 4. dist. 18. q. 4. a. 2. *Reginaldus.* *Sotus.*

Unde perperam Dicastillo Disp. 10. n. 484. Sotum & Reginaldum citat pro sententia Richardi, nisi idem sit (quòd non puto) referre aliquam sententiam, eamque rejicere tamquam minùs probabilem, & eam docere. Vide quæ in simili casu alibi diximus, disputantes, an quando periculosum est confiteri proprio Sacerdoti, vel quia est Confessionum detector, vel sollicitator pœnitentium ad malum, possit subditus absque alia licentia confiteri Sacerdoti alieno, de quo casu tractat Sotus loco suprà citato, & docet, sententiam affirmativam esse falsam. Eadem autem est ratio de casu proposito; putà, quia malitia proprii Sacerdotis non est commissio jurisdictionis. 20. Perperàm pro opposita sententiâ citatur Sotus & Reginaldus. *Dicastillo.* *Sotus.*

Cæterùm quæ usque adhuc dicta sunt de Parocho, suo modo etiam militant in Prælato Regulari, qui licèt non accipiat proprium stipendium; equidem eligitur à communitate, ut totùs ad bonum subditorum attendat, ideòque omnia necessaria ad sustentationem ipsi administrantur; proinde ipse acceptans officium, censetur se implicitè obligare communitati ad ea, quæ sunt sui muneris fideliter exequenda. Itaque per se vel per alium tenetur audire eorum Confessiones ex officio suo, adeòque ex justitia. 21. Eadem ratio est Parochi & Prælatorum Regularium.

Numquid etiam cum periculo vitæ? Responsio patebit ex Conclus. sequenti.

CONCLVSIO II.

Parochus in gravi necessitate tenetur ex justitia audire Confessiones subditorum, per se vel per alium, cum periculo vitæ. Qui non est Parochus, solùm in extrema necessitate ex charitate.

EXtremam necessitatem voco periculum æternæ damnationis, ex quo se peccator nullo modo potest eripere, ita ut sinè mea opera, v. g. in casu Conclus. sinè auditione Confessionis, salus ei aut omnino, aut saltem secun- 22. Quid sit hîc extrema necessitas, in qua tenetur quilibet audire Confessionem.

fessionem cum periculo vitæ.

secundùm moralem æstimationem posit dici impossibilis. Et verò si umquam, saltem tunc charitas proximi obligat ad avertendum istud malum, quo gravius & certius non potest ipsi accidere; adeò profectò grave, ut respectu ejus quodcumque incommodum temporale, leve & pro nullo quasi æstimari debeat.

Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum*, inquit Christus Ioan. 15. v. 12. *ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Et quomodo dilexit nos? *Dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Apoc. 1. v. 5. Quoniam probè noverat, quod postmodùm scriptum reliquit Apostolus Hebr. 9. v. 22. *Sinè sanguinis effusione non fit remissio.* Sciebat Christus mortem suam necessariam omnino pro salute hominum, ita ut absque ea salus foret hominibus impossibilis, & ideo pro eis tamquam proximis suis secundùm humanam naturam posuit animam suam, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus.

Apoc. 1.

Hebr. 9.

Ioan. 15. Hinc dixit Ioan. 15 v. 13: *Maiorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, id est, proximis suis, juxta illud Ioan. 1. c. 3. v. 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Appositè D. August. lib. de Mendacio c. 6. *Temporalem planè vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere. Hoc enim præcessit exemplum, ut pro nobis Dominus moreretur. Ad hoc enim & ait: Hoc est mandatum meum* &c.

Ioan. 1. c. 3.

Dato itaque casu quòd Confessio foret absolutè necessaria ad salutem proximi, nemo Christianus dubitabit eam audire cum periculo, immo cum certa morte temporali.

23. Quæ sit hîc gravis necessitas.

Major difficultas est circa primam partem Conclusionis, quando videlicet proximus absolutè quidem potest salvari absque Confessione, non tamen sinè magna difficultate, v. g. aliquis homo simplex, minùs instructus in rebus spiritualibus, peste inficitur, & jam jam moritur, inclamat Confessarium, qui non potest ipsum audire sinè manifesto periculo infectionis; quæritur, an Parochus saltem non teneatur ipsum audire etiam ex officio suo, seu ex justitia.

24. An in ea quilibet teneatur audire Confessionem cum periculo vitæ.

Dico; *Parochus saltem*; quia quòd alii non teneantur, est communis opinio Doctorum: quia talis, quàmvis valde difficulter possit elicere Contritionem charitate perfectam, tamen, ùt supponitur, absolutè potest, (alioquin esset extrema necessitas) & per consequens absolutè potest salvari; adeòque non apparet sufficiens ratio, imponendi tam magnam obligationem singulis Confessariis; maximè cùm hæ necessitates sint satis frequentes, & aliunde omnino heroicæ charitatis ac fortitudinis sit, vitam suam temporalem pro proximo exponere.

Sicuti ergo privatus quisque non obligatur succurrere proximo in periculo vitæ corporalis, ex quo se potest absolutè eripere, quàmvis non sinè difficultate, non obligatur, inquam, succurrere cum diminutione sui status, seu notabili jactura divitiarum; pari quoque ratione quilibet privatus Confessarius non tenetur cum periculo vitæ corporalis succurrere proximo, audiendo ejus Confessionem, quando absolutè potest periculum damnationis evadere per Contritionem charitate perfectam, aut alio simili modo.

Sed numquid eadem ratio Parochi, cui ex officio incumbit cura animarum? Non puto, nam ad minus obligatur ex charitate. Et dato quòd etiam alii obligarentur ex charitate, ùt Aliqui docent, non dubito quin ipse primo loco, cæteri autem tantùm in ejus defectum. Quid miramur? Nonne scriptum est Ioan. 10. v. 11. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis?* Et dicam ego Pastorem non habere aliam aut majorem obligationem, quàm cæteri, qui non sunt Pastores, quorum non sunt oves propriæ? Ergo vel cæteri in gravi necessitate non habent obligationem charitatis, sed tantùm consilium, aut certè Pastor habet majorem, id est, habet obligationem charitatis primo loco.

Ioan. 10.

Quidni etiam habeat obligationem justitiæ? Affirmat Conclusio, quæ est communis, & ratio patet; quia tenetur præ cæteris exercitio; officium autem, ùt ostendi Conclus. præced. obligat Parochum ex justitia: ergo ex justitia tenetur, sicut in extrema, sic etiam in gravi tantùm necessitate audire Confessionem subditi, per se vel per alium, cum periculo vitæ; quia potuit se velle rationabiliter obligare ad talem heroicum actum charitatis aut fortitudinis: ergo acceptando officium censetur se voluisse obligare, cùm tali casu subditi maximè indigeant ejus operâ.

Vide quæ in simili casu diximus Disp. 1. Sect. 4. Conclus. 3. de obligatione Parochi in gravi necessitate cum periculo vitæ baptizandi parvulum, & applica Sacramento Confessionis, quod lapsis post Baptismum ad salutem necessarium est, ùt nondum regeneratis ipse Baptismus. Solùm differentia est, quòd sæpiùs possit occurrere extrema aut gravis necessitas Baptismi, quàm Absolutionis sacramentalis; cùm adulti possint justificari per Sacramentum in voto, putà Contritionem charitate perfectam, aut amorem Dei super omnia; parvulis autem præter Baptismum extra Martyrium non suppetat aliud medium salutis.

Interim aliquando potest contingere, ut peccator adultus, qui periclitatur de vita, adeò ignarus sit Contritionis, ut vel absolutè non possit se ad eam disponere, aut certè non nisi cum magna difficultate, & tunc quæstio nostra, ac resolutio locum habent.

Pro complemento quæro; an si tempore pestis nullus foret Parochus, teneretur Sacerdos aut priva-

pestis in defectum Parochi obligetur quilibet privatus Sacerdos.

privatus sæcularis aut regularis se exponere? Affirmat Arriaga Disp. 43. n. 8. quia dum multi sunt in gravi periculo, vix, inquit, est morale, quin inter eos multi sint etiam extremè indigentes Confessione.

Sustentur sententia affirmativa ex Arriaga.

Accedit; quòd grave periculum totius communitatis, debeat præferri damno privato, etiam propriæ vitæ; quam licèt quisque non debeat exponere in gravi necessitate alicujus privati hominis, tamen videtur eam debere exponere in gravi necessitate boni communis: hoc certum est, magis obligare bonum commune, quàm bonum privatum; adeòque damnum aliquod, quod respectu boni privati conferetur grave, posse & debere conferi leve respectu boni communis.

28. Eandem docet Rodriguez de Religiosis.

De hac obligatione inserviendi pestiferis longè & latè disputat Rodriguez tom. 3 qq. Regul. q. 31. a. 4. quem sic incipit: Respondeo dicendo videri, quòd Regulares seu Religiosi, qui vitæ activæ incumbunt, & populis Christianis, seu Ecclesiæ Dei & Episcopis profitentur se ad salutem animarum coadjutores, quando arbitrio Episcopi, vel evidentiâ facti, Parochi non supplent, neque satis numero sunt ad administrandum infectis, tenentur sub peccato mortali manere in loco pestifero, neque licitè possunt aufugere.

Probatio.

Probatur; nam Ordines Mendicantes ad salutem animarum præcipuè sunt instituti, & destinatus eorum finis est, per prædicationes, Confessiones, & alia pia opera, saluti animarum incumbere: ergo si id recusarent, agerent contra finem destinatum, & in eorum Constitutionibus contentum, & expressè promissum. Hæc ille.

29. Mendicantes sunt coadjutores Episc. & Parochorum. Clem. Dudum.

Breviter; Mendicantes sunt coadjutores Episcoporum & Parochorum, ùt expressè declaravit Clemens V. in Conc. Vienn. (& refertur Clem. *Dudum* de Sepult.) hisce verbis: *Districtè præcipiendo mandamus, quatenus pro divina & Apostolicæ Sedis reverentia prædictos Ordines* (FF. Minorum & Prædicatorum) *& Professores eorum habentes affectu benevolo commendatos, Fratribus ipsis, non se difficiles, duros aut asperos, sed potius favorabiles, propitios ac benignos, piâq; munificentiâ liberales se studeant exhibere, sic eos in prædicationis officio & propositionis Verbi Dei, ac in omnibus aliis prædictis, tamquam cooperatores eorum idoneos, & laborum suorum participes, promptâ benignitate recipiant.*

Si ergo sunt coadjutores, officium coadjutorum debent exercere; quod petit, ut, saltem deficientibus Curatis propriis, ipsi ùt coadjutores, eorum suppleant defectum.

30. Confirmatur hæc sententia Primo.

Confirmatur I. quia ob multitudinem infectorum Sacerdos sæcularis non Curatus tenetur: ergo multò magis Regularis, qui ex Instituto ad subveniendum animabus obligatur.

Secundò.

Confirmatur II. tempore hæresis tenentur sub peccato mortali Religiosi, qui ex Instituto habent prædicare & studere, etiam cum periculo mortis, quando quis ab infidelibus seducitur, non discedere ab eo loco, sed debent manere, docere & prædicare, ut populus à seductione liberetur: ergo etiam ad Confessiones audiendas tempore pestis in casu, quo Curati non sufficiant.

Tertiò.

Confirmatur III. discessus Religiosorum tempore pestis, nequit esse sinè maximo scandalo universæ civitatis, cùm in ea reditus, proventus & eleëmosynas acceperint; & quàmvis ratio scandali, ab extrinseco, & per accidens rationem culpæ inducat, non effugit sæpè labem peccati mortalis. Præsertim in casu nostro, cùm sit publicus & gravis necessitatis. Hanc opinionem his & aliis defendit Rutilius Benzonius de Fuga lib. 1. disp. 1. q. 1. à pag. 12. Episcopus Lauretanus. Qui doctissimum his temporibus edidit Commentarium, in quo hæc & alia scitu digna doctè relolvit. Ita Rodrig. suprà.

Rutil. Benzonius.

31. Responsio Rodriguez ad objecta Adversariorum.

Ubi etiam facilè respondet ad objecta Adversariorum; videlicet hoc opus non esse supererogationis, & de consilio tantùm; sed debitum ex professione talis Regulæ seu instituti. Et quàmvis primariò competat Episcopis & Parochis, equidem secundariò, & minùs principaliter pertinere etiam ad statum illarum Religionum, quæ ad salutem animarum institutæ sunt, & hoc in casu, quo Curati primò obligati, supplere non possint. Quemadmodum quàmvis prædicatio Verbi Dei sit proprium opus Episcoporum, ùt dicitur in Concil. Trid. sess. 5. de Reform. c. 2. & sess. 24. c. 4. non tamen repugnat etiam ex proprio Instituto, ex commissione tamen vel delegatione Sedis Apostolicæ, vel Episcoporum, Religiosis convenire.

Trident.

32. Conclusio Rodrigue.

Ex quibus omnibus rursum concludit idem Auctor, quòd, quando hujusmodi contagium universale seu generale in civitate timetur; & quando vel ex facti evidentia, vel ex Episcopi monitu illis significatur, proprios & ordinarios Curatos non posse competenter satisfacere indigentiis spiritualibus proximorum, hujusmodi Religiosos, non ex debito charitatis & de congruo; sed debito eorum Instituti, teneri permanere, & non fugere. Præpositoque præcipienti, ut infectis, existentibus in gravi necessitate spirituali, Sacramentum Confessionis ministrent, teneri obedire.

Interim, ùt ibidem a. 5. notat Rodrig. in hoc practicando, Superiori vel Prælato prudentiâ opus erit, ne singulis indifferenter hujusmodi obedientiam imponat, ne vel valde infirmos, vel egregiæ conditionis viros, qui aliàs Regularis Reipubl. perutiles vel necessarii sunt, sinè delectu ad hoc munus exponat: non enim rectè faceret Provincialis, si per obedientiam præciperet Guardiano, ut cum

periculo vitæ suæ inviseret infirmum pestilentiâ infectum, stantibus aliis, qui hoc munus possent rectè facere; nam vita corporalis Prælati multò pretiosior est & majus bonum, quàm vita subditi particularis. Hæc ille. Quæ videntur esse opposita postremæ parti nostræ Conclusionis.

33. An hæc doctrina sit opposita ultimæ parti nostræ Concluſ.

Sed reverà non sunt. Quod sic declaro; Conclusio nostra loquitur de obligatione, secluso omni positivo præcepto extrinsecùs superaddito Episcopi, aut alterius Superioris; quæ autem hactenus dicta sunt ex Rodrig. requirunt, ut patet, positivum præceptum Episcopi aut Prælati Regularis. Cùm enim non sit major ratio, quare hic potiùs debeat inservire, quàm ille, nisi accesserit determinatio per præceptum Superioris, manet sola obligatio charitatis.

Sicuti etsi milites ex officio suo teneantur servare vigilias & similia facere, etiam cum periculo vitæ suæ; tamen nisi accedat præceptum Superioris seu Ducis, cùm non sit ratio, quare potiùs hic debeat subire illud periculum, quàm ille, si nemo v.g. vigilaret, & indè damnum exercitui obveniret, nemo obligaretur ad restitutionem, quia nemo peccavit contra justitiam, sed omnes solùm peccaverunt contra charitatem, seu justitiam legalem.

34. Quomodo intelligenda nostra Concluſ.

Deinde Conclusio nostra intelligenda est, quando alii adsunt, qui ex officio suo primo loco obligantur, & sufficiunt audiendis Confessionibus sive in gravi, sive in extrema necessitate; porrò doctrina Rodrig. ùt clarum est, intelligenda venit de obligatione, quam habent Religiosi, deficientibus aliis, qui ex officio suo primo loco obligantur.

35. An Religiosi peccent contra suam professionem, si nolint inservire pestiferis.

Sed numquid peccant Religiosi contra suam professionem, si nolint in defectum Pastorum inservire pestiferis? Non puto, nisi in quantum peccant contra obedientiam, quam promiserunt servare in his, quæ non sunt supra Regulam, sed secundùm eam, sicut est illud servitium in gravi necessitate communi, quando Pastores deficiunt. Et existimo id solùm voluisse Rodriguez, adeòque optimè nobiscum convenire in præsenti Conclusione.

Progrediamur itaque ad alia, & videamus, quomodo Confessarius se debeat gerere in ipsa Confessione. Atque in primis; an debeat interrogare pœnitentem, quando advertit eum omittere aliqua peccata.

CONCLVSIO III.

Rogandus est pœnitens, quando aliqua peccata prætermittit, etiam inculpabiliter. Si rogatus neget, nisi evidenter constet de contrario, debet absolvi.

EX duplici causa fieri potest, ut pœnitens aliqua peccata prætermittat, nempe vel defectu debiti examinis, vel quia post diligens examen non occurrunt memoriæ.

Cùm autem Trident. nihil aliud requirat, *quàm ut, postquam quisque diligentiùs sese excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras explorâverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit* sess. 14. cap. 5. tali casu pœnitentem non esse interrogandum; docet Ioannes Medina Cod. de Confess. q. de Confess. iteranda; quia ille pœnitens jam est integrè confessus formaliter, quàmvis non materialiter, & est dispositus ut tam Sacramentum, quàm effectum Sacramenti, & omnium peccatorum etiam oblitorum remissionem consequatur: ergo non est cur Confessor obligetur ampliùs inquirere.

Adjungit verò limitationem; nisi tacere tale peccatum cedat in grave detrimentum alterius tertiæ personæ, cui potest ipse minister, mediâ Confessione remedium adhibere.

Sed (ùt bene notat Suarez Disp. 32. Sect. 3. n. 6.) hæc obligatio extrinseca est; non enim provenit ex ministerio Sacramenti ùt sic, sed ex lege charitatis: quâcumque enim aliâ viâ posset talis Sacerdos illud malum proximi impedire, teneretur ex charitate id facere per se loquendo. Hic autem agimus de obligatione per se vi muneris Confessoris.

Et n. 7. improbat sententiam Medinæ, quantùm ad principalem controversiam, id est, obligationem per se annexam muneri Confessoris, & probat Conclusionem nostram, (quam ipse ibi docet, cum Aliis, quos citat) in primis ex praxi sivè practicè; quia alias ferè numquam tenerentur Confessores interrogare homines rudes & indoctos, qui quantamcumque diligentiam præmittant, numquam possunt per se integrè confiteri, explicando circumstantias, species, & numerum peccatorum; unde si non juventur, etiam excusabuntur, quàmvis multa omittant: atque adeò formaliter confitebuntur integrè: ergo si hoc satis est, ut Confessor excuserur ab

ab obligatione interrogandi, numquam ferè ad hoc tenebitur. Consequens est contra praxim Ecclesiæ, & contra intentionem c. *Omnis utriusque sexûs*, & contra rationem judicii, & curationis seu obligationis Iudicis & medici. Ita Suarius.

38. Probatur opposita sententia, ex eodem Auctore.

Ratio verò fundamentalis est (prosequitur idem Auctor) quia Confessor non solùm tenetur ex officio cavere peccatum pœnitentis in mutilatione Confessionis, sed etiam per se tenetur curare ut judicium ipsum integrè fiat: tum quia formaliter, ac per se hoc pertinet ad officium Iudicis, cujus personam ibi Confessor gerit: debet enim Iudex causam perfectè examinare, antequam sententiam ferat, & consequenter tenetur etiam inquirere quantum necesse est, juxta naturam judicii, ut causa sufficienter in illo foro explicetur; tum etiam, quia non solius peccatoris, sed etiam Dei, suo modo, res agitur in tali judicio; & ideo tenetur Iudex etiam partes Dei agere, & omnem Dei offensionem ad tale judicium afferre, priusquam reus absolvatur.

Explicatur dictum Soto.

Unde quod Soto distinct. 18. q. 2. a. 4. vers. fin. dixit; officium per se Confessoris non esse interrogare pœnitentem, sed ipsum audire, sano modo intelligendum est: est enim id verum per se, id est, nullo supposito defectu vel impotentiâ ex parte pœnitentis sibi relicti; quia ipse debet suâ sponte omnia dicere & prævenire, ut sic dicam, interrogationes Confessoris. Tamen, supposità imperfectione pœnitentis, ad officium Confessoris per se spectat juvare illum, & consequenter etiam interrogare, si necesse sit, ut Confessio integrè fiat. Hactenus præfatus Auctor. Quem sequitur Lugo Disp. 22. n. 18. & Alii Recentiores.

Lugo.

39. Valquez probabiliorem judicat sententiam Suarii.

Vasquez autem q. 93. a. 3. dub. 7. n. 2. Certè, inquit, non video ex hac ratione convinci posse Medinæ sententiam; verumtamen probabilior hæc (sententia Suarii) videtur, cùm facilè sit Sacerdoti instruere pœnitentem illius peccati, maximè quòd cùm evidenter constet Sacerdoti, omisisse aliquod peccatum, quod manifestum erat, suspicari potuit, non exactam feciſſe, aut adhibuisse diligentiam in examine.

Addit n. 3 Cùm videt moraliter sufficientem adhibuisse diligentiam pœnitentem, quod conjici poterit ex statu personæ, ex tempore post ultimam Confessionem, ex modo confitendi, non esse necessarium interrogare, etiamsi probabiliter credat Confessarius, forsan novum aliquod peccatum investigaturum in pœnitente; quia pœnitentis est confiteri, & ad hoc, examen adhibere debitum; Confessarii verò non est examinare pœnitentem absolutè, nisi propter defectum illius pœnitentis, quem ipse, si absolvere velit, supplere tenetur.

Deinde notat n. 4. hoc esse intelligendum, quando pœnitens bene novit, quæ necessaria sunt ad substantiam Confessionis; si verò, inquit, aliquis aut rusticus, aut aliàs ignorans omittat in Confessione, quæ necessaria sunt, ùt circumstantiam aliquam specificam vel numerum, tenetur advertere Confessarius, & supplere hunc defectum; quia quàmvis ignorantia excusaret pœnitentem, ne peccet; tamen non excusat ita, ut illa sit sufficiens materia Sacramenti, & ita incumbit Sacerdoti examinare; quod pœnitens indistinctè confitetur.

40. Contra Valquesium arguunt Lugo & Dicastillo.

Sed contra hoc ultimum insurgit Lugo suprà, dicens: Hic etiam diligenter se examinavit; quòd autem peccata taceantur propter oblivionem, vel propter ignorantiam, parùm refert; cùm in jure oblivio & ignorantia inculpabiles semper æquiparentur, & cum illa ignorantia potuit stare diligens examen juxtà capacitatem suam.

Eamdem rationem Vasquez, impugnat Dicastillo Disput. 10. n. 495. Falsum, inquit, est, tunc illam non esse materiam sufficientem Sacramenti. Nam si Confessor dissimularet omnino, quantumvis peccaret, non esset iritum Sacramentum, eo ipso, quòd ex parte pœnitentis non esset peccatum in ea omissione explicationis; dummodo in dolore non esset defectus; esset enim tunc Confessio formaliter integra, ùt patet. Quapropter obligatio Sacerdotis ex officio Iudicis, quod exercet, & Medici deducenda est.

41. Sacerdos tamquam Iudex causam, & tamquam Medicus tenetur morbum investigare. cap 12. de Pœnit. & Remiss.

Itaque quando Sacerdos advertit, & quasi evidenter ei constat, pœnitentem non satis causam aut morbum declarasse, si aliud non obstet, id est, si commodè possit, tenetur tamquam Iudex causam, & tamquam Medicus morbum investigare; argum. cap. *Omnis utriusque sexûs* 12. de Pœnit. & Remiss. ibi: *Sacerdos autem sit discretus & cautus, ut more periti Medici superfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati: quibus* (aliàs, *ex quibus*, seu, *per quas*) *prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendo ad salvandum* (aliàs, *sanandum*) *ægrotum*. Ergo potest, imo debet interrogare pœnitentem de circumstantiis peccatorum.

42. Objectio.

Fateor, inquis; sed ubi dicitur, quòd possit & debeat interrogare de peccatis, quorum pœnitens nullam fecit omnino mentionem?

Solvitur.

Respondeo; ubi comparat Sacerdotem perito Medico, qui interrogat non tantùm circumstantias morbi, quem ægrotus explicavit; sed etiam inquirit alios morbos, quorum ægrotus non meminit, quando videt ægrotum ex ignorantia eos non aperire. Et verò sicut illa interrogatio Medici non debet esse molesta infirmo, quia ordinatur ad ejus sanationem,

quæ aliàs fortè impediretur; pari utique ratione illa interrogatio Confessarii non debet esse molesta pœnitenti; immo grata magis, quàm si taceret; quia si postea recordetur illius peccati, cujus jam inculpabiliter oblivisci-tur, tenetur illud confiteri; quod indubiè magis molestum ei erit, quàm si nunc simul cum aliis confiteatur, præsertim Sacerdoti, qui aliunde habet notitiam illius peccati.

Interrogatio Confessarii non debet esse molesta pœnitenti.

Nec solùm medicus est Sacerdos, sed etiam Iudex; judicium autem prudens semper videtur requirere plenam informationem & examen testium, circa ea, quæ pertinent ad sententiam proferendam.

Prudens judicium requirit plenam informationem,

43. Objectio. Prorsùs, reponis; sed de iis tantùm, quæ quis tenetur testari secundùm dispositionem juris; jam autem pœnitens solùm tenetur dicere ea, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt; nullibi porrò Concil. Trident. illud examen committit Confessario, quando pœnitens hoc ab illo non requirit, & ipse per se capax est.

Nec obstat; quòd de facto ordinariè pœnitentes interrogentur à Confessariis, hoc enim solùm verum est in hominibus rudibus, vel quando Confessarius ex dictis colligit, pœnitentem aliquod peccatum tacere ex verecundia, vel ignorantia, aut ruditate.

44. Solvitur. Respondeo; sicut Concilium non committit ipsi examen, quando pœnitens per se capax est, ita nec nos committimus, nisi manifestè constet aliquod peccatum prætermittere.

Attiaga. Pro quo nota ex Attiaga Disp. 43. n. 10. non posse in hoc puncto regulam universalem tradi; nam si Confessio est hebdomadaria aut brevis temporis, non videtur id necessarium; supponitur enim tunc pœnitens curam majorem habere suæ conscientiæ, & facilè recordari, quæ intrà illud breve tempus admisit: si verò sit temporis longioris, tunc attendenda est qualitas personæ; docti enim & prudentes supponuntur se meliùs examinasse, ideoque non erit necessarium eos ulteriùs interrogare: si verò sint rudiores, quia hi & minùs solent esse attenti, & examen non ita sciunt facere, possunt uno verbo circa finem interrogari, an fortasse putent aliquid se oblitos, an velint ut brevissimè examinentur in his materiis, in quibus nihil dixerunt; tunc autem prudenter valde sunt interrogandi, & non nisi de his peccatis; quæ possunt in tales personas cadere; ac denique ita, ut eis non causetur pudor & horror circa Confessionem, nec excitetur species de peccatis, de quibus fortè nihil cogitaverant.

Quid faciendum cum rusticis & planè rudibus. In rusticis denique & planè rudibus, estò se non examinaverint priùs, non debent propterea remitti ad examen, quia illi adhuc, quando homo ipsis in memoriam revocat ipsam materiam, & quærit, an hoc illove modo peccaverint, vix se possunt reflectere, quid ergo per se illi facient? Certè inter innumeros, quos audivi, rarissimos potui invenire, qui etiam postquam dixerunt se jam examinasse & præparasse, potuerint unum vel alterum peccatum dicere, & non fuerit mihi semper necessarium breviter discurrendo per præcepta eos examinare; & verò etiam sæpè egi Deo gratias, dum post repetitas interrogationes tales, unam aliquam materiam Absolutionis deprehendi. Hæc ille.

Si ergo à me quæritur, qualem diligentiam debeat adhibere Confessarius in examinando pœnitentem? Respondeo paucis; non majorem, quàm ipse pœnitens in se examinando, immo non tam magnam; cùm pœnitens magis debeat procurare integritatem Sacramenti, quàm Confessarius; hic enim solùm in defectum illius. Pœnitens porrò non tenetur ad exactissimum examen suorum peccatorum, ut alibi adhuc diximus, sed ad humanum, hoc est, tale, quo Sacramentum istud non reddatur nimis grave & onerosum.

Non ergo rectè sequitur; per talem interrogationem magis potero scire numerum vel speciem: ergo adhibenda est; sicuti hæc Consequentia non valet: Si pœnitens adhuc unâ horâ examinaret seipsum, inveniret nova aliqua peccata; ergo tenetur se adhuc unâ horâ examinare. Prudentia itaque necessaria est in hoc negotio, ne vel nimis multa, vel nimis pauca interrogentur à Confessario. Veluti alio loco diximus, eamdem prudentiam necessariam esse in pœnitente, ne se in conscientiæ examine nimiùm vexet, vel se nimis leviter expediat.

Ex his deducitur; pauciores & crassiores interrogationes debere fieri homini inculto & barbaro, recenter ad fidem converso, quàm alicui, qui semper catholicè vixit; leviùs examinandum rusticum, qui non solet habere nisi communia peccata, quàm hominem civilem, qui sæpe habet subtiliores & magis intricatos casus; minùs exactè interrogandum esse ægrotum, qui pro debilitate capitis non potest ad subtiliora attendere, quàm hominem sanum & robustum: denique qui plura habet peccata, si exactissimè circa singula in particulari deberet examinari, esset opus molestissimum & quasi moraliter impossibile, secùs qui pauciora habet peccata; & sic discurre de cæteris qualitatibus pœnitentium, & prout prudentia dictaverit, magis vel minùs eos examina, ubi examen necessarium est, juxta superiùs dicta; & maximè serva temperantiam in rebus turpibus & obscœnis, ut omnes Doctores monent; tum ne fortè ex ejusmodi interrogationibus pœnitens mala discat, quæ bene ignorabat; tum etiam, ne refricatâ memoriâ periculum generet novum, aut ipsemet Confessarius, descendendo nimis ad particularia,

cularia, sibi scandalum præparet & ruinam.

Abstinendum à curiosis & inutilibus interrogationibus ex Rit. Rom.

Appositè Rit. Rom. Tit. de Sacram Pœnit. §. Ordo ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ: *Si Pœnitens*, inquit, *numerum & species, & circumstantias peccatorum, explicatu necessarias, non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget. Sed caveat, ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat; præsertim iuniores utriusque sexûs vel alios, de eo quod ignorant imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, indeq; peccare discant.*

47. Quando interrogari debet pœnitens an ad singula peccata, an verò in fine Confessionis? Vasquez.

Quæruntur hìc Aliqui, quid meliùs sit, Confessarium interrumpere pœnitentem interrogationibus ad singula peccata, an verò omnia differre in finem, ne turbetur pœnitens. Quàmvis Aliqui (inquit Vásquez suprà) in praxi existiment meliùs esse perfectâ Confessione à pœnitente Confessarium singula, quæ indistinctè ille dixit, examinare; salubriùs tamen & faciliùs existimo, statim examinare singula, ne iterum cogatur Confessarius Confessionem à principio repetere, & forsan obliviscatur alicujus, quod pœnitens confusè & indistinctè confessus fuerat.

Lugo. Arriaga.

Idem sentit Lugo Disp. 22. n. 15. quem sequitur Arriaga suprà n. 9. dicens se illâ praxi semper usum fuisse, & bene sibi successisse. Et addit aliam rationem; quia, inquit; fortasse molestiùs erit pœnitenti, & majorem ei adferet pudorem, in fine postquam dixerat turpia peccata, iterum ea illi revocare in memoriam, & primò tunc de numero aut circumstantiis neglectis interrogari; quàm si dum ea actu dicit, suaviter de illis interrogetur, *Quoties? Cum libera, an cum uxorata?* &c.

48. Habet etiam ea doctrina, non differendi monitionem, locum in obligatione restituendi, si occurrat: nam Confessarius, maximè dum accursus est multus, non potest ita sibi esse præsens & memor omnium præcedentium, ut recordetur se in illo notasse eam obligationem; faciliùs ergo potest monere statim, dum illud peccatum audit. In quo tamen nolumus nimis universalem & quasi intallibilem in ullam partem regulam assignare; quia prudentia sæpè dictare potest, non esse periculum oblivionis, & opportuniorem fore in fine occasionem. Debet ergo tunc prudentiæ Confessarii res tota committi. Hæc ille.

Quomodò intelligendum Rit. Rom.

Nec aliud puto voluit Rit. Rom. suprà ubi sic ait: *Tùm pœnitens Confessionem generalem latinâ vel vulgari linguâ dicat; scilicet*, Confiteor &c. *vel saltem mutatur his verbis:* Confiteor Deo omnipotenti: & tibi Pater: *Peccata sua exinde confiteatur, adjuvante, quotiescumque opus fuerit, Sacerdote: qui confitentem non reprehendet nisi timâ, ut dicetur, Confessione, neque interpellabit, nisi opus fuerit aliquid meliùs intelligere. Proinde fiduciam ei præbeat, & humanter suggerat, ut omnia peccata sua rite & integrè confiteatur, remotâ illâ quorundam verecundiâ, quâ præpediti subdolo diabolo, peccata confiteri non audent.*

49. An aliquæ interrogationes sint præmittendæ Confessioni.

Quantùm ad interrogationes, quas Aliqui putant præmittendas Confessioni; v. g. an fecerit diligens examen ab ultima Confessione; an impleverit pœnitentiam sibi impositam; an afferat dolorem & propositum requisitum; an debeat restitutionem pecuniæ, honoris vel famæ; an habeat casus reservatos; an excommunicationem aliquam, & qualem; has, inquam, & similes interrogationes, Alii communiùs rejiciunt; non quasi per eas pœnitens obligaretur ad peccata sua dicenda extra Confessionem, quoniam certum est, illa omnia cadere sub sigillo, ut patet ex dictis præced. Sect. sed quia ut plurimùm inutiles; quoniam ex ipsa Confessione cognosci illa possunt, & aliunde sæpè erit utile Confessionem audire, licèt postea non sequatur Absolutio defectu doloris aut propositi: quippe ipsâ Confessione sæpè emollitur cor pœnitentis, & concipit dolorem ac propositum, quo carebat, præsertim superatâ jam illâ difficultate & labore Confessionis; argum. cap. *Quod quidam* 5. de Pœnit. & Remiss. ibi: *Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd eorum Confessionem recipere debes, & eis de criminibus consilium exhibere; quia licèt non sit vera hujusmodi pœnitentia, admittenda est tamen eorum Confessio, & crebris & salubribus monitis pœnitentia inducenda.*

Quid interrogandum peractâ Confessione.

Igitur peractâ Confessione, si dubitatur de dolore aut proposito, interroget Confessarius pœnitentem, an ex animo detestetur peccatum, & proponat de cætero non peccare, per consequens, an sit paratus restituere rem alienam, ubi & quando commodè potuerit, & similiter vitare occasiones peccatorum; si affirmet, tenetur Confessarius ei credere.

50. Non debet Confessor proponere omnes difficultates quæ in vitandis peccatis occurrere possunt.

In quo observant DD. non debere Confessorem proponere pœnitenti omnes difficultates, quæ in vitandis peccatis occurrere possunt; quia constituet illum in manifesto periculo, non solùm non habendi propositum efficax in futurum; sed etiam denuo peccandi. Satis ergo est, ut propositâ in generali fœditate peccati, Dei bonitate, & periculo damnationis &c. pœnitens concipiat generale propositum, numquam iterùm peccandi mortaliter: neque oportet, ut Confessor sibi persuadeat & judicet etiam probabiliter ita esse futurum; sed satis est, ut existimet pœnitentem nunc habere tale propositum, quàmvis post breve tempus illud sit mutaturus. Ita (inquit Suarez suprà Sect. 2. n. 2.) docent omnes Auctores.

Et ratio est clara ex iis, quæ dicta sunt suprà in materia de Contritione, ad quam remitto Lectorem. Solùm addo quod lego in Rit Rom loco suprà allegato: *Demum, auditâ Confessione perpendens peccatorum, quæ ille admisit, magnitudinem ac multitudinem, pro eorum*

gravitate, ac pœnitentis conditione, opportunas correptiones ac admonitiones, prout opus esse viderit, paternâ charitate adhibebit, & ad dolorem & Contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet, remediaq; peccatorum tradet.

51. Objectio. Sed dicet aliquis; aliquando fit pœnitentem priùs confiteri omnia peccata sua, & postea non posse absolvi, ratione alicujus casûs reservati: ergo meliùs est, ut priùs interrogetur de casibus reservatis.

Solvitur ex Suario. Respondet Suarez suprà Sect. 3. n. 2. hæc cura magis ad pœnitentem spectat, quàm ad Confessorem; ipse enim scire debet, an casum aliquem reservatum afferat, ideoque si illum habeat, interroget Confessorem, quam jurisdictionem habeat in casus reservatos: nam si ille non interrogat, Confessor potest præsumere necessariam non esse. Quòd si fortasse pœnitens ignoret, qui sint casus reservati, sive Confessor dicat se habere potestatem in illos, sive neget, nihil proderit pœnitenti; imò licèt ipsum interroget, an casum aliquem reservatum afferat, non poterit respondere, donec ex discursu Confessionis Sacerdos id possit discernere. Inconveniens ergo illud accidentarium est; quod ex aliis etiam causis oriri potest ob indiscretionem vel ignorantiam pœnitentis, quam non potest semper Confessor prævenire. Hæc ille.

52. Replica. Sed contrà facit; quòd pœnitens, audiens eum non habere potestatem in reservata, poterit accedere alium, qui eam habet, ne fortè si habeat casus reservatos, quos ignorat, iteratò debeat eos alteri confiteri.

Praxis contrariatur Rit. Rom. Interim praxis est in contrarium, etiam quoad illas interrogationes, quas præscribit Rit. Rom. suprà hisce verbis: *Pœnitens si opus fuerit, admoneatur, ut quâ decet humilitate mentis & habitûs accedat, flexis genibus signo crucis se muniat. Mox Confessarius inquirat de illius statu (nisi aliter notus fuerit) & quampridem sit confessus, & an impositam pœnitentiam adimpleverit, num ritè atque integrè aliàs confessus fuerit, num conscientiam suam ut debet, priùs diligenter discusserit.*

An debeat interrogari tempus elapsum ab ultima Confessione. Lugo. Illud, inquit Lugo suprà n. 14. judico utilissimum, quòd pœnitens ignotus, communiter interrogetur initio de tempore, elapso ab ultima Confessione: nam id multùm juvat ad numerum peccatorum postea meliùs percipiendum.

53. An si pœnitens interrogatus, neget se peccatum commisisse debeat absolvi. Respondeo; satis tempestivè hoc interrogabitur, quando erit necessarium ad numerum percipiendum. Meliùs ergo totum relinquitur discretioni & prudentiæ Confessarii, omnibus considerandis maturè consideratis.

Restat una difficultas: quid si pœnitens interrogatus, neget se peccatum commisisse, numquid absolvendus? Respondet secunda pars Conclusionis: *Nisi evidenter constet de contrario, debet absolvi.*

Ratio est; quia tunc Confessio est formaliter integra, cur ergo non debeat absolvi? Maximè cùm in hoc Sacramento creditur reo pro se, & contra se loquenti. Sin autem manifestè constet, ipsum mentiri formaliter contra integritatem Confessionis; constat etiam manifestè; nec debere, nec posse absolvi, quia Confessio non est formaliter integra, adeòque non est legitimè dispositus. Et ideo quandocumque Sacerdos probabiliter cognoscit, pœnitentem culpabiliter omittere aliquod peccatum, debet eum de super interrogare; quia, ut antè dictum est, debet probabiliter saltem judicare, ipsum esse legitimè dispositum, ad suscipiendum Sacramentum, & effectum Sacramenti, alioquin peccat contra reverentiam Sacramenti.

Cæterùm, ut constet manifestè Confessario, ipsum formaliter mentiri, negando delictum à se commissum; non sufficit quòd manifestè constet ipsum peccasse; sed insuper constare debet, ipsum alteri istud peccatum non fuisse confessum: nec hoc sufficit, sed præterea requiritur, ut sciat eum non habere justam causam, hìc & nunc retinendi illud peccatum. Quippe si vel antè confessus fuit, vel nunc habet justam causam non confitendi, liquet profectò, quòd non mentiatur formaliter, neque materialiter; cur ergo non debeat absolvi?

Interim putat Arriaga suprà n. 12. vix posse intercedere causam justam: etenim causæ justæ reticendi aliquod peccatum in Confessione, nullæ aliæ penitus intervenire possunt, quàm quòd timeatur aliquod grave malum, si Confessarius illud peccatum resciat. At totum hoc periculum jam ibi non habet locum, cùm supponatur jam Confessarius aliunde illud peccatum scire, & quidem notitiâ, quâ potest uti sinè sigilli Confessionis violatione: si ergo Confessarius illi tunc dicat, se jam certò scire illud peccatum, est planè inexplicabile, quales possint tunc esse justæ causæ, ob quas non teneatur pœnitens dicere in Confessione peccatum illud.

Respondeo; justa causa erit, si sciat quòd Confessarius postmodum suum peccatum revelabit tamquam dictum in Confessione, ut addat majorem certitudinem. Justa causa esse poterit, si sciat quòd Confessarius, audità Confessione illius peccati, solicitabit ipsum ad turpia, quod non audet facere quamdiu negat peccatum. Sed hæc rara sunt.

Sæpiùs autem contingit, ut pœnitens neget aliquod peccatum, quod tamen revera fecit, & quod fecisse Confessarius novit ex Confessione complicis; v. g. sponsus & sponsa confitentur eidem, sponsus fatetur se inhonestè sponsam attrectasse, immo carnaliter cognovisse; ipsa autem nihil simile confitetur. Quid faciet Confessarius? Examinabit eam de super? Est periculum violationis sigilli. Absolvet? Est

Est periculum, imo ponamus, certitudo moralis invalidæ Absolutionis.

Responsio. Respondeo; consultum est in hoc & similibus casibus, qui non rarò accidunt, Confessarium regulariter statuere apud se, interrogare utrumque de simili materia, independenter à Confessione alterius, & tunc illa interrogatio fieri potest absque periculo violationis sigilli, ùt patet; quàmvis adhuc res perplexa; eò quòd facilè suspicabitur, id procedere ex Confessione sponsi; proinde suspicabitur fractionem sigilli cum aversione à Confessione, estò à parte rei non sit fractio sigilli.

Sed cùm sit falsa suspicio, parùm curanda, quando per talem interrogationem speratur Confessio peccati elicienda. Alioquin etiam, dum extra Confessionem sciret peccatum verè commissum, non posset interrogare. Verumtamen cautissimè procedendum, ut nihil minùs cogitet pœnitens, quàm quòd interrogatio illa proveniat ex alterius Confessione.

56. Quid si ni. hilominus peccatum negat? Sed quid si neget peccatum? Respondeo; absolvi debet, si aliunde non constet, quàm ex Confessione sponsi; cùm non magis huic, quàm illi debeat Confessarius adhibere fidem. Atque ut major fides deberetur affirmanti, maximè si alioquin sit bonæ vitæ, quàm neganti, quod sæpiùs natum est contingere ob pudorem; attamen cùm aliunde fieri possit, ut sponsa alteri fuerit peccatum istud confessa, aut alias habeat justas causas; negandi se illud admisisse; tutius erit dare Absolutionem, quàm negare: immo dari debet, saltem quando negatio foret revelatio sigilli, id est, quando pœnitens suspicaretur, quod à parte rei est; scilicet, illam negationem procedere ex sola Confessione sponsi.

Quomodo Confessor debeat tollere ignorantiam pœnitentis. Sequitur alia quæstio non minùs intricata; & magis molesta: quid faciendum Confessario, qui ex Confessione alterius vel utriusque conjugum colligit, imò evidenter cognoscit, matrimonium eorum esse invalidum, quod ipsi tamen putant validum. Sive generaliter quando & quomodo Confessarius teneatur ignorantiam pœnitentis tollere. Opus profectò maximâ indigens prudentiâ, ùt ex his, quæ jam edissero, luculentiùs apparebit.

CONCLUSIO IV.

Ignorantiam vincibilem semper, invincibilem tunc tenetur Confessarius auferre, quando ex scientia non sequitur majus incommodum.

57. Confessa. DE prima parte non est relictus dubitandi locus, sic intelligendo eam, ut Confessarius non possit absolvere pœnitentem, quem novit peccare mortaliter ex ignorantia culpabili, v. g. fornicari, nisi tollat illam ignorantiam; & sublatâ ignorantiâ pœnitens doleat de peccato commisso, & proponat seriam emendationem. Res per se clara est; nam talis quamdiu manet in tali ignorantia, est indispositus, defectu debiti doloris, ad accipiendum saltem effectum Absolutionis: ergo Confessarius vel debet tollere illam ignorantiam, vel non potest eum absolvere, nisi ad summum exteriùs, quando aliunde adesset causa sufficiens simulandi Sacramentum, quod rarissimè, si umquam, accidit; adeòque illius casûs metaphysici non debet haberi ratio in communi doctrina, seu in generalibus Conclusionibus. Confessarius non potest absolvere pœnitentem, qui peccat mortaliter ex ignorantia culpabili, ei permanente.

Nec obstat; quòd sublatâ ignorantiâ vincibili, fortè graviùs peccabit; quia equidem nunc graviter peccat, ùt supponitur; & aliunde illud augmentum, quod accedet ex perfecta cognitione malitiæ, non est tantùm, ut possit esse causa sufficiens ministrandi Sacramentum indispositio, aut simulandi Sacramentum: non sunt autem facienda mala, ut eveniant bona. Vel ergo, sicut dixi, est omittenda Absolutio, vel tollenda illa ignorantia, quæ est communis DD. sententia. Occurritur objectioni.

58. Quid si pœnitens ignoret rudimenta Fidei Christianæ? Quid ergo, inquis, agendum Confessario, si advertat pœnitentem ignorare Christianæ fidei rudimenta?

Respondetur; sufficit, ad hoc, ut in præsenti eum absolvat, quòd paucis ei proponat credenda necessitate medii, v. g. Deum unum & trinum, Christum fuisse Deum & hominem, pro nobis mortuum &c. quorum fidem, proponente ea Confessario, pœnitens eliciat, cum dolore de negligentia, & propositio postmodum diligentiùs addiscendi necessaria scitu; etiam tantùm necessitate præcepti. Quàmvis si tempus suppetat, rectè facturus sit Confessarius, eum breviter in potissimis instruendo.

Potest quoque Confessarius supponere quoad bene morigeratos, vel confiteri solitos, eis non deesse scientiam necessariorum scitu; similiter dolorem & propositum requisitum. Si tamen ex aliquo signo adverteret defectum, etiam inculpabilem, absque dubio teneretur eum tollere, cùm impediat valorem Sacramenti, vel non absolvere.

Rit. Romanum. Appositè Rit. Rom. suprà: *Si*, inquit, *Confessarius pro personarum qualitate cognoverit pœnitentem ignorare Christianæ fidei rudimenta; si tempus suppetat, eum breviter instruat de articulis fidei, ac aliis ad salutem cognitu necessariis, & ignorantiam eius corripiat; illumq; admoneat, ut ea postmodum diligentiùs addiscat.*

59. Quantùm ad ignorantiam invincibilem, quæ non impedit effectum Sacramenti; v. g. conjuges ignorant invinciliter invaliditatem sui matri-

matrimonii, & ideo petendo & reddendo debitum, non peccant formaliter, eſtò materialiter fornicentur; & per conſequens validè, immo & licitè, ſtante illâ ignorantiâ, ſuſcipiunt Sacramentum Pœnitentiæ, etſi habeant propoſitum de cætero petendi & reddendi debitum, & per conſequens materialiter fornicandi; quod, inquam, attinet ad hunc caſum, & ſimiles in aliis materiis, quî non rarò poſſunt accidere, maxima difficultas eſt, & magna perplexitas ſolet eſſe Confeſſariorum, neſcientium quid agere debeant cum hujuſmodi pœnitentibus, an tacere & abſolvere, an verò ignorantiam tollere.

Ignorantia quæ in uno vincibilis eſt, in alio poteſt eſſe invincibilis.

Concluſio noſtra eſt communis & certa; ſed indiget aliquâ explicatione. In primis obſervandum eſt, ignorantiam, quæ in uno vincibilis eſt, in alio poſſe eſſe invincibilem, quod perpendere debet Confeſſarius ex qualitate perſonæ, & aliis circumſtantiis: quippe unus plura tenetur ſcire, quàm alius, v. g. plura Epiſcopus, quàm Parochus, plura Parochus, quàm ſimplex Sacerdos, & ſic de cæteris. Deinde uni numquam incidit aliqua cogitatio de invaliditate v. g ſui matrimonii, alius continuè dubitavit. Poteſt etiam contingere, ut quis aliquando fuerit in mala fide, nunc autem in bona fide ſit; quia conſuluit aliquos, qui conſcientiam ſedarunt, cùm docti exiſtimarentur.

60. Una ignorantia poteſt eſſe juris, altera facti.

Similiter contingere poteſt, ut pœnitens optimè noverit ſe peccaſſe, contrahendo clam matrimonium, vel quia peccaverat cum conſanguinea præſentis uxoris; interim invincibiliter ignoret nullitatem præſentis matrimonii, quia numquam vel levis incidit ei ſuſpicio, illud peccatum fore impedimentum dirimens, quæ eſt ignorantia juris. Si autem optimè ſciat impedimentum, neſciat autem invincibiliter, ſe peccaſſe cum conſanguinea præſentis uxoris, erit ignorantia invincibilis facti.

Una juris humani, altera juris divini vel naturalis.

Denique alia poteſt eſſe ignorantia juris humani, alia juris divini, vel naturalis. Ignorantiam juris humani jam ſpecificavimus; juris divini, ſi quis putat, ſe poſſe contrahere cum ſecunda, vivente primâ uxore; juris naturæ, ſi pater exiſtimat ſe poſſe contrahere cum filia. Porrò ignorantia juris, in foro externo communiter cenſetur vincibilis; facti autem invincibilis: quàmvis à parte rei utraque poſſit eſſe invincibilis & vincibilis, ùt patet ex alibi dictis. His ſuppoſitis, incipio à certioribus.

61. Confeſſarius tenetur tollere conſcientiam erroneam, quâ aliquid putatur mortale.

Si pœnitens ex conſcientia erronea credat aliquid eſſe lethale peccatum, quod à parte rei vel nullum eſt, vel ſolùm veniale, nemo dubitat, quin Confeſſarius teneatur illum errorem tollere. Siquidem pœnitens ad Confeſſarium accedit tamquam ad Doctorem & Vicarium Dei, ut ab ipſo inſtruatur; quia vel eſt proprius Paſtor, vel gerit vices proprii Paſtoris in eo munere: ergo infideliter agit, niſi inſtruat tollendo illam ignorantiam, ratione cujus multa peccata lethalia admittit, quæ reverà talia non ſunt.

Sed quid, ſi pœnitens, ex conſcientia erronea invincibili juris vel facti, putet malum bonum, ſicut dictum eſt, putat matrimonium validum, quod eſt invalidum; putat bona propria, quæ poſſidet, & tamen à parte rei ſunt aliena; & ideo putat fornicationem bonam, ſimiliter retentionem rei alienæ?

Reſpondeo: ſi ex ſcientia non timetur majus incommodum, quàm ex ignorantia, ſed eſt probabilis ſpes fore, ut monitio proficiat ſinè gravi ſcandalo & detrimento, tenetur Confeſſarius pœnitentem admonere; v. g. ſi novit Confeſſarius matrimonium eſſe nullum, & poteſt facilè, vel ipſe, vel pœnitens diſpenſationem impetrare, & credit fore, ut adhibeat diligentiam ad impetrandam, nec eſt periculum, ut interim accedat, ad uxorem, ſciens jam non eſſe ſuam. Item ſi novit talem rem pertinere ad Petrum, & poteſt facilè ipſi reſtitui, abſque ſcandalo aut alio incommodo, & credit fore, ut pœnitens reſtituat.

Rationem ſuprà aſſignavimus; quia munus Confeſſarii eſt, pœnitentem inſtruere; ergo cùm ſpes proficiendi adſit, tenetur inſtruere; quàmvis enim ignorantia illa nunc invincibilis ſit, poteſt facilè vincibilis fieri, & tunc natura aſſuefacta hujuſmodi actibus, difficiliùs ab illis poterit abſtinere.

Præterea; eſtò hìc & nunc pœnitens non peccet formaliter, peccat tamen materialiter; jam autem peccatum materiale, quando eſt contra jus naturale, dedecet naturam humanam; immo, ſecundùm Aliquos (quàmvis hoc non approbem) eſt verè peccatum, ſicut ſi fieret abſque ignorantia. Omitto periculum ſcandali, ne ſcilicet alii, qui habent ſcientiam aut ignorantiam vincibilem, talem imitentur, quod etiam locum habet in aliis peccatis, ſolùm oppoſitis juri divino aut humano.

Denique honor Dei obligat, ut peccata materialia contra jus divinum, quando commodè fieri poteſt, tam in nobis, quàm in aliis vitemus; idque quia illa vitatio eſt neceſſaria ad vitam honeſtè inſtituendam. Et verò ſi etiam privatæ perſonæ obligantur, ad compienda & corrigenda hujuſmodi peccata, auſmeliùs, ad inſtruendum alios, auferendo ignorantiam invincibilem, quantò magis Confeſſarii?

Sanè Confeſſarii obligantur, eſtò private perſonæ non obligarentur, ùt docet Franciſcus Dicaſtillo de Virt. Theol. Diſp. 6. de Correct. Frat. q. 3. ubi n. 13. de Confeſſariis ita ſcribit: Sicut paſtor temporalis tenetur paſcere oves ſuas materialiter, à fame, ne pereant, ſic liberando, immo & paſcuis ſalutaribus; ita

Paſtor

Pastor spiritualis tenetur pascere spiritualiter oves suas, eas monendo & docendo, non solùm ea, sinè quibus salvari non possunt; & sunt necessaria necessitate medii; sed etiam quæ tenentur observare, ut consequantur salutem, & dicuntur necessaria necessitate præcepti.

An privatæ personæ per se obligentur? Negat Franc. del Castillo, dicens esse communem sententiam.

Et n. 15. de privatis personis sic ait: Dicendum est 3. quòd privatæ personæ non tenentur admonere invincibiliter ignorantem rem, tantùm necessariam necessitate præcepti. Est communis sententia, & probatur: quia prædicta ignorantia sive sit juris, sive facti, non est miseria considerabilis ratione sui, neque similiter est occasio peccati formalis: ergo ex nullo præcepto, sive misericordiæ, sive aliarum virtutum, tenentur privatæ personæ ad illam sublevandam. Hæc ille.

Loquitur de obligatione per se; nam obligationem per accidens admittit n. 14. Ut, inquit, quando ignorantia invincibilis cedit in grave detrimentum, vel ipsius ignorantis, v. g. si incurrat in gravem notam, vel alterius, ùt si graviter scandalizetur proximus, aut ejus res magni momenti retineatur.

65. Hoc verè dixit hic Auctor: sed quòd per se loquendo non obligetur, nescio quo fundamento dicat esse communem sententiam; cùm nullum citet Auctorem, nec ego in aliis Auctoribus illam sententiam invenire possim.

Respondetur ad 1. rationem del Cast.

Respondeo autem ad primam rationem; ignorantiam illam esse miseriam considerabilem, etiam ratione sui, si non moralem, saltem physicam, cujus oppositum quilibet prudens meritò appetit, cùm absque eo non possit vitam honestè transigere, ùt dictum est.

Responsio ad 2.

Ad secundam rationem patet ex dictis, illam ignorantiam posse esse occasionem peccati formalis. Cur ergo virtus misericordiæ non obliget ad illam auferendam? Eo semper salvo, ut speretur fructus, qui incommodis fortè futuris prævaleat; & quòd sermo sit de ignorantia juris naturæ vel divini.

66. Non tenetur quilibet auferre errorem circa jus humanum.

Illud faciliùs admiserim; non teneri quemlibet privatum corrigere seu instruere eum, qui peccat contra jus humanum ex ignorantia facti; v. g. aliquis ignorans esse diem jejunii comedit carnes sinè alicujus scandalo. Quippe leges humanæ non videntur obligare cùm tanto rigore, ùt omnes teneantur admonere fratrem de ignorantia facti; nam materialis illa violatio juris humani est parvi momenti, cùm non dedeceat naturam humanam, nec sit necessaria ad vitam honestè instituendam.

Excusio scandalo.

Dixi: *Sinè alicujus scandalo*, etenim si factum illud sit causa, cur alius, sciens diem jejunii, comedat carnes, aut si redundet in irreverentiam Dei & Religionis Christianæ, v. g. si præsentibus aliis comedat carnes feriâ 6. vel in die Festo faciat opus servile, aut Sacrum facturus, vadit sinè casula &c. haud dubito, quin sit obligatio monendi seu instruendi. Ita docet Bannez 2. 2. q. 33. a. 2. concluſ. ult. *Bannez.*

67. Objectio. Si dixeris: cùm video proximum ex ignorantia vel oblivione aliquid operari, vel omittere contra legem humanam, nescio an id faciat; vel omittat ex ignorantia vel oblivione inculpabili: ergo tenebor illum admonere ad vitandum periculum peccati mortalis.

Solutio ex Bannez. Respondet Bannez Neg. Conseq. Et ratio, inquit, est; quia ignorantia vel oblivio proximi jam tunc est culpabilis, vel inculpabilis; si quidem fuerit inculpabilis, non peccabit: si autem fuerit culpabilis, non peccabit ampliùs, sive faciat, sive non faciat; quia jam erat paratus facere ex ignorantia, ac propterea admonitio mea non excusat illum à peccato.

68. Replica. Solvitur. Si replices; saltem proderit mea admonitio, ut postea confiteatur suam negligentiam. Respondet præfatus Auctor; quòd ista est nimis scrupulosa consideratio; quoniam ille confitebitur de aliis peccatis, quæ memoratur, & in illa Confessione intelliguntur etiam peccata ignorata vel oblivioni tradita. Hæc ille.

Contrà arguit Auctor. Sed contrà; in illa Confessione non intelliguntur peccata culpabiliter ignorata, ùt hìc supponitur illud peccatum ignorari. Secundò, saltem evitabitur peccatum externum, quod secundùm Aliquos superaddit formalem malitiam actui interno.

69. Consulitur admonitio ex Bannez. Quidquid ergo sit de stricta obligatione, bene ait Bannez ibi: Nihilominus, prædictis non obstantibus, videtur mihi consilium esse, admonere fratrem de hujusmodi ignorantia facti, si certus sum, quòd ille admonitus, facilè adimplebit legem. Nam si timeo, quòd vix aut ægrè legem servabit, prudenter faciam non admonendo; quia fortè plus peccabit adimplendo legem cum pigritia & quadam acedia, quàm esset peccaturus ex oblivione. Hæc omnia indigent prudentiâ & consideratione circumstantiarum loci, temporis & personarum. Hæc ille de correctione fraterna, & instructione ignorantium extra Sacramentum, quæ non est propria huic loco.

Equidem à fortiori colligitur, quid sit agendum in Sacramento, in quo Confessarius, sicut dictum est, obtinet locum Judicis, Medici, immo & Patris seu Pastoris, & ideo majorem habet obligationem, tamquam persona publica corripiendi & instruendi suos pœnitentes de his, quæ sunt necessaria scitu tam necessitate medii, quàm præcepti.

70. An teneatur Confessarius admonere ante Absolutionem ex Sanchez. Notat autem Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 38. n. 5. casu quo Confessarius teneatur monere invincibiliter ignorantem, non teneri ante Absolutionem, sed satis esse post, nisi probabiliter credat ante Absolutionem profuturam monitionem, postea verò minimè. Quòd autem

autem ordinariè expediat differre monitionem post datam Absolutionem, ratio est; ne impediatur effectus Sacramenti, imò ipsum Sacramentum, si fortè, præter spem, monitus nolit ab actione mala cessare; hoc ipso enim incipit illa voluntas esse peccaminosa, adeòque cessat dolor necessarius, tam ad valorem, quàm ad effectum Sacramenti.

71. Quid faciendum si ex admonitione non speretur utilitas.

Cæterùm si à me quæritur, quid faciendum, quando ex admonitione seu instructione nulla speratur utilitas, sed timetur majus malum? Respondeo cum communi sententia Doctorum, pœnitentem non esse admonendum seu instruendum, sed relinquendum in ignorantia invincibili seu bona fide, in qua hactenus fuit, & quæ ipsum excusat à peccato formali, sive sit ignorantia juris naturalis, sive divini, sive humani, juris aut facti, cum damno, vel sinè damno tertii: v. g. si Confessarius instruat conjuges de invaliditate matrimonii, sive ob impedimentum juris naturalis, sive divini, vel humani; provideat, non ideo separandos, nisi cum magno scandalo & maxima difficultate, nec videt spem obtinendæ dispensationis, quia vel absolutè impedimentum est indispensabile, vel rarissimè dispensatur, aut certè non ita breviter, propter distantiam Pontificis, poterit dispensatio obtineri; interea manente continuo periculo incontinentiæ; quis non videat, tali casu melius esse tacere, quàm aliquid dicere? Nam tacendo impediuntur multa peccata formalia, quæ admonitionem, licèt per accidens, propter malitiam pœnitentium, consequuntur.

Quæ ergo utilitas in illa admonitione? Nulla prorsùs. Sed potiùs magna utilitas in silentio; nam Confessio est formaliter integra, adeòque Absolutio valida; proinde obtinetur remissio peccatorum & per consequens salus æterna, si contingat pœnitentes ita mori. Melius ergo Pastor in illis circumstantiis pascit oves suas silendo, quàm loquendo, & ideo magis tenetur silere, quàm loqui, nisi aliquid aliud obstet, de quo latiùs infrà.

72. Non obligat correctio fraterna, quando non speratur emendatio.

Hæc doctrina confirmari potest ex alia doctrina simili, quæ communis est in materia de correctione fraterna, putà, hanc non obligare, quando probabiliùs non speratur emendatio, sed magis deterioratio. Et ratio est; quia in illis circumstantiis correptio ad minùs esset actus otiosus, ùt proinde finis intrinsecus legis non solùm negativè, sed etiam contrariè cesset; quia non solùm non obtinetur emendatio, quæ est finis intrinsecus correctionis fraternæ, sed etiam sequitur ejus oppositum, ùt supponitur, id est, majora peccata: quis ergo dubitet, legem tali casu cessare?

Similis foret corripiens tali casu medico, qui dat ægro invito amaram medicinam, quam scit nullo modo ei profuturam, sed magis nocituram. Sola differentia est, quòd majus nocumentum hìc sequatur naturaliter, ibi autem majora peccata ex libera & mala voluntate ejus, qui corripitur seu corrigitur, quæ differentia parva est, quando non adest alia justa causa illa peccata permittendi.

Unde (inquit Francis. del Castillo suprà q. 4. n. 6.) Augustt. citatus cap. *Si quis* de Pœnit. dist. 7. ait: *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem.*

Ita legit hic Auctor cum Sanchio suprà n. 4. & Navarro in dictum cap. Sed D. Augustinus lib. 50. Homil. Homil. 41. (ex qua desumptum est d. cap.) juxta editionem Parisiensem an. 1555. item Antuerpiensem an. 1576. sic ait: *Si scirem tibi prodesse, non te admonerem* &c. Et eisdem verbis refertur hæc sententia D. Augustt. d. cap. *Si quis*, in Decreto Gratiani ultimæ editionis Parisiensis an. 1612. & Antuerpiensis an. 1648. Hancque esse legitimam lectionem, jamjam declaro.

Loquitur S. Doctor de Pœnitentia, quæ agitur ad ultimum vitæ, & dicit se nescire, an sit profutura ad salutem, & *ideo*, inquit, *tibi do pœnitentiam quia nescio. Nam si scirem tibi nihil prodesse, non tibi darem. Item si scirem tibi prodesse, non te admonerem* (ut faceres pœnitentiam ante ultimum vitæ) *non te terrerem.*

Duæ, inquit, *res sunt, aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi* (qui pœnitentiam differs usque ad finem vitæ) *futurum sit nescio. Ergo tene certum, dimitte incertum.* Ergo ille locus Augustt. parùm facit ad nostrum propositum.

Sed quid dicit Scriptura? *Noli*, inquit, *negare derisorem, ne oderit te.* Proverb. 9. vers. 8. Ecce effectus hujusmodi correptionis, scilicet odium correpti, loco emendationis. Ut autem bene dicit Salustius: *Frustrà uti, & laborantia nihil aliud, quàm odium quærere, extrema demontia est.* Hinc æterna Veritas Matth. 7. v. 6. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.*

Differentia ergo est inter præcepta negativa & affirmativa, quòd illa prohibeant actus malos, qui nullo bono fine possunt bene fieri; hæc autem præcipiant actus bonos, qui ex fine vel circumstantiis possunt vitiari, & ideo aliquando debent omitti. Quàmvis itaque numquam liceat facere mala, ut eveniant bona; subinde tamen licet omittere bona, immo debent omitti, ne veniant mala.

Sed numquid sufficit spes probabilis emendationis seu utilitatis, ut teneat corripere? Respon. si æquè probabile est correptionem obfuturam, quàm profuturam, omittatur; quia ad summum peccans perseverabit in suo peccato, sin autem corripias, fortè malo graviora prioribus adjunget. Sicut ergo medi-

cus im-

cus imprudenter dat amaram medicinam, quando æquale est dubium an oberit, an verò proderit infirmo; ita etiam imprudenter videtur agere, qui corripit proximum cum æquali dubio utilitatis & maioris nocumenti.

D. August. Eleganter D. August. lib. 1. de Civit. Dei cap. 9. *Si propterea quisque obiurgandis & corripiendis malè agentibus parcat, quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant infirmos alios; & premant atque avertant à fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis.* Scilicet parcere corripiendis non corripiendo.

76. Corripiendus est, si non sit periculum quòd deterior fiet. Probat Dict. exh. primò ex D. Aug. Respon. II. Si nullum est periculum ne correptus deterior fiat, quàmvis emendatio sit dubia, audacter corripe. Quod Franciscus del Castillo suprà n. 8 probat ex D August. cap. *Si quis autem* suprà allegato, ubi, inquit, ait: *Ideo do tibi pœnitentiam; quia nescio, an tibi prodero: si enim scirem non prodesse, non te admonerem.* Ubi optimè advertit Lorca, non dixisse: *Quia certò scio profuturum*, sed: *Quia nescio, an prodero*: ergo cum aliquali certitudine emendæ, & majori probabilitate, quòd non nocebit, est debita correctio.

Probat 2. ratione. Et probatur secundò ratione; quia maximum malum est, relinquere proximum in periculo salutis: ergo quando non ita timetur malum futurum, debemus illi subvenire. Quod totum est verum, quando proximus non est in articulo vel periculo mortis; quia si sit in illo, etiamsi æquè timeatur malum futurum, non est omittenda correctio, ne proximus absolutè pereat, & in peccato mortali moriatur. Hæc ille.

Reflexitur probatio ex August. Sed si Lorca ita legit August. sicut del Castillo, malè legit, ùt patet ex suprà dictis. Et D. August. ibi loquitur non tam de utilitate correptionis, quàm de utilitate pœnitentiæ, quam dicit se nescire.

77. Alia probatio ex Aug. Ideo adduco alium locum D. August. ex cap 9. lib. 1. de Civit. ubi post verba, superiùs recitata, extemplò subjungit sequentia: *Illud est culpabile, quòd hi, qui dissimiliter vivunt, & à malorum factis abhorrent, parcunt tamen peccatis alienis, quæ dedocère, & obiurgare deberent, dum eorum offensiones cavent, ne sibi noceant in his rebus, quibus licitè boni atque innocentes utuntur: sed cupidiùs quàm oportebat eos, qui in hoc mundo peregrinantur, & spem supernæ patriæ præ se gerunt.*

Et infrà: *Et quàmvis non in tantum eos metuant, ut ad similia perpetranda, quibuslibet eorum terroribus atque improbitatibus cedant: ea ipsa tamen, quæ cum eis non perpetrant, nolunt plerumque corripere, cùm fortasse possint aliquos corripiendo corrigere: ne si non potuerint, sua salus ac fama in periculum exitiumq; perveniant.*

Non dicit: *Cùm certò possint aliquos corripiendo corrigere*, sed, *Cùm fortasse possint.* Ergo secundùm D. August. sufficit spes dubia correctionis, ut tenear corripere. Exemplo medici corporalis, qui dubius de medicinæ utilitate, tenetur eam adhibere, si certus sit non nociturum. Alioquin numquam ferè esset obligatio corripiendi, cùm ferè numquam sit spes certa emendationis.

78. Non obligat ablatio ignorantiæ invincibilis, quando ex ea timentur gravissima mala. Ast quorsum hæc omnia? Respondeo, ut à fortiori argumentemur ad propositum casum, in quo ex omissione correptionis, seu potiùs instructionis, nullum sequitur peccatum formale; immò quod aliàs esset peccatum formale, jam solùm est peccatum materiale. Si ergo non obliget correptio fraterna, quando ex ea timentur majora mala, quàm sit peccatum formale, quod certò futurum est; quantò minùs obligabit hæc instructio seu ablatio ignorantiæ invincibilis, quando ex ea timentur gravissima mala, estò certò certiùs pœnitens in futurum sit peccaturus materialiter? Noli dubitare.

Probatur à simili. Sicut namque correptio ad correpti utilitatem ordinatur, & ideo spe utilitatis cessante, non obligat; ita hæc instructio ad bonum pœnitentis tendit: ergo cessante hujus boni spe, non tenebitur Confessor admonere: ratio enim mediorum à fine sumitur. Quantò magis, quando timetur malum?

79. c. 42 27 q. 1. ver. us. Enimverò nulli laqueum debemus injicere, argum. cap. *de Viduis* 42. 27. q. 1. ibi: *Nos autem nullum talibus laqueum debemus inicere*, Ubi Gloss. verb. *Laqueum*, inquit; *Si simpliciter voverunt (castitatem) permittendi sunt contrahere, ut minus malum vitetur.*

Item quia tali casu admonere est laqueum injicere. Sed admonere in casu proposito, nihil aliud esset, quàm laqueum injicere: nam constituti in bono statu & bona fide, Confessoris admonitione in malo & periculoso versabuntur; quia deinceps, v. g. uxor, impedimenti conscia, tenebitur potiùs mortem, subire, quàm reddere debitum, & forte vir non credet impedimentum subesse, vel non poterit ipsa detegere, ne famæ detrimentum patiatur, & inde rixæ & scandala oriantur, & Ecclesia non probato impedimento compellet.

80. Quid si Confessarius cognoscat impedimenta matrimonii antequam sit contractum. Quod verum esse credo; inquit Sanchez sup. n. 6. non tantùm, ubi jam contractum est matrimonium, sed etiam ante illud contractum: si enim Confessarius, vel quilibet alius videat pœnitentem ignorantiâ invincibili impedimenti laborantem, & probabiliter credat fore, ut monitis non acquiescat, nec fidem adhibeat, & læsâ conscientiâ matrimonium sit contracturus, & non nisi maximâ difficultate, magnoque scandalo suborto, possit à matrimonii contractu desistere, prudentissimè Confessarius aget, si taceat. Hæc ille.

Navarr.

Et Navarr. in cap. *Si quis autem* de Pœnit. dist. 7. n. 73. sic ait: Nos vidimus dispensationes aliquot in variis materiis, quas, quorum erant illæ, sinè ullo scrupulo de peritorum consilio putabant esse legitimas, quæ tamen profectò non erant; sed quia circa jus erant humanum, & nulli præjudicabant, timuimus veritatem propalare illis, ne, quos ipsorum justa ignorantia excusabat; auctoritate nostrâ crederent, eas non valere, & nihilominùs eis utentes peccarent. Ita Navarr. Ubi, inquit Sanchez suprà, clarè loquitur ante contractum matrimonium, quando virtute dispensationis invalidæ, aliqui contrahere volebant.

81. Probatur ex c. 6 de Consang. posse Confessorem dissimulare.

Probat autem Navarr. suam & nostram doctrinam ex Innoc. III. cap. *Quia circa* 6. de Consanguinitate. Ubì Pontifex consultus de quibusdam, qui subreptitiâ dispensatione matrimonium contraxerant, sic respondet: *Dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contractâ, cùm ex separatione grave videas scandalum imminere.* Cui (inquit Navar.) consequens est, etiam Confessarium posse absolvere confitentem, quem videt ignorantiâ juris humani probabili à peccato excusari, præsertim si suspicaretur, eum veritatem monitum, illam non amplexurum.

Eodem modo intelligit hunc textum Sanchez suprà n. 12. quàmvis Alii aliter explicent, ùt videre est apud eosdem Auctores. Utut sit, ab hoc textu non pendet veritas doctrinæ, & ideo aliis explicationibus supersedeo, alibi latiùs referendis.

82. Eadem hìc est ratio ignorantiæ juris humani & divini ac naturalis.

Tantùm noto, rationes hactenus adductas, si aliquid probant, etiam probare in eisdem circumstantiis, in quibus potest Confessarius dissimulare ignorantiam probabilem juris humani, itidem posse dissimulare ignorantiam probabilem juris naturalis & divini. Hoc exemplum (inquit Arriaga suprà n. 16.) quod à Sanchez affertur pro ignorantia juris humani, meo judicio, non est nisi juris divini; nam licèt, quod matrimonium non fuerit validum, oriatur ex jure humano; supposito tamen, quòd illi non sint veri conjuges, ùt reverà non sunt, jam illi faciunt contra jus divinum naturale, non accedendi ad non suam. Hæc ille.

Arriaga.

Sed, meo judicio, hoc exemplum rectè dicitur juris humani; quòd enim illi non peccent, haud oritur ex ignorantia juris divini, cùm probè noverint fornicationem esse illicitam; sed oritur ex ignorantia juris humani, irritantis hujusmodi matrimonium, aut certè ex ignorantia facti; quia scientes jus humanum, irritans matrimonium inter consanguineos v. g. ignorant se esse consanguineos, & per consequens ignorant se peccare contra jus divinum prohibens fornicationem. Sive ergo dicatur juris divini, sive humani, perinde est ad propositam quæstionem, quæ in utroque jure eodem modo venit resolvenda.

Prout etiam indifferens est; quòd illa ignorantia cedat vel non cedat in damnum tertii, v. g. pœnitens bonâ fide possidet primogenium, quod Confessarius novit injustè possidere, & credit nihil profuturam admonitionem, quia est difficillimum relinquere illud; vel videt pœnitentem teneri restituere, & ignorantiâ invincibili excusari, monitumque non restituturum, tenetur tacere. Ita Sanchez suprà n. 10. in principio. Et in fine ait; jam dicta vera esse, quando credit Confessarius fore, ùt pœnitens libenter admonitionem suscipiat, at videt remedium esse difficillimum, ut si scandalum & notabilis infamia indè sequatur. Et ita, inquit, censent quidam Neutherici docti.

Ex quo infert n. 11. à fortiori, quando pœnitens sub lethali culpa tenetur ad aliquid adeò difficile, ut Confessarius credat, illum tunc æquo animo minimè recepturum, & aliâ vice meliùs recepturum, excusaturque ignorantiâ invincibili, posse tunc tacere; & in opportunum tempus differre. Immo prudenter agunt Confessarii, dum non omnia, ad quæ pœnitens tenetur, simul & primâ vice aperiunt, ne deterritus omnino abstineat à Confessione, sed paulatim debet eum docere ea, ad quæ tenetur. Hæc ille.

Itaque quod ait n. 10. intelligendum est de tali infamia, ad quam pœnitens non tenetur. Alioquin pono casum: Aliquis injustè abstulit famam proximi sui; modò autem laborat ignorantiâ invincibili, videt Confessarius eum ita dispositum, ut admonitus etiam cum propria infamia, sicut tenetur à parte rei, libenter restituet famam injustè ablatam, quidni debeat eum tali casu admonere? Non est dubitandum.

Dubitatur autem ab Aliquibus; an etiam debeat admonere, quando scandalum sequitur ex malitia, & non tantùm ex infirmitate. Et quàmvis Antonius à Corduba Sum. q. 183. p. 3. apud Sanchez suprà n. 18. affirmet, attamen non placet Sanchio, propter rationes superiùs allatas, quæ contrarium videntur probare: quia estò scandalum oriatur ex malitia, equidem ex illa admonitione non speratur aliqua utilitas pœnitentis; sed damnum, ejusque ruina timetur: ergo cessat lex correptionis, quia cessat finis legis, etiam contrariè.

Nisi fortè scandalum, pœnitenti secutum ex admonitione, momentaneum sit; si enim, quàmvis tunc admonitionis fructus non speretur, brevi tamen spes est, illum sequendum, tenetur Confessarius admonere. Ita cum Aliis, quos citat, docet Sanchez suprà n. 16. Et idem communiter docetur de correptione fraterna extra Sacramentum, videlicet proximum corripiendum esse, tametsi sciatur in princi-

principio parùm exacerbandus, si tamen speretur postea à majori peccato emendandus.

85. Sententia Sanchez non placet Arriag.

Sententia Sanchez non placet Arriagæ.

Sententia Sanchez non placet Arriaga. suprà n. 24. ubi ait: Ego non facilè hoc admitterem, quia apud me majus malum est, Petrum semel cum mala conscientia & peccando accedere ad Mariam, quàm millies ad eamdem accedere solùm materialiter, non formaliter peccando, quod principium non videtur posse ab ullo negari: ergo si ex monitione mea sequatur, Petrum peccaturum semel formaliter, & solùm impedietur, ne materialiter deinde centies peccet, majus damnum per meam monitionem causabo, quàm utilitatem per eamdem afferam; ergo debebo potiùs tacere: quia quando omnibus pensatis damnum est majus, quàm utilitas admonitionis, debet sinè dubio hæc omitti. Ita hic Auctor.

86. Quid si timeatur ex ignorantiâ malum boni communis? debet admonere secundùm Sanchez.

Quid si timeatur ex ignorantiâ malum boni communis? debet admonere secundùm Sanchez.

Cui etiam displicet alia limitatio communis sententiæ apud Sanchez suprà n. 15. Nisi ex ea ignorantia timeatur malum boni communis: tunc enim tenetur Confessarius admonere; quia præferendum est bonum commune privato: & quàmvis fructus in eo minimè speretur, consuletur tamen bono communi. Sic Henriquez lib. 6. de Pœnit. c. 27. n. 4. Exemplum sit; est Parochus, qui invincibiliter putat subditos solùm teneri scire articulos fidei, vel habet errorem in fide aut moribus, tenetur Confessarius illum admonere, quidquid indè sequatur, ne errore illo, bono communi ovium sibi commissarum noceat.

Henriquez.

Henriquez.

Unde fit, ut si esset scandalum, publicaque fama nullitatis matrimonii, teneretur Confessarius admonere; quia talis ignorantia est contra bonum commune. Sic Adrianus Quodlib. 5. a. 2. lit. I. & 4. q. 5. de Confess. dub. 7. Hucusque Sanchez. Similis casus erit, si aliquis putans invincibiliter se esse Sacerdotem, cùm non sit, quotidie celebret, audiat Confessiones &c.

Adrianus.

Adrianus.

87. Contra arguit Arriag.

Contra arguit Arriaga.

Sed quid ad hæc Arriaga? Ego, inquit, hanc limitationem non video posse hìc habere locum; agimus enim, quando non speratur emendatio, sed potiùs creditur ille perrecturus peccando in actione, quam anteà sinè peccato fecit. In hoc casu quid quæso proderit, monere Parochum illum, quòd errores invincibiliter doceat, si adhuc pergat, suos errores seminando, & formaliter peccaturus sit, cùm anteà solùm peccasset materialiter? Deinde, quid proderit monere eum Sacerdotem fictum, si adhuc putatur celebraturus Sacrum, & auditurus Confessiones? Hæc ille.

Sententia Arriagæ.

Sententia Arriagæ.

Illud tamen addiderim (prosequitur) quia diximus superiùs non teneri Confessarium monere, etiamsi pœnitens putetur emendandus, si tamen secuturum sit indè grave scandalum; in hoc casu, non obstante scandalo, quod timetur, si tamen speratur emendatio, habere posset locum ea limitatio: præstat enim, esto cum scandalo, eum Parochum cessare à disseminandis suis hæresibus, & illum Sacerdotem non verum ampliùs non celebrare, nec audire Confessiones cum generali deceptione, quàm sinè eo scandalo illos pergere in damnum communitatis. Hactenus Arriaga n. 23.

88. Iudicium Auctoris.

Iudicium Auctoris.

Ego autem unico verbo apetio sententiam meam; & dico; tunc esse admonendum pœnitentem, etiam cum scandalo, quando utilitas vel communis, vel privata ipsius pœnitentis, aut tertii, quæ speratur vel nunc, vel postea, respectivè major est, quàm sit malum scandali. Quando autem hoc sit, pendet à prudenti judicio omnibus consideratis tam intrinsecis, quàm extrinsecis, id est, tam per se connexis illi admonitioni, quàm per accidens hìc & nunc obventuris.

Non valet in omnibus argumentum à correptione fraterna ad ablationem ignorantiæ.

Non valet in omnibus argumentum à correptione fraterna ad ablationem ignorantiæ.

Hoc etiam adverte; non in omnibus valere argumentum à correptione fraterna, ad hanc instructionem seu ablationem ignorantiæ; quia sive fratrem corripias, sive non, equidem peccat formaliter; parùm autem curandum, si in initio ex malitia sua addat aliqua peccata, dummodo postea speretur perfectè emendandus; quia majus respectivè bonum est hæc perfecta emendatio, quàmvis seriùs obveniens, quàm sit malum illa peccata in principio correptionis commissa.

89. Quid soleant attendere Superiores in suis correptionibus. Psalm. 82.

Quid soleant attendere Superiores in suis correptionibus. Psalm. 82.

Atque hâc ratione Superiores, quibus ex officio incumbit correptio subditorum & procuratio boni communis, solent pœnis ipsos ad emendationem quasi moraliter compellere, quia vexatio dat intellectum Psalm. 82. v. 17. *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine.* Et parùm curant de aliis peccatis, quæ occasione pœnarum à subditis committuntur, sperantes in fine perfectam emendationem; quia meliùs judicant, in initio eos committere aliqua peccata, & postea perfectè emendari, quàm perpetuò iisdem inhærere.

Solent etiam maximè attendere, præsertim in correctione judiciali, bonum commune, adeò ut etiam finaliter impœnitentibus ex sua malitia, id est, nolentibus se convertere ad Deum per veram pœnitentiam, non soleant parcere, sed eos tamquam zizaniam eradicare & projicere, ut sic loquar, quàmvis ipsi se magis projiciant, in ignem æternum. Ratio patet; quia hoc postulat bonum commune, quod alioquin extremè periclitatur, ut clarum est considerantì.

90. Ezech 33.

Ezech 33.

Hinc Dominus apud Ezech. cap. 33. v. 6. *Quòd si speculator* (id est Superior) *viderit gladium venientem, & non insonuerit buccinâ, & populus se non custodierit, venerit gladius & tuleris de eis animam: ille quidem in iniquitate sua raptus est, sanguinem autem eius de manu Speculatoris requiram.*

Et v. 8. *Si me dicente ad impium: Impie morte morieris: non fueris locutus, ut se custodiat impius*

à via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Ad quæ verba S. Hieronymus: *Non respondeamus,* inquit, *quid prodesset docere, si nolit auditor facere, quod docueris? Vnusquisque enim ex suo animo & officio iudicabitur, tu si locutus non fueris, ille si audire contempserit.*

S. Hieron.

Et sanè, si subditus peccet, Superiore vidente, & non contradicente, quid indè oriri potest, nisi scandalum, contemptus scilicet Superioris, & confirmatio in malo, & similia peccata in aliis, qui vident Superiorem non ausum contradicere?

91. Concionator tenetur publicè veritatem docere, licèt timeatur scandalum alicujus privati.

Præterea, Doctor publicus sive Concionator tenetur publicè veritatem docere, licèt fructus alicujus privati non speretur, sed scandalum timeatur; quia illa doctrina ad bonum publicum ordinatur, quare propter privatum malum non est intermittenda.

Act. 20.

Et ideo Apost. Act. 20. v. 26. contestatur Ephesios dicens, *Quia mundus sum à sanguine* (id est, à peccato) *omnium. Non enim* (prosequitur v. 27.) *subterfugi, quò minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis.*

S. Greg.

Ex quibus verbis infert Greg. lib. 1. Epist. 33. (& refertur cap. *Ephesios* 4. dist. 42.) *Mundus ergo à sanguine eorum non esset, si eis Dei consilium annuntiare noluisset: quia cùm increpare delinquentes noluerit, eos procul dubio tacendo Pastor occidit.*

Tacendo, inquam, ubi & quando commodè poterat, adeòque debebat loqui, juxta illud Innoc. (& refertur cap. 3. dist. 83.) *Error, cui non resistitur, approbatur, & veritas, cùm minimè defensatur, opprimitur. Negligere quippe cùm possis deturbare perversos, nihil aliud est quàm fovere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.*

c. 3. dist. 83.

D. Ambr.

Hinc D. Ambros. Serm 83. ait: *Ego interdum parcens vobis, tacere vellem; sed malo vos contumaciæ causas reddere, quàm negligentiæ sustinere iudicium.*

92. Confessarius attendere debet, non tam ad bonum publicum quàm privatum ipsius pœnitentis.

Hæc ergo & similia testimonia Scripturæ ac SS. Patrum non repugnant communi sententiæ seu Conclusioni nostræ, in qua non agitur nisi de foro Confessionis, qui ordinatur principaliter ad bonum privatum pœnitentis: & quàmvis Confessarius ibi sustineat personam publicam, ipse tamen forus censetur potiùs privatus; & ideo sive sit Pastor, sive alius quispiam Sacerdos, qui audit Confessionem, attendere debet non tam ad bonum publicum, quàm privatum ipsius pœnitentis; ut proinde nec ipse Pastor teneatur ignorantiam invincibilem tollere, etsi posset probare, v. g. impedimentum occultum matrimonii, quando fructus non speratur, sed magìs scandalum timetur separatis conjugibus. Ita Sanchez suprà n. 17.

Sanchez.

Et probat: quia Episcopus erat, cui scribit Innoc. III. cap. *Quia circa.* de Consanguinitate, facilèque poterat de nullitate dispensationis convincere conjuges illos, & tamen scribit Pontifex, dissimulandum esse ad evitandum scandalum.

Ex quo deducitur intellectus cap. *Qui scandalizaverit.* 3. de Reg. juris, ubi sic dicitur: *Vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.* Colligitur, inquam, hoc jus intelligendum esse; quando aliquid sinè peccato mortali fieri non potest, vel omitti, faciendum non est, vel omittendum propter scandalum; secùs quando fieri vel omitti potest absque peccato.

Ita Glossa verb. *Veritas. Quæ,* inquit, *tripliciter est, scilicet bonæ vitæ: hæc nunquam omittenda est propter scandalum, & ad quemlibet pertinet. Alia iustitiæ: hæc ad Iudicem pertinet. Alia disciplinæ: hæc pertinet ad Prælatum. In his duabus quandoque aliqua omittuntur propter scandalum* 50. dist. Ut constitueretur. *Et intellige, quod hic dicitur, de his, quæ indispensabilia sunt: & tale ius commune, quod indispensabile est veritas appellatur..... tale ius pro nullo scandalo relaxandum est, sed quando ius commune dispensabile est, propter scandalum recedit à iure communi* 50. dist. Ut constituerentur. *&* 1. q. ult Dispensationes. *&* 6. Exigunt.

Accedat testimonium Innoc. III. cap 2. de Novi operis nuntiatione ibi: *Super eo quoque non sufficimus admirari, quòd cùm vir religiosi inonachi Cantuarien. qui omnia dimiserint pro Christo, tot laboribus, & periculis personas & res non dubitaverint frequenter exponere (quòd non fecissent, nisi cognoscerent præmissa respicere in grave Cantuarien. Ecclesiæ detrimentum) tu saltem pro vitando tam gravi scandalo proximorum, ab huiusmodi, etiam ribi prohibitis, non cessasti: cùm sanctæ Scripturæ testimonio debueras edoctus, quòd licet opera illa, quæ sine mortali peccato omitti non possunt, non sunt pro vitando scandalo dimittenda, nec ea debeant pro scandalo vitando committi; quæ sine mortali peccato committi non possunt: ab his tamen, quæ sine mortali peccato committi possunt, & pariter dimitti, sit pro scandalo tollendo cessandum, & eis etiam pro vitando scandalo insistendum.* Ita Innoc. Cantuariensi Archiepiscopo. Quis ergo adhuc dubitet, quin Confessarius pro vitando scandalo possit subinde tacere, & non tollere ignorantiam invincibilem pœnitentis?

Sed numquid, interrogat quispiam, in casu v. g. matrimonii invalidi, dum audit in Confessione negationem debiti, potest, imò debet hortari & monere conjuges, ut reddant debitum, aut saltem proponant reddere? Quid si interrogetur de invaliditate, poteritne tacere, vel dicere, esse validum ad vitandum scandalum?

Ad primam quæstionem Respondet Sotus 4. dist. 18. q. 2. a. 4. ad 2. nequaquam debere, quia, inquit, illud esset affirmare, illum esse suum, sed posset in genere dicere, quòd uxores tenentur suis viris debitum reddere, Hæc ille.

Et sanè

Et sanè præcipiendo tali casu redditionem debiti, videtur præcipere fornicationem, quæ intrinsecè mala est. Et aliunde non licet complacere in actu intrinsecè malo, excusato propter ignorantiam, qualis est iste.

96. Affirmat Sanchez.

Sed fateor, inquit Sanchez suprà n. 8 (ubi cum aliis, quos citat, docet oppositam sententiam) me non assequi, quid distet inter hæc, *Redde debitum*, vel, *Vxor tenetur reddere debitum*; cùm uterque loquendi modus ad eumdem scopum tendat, nimirum ad inducendum conjugem illum, ut reddat debitum: & si inducere verbis directis, culpa esset, non eâ vacaret, verbis indirectis inducere; siquidem ex parte Confessarii eadem est intentio in utroque loquendi modo, & pœnitens idem prorsùs intelligit.

Probatio & responsio ad argum. Sot.

Præterea; quia cùm pœnitens relinquendus sit in illa ignorantia, peccat lethaliter eâ suppositâ non reddendo; ergo Confessarius tenetur non absolvere, nisi proponat se deinceps redditurum: ergo potest cogere ut reddat; & ita Confessarius non præcipit rem malam, sed rem debitam, suppositis circumstantiis occurrentibus.

Et complacere in actu malo, excusato propter ignorantiam, tunc quidem illicitum est, quando actus ille non honestatur attentis circumstantiis, quæ tunc occurrunt; secùs quando honestatur, debitusque est, ùt contingit hìc.

Neque mentitur Confessarius dicendo, illum esse suum conjugem, cùm sit conjux reputatione; sicuti verum dixit Virgo Luc. 2. v. 48. ad Iesum inventum in templo: *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*; cùm tamen Ioseph non esset verus pater, sed solâ reputatione.

97. Confirmatur hæc sententia ex Arriaga.

Hanc sententiam sequitur Arriaga suprà n. 17. confirmans eam: Nam, inquit, dum est dubium de valore matrimonii, suademus reddendum debitum ei, qui bonâ fide petit: quo casu fortasse suademus actionem, quæ in se materialiter est fornicatio; quia tamen ratione illius dubii formaliter est honesta & magìs, quàm ejus omissio, ideo licita est ea suasio. Non est ergo speciale aliquod mysterium in ea suasione, ob quod debeamus recurrere ad diversas phrases, quæ reverà, ùt dixi, omnes sunt æquivalentes, & omnes sunt persuasoriæ. Hæc ille.

Respondet ad hanc confirmationem.

Respondeo ad hanc confirmationem: non ideo præcisè licita est ea suasio, quia fornicatio ratione illius dubii formaliter est honesta; sed quia copula ista formaliter est honesta, & fortè etiam materialiter; at verò in casu proposito certò certiùs est materialiter inhonesta.

98. In casu proposito Confessor non hortatur ad

Quidquid ergo sit de hac confirmatione Arriagæ. Dico ego; tali casu non hortari Confessarium, sive his, sive illis verbis utatur, ad copulam fornicariam, sed ad reddendum debitum, quod formaliter & materialiter honestum est; quòd autem illa redditio hìc & nunc fiat per actum materialiter malum, hoc non intendit Confessarius, quia merè per accidens se habet, propter invincibilem ignorantiam, quam nec ipse intendit, sed ad quam solùm se habet permissivè, quia non tenetur eam auferre; & per consequens solùm se habet permissivè ad illam copulam fornicariam: unde optare debet, ut numquam talis copula intercedat, quod fieri potest, si numquam ampliùs debitum exigatur; ut proinde non complaceat sibi in actu malo, sed in actu bono, scilicet actu justitiæ, abstrahendo à malitia quæ per accidens illi actui conjungitur, id est, complacet sibi in redditione debiti in genere, & ad illam hortatur, optans ut conjuges aliunde cognoscant invaliditatem sui matrimonii, & ita à copula abstineant. fornicationem, sed ad reddendum debitum.

99. Probatio à simili.

Veluti, dicet aliquis, dum Pastor hortatur suos subditos ad Communionem Paschalem, sciens aliquos communicaturos in malo statu, etiam formaliter: intendit quidem illam Communionem, non quatenus fit in malo statu, sed quatenus in se est res bona, quæ hìc & nunc bene potest fieri, tametsi ex perversa voluntate communicantium malè fiat, ad quam malitiam solùm se habet permissivè; quia non potest eam commodè impedire.

Nonne Christus Communionem dedit Iudæ in ultima Cœna? Et tamen certus erat de indigna receptione. Cur ergo similiter non potuisset hortari conjuges in casu proposito, si occurrisset, ad reddendum debitum, seu ad copulam maritalem, quæ de se honesta est, & quam possent licitè habere, si ablatâ ignorantiâ de novo contraherent validum matrimonium? Ex hypothesi, quòd Christus non tenebatur tollere illam ignorantiam: sicuti in casu nostro supponitur, quòd Sacerdos non teneatur tollere illam ignorantiam.

Respondeo; hanc esse disparitatem, quòd Iudas absolutè poterat dignè communicare, si voluisset. At verò fieri potest ut tales conjuges per copulam necessariò peccent materialiter. Atque hæc de prima quæstione.

100. Quid faciendum Confessario quando conjuges dubii rogant, an matrimonium sit validum.

Venio ad secundam, videlicet, quid faciendum sit Confessario, quando conjuges dubii rogant, an matrimonium sit validum, an copula sit peccaminosa? Respondet Sanchez suprà n. 14 tunc Confessarius tenetur veritatem aperire, quàmvis profutura non sit; quia jam conscientia pœnitentis læsa est illo dubio, & taciturnitatem Confessoris vel viri docti, prudenter posset pœnitens in suum favorem interpretari: quare taciturnitas illa esset erroris approbatio.

Quid si solum habeant scrupulum.

Immo Aliqui idem dicunt, si pœnitens tamquam scrupulum, quo agitatur, id fassus fuerit. Sed verìùs est, quando solus est scrupulus, posse Confessarium tacere, vel respondere

dere ut deponat scrupulum ; quia scrupulus non aufert bonam fidem & ignorantiam invincibilem, sed solùm quando conscientia dubia est ex sufficienti fundamento. Sic Corduba Sum. q. 189. punct. 5. & Henriquez lib. 6. de Pœnit. cap. 27. n. 5. Hactenus Sanchez.

Corduba, Henriquez.

101. Lugo existimat inconsequenter dici à Sanchez, hìc posse tacere Confessores, ibi non.

Hoc tamen, inquit Lugo suprà n. 29. non videtur satìs consequenter dici : quia etiamsi pœnitens ex scrupulo interroget, non potest Confessarius affirmare licitum, quod est illicitum : ergo nec poterit tacere ; quia silentium Confessarii propositâ interrogatione pœnitens interpretatur affirmationem, & per consequens Confessarii auctoritate faceret, quod priùs ex ignorantia faciebat.

Soto. Angles.

Unde Alii meritò in casu scrupulosæ interrogationis idem dicunt, Soto, Angles &c. apud Sanchez sup. Posset quidem Confessarius in illo casu fingere se non audivisse vel non attendisse, vel oblitum fuisse respondere, ut sic remaneat pœnitens in eadem bona fide, quam priùs habebat, non tamen ipsius auctoritate confirmata.

102. Objectio.

Sed contrà ; si Confessarius non interrogatus, potest dicere : *Licitum est tibi reddere debitum*, imò, *debes reddere debitum*, cur non poterit idem dicere interrogatus ? Nam veritas illius responsi non potest desumi ex eo, quòd præcesserit interrogatio vel non, sed aliunde ex ipsa conformitate propositionis cum objecto. Deinde, quando ille interrogat, vel est spes, quòd sit libenter accepturus monitionem, vel non : si non est spes ; ergo etiam tunc erit nociva responsio : si est spes, jam sumus planè extra nostrum casum, qui solùm est, quando declaratio veritatis non putatur futura proficua, sed potiùs noxia. Ita sibi objicit Arriaga sup. n. 21.

Duplex potest esse interrogatio pœnitentis. Prima in genere.

Et respondet ; dupliciter posse intelligi illum hominem interrogare ; Primò, in genere, an bene operetur ; & tunc si nulla est spes, quòd detecto errore sit emendandus, dico, posse ei responderi : *Bene*, sicut, suprà diximus, posse eidem dici ; *Tu teneris reddere debitum* ; quia verissimè dicitur bene operari ille, qui ex ignorantia invincibili facit id, quod judicat honestum.

103. Secunda in particulari.

Aliter ergo potest pœnitens interrogare magìs in particulari, v. g. quæro, quid juris sit in hoc puncto ; tunc autem interrogat non tam de honestate actionis suæ, quàm de quæstione speculativa, abstrahendo à se & aliis ; vel certè interrogat Confessarium ; an sciat aliquid in contrarium quoad factum ipsum, v. g. an interveniat aliquod impedimentum in se in ordine ad matrimonium, quod vult contrahere &c. Si hoc secundo modo interrogetur Confessarius, quia jam consulitur ùt Doctor, & circa jus commune, & abstrahens à materia hac, necessariò debet dicere, *Est tale vel tale jus in contrarium*, & ibi non habet locum dicere ; *Tu teneris pergere* ; quia pœnitens non interrogat tunc, quid teneatur facere, supposità suâ propriâ scientiâ ; jam enim ille scit se juxta illam bene operatum esse : aliquid ergo aliud quærit ; Quid scilicet re ipsâ in hoc puncto sit, debet ergo declarari veritas. Et idem est, si inquirat de quæstione facti, nam tunc oportet illi declarare, quid sit in re. Hucusque Arriaga.

Prorsus oportet illi declarare, maximè quando hoc inquirit ex vero aliquo dubio, aut saltem scrupulo. Immo etiam, salvo meliori, quando interrogat in genere ; An bene operetur ; quando hoc, inquam, interrogat, qui reverà dubitat, aut saltem scrupulo angitur, an bene operetur, de quo casu proponitur nostra quæstio, & tunc ad argumentum suprà oppositum :

Respondeo ; idèo Confessarium interrogatum minùs posse dicere ; *Licitum est tibi reddere debitum*, quàm non interrogatum ; quia talis interrogatio impedit bonam fidem, seu tollit ignorantiam invincibilem, vel, ut melìus dicam, significat malam fidem seu ignorantiam vincibilem : ille quippe dicitur bonâ fide & invincibiliter ignorare aliquod peccatum, qui numquam vel levem aliquam ejus habuit suspicionem, quin statim prudenti aliorum consilio conscientiam suam sedarit. Ergo tali casu pœnitens tenetur Confessarium interrogare, quidni ergo & ipse teneatur veritatem aperire ?

Nec obstat ; quòd illud responsum potiùs futurum sit noxium, quàm proficuum, quia id per accidens est ex malitia vel infirmitate pœnitentis, quæ non attendenda est, quando consulitur Confessarius tamquam Pastor & Doctor, ad quem spectat instruere oves, quando instructionem petunt, estò indè sumant occasionem alicujus mali. Si v. g. aliquis petat instrui in fide, & specialiter me interroget an debeat credere tres Personas in una Essentia, an in tribus Essentiis ; ego, estò timeam, illum ob difficultatem mysterii defecturum à Fide, teneor tamen dicere veritatem, puta, debes credere tres Personas in una Essentia, & non possum illum permittere in errore contrario, tametsi, si de eo puncto nihil quæreret, possem ego tunc etiam nihil dicere in unam potiùs partem, quàm in aliam.

Rogat aliquis ; quam ergo obligationem habeant Confessarii Principum & Judicum, quando vident eos non satisfacere officio suo, vel promovendo indignos ad officia, vel non puniendo reos &c. Dico breviter : Confessarius Iudici, volenti ex ignorantia absolvere reum, alioquin dignum morte, potest præcipere vel consulere, ut secundùm leges justitiæ occidat ; immo debet, si laborat ignorantiâ vincibili, aut etiam invincibili, quando tolli potest sinè majori malo omnibus consideratis. Patet ex dictis.

Solùm

An incurrant irregularitatem, si consulant occisionem Rei secundùm leges justitiæ.

Solùm obstare videtur irregularitas, quæ contrahitur defectu lenitatis in judiciaria occisione; & ideò Aliqui dicunt, Confessarium interrogatum debere tunc respondere, ut consulat Iureconsultos, & videat, quid leges præcipiant. Alii dicunt, Confessorem posse dicere, quid dictent leges in communi, nihil aliud præcipiendo aut consulendo in particulari, nec dicendo, quid ipse sentiat.

107. Hoc tamen difficilè est (inquit Lugo suprà n. 33.) quia reverà illa verba generalia in illis circumstantiis, & præsertim in actu Confessionis, æquivalent consilio vel præcepto occidendi hunc reum: quare probabile mihi videtur, quod Aliqui dicunt; non incurri irregularitatem à Confessario, propter tale consilium vel præceptum: quam sententiam tenuit P. Vasq. ùt refert Luisius Turrianus de Cens. lib. 9. disp. 66. dub. 4. qui eamdem ibi sequitur: & 2. 2. to. 1. disput. 93. dub. 2. & Diana to. 2. tract. 5. Miscell. resol. 80.

Negat Lugo post Vasquezium Turrianum & Dianam.

Quæ opinio redditur magis secuta ex alia, quam ex eodem Vasquez refert & sequitur idem Turrianus dicta disp. 66. dub. 3. quæ dicit, irregularitatem ex defectu lenitatis non incurri à personis privatis; sed à solis iis, qui spectant ad judicium, & ministris justitiæ, ùt Iudice, Tabellione, Advocato, Procuratore, accusatore, teste &c. non verò ab aliis, qui sunt extra judicium: quia in jure non invenitur pro illis talis irregularitas imposita. Ex qua doctrina, quæ probabilis est, cessat omnino scrupulus in casu nostro. Ita Emin.

108. Quem sequitur Dicastillo disp. 10. n. 545. & seqq. dicens: Neque enim possum mihi persuadere Ecclesiam à cujus positiva lege tota res pendet) velle, ut Sacerdos incurrat irregularitatem, præstando ea, quæ sunt annexa ipsimet officio sacerdotali, & quæ exercendo officium sacerdotale (quale est munus Confessarii) debet præstare, ut muneri suo satisfaciat. Est autem maximè proprium Confessarii munus, pœnitentem non docere tantùm (si fortè ignoret) quid debeat facere, ne peccet mortaliter; sed ad id præstandum hortari, & renuentem tamquam indispositum non absolvere; atqui non minùs tenetur sub mortali Iudex damnare reum, ùt supponimus, quàm usurarius restituere usuras, & concubinarius separari à concubina &c. ergo si Confessarius ex officio potest, & debet usurarium, aut concubinarium ea docere, quæ tenentur facere, & ad ea præstanda hortari, nolentibusque Absolutionem negare, donec faciant, aut parati sint facere; eodem modo pœnitentem Iudicem poterit & debebit ex officio docere &c.

Hos sequitur etiam Dicastillo.

109. Hoc supposito, sic possum formare argumentum jam indicatum & petere illud ex definitione irregularitatis; quæ est: Impedimentum inductum ab Ecclesia jure Canonico, per se primò & directè impediens receptionem Ecclesiasticorum Ordinum, vel in jam receptis administrationem. Ab omni ratione alienum est credere, quòd Ecclesia induxerit pro impedimento administrandi Ordinem susceptum, feciſſe id, quod ex officio & recta administratione Ordinis, ordinatus facere tenetur; atqui Sacerdos ex officio sacerdotali Confessarii; & rectâ illius administratione tenetur admonere & hortari talem pœnitentem Iudicem ad damnandum reum, ubi & quando obligatur sub mortali illum damnare, & non absolvere, nisi vel damnet, vel damnare illum paratus sit, ubi & quando debet: ergo ab omni ratione alienum est credere, quòd Ecclesia induxerit pro impedimento sacerdotalis Ordinis administrandi, quòd Sacerdos admoneat & hortetur Iudicem pœnitentem & volentem absolvi ad damnandum eum, quem si non damnet, non potest absolvere.

Probatur ex definitione irregularitatis.

An non esset ab omni ratione alienum, quòd lex aliqua statueret aliquem fieri incapacem, inhabilem, aut ineptum ad officium Iudicis vel obtinendum, vel exercendum, eò quòd cùm esset Iudex, præstitisset id, quod ex ipso Iudicis officio debebat facere? Hactenus D castillo.

Sed ad hoc argumentum Adversarii respon- 110. derent, Confessarium satisfacere officio suo, si dicat, quid dictent leges in communi, nihil aliud præcipiendo vel consulendo in particulari, nec dicendo quid ipse sentiat; & negando Absolutionem, si intelligat, pœnitentem nolle facere, quòd leges in comuni dictant.

Responsio Adversariorum.

Quidquid ergo sit de illo argumento Dicastillonis, sufficere debet communis regula Theologorum nullam esse irregularitatem, quæ non sit in jure expressa; argum. cap. *Is qui* 18. de Sent. Excom. in 6. ibi: *Irregularitatis tamen (cùm id non sit expressum in iure) laqueum non incurrit.* Ostendant ergo Adversarii, ubi hæc irregularitas sit expressa in jure, & jungimus dexteras; sin autem hoc non possint ostendere, sicuti reverà non possunt, nemo miretur, si oppositam sequamur sententiam.

Alia probatio ex c. 18. de Sent. excom. in 6.

Itaque Confessarius audacter moneat Iudi- 111. cem, etiam in particulari, de administranda justitiâ, hic & nunc reum occidendo; maximè quando laborat ignorantiâ vincibili, ita ut peccet mortaliter, non occidendo. Sin autem laboret ignorantiâ invincibili, attendat diligenter, sicut suprà dixi, an sine majori malo possit ignorantiam tollere. Et quidem semper aliquod malum oritur ex ablatione ignorantiæ, scilicet malum ipsius puniendi seu Rei; interim istud non semper videtur excusare Confessarium: nam bonum commune, quòd sequitur ex punitione delinquentium; & scandalum, quod oritur in communitate ex eo, quòd nocentes non puniantur, potest absque dubio præponderare, & tunc non obstante malo seu morte Rei tenetur Confessarius veritatem declarare.

propter quam Auctor sequitur illam sententiam.

Malum Rei, quod sequitur ex ablatione ignorantiæ, non semper excusat Confessorem.

Aliàs quando non urget bonum commune, quia delictum non est clarum; tunc non debet Confessarius urgere Iudicem, ut puniat, & quasi partes accusatoris suscipere; debet tamen ferò Iudicem admonere, ut debitam adhibeat diligentiam, tum Doctores consulendo, tum attendendo ad legem præscriptam, nec facilè absolvat prætextu clementiæ, nisi probabili fundamento nixus.

112. Quid si soli Confessario constet obligatio damnandi reum?

Sententia Lugonis,

Sed quid, si soli Confessario certò constet obligatio damnandi reum? Respondet Lugo suprà n. 35. tunc servanda est regula generalis de instruendo pœnitente in iis, quæ ob ignorantiam delinquit. Sed, meo judicio, prudentiùs ageret Confessarius, si dum ab illo non interrogatur, aliquantulum differret Confessionem, quæsito aliquo prætextu, vel certè fugeret occasionem audiendi pro tunc Iudicem, donec reus esset absolutus, ne susciperet odiosum illud munus admonendi, & instruendi Iudicem contra reum, quem volebat absolvere: neque enim extra Confessionem obligaret præceptum meræ fraternæ correctionis, ad corrigendum Iudicem in ea materia, in qua ob ignorantiam inculpabilem ipse non peccabat, & cum tanto damno delinquentis, capite damnandi. Ita Eminent.

Cujus ultima pars juxta Dicast. est difficilis.

Hoc tamen ultimum, inquit Dicast. sup. n. 551. difficultate non caret, præsertim si, pensatis circumstantiis, sola dissimulatio, aut non monitio, habeatur pro assensu, quod præcipuè locum habebit, si Confessarius sit habitualiter electus in ordinarium Confessarium à Iudice, datâ ipsi generali facultate monendi illum ubi, quando, & in quibus judicaverit oportere, sub his enim aut similibus circumstantiis videtur non posse excusari munus monendi. Omnia tamen in quovis casu occurrenti maturè, quantùm res & occasio patitur, prudenter considerandæ sunt, nec video statam & certam regulam generalem posse assignari. Hæc ille.

113. Aliquando tenetur Confessor ignorantiam Iudicis auferre, aliquando non.

Profectò fieri potest; ut in aliquibus circumstantiis expediat magis æternæ saluti puniendi seu Rei, ut nunc moriatur, quia nunc bene dispositus ad mortem; quàm ut diutiùs supervivat, fortè in peccato suo occidendus. Cur ergo tunc non teneatur Confessarius Iudicem monere, & tollere ignorantiam ejus invincibilem? Contingere etiam posset, ut in aliis circumstantiis expediret plurimùm, reum hâc vice non mori, utpote impœnitentem, cum certa spe, si liberetur, ad meliorem frugem reducendum, & fortè salvandum; cur tali casu non posset Confessarius dissimulare?

Ponamus etiam casum, vitam Rei maximè necessariam esse sustentationi familiæ, & alioquin valde proficuam bono communi; putas, quia tali casu præceptum fraternæ correptionis obligaret Confessarium? Non puto, quia malum, quod sequitur ex ablatione ignorantiæ, omnibus consideratis videtur prævalere bono, quod reperitur in illa punitione, seu observatione legis punitivæ.

Cæterùm, quod hactenus dictum est de Confessario Iudicis, pari passu applicandum est Confessario ipsius Rei, quando hic bonâ fide, vel etiam malâ fide negat crimen, quod aliàs deberet fateri secundùm ordinem juris; dicendum, inquam, Confessarium debere tollere ignorantiam vincibilem, seu malam ejus fidem, etsi certò certiùs sciat, ob istud capite eum plectendum, nec est quod timeat irregularitatem magis, quàm Confessarius Iudicis.

Quantùm ad ignorantiam invincibilem, seu bonam ejus fidem, non est cur eam auferat, si non speret Confessionem criminis; præsertim cùm sit multorum sententia, non esse obligationem crimen confitendi cum periculo vitæ, quàmdiu est spes evadendi.

Et dato, quòd Confessarius judicaret, reum obligari ad confitendum crimen, prudenter ageret, inquit Lugo suprà n. 36. si, dum ab illo non interrogatur, pro tunc Confessionem differret, & relinqueret eum in sua bona fide, donec negato crimine; & transactâ jam illâ occasione adeò vehementi; posset illum audire absque obligatione docendi eum, qui, ut suppono, non esset jam ampliùs à Iudice examinandus. Hæc ille.

Nisi fortasse grave scandalum sequeretur ex eo, quòd ille negans suum delictum, non puniretur; & Confessarius speraret ex sua admonitione Confessionem criminis & ejus pœnitentiam.

Sed amabo, quæ obligatio Confessariorum illorum Principum, qui indignis conferunt beneficia & officia, injustè opprimunt suos subditos nimiis exactionibus &c? Certè in his, ùt notat Lugo suprà n. 37. rarò contingit, ut ignorantia sit invincibilis. Item rarò contingit, quòd ignorantia illa non afferat secum scandalum in subditis, qui facilè putant licita, quæ à Prælatis & Principibus fieri vident. Præterea rarò contingit, ut indè non exoriantur gravissimæ querelæ, & subitorum maledictiones in Principem, & Confessarium Principis.

Quare, inquit Eminent. regulariter Confessarius tenetur admonere pœnitentem, qui cumque ille sit, de sua obligatione; nec latis facit suo muneri, absolvendo à peccatis, que pœnitens dicit, sed potiùs imponit suis humeris peccata cætera & errores, quos in pœnitente dissimulat, & cæco cæcum ducente, ambo in æternam foveam cadent. Si formidat ergo potentis faciem, non assumat sibi Pastoris officium, sed modestè se excuset, tamquam alicui minùs aptus ad illud onus portandum.

Hæc autem dicta sint de Confessario, qui scit, Principem non satisfacere reverà debito suo, & scit eum laborare ignorantiâ vincibili.

Nam

ignorantiâ invincibili.

Nam si viderit ignorantiam esse invincibilem, neque ex illa sequi scandalum aut damnum commune; è contra verò admonitionem futuram in majus malum Principis, aut allaturam scandala, vel incommoda, suprà enumerata, poterit dissimulare juxta regulas suprà traditas.

Sin autem Confessarius dubitet circa ipsum jus & obligationem Principis, consulat Auctores, atque etiam homines doctos & pios, salvo tamen sigillo Confessionis; & tunc si errorem inveniat, modestè moneat, rationem in promptu habens suæ monitionis. Sed quid si Princeps respondeat, se consuluisse viros doctos, respondisseque id esse licitum? Solutio huius argumenti pendet ab his, quæ de opinione probabili pœnitentis edoceo Conclus. sequenti.

CONCLUSIO V.

Confessarius, auditâ Confessione, tenetur sequi sententiam pœnitentis, si verè probabilis est. Parochus etiam ante Confessionem.

117. Delegatus potest nolle audire Confessionem, nisi pœnitens amplectatur suam opinionem, secùs Parochus.

Disparitas inter Parochum, & delegatum, est; quòd ille, ùt diximus Conclus. 1. hujus Sect. teneatur ex justitia audire Confessiones subditorum, hic autem ad summum ex charitate: sicut ergo delegatus potest absolutè nolle audire Confessionem, & percunctanti; quare nolit, respondere, stat pro ratione voluntas; ita etiam potest respondere, se nolle audire, nisi deponat propriam opinionem, estò probabilis sit, & suam amplectatur, quam existimat æquè probabilem, aut etiam probabiliorem.

Quòd si pœnitens conditionem acceptet, liquet profectò, etiam factâ Confessione, nullum omnino habere jus ad Absolutionem, nisi impletâ conditione priùs acceptatâ, & ideo Confessarius liberè potest negare Absolutionem, nisi relictâ propriâ opinione, suam amplectatur.

At verò Parochus, sicut non potest pro libitu suo nolle audire Confessionem subditi, ita etiam non potest ei præscribere certas conditiones, ad quas per se loquendo subditus non obligatur; sicut ista hæc est, ut debeat sequi sententiam Parochi, relictâ propriâ sententiâ probabili. Ergo etiam ante Confessionem tenetur Parochus sequi sententiam pœnitentis, si verè probabilis est, suppositò, quòd debeat eam sequi auditâ Confessione. Hoc autem suppositum, quod est prima pars Conclus. restat probandum.

118. Probatur verò ex communi sensu DD. quos citat & sequitur Ioan. Sanchius in Select. disput. 33. n. 54. Diana p. 2. tract. 13. de Opin. prob. resol. 11. Villalobos Sum. to. 1. tract. 1. diffic. 12. n. 1. ubi sic ait: Respondeo, quòd in tali casu debet considerari qualitas tam Confessoris, quàm pœnitentis, sicut notat bene Sotus 4. dist. 18. q. 2. a. 5. Nam si pœnitens est satis doctus, Confessor habet obligationem se conformandi ipsius opinioni: & tametsi hoc non sit, si tamen pœnitens sequatur opinionem probabilem, obligatur Confessarius eum absolvere conformiter ad illam, tametsi ipse sentiat contrarium. Ita tenent Sotus, Azor, Navarrus & Medina, & est commune. Fundamentum est, quia ille advenit bene dispositus, & integrè confitetur, & ita non potest Confessarius negare Absolutionem. Ita Villalobos.

Probatur 1. pars Concl. Sanctius. Diana. Villalobos. Sotus.

Azor. Navar. Medina.

Ubi etiam rejicit limitationem Sylvestri, qui verb. *Confessor.* 3. q. 7. existimat id solùm verum esse respectu Parochi, non autem delegati; rejicit, inquam, quia delegatus tametsi possit si velit relinquere administrationem Sacramenti, cum omnibus tamen, qui inceperunt confiteri, tam bene habet obligationem bene judicandi & absolvendi, quàm Parochus.

119. Rejicitur limitatio Sylvestri.

Plus addit præfatus Auctor n. 2. dicens: Quòd etsi Confessarius teneat unam opinionem probabilem, & scit aliam magis favorabilem pœnitenti, quam pœnitens ignorat, debet Confessarius sequi sententiam favorabilem pœnitenti, quia reus est, & ita debet sequi eam, quæ ipsi favet, ùt quidam dicit. Et quando esset opinio probabilis, quæ liberat à restitutione, non præcipiat restitutionem, quia illa opinio favet animabus, & possessioni, & reo; præterquam quòd sit difficillimum restituere. Hæc ille. Qui, ùt vides, apertissimè docet nostram Conclusionem, prout etiam Lugo suprà n. 39. Arriaga disp. 44. n. 2. Dicastillo suprà n. 556. & alii Recentiores.

Et quidem, quòd Confessarius possit sequi opinionem verè probabilem pœnitentis, nulli potest esse dubium, cùm unusquique possit in sua causa sequi opinionem verè probabilem; saltem quando non redditur dubius valor Sacramenti; quantò magis in causa aliena poterit permittere illum alium eam sequi? V. g. dubitatur an res aliqua sit restituenda, sententia negativa est verè probabilis, Confessarius in sua causa posset eam sequi, & nolle restituere; quantò magis potest permittere eam in causa aliena, v. g. permittere, ut pœnitens eam sequatur, & per consequens non restituat? Nam à restitutione illa non pendet valor Sacramenti; quippe supposito, quòd non peccet pœnitens nolendo restituere, prout non peccat, si sequatur sententiam verè probabilem, quæ dicit omnibus consideratis, non esse restituendum; patet ipsum esse dispositum, si cætera adsint, ad recipiendum fructum Sacramenti.

120. Confessarius potest sequi opinionem verè probabilem pœnitentis.

Ratio, quare debeat sequi sententiam pœnitentis.

Atque hæc est ratio, quam suprà ex Villalobos insinuavimus, cur non solùm possit; sed etiam debeat Confessarius in talibus circumstantiis sequi sententiam pœnitentis; quia videlicet talis pœnitens dispositus est, ad Sacramentum validè, immo fructuosè suscipiendum: ergo Confessarius tenetur eum absolvere, estò ipse probabile, immo probabiliùs judicaret oppositum, scilicet restitutionem debere fieri.

121. An Confessarius peccet mortaliter si non absolvat.

In tantùm, ut, secundùm plurimos DD. peccet mortaliter, si non absolvat, saltem quando fuit Confessio peccatorum mortalium; quia grave onus est iterata Confessio peccatorum mortalium: ergo grave peccatum sinè causa illud imponere pœnitenti. Ita cum Th. Sanchio Sum. lib. 1. c. 9. n. 29. docet Ioan. Sanchius in Selec. suprà, quos sequitur Diana suprà, Lugo Disp. 22. n. 48. Arriaga Disput. 44. n. 6.

Sanchez. Diana. Lugo. Arriaga.

Suarius.

Et ante ipsos id docuit Suarius Disp. 32. Sect. 5. n. 2. dicens, non solùm in Confessione peccatorum mortalium, sed etiam in Confessione venialium teneri Confessorem ad absolvendum pœnitentem, nec relinquere illum vacuum sinè causa: quàmquam fortè hoc non semper sit peccatum mortale, præsertim si nullum intercedat scandalum, & pœnitens facilè possit incommodum illud resarcire.

De Scildere.

Idem novissimè docet de Scildere de Principiis Consc. tract. 2. n. 120. ibi, Porrò obligatio absolvendi pœnitentem confessum, tum in Confessario ordinario, tum in delegato est gravis, sive sub mortali. Si enim Confessio de mortalibus facta sit, pœnitens non absolutus, gravem verecundiam iterum subire debebit. Si autem de solis venialibus, saltem carebit augmento gratiæ. Ita Castro Palao tract. 1. disp. 2. p. 4. n. 6. Bardi disc. 4. c. 21. n. 6. Quàmquam si ratio non absolvendi aliqua sit, & pœnitens postea facilè possit eadem peccata iterum confiteri, tantùm veniale videatur esse, negare Absolutionem, cùm onus postea iterum eadem venialia confitendi non sit grave. Hæc ille.

Castro Palao. Bardi.

122. Perez existimat nullum esse peccatum, si opinio Confessarii sit longè probabilior.

Sed Anton. Perez certam. 10. scholast. dub. 2. (ùt refert Castro Pal. suprà n. 5.) nec veniale agnoscit, si suam opinionem longè probabiliorem reputet; habet enim (inquit) causam suspendendi Absolutionem, scilicet ut vires sua opinio accipiat. Excipit casum, in quo pœnitens ex præcepto Ecclesiæ communicare teneatur; tunc, inquam, grave onus pœnitenti imponeretur ex denegata Absolutione, cùm ritè dispositus accedat.

Contrà arguitur.

Sed contrà; sua opinio non debet accipere vires ex actione injuriosa, qualis est ista negatio; cùm pœnitens jus habeat ad Absolutionem, quando legitimè est ad eam dispositus, ùt infrà dicam. Deinde, idem onus imponitur pœnitenti sive debeat communicare ex præcepto Ecclesiæ, sive non; quia equidem ex præcepto divino tenetur illa peccata rursùm confiteri, si sint mortalia.

Vasquez in p. 2. to. 1. disp. 62. c. 7. n. 40. Montesinus in p. 2. disp. 29. q. 5. n. 159. & Salas in p. 2. q. 21. tr. 8. sect. 9. putant solùm peccare venialiter Confessarium non proprium. Vasquez loco citato sic ait: Ego quidem existimo, peccatum aliquod esse Confessario ex commissione, si audità semel Confessione, nolit pœnitentem absolvere, quem videt in contraria opinione, cùm aliàs rectè id possit facere; cæterùm non video esse adeò grave hujusmodi peccatum, ut judicem esse mortale; immò communiter excusari posse hujusmodi Confessarii, qui nolunt sic absolvere pœnitentes, quia id semper efficiunt bonâ fide ex zelo suæ opinionis.

Respondeo: ex zelo indiscreto, & ideo potiùs malâ fide; ac per consequens puto eos graviter peccare, saltem, ùt suprà dixi, quando fuit Confessio peccatorum mortalium.

Cæterùm, quòd legitimè dispositus, teneatur in casu proposito non solùm Parochus, sed etiam delegatus absolvere, probatur: Quia ad hoc Christus ligandi & solvendi potestatem contulit, ac Sacerdotes Iudices instituit: rectè enim judicii ratio petit, ut sicut pœnitens Confessori rectè præcipienti obedire teneatur, ex hypothesi, quòd velit absolvi; ita Confessarius rectè dispositum, & petentem Absolutionem, teneatur absolvere.

Solùm obstare videtur; quòd Iudex in foro externo non possit sequi opinionem probabilem actoris vel Rei contra suam, immo nec suam tantùm probabilem, sed probabiliorem. Ergo similiter in casu præsenti Confessarius non poterit sequi sententiam tantùm probabilem pœnitentis, sed debebit sequi propriam probabiliorem.

Respondet Arriaga suprà n. 2. Neg. Antec. ced. dicens, Iudicem non semper teneri sequi suam sententiam (quamque eo ipso judicat probabiliorem) sed posse juxta alienam judicare, maximè quando hæc est communior. Et probatur: quia Respub. contentissima censetur, si Iudex decidat causas prudenter; prudenter autem operatur, qui decidit juxta sententiam probabilem. Quantò magis erit contenta, si decidat juxta communiorem DD. sententiam? Immo putat Vasquez, Iudicem non supremum teneri ferre sententiam, non juxta suam, estò eam sentiat probabiliorem, sed juxta communiorem sententiam, estò eam sentiat minùs probabilem.

Alii admittunt Antecedens, causantes, Iudicem non prudenter decidere causas juxta sententiam minùs probabilem, eò quòd à suâ Repub. constitutus sit tamquam fidelis minister veritatis, seu ad diligenter investigandam ver-

veritatem in litibus occurrentibus, & pro ea judicandum; sicut Oeconomus constituitur à Domino, ut diligenter provideat rebus domesticis; & Medicus assumitur, ut diligenter prospiciat sanitati.

Probatur à simili.

Sicut ergo non excusatur Oeconomus per se loquendo, qui, relicto tritico meliori ejusdem pretii, emit deterius, licèt utrumque sit sufficiens; neque Medicus satisfacit officio suo, si relictâ medicinâ securiori, accipiat minùs securam, ita etiam non videtur Iudex satisfacere officio suo, si relictâ sententiâ probabiliori, accipiat minùs probabilem. Ratio: quia non fideliter exequitur munus suum.

127. Subditi non rectè sentiunt de tali Iudice.

Et hinc subditi non rectè sentiunt de tali Iudice; idque quia non satis procurat bonum commune, ad quod tamen procurandum constitutus est; quippe eâ viâ faciliùs cives spoliantur iis rebus, quarum habent verum dominium, majus enim periculum est falsitatis in sententia minùs probabili.

Dixi; *Oeconomum per se loquendo non excusari*; quia per accidens excusatur, Primò; si adhibitâ communi diligentiâ, non inveniat melius triticum. Secundò; si sit modicus excessus; quia in his rebus quod parum est, pro nihilo reputatur. Tertiò, si alia incommoda habeat emptio tritici melioris.

128. Casu alterutri, in quibus Iudex potest sequi sententiam alteram.

Consimiliter ergo excusatur Iudex per accidens, Primò; si adhibitâ communi diligentiâ, non constet de notabili excessu; tunc enim poterit alteram eligere, cùm non teneatur exquisito studio discernere majorem probabilitatem. Secundò; si opinio, quæ videtur Iudici probabilior, judicatur minùs probabilis apud Iudices supremos, à quibus ipsius sententia revocabitur; vel apud quos malè audiet Iudex inferior; tunc non tenetur cum tanto suo damno pro probabiliore judicare; sicut nec Oeconomus cum gravi suo detrimento tenetur melius triticum procurare. Denique; quando ex electione sententiæ probabilioris, sequeretur scandalum, vel talia inconvenientia, ut Respub. censeatur majus detrimentum pati ex hoc capite, quàm ex eo, quòd eligatur sententia minùs probabilis. Cùm enim tota obligatio Iudicis sit ex debito erga bonum Reipub. non censetur Respub. eum in hoc casu obligasse.

Non est eadem ratio Iudicis & Confessarii.

Quidquid ergo sit de hoc Antecedente, negant pariter omnes Consequentiam: quia Confessarius solùm constitutus est à Deo, & ab Ecclesia, ut peccatorem reconciliet, eum absolvendo à peccatis suis, quando est legitimè dispositus; quod facere potest, & facit, quando sequitur opinionem pœnitentis verè probabilem, etiam contra propriam probabiliorem.

129. Quid faciendum si Confessor

Si inferas: ergo debebit Confessarius opinionem pœnitentis sequi, quam hic existimat probabilem, estò ipse evidenter sciat, non esse probabilem; quia tunc etiam pœnitens est sufficienter dispositus ad Absolutionem.

judicet sententiam pœnitentis esse probabilem

Resp. Primò: si opinio versatur circa ipsum Sacramentum Pœnitentiæ conficiendum, v. g. si Confessarius judicat pœnitentem non habere sufficientem dispositionem, vel se non habere jurisdictionem; non poterit absolvere, licèt pœnitens contrarium opinetur; nisi Confessarius saltem existimet opinionem pœnitentis esse probabilem. Ratio est clara; quia tunc non solùm agitur de permittenda pœnitenti suâ opinione, sed de amplectenda illa in propria operatione, ut Confessarius operetur juxta illam, quod non potest facere, nisi judicet, illam esse probabilem. Ita Lugo suprà n. 45.

Prima responsio Lugonis.

Lugo.

Quem videri posset malè intellexisse de Scildere suprà n. 119. ubi sic ait: Minister opinans collationem Sacramenti fore invalidam, non potest sequi opinionem suscipientis oppositam, quòd valida sit. Probatur; quia non potest contra suam opinionem sequi alienam de valore actûs, quando hic sub peccato validè fieri debet, uti debet fieri collatio Sacramenti. Ergo nec opinionem suscipientis. Quod à fortiori verum est, quando opinionem suscipientis scit esse erroneam, ùt si hic putet non requiri in Confessione propositum emendandi.

130. quam malè posset videri intellexisse de Scildere.

A fortiori non tenetur sequi. Quod etiam admittunt Plures, dicentes, ipsum posse sequi opinionem suscipientis. Uti Lugo de Pœnit. disp. 22. n. 45. Et ferè Pontius lib. 4. de Matrim. c. 25. Ioan. Sanchez disp. 44. n. 10. Castro Pal. tr. 1. disp. 2. p. 4. n. 4. dicentes, quòd Confessarius non debeat sequi opinionem pœnitentis, quando agitur de aliquo, quod à Confessario faciendum est: ùt si Confessarius opinetur se non posse absolvere pœnitentem à casu aliquo, quem opinatur esse reservatum, & pœnitens opinetur oppositum. Hucusque de Scildere.

131. ut hic ostendit Actor.

A quo peto; Lugo docet, posse sequi Confessarium tali casu opinionem pœnitentis? Immo contrarium docet, nisi judicet eam esse probabilem. Ergo in casu proposito à de Scildere, quando Confessarius scit opinionem pœnitentis esse erroneam, non solùm non debet secundùm Lugonem, sed nec potest eam sequi.

Et verò; si judicet ipsam esse probabilem, cur non teneatur, relictâ suâ opinione, ipsam sequi; si etiam verè probabile judicet, quòd absque peccato possit eam sequi? Non video, quid obstet. Nec contrarium uspiam significat Lugo; quia solùm loquitur in casu, quo Confessarius judicat opinionem pœnitentis omnino improbabilem, & tunc non potest, multò minùs debet sequi, ùt dictum est.

132. Secunda responsio.

Respondeo Secundò: quando agitur de aliquo contractu, de pluralitate beneficiorum, de restitutione facienda &c. & pœnitens

existimat contractum esse licitum, posse se plura beneficia simul retinere, non esse obligationem restituendi &c. idque juxta opinionem, quam putat esse probabilem, estò Confessarius eam judicet improbabilem; non ideo statim admonendus est, aut rejiciendus, si nolit opinionem mutare: sed tunc locum habet regula ante assignata pro obligatione tollendi ignorantiam vincibilem, & invincibilem.

Quod uni apparet probabile, imo certum, alteri videtur omnino improbabile, *Lugo.*

Et imprimis advertendum; illud quòd uni apparet probabile, immo aliquando certum, alteri videri omnino improbabile; ùt ex dictis alibi in hoc opere, luce meridianâ clarius est. Contingit aliquando, inquit Lugo suprà n. 46. quòd vir doctus, qui vim argumenti attento studio magis penetravit, videat, quòd fundamenta contrariæ sententiæ ex æquivocatione procedunt, vel ex falso fundamento, & ideo apud se illam judicet improbabilem & sinè fundamento; & tamen ideo non debet pœnitentem obligare ad eam deferendam: quia licèt illa sententia apud ipsum sit improbabilis, apud Alios tamen multos & doctos, qui tem ita accuratè non penetrarunt, existimatur adhuc vera, & per consequens est verè probabilis: quare pœnitens illam sequendo, amplectitur opinionem verè probabilem. Hæc ille.

Fieri etiam potest, quòd Confessarius putet se penetrasse omnes rationes communis sententiæ, quas tamen verè non penetravit, & aliqua eum lateat, quam nullatenus consideravit.

133. Quænam dicatur opinio probabilis juxta Attiagam.

Ea igitur opinio (inquit Attiaga suprà n. 5) dicitur probabilis, quæ etiam his temporibus defenditur ab aliquibus Auctoribus doctis tribus aut quatuor; maximè si cæteri eam opinionem licèt non teneant, non tamen rejiciunt tamquam improbabilem, quod addo, quia reverà aliquando contingit, ut duo vel tres, etiam docti, consentiant in unam opinionem ob fundamentum aliquod valde leve, quam tamen reliqui ùt improbabilem rejiciunt; quæ etiam eo casu non debet dici absolutè probabilis. Ita hic Auctor.

134. Quænam secundum Dicast.

Ego crederem (inquit Dicastillo suprà n. 566.) salvo meliori judicio, comparatione Confessarii operaturi, non censeri probabilem opinionem illam, quæ tantùm censetur probabilis ab Aliquibus, immo à Multis probatæ auctoritatis, quando ex uno capite ipse homo alioquin doctus & instructus non vulgariter doctrinâ, deprehendit talem opinionem pœnitentis opponi alicui propositioni certæ certitudine Theologicâ, id est, quæ deducitur per evidentem (quantum ipse putat) consequentiam ex principiis fidei, seu ex una propositione, fide Catholicâ certa, & altera lumine naturali certa, & ex alio capite vel illi non sufficienter constat, quòd Doctores illi teneant illam opinionem contrariam, & quòd etiam viso discursu, & argumento ipsius, adhuc perstent in sententia, quando enim ista duo non constant; potest, imò fortè debet prudenter credere alterutrum, vel utrumque defectum, vel saltem dubitare; ac proinde timere, quòd vel pœnitens non rectè intellexit illorum sententiam, expositis, ùt deberet, circumstantiis omnibus, vel quòd ipsimet viris probatæ auctoritatis non incidit aut in mentem venit talis discursus, quem ipse Confessarius tunc habet.

Idque præsertim locum habere potest aut solet, quoties resolutio magna ex parte pendet ex dispositione juris positivi, maximè si tale jus non sit in corpore juris communis, sed aliquâ extravaganti Constitutione &c. quæ subsistente erroneum sit ita sentire. Nam ignorantia talis juris cadere potest & sæpissimè cadit in viros doctissimos & versatissimos, ùt experientia docet.

Si autem requisita omnia concurrant ex parte illorum, tenentium contrariam opinionem, & Confessario constat, quòd illi suum argumentum viderint, & expenderint; atque hoc non obstante, tales viri docti ac probi persistunt in sua sententia, sub legitima informatione circumstantiarum; tunc Confessarius ipse non est, cur ita fidat suo proprio judicio, quin prudenter possit, aut etiam debeat judicare, quòd ipse potiùs fallatur, & aliquid non viderit in ea, quòd Alii, saltem in illa re perspicaciores, viderunt, ratione cujus illius discursus non adeò rectus, aut aliquod principium non ita irrefragabile illis videatur. Hæc ille.

Itaque quando aliqua sententia à multis probatæ auctoritatis Doctoribus tamquam probabilis sustinetur, caveat sibi Confessarius, ne facilè eam improbabilem judicet; adeòque rejiciat pœnitentem, quia non vult ab ea discedere. Cumque Confessarius ex officio suo debeat credere pœnitenti pro se, & contra se, si dicat se habere opinionem probabilem, debet Confessarius credere & acquiescere, nisi evidenter contrarium constet; atque adeò debebit absolvere sufficienter dispositum.

Ita intelligo Sanchez Sum. lib. 1. c. 9. n. 16. ubi docet, Confessarium debere absolvere pœnitentem, quàmvis falsam existimet opinionem pœnitentis, si probabilis reputetur inter Doctores probatæ auctoritatis. Quia, inquit, cùm non teneatur pœnitens consilio Confessoris potiùs, quàm aliorum acquiescere, adhuc non deficit debita dispositio ei, ut absolvatur. Item, quia tunc eatenus dicitur Confessarius se conformare opinioni pœnitentis, quatenus illam permittit ei, non autem quatenus sequatur illam.

Cæterùm si Confessarius videat pœnitentem culpabiliter putare probabile, quod apud Omnes est improbabile, tenetur eum in-
struere,

sio, si videat pœnitentem culpabiliter putare probabile, quod revera est improbabile. Villalobos.

struere, & si non velit ab opinione improbabili recedere, non absolvere; quia reverà non est legitimè dispositus ad Absolutionem. Ut rectè docet Villalobos suprà n. 4. dicens: Sed advertat Confessarius, quòd, si pœnitens sequatur opinionem improbabilem, tenetur eum admonere & instruere, & si nolit relinquere errorem, quem tenet, cùm illa opinio non sit secura in conscientia; non debet absolvere, sicut dicit F. Barthol. de Ledesma in sua Sum. tit. de Sacram. Pœnit. diff. 14. Quoniam tenendo illam opinionem dicemus ei, quòd, *Qui amat periculum peribit in illo*, sicut dicit Ecclesiasticus cap. 3.

Barthol. Ledesma.

Eccli. 3.

137. Quid si inculpabiliter putet esse probabile.

Sed quid, si inculpabiliter putet esse probabilem? Resp. si non timeatur majus incommodum ex ablatione ignorantiæ, tenetur juxta dicta præced. Conclus. veritatem aperire, & ipsi dicere, ut saltem consulat Alios doctiores; quod si renuat facere, est indispositus, adeòque non absolvendus: sin autem timeantur graviora respectivè incommoda, taceat & absolvat. Atque ex his patet, quare in Conclusione addiderim illam particulam: *Si verè probabilis est.*

Restat explicanda obligatio Confessariorum, qui culpabiliter vel inculpabiliter absolvunt pœnitentes suos invalidè, defectu v. g. jurisdictionis; vel si validè, non admonent restitutionis debitæ, aut certè non satis examinant numerum, species, aliasve circumstantias peccatorum. Quantùm ad illos, qui invalidè absolvunt, hæc est nostra sententia:

CONCLUSIO VI.

Confessarius, qui cum culpa, vel sinè culpa, invalidè absolvit, defectu jurisdictionis, aut intentionis, non potest obtentâ jurisdictione, vel mutatâ intentione, in absentia absolvere: debet autem pœnitentem monere de defectu commisso, quando potest sinè gravi respective incommodo.

138. Invalidè absolutus, non potest absolvi à peccatis in absentia.

PRima pars, intellecta de Absolutione à peccatis (sicut debet intelligi) post Decretum Clement. VIII. (de quo egimus Disput. 7. Sect. 3. concl. 5.) est omnino certa, ita ut oppositum non sit ampliùs probabile; quia non est ampliùs probabile, talem Absolutionem esse validam, ut loco citato, ad quem remitto Lectorem, videri potest.

Debet absolvi à censuris.

Dixi; *Intellecta de Absolutione à peccatis*; quia cùm absolutio à censuris, v. g. ab excommunicatione, possit ferri in absentem & ignorantem, immo & in invitum, & in mortali peccato existentem, & non solùm validè, sed aliquando etiam licitè; quia non est Sacramentum, sed judicialis quædam sententia fori contentiosi; Confessor, si pœnitentem decepit eum in excommunicatione relinquens, à qua ipse putabat discedere absolutus, poterit optimè illo remedio uti; immo & debebit: quia non parvum gravamen est pœnitentis, esse in excommunicatione ignorata: fortasse enim privatur suffragiis, & sub opinione est, an ejus Confessio, in eo statu facta, sit valida; & si postea noverit errorem, etiam est grave onus, iterum quærere Absolutionem. Debet ergo Confessor, si commodè possit, subvenire pœnitenti hoc remedio quoad censuram. Fortè etiam cum aliquo incommodo, præsertim si culpâ ejus id acciderit, ut patebit ex dicendis circa secundam partem Conclusionis.

139. Quis hîc censeatur absens.

Sed dicet aliquis; quis censetur hîc absens, ut nec possit, nec debeat iteratò absolvi à peccatis? Resp. qui ita absens est, ut non possit secundùm Decretum Clement. primò absolvi à peccatis. Hoc certum est. Incertum, an sufficiat omnis præsentia, quæ sufficit ad accipiendam primam Absolutionem.

An sufficiat omnis præsentia, quæ sufficit ad primam Absolutionem, *Suarez.*

Suarez Disp. 32. Sect. 6. n. 4. licèt, inquit, demus esse corporaliter præsentem, non potest absolutio ferri in ignorantem omnino, quid circa illum agatur; & nec formaliter, nec virtute consentientem in præsenti absolutione; quia valor Sacramenti non tantùm pendet ex intentione dantis, sed etiam ex voluntate recipientis, in dicto autem casu, voluntas hæc non intercedit; nam licèt pœnitens petierit & voluerit priorem Absolutionem, non tamen hanc posteriorem, de qua nihil cogitavit; imò, cùm putet, se jam sufficienter absolutum ab illis peccatis, nullam intentionem habet alterius Absolutionis.

140. Differentia inter hunc pœnitentem & eum, qui amens jam absolvitur.

In quo differt multùm inter hunc pœnitentem, & eum, qui amens jam, vel furiosus absolvitur: nam hic petiit Absolutionem, & in ordine ad illam confessus est, & in illa voluntate virtute permanet; ille verò, de quo agimus, solùm habuit voluntatem circa priorem Absolutionem, & ibi fuit quasi terminata & finita, & ideo circa aliam Absolutionem nec formalem nec virtualem voluntatem habet; requiritur ergo novus consensus ejus, qui non potest esse sinè nova monitione vel Confessione.

Accedit; quòd morale est, ut dispositio talis pœnitentis mutata fuerit, vel quòd de novo habeat materiam necessariam, sinè cujus Confessione jam non potest absolvi. Unde ferè semper exponet se Confessor morali periculo facil gi ita absolvendo.

Demique, quando Confessio fuit audita sinè jurisdi-

jurisdictione circa aliquod peccatum, Confessio quoad illam partem non fuit sacramentalis, quia non fuit accusatio coram legitimo Iudice: ergo non potest in illam cadere Absolutio, nisi aliquo modo iteretur, saltem per voluntariam subjectionem & consensionem pœnitentis. Hucusque Suarius.

141. An in casu proposito requiratur iteratio Confessionis.

Sed hæc ultima ratio non est universalis, ut patet: nam quando Confessarius invalidè absolvit defectu intentionis, liquet prorsus, Confessionem fuisse sacramentalem. Bene autem dicit Suarius: *Nisi aliquo modo iteretur*; quia non requiritur tali casu explicita repetitio omnium peccatorum, sed sufficeret unico verbo se accusare de peccatis anteà confessis, dicendo; *Peto Absolutionem peccatorum quæ nosti*, dummodo Confessor adhuc habeat saltem confusam eorum memoriam, ut alibi diximus.

142. Respondetur ad probationes Suarii pro parte affirmativa.

Porrò penultima probatio, quàmvis vera sit, quando longum tempus intercessit; equidem si statim post Absolutionem, invalidè data tam defectu intentionis, Confessarius mutet intentionem, & rursum absolvat, sive dum adhuc est pœnitens in sede confessionali; aut quàmvis recesserit, tamen adhuc moraliter est præsens Confessario, flectens prope sedem confessionalem, ibique v. g. audiens devotè Sacrum, & persolvens pœnitentiam sibi impositam; sanè nulla est ratio, ut credatur mutata dispositio talis pœnitentis, vel quòd de novo habeat materiam necessariam; ac proinde, quare ex hac parte non posset Confessor, post absolutum Sacrum, aut sub Sacro, ipsum iteratò absolvere, absque nova Confessione explicita vel implicita? Ergo nec illa probatio universalis est.

Pœnitens in casu proposito videtur habere voluntatem accipiendi Absolutionem.

Quòd attinet ad primam & secundam probationem; dico, pœnitentem habuisse à principio voluntatem accipiendi validam Absolutionem, ac proinde illam permanere habitualiter, quousque acceperit validam Absolutionem. Nec obstat, quòd putet, se jam validè absolutum; quia si Sacerdos primâ vice absolvat sinè debita intentione, & statim animadverso errore, repetat absolutè, vel sub conditione formam Absolutionis, nemo dicet, inquit Lugo.

Lugo.

Lugo disp. 22. n. 52. hanc secundam non esse validam ex defectu intentionis in pœnitente: ergo intentio pœnitentis non terminabatur ad priorem prolationem materialem illorum verborum, sed ad Absolutionem formalem & validam, quam cùm nondum acceperit, non est cur non perseveret. Hæc ille.

143. Probatur à simili.

Itaque error ille, sicuti in hoc casu, non tollit intentionem, ita neque in alio casu, quia solùm est error speculativus, & non practicus; quoniam si sciret pœnitens priorem Absolutionem non fuisse validam, absque dubio vellet hanc Absolutionem valere. Sicuti si Sacerdos, quando ordinatur, putaret characterem imprimi in aliqua actione antecedenti, & non in porrectione calicis & hostiæ, atque ideo jam tunc putaret se esse ordinatum, actuque validè ordinaretur, & reciperet characterem suo tempore; quia ille error speculativus non destruit intentionem, quam habuit, recipiendi Ordinationem, quando ei daretur.

Similiter; si pœnitens putaret se absolvi, quando dicuntur illa verba, *Dominus Iesus Christus te absolvat*, non verò per verba sequentia, atque ideo putaret se jam absolutum, non ideo esset invalida forma Absolutionis subsequens, quia error ille speculativus non destruit intentionem, quam habuit recipiendi Absolutionem.

Idem cernere licet in Sacramento Matrimonii: aliquis contrahit cum Catharina, putans esse Annam, valet Matrimonium, si voluerit absolutè contrahere cum præsente, quæcumque illa esset; quâmquam erret speculativè, existimans se habere Annam, cùm tamen sit Catharina. Ergo similiter in nostro casu, cùm pœnitens absolutè & simpliciter intendens suscipere validum Sacramentum Pœnitentiæ, sive hodie conferatur, sive cras, sive post unum annum, valebit Absolutio post annum data, si cætera adsint, estò putet se hodiè absolutum.

Quæris, unde sciam, pœnitentem habuisse tam generalem intentionem? Responsio; quia si interrogaretur, an solùm voluerit habere Absolutionem pro illo tempore, quo confitebatur; an verò etiam pro quocumque tempore subsequenti, suppositâ legitimâ dispositione; indubiè affirmaret, se numquam suam intentionem affixisse certo alicui tempori, sed indeterminato, pro quo potest durare Confessio; cum enim Confessio possit longo tempore præcedere Absolutionem, cur quæso pœnitens deberet limitare suam intentionem ad illud præcisè tempus, in quo primò confitetur? Nulla omnino est ratio, ad hoc pœnitentes obligandi.

Quid si enim statim post finitam Confessionem fiat amens? Numquid si post mensem ex ipsos priùs conferatur Absolutio, propterea erit invalida? Non est verisimile. Ergo pœnitens tamdiu manet in occasione illa, quâ voluit confiteri & absolvi, quamdiu potest validè absolvi.

Quod ergo dicit Dicast. disp. 10. n. 507. occasionem transiviſſe, quando pœnitens jam discessit, & absens est vel fuit, etiam si casu & per accidens in alia occasione iterum sit in conspectu & præsentia Confessarii, & per consequens cessasse intentionem pœnitentis; hoc, inquam, est petitio principii, & tam facile negatur, quàm asseritur.

Igitur nisi obstet indispositio pœnitentis, quæ post longum tempus à prima Confessione, meritò timetur; nescio, quare mutatâ intentione Confessarius non posset, nullâ prævia monitione

quòd iteratò possit absolvi sinè prævia admonitione.

monitione aut novâ Confessione. Quia tamen, sicut jam jam dixi, meritò sæpiùs timetur indispositio pœnitentis; & quia rariùs Absolutio invalida fuit defectu intentionis, sed maximè defectu jurisdictionis, v. g. quia Confessarius absolvit à casu reservato, cùm non haberet potestatem reservatorum; hinc quæritur, quid sit tali casu faciendum, an pœnitens admonendus de invaliditate; an verò relinquendus in bona fide, quâ putat se validè ab omnibus absolutum.

146. Navarrus putat posse dari Absolutionem absenti etiam à peccatis citans D. Antoninum.

Navar. in Man. cap. 26. n. 14. sic ait: Si Confessarius absolvit aliquem ab excommunicatione, aut à casu reservato, à quibus ipse non poterat, debet procurare facultatem absolvendi eum ab illis, & post habitam eam, absolvet eum præsentem, si præsentiam ejus habere potest; sin minùs absentem ab excommunicatione, quando voluerit, & à peccato reservato, quando ille in gratia esse videbitur, secundùm Antoninum 3. part. tit. 17. cap. 12. qui ait, multos insignes Theologos congregatos super hoc in quodam Concilio (Basilienſi) quod ipse citat ibi n. 13. concluisse, hujusmodi pœnitentem posse absolvi in absentia, etiamsi præsentia ejus haberi posset; sed scandalum immineret, dicendo ei, quòd nequaquam est absolutus, & propterea oportet ipsum iterùm confiteri.

Quod equidem ego refellere minimè audeo, licèt Nonnullis contrà videatur: & si prædictam facultatem habere nequit, admonere debet eum, si potest, ut se absolvere faciat à tali casu, aut peccato, à quibus ille non potuit. Non enim satis placet illud Directorii lib. 1. tit. 15. §. 143. scilicet, ut obtentâ absolvendi facultate, iterum pœnitentem accersat, & cautè fingat, se eum de aliquo peccato jam confesso interrogare velle, quo meliùs eum erudiat de nonnullis aliis, si postea commisit, & ab omnibus absolvere: tum quia rarò id sinè scandalo fiet; tum quia non potest illum ab illo peccato & aliis absolvere, nisi omnia peccata integrè ex proposito absque tali fictione confiteatur. Hæc ille.

147. Sed hæc sententia hodie non potest sustineri.

Sed placere nobis non potest Absolutio in absentia post Decretum Clement. VIII. ùt in principio Conclusionis ostendi. Nec placet, quòd Aliqui propter illa verba citent Navarrum, quasi docuisset, Confessarium in tali casu nihil debere agere, sed dolere tantùm de sua culpa; nam expressè dicit: Admonere debet eum, si potest. An autem possit, est alia quæstio. Improbat quidem illud Directorii. Sed numquid ideo improbat omnem alium modum?

An debeat admoneri pœnitens de defectu commisso.

Quid si enim pœnitens ultrò veniat ad Confessionem, quod periculum scandali, si Confessarius hortetur ipsum in communi, ut accuset se, & doleat de omnibus peccatis præteritis, & aliquando adhuc confessis? Putas quia Navarro displicuisset ille modus admonitionis? Noli putare, quia non est sapientis talem modum rejicere, qui nullum omnino adfert incommodum, saltem alicujus momenti, nec pœnitenti nec Confessario; & tamen sufficit ut pœnitens absolvatur à peccato, à quo priùs invalidè fuerat absolutus.

Sed quid, si non redeat ad Confessionem? 148.
Debet eum monere extra Confessionem, quando id fieri potest sinè scandalo, aut alio gravi respectivè incommodo. Vel ergo admonendus est in ipsa Confessione, quod commodiùs fieri potest; vel extra Confessionem, nisi aliquid aliud obstet. Hæc est communis sententia.

Quam Aliqui probant; quia illa carentia spiritualis gratiæ, quæ danda fuisset per veram Absolutionem eorum peccatorum, est grave damnum pœnitentis, cujus Sacerdos ille causa fuit: ergo tenetur illud resarcire. Probatur sententia affirmans.

Confirmatur. Nam si aliquis suâ culpâ baptizavit aliquem, fecitque Baptismum irritum, tenetur illum admonere; similiter Episcopus, qui alium invalidè ordinavit, propter spiritualia incommoda, quæ sequuntur: ergo similiter in præsenti. Confirmatur à similibus.

Sed hæc similia valde claudicant, si tamen similia vocari possint. Nam, inquit Suarez suprà n. 7. ex defectu Baptismi sequuntur gravissima damna ferè irreparabilia; quia si Baptismus non fuit validus, nec cætera Sacramenta erunt valida. Et idem est de Sacramento Ordinis: quia si aliquis existimetur Sacerdos, cùm non sit, sequuntur incommoda ministrandi invalidè cætera Sacramenta &c. Propter quæ vix potest admitti in his Sacramentis excusatio, nisi nocumentum aut scandalum esset gravissimum & inevitabile. In Sacramento autem Pœnitentiæ longè dissimilis est ratio, nisi fortasse in eo casu, in quo proximus propter hanc causam exponeretur periculo æternæ mortis, ùt si esset in mortis articulo, & non posset iterum confiteri, nec fortasse recepturus esset aliud Sacramentum: tunc postponenda esset alia difficultas, ut subveniretur tali proximo, ùt ex lege charitatis constat. Hæc ille. Quæ verissima sunt. 149. Sed rejiciuntur. Suarez.

Nec placet Lugoni suprà n. 56. prima ratio illius sententiæ; quia inquit, illud damnum & jactura gratiæ non tanti est, cùm possit mille aliis modis reparari, nec pœnitens ipse censetur graviter invitus circa illud, cùm possit sæpiùs & sæpiùs eadem peccata confiteri. Unde, quando Confessio fuit de solis venialibus à pœnitente, frequenter confiteri solito, putarem facilè excusari Confessarium à supplendo defectu, si fortè ex aliqua causa invalidè absolvit: quia pœnitens communiter non erit graviter invitus, sed potiùs præsumi potest, quòd ratum habebit, manere pro illa die cum Absolutione non valida; ut 150. Probatio quoque non placet Lugoni.

liberet suum Confessarium ab illa molestia & rubore in manifestando defectu commisso. Ita Eminent.

151. Contra Lugonem arguit Dicast.

Sed displicet Dicastilloni; cùm bonum, inquit, quo privatur, pœnitens, meritò tanti æstimaverit, ut propter illud subire voluerit onus difficile & grave, deferendi se & manifestandi suam conscientiam, quòd magni est momenti. Tunc autem meritò censetur aliquid magni momenti, quando propter illud obtinendum, prudentes rerum æstimatores, rem magni momenti gravem & difficilem præstant; talis est Confessio & manifestatio peccatorum gravium alteri homini; & gravius id adhuc censeri potest, cùm fuerit Confessio facta non Iudici, qualis est ille Sacerdos carens jurisdictione, & nisi ille acquisitâ jurisdictione absolvat, debebit, ut damnum reparetur, alteri confiteri. Quòd si inculpabiliter deceptus, id facere omittat, manebit quidem ille justificatus, & per aliam viam absolutus indirectè, quoties legitimè alia peccata confiteatur, semper tamen carebit gratiâ illâ sacramentali, quam debuisset tunc habere.

152. Responsio ad argumentum Lugonis,

Nec refert, quòd dicebatur, nempe illam gratiam posse mille aliis modis reparari, & illa ipsa peccata sæpiùs confiteri; quia quàmvis alia similis gratia possit acquiri, illa correspondebit novæ actioni, & novæ diligentiæ illius hominis, vel elicientis Contritionis novum actum, vel facientis novam Confessionem, ob quam debebitur, & dabitur illa gratia, quod non satis est ad reparandam læsionem illam antiquam, quòd fecerit Confessionem, & aperuerit conscientiam suam frustrà.

quæ probatur à simili.

Sicut in materia justitiæ, si fuisti causa, ut aliquis à te deceptus, non lucraretur actione suâ centum, quæ tali actione fuisset lucraturus, non eris liber à reparando (si possis) damno, propterea quòd ille possit mille aliis similibus actionibus tantumdem lucrari; semper enim manebit illa prior inæqualitas & læsio, & quidquid per alias similes actiones lucretur, semper respondebit illis actionibus, ita, ut semper maneat inutilis illa prior actio, & sinè fructu illi respondebit.

Ergo pari ratione in nostro casu, licèt possit per alias Confessiones acquirere tantumdem, non erit facta æqualitas cum frustranea manifestatione, donec illa etiam habeat aliquo modo suum effectum, collata Absolutione ex vi potestatis, quam acquisierit ille invalidè absolvens, nisi de hoc monitus (quando sinè inconvenienti potest moneri) ille pœnitens, acquiescat, aut sit aliter illi legitimè satisfactum. Idque præsertim apparet, quando putans se jam legitimè fuisse confessum, non ampliùs curat de recipienda directè remissiva gratia Absolutionis. Hucusque Dicast.

Addit Arriaga disp. 44. n. 11. saltem ratione periculi æternæ damnationis, videtur res illa esse gravissima; putabit enim pœnitens se esse securum, & negliget se melius disponere, eoque tempore mors interveniens illum occupabit in statu peccati: habet autem hoc argumentum majorem vim in sententia Lugonis & Suarii de Sacram. Pœnit. valdo & informi; contingere enim potest, ut ille accedat ad secundam Confessionem, cùm dolore limitato ad ea peccata, quæ tunc confitetur; ac proinde etiam per eam secundam Confessionem non remittantur nec nova, nec antiqua peccata, idque totum proveniet ex malitia ejus Confessarii; posset etiam id ipsum in aliquot sequentibus Confessionibus contingere: quis autem neget grave damnum fieri illi homini, eum exponendo eis periculis, ex sola nequitia Confessarii? Debebat ergo his illum monere, vel acceptâ jurisdictione absolvere, vel ad alium remittere. Hæc ille.

Sed nihil contra Lugonem; qui solùm loquitur de Confessione venialium, ex cujus invaliditate nullum hujusmodi sequitur periculum, sed purè carentia alicujus gratiæ, quæ licèt in se foret magni momenti, ut proinde malitiosè invalidè absolvens graviter peccaret; equidem tanti esse momenti, ut peccet mortaliter Confessor, qui, ne seipsum infamet apud pœnitentem, tacet defectum commissum, ut video: præsertim cùm non possit ipsum iteratò absolvere, quia ignorat dispositionem, nisi de novo confiteatur; & sive sciat defectum, sive non, multùm verisimile est, quod propterea non citiùs solito confitebitur.

Et dato; quòd in sequenti Confessione priora peccata non confiteatur, quæ purat legitimè absoluta, tamen non ideo recipit minorem gratiam, quàm si & illa rursum confiteretur; & non dubito, quin si aliqua remittantur præter illa, quæ de facto confitetur, quæ hæc primo loco; cùm per ipsum pœnitentem non steterit, nec stet, quòd per Absolutionem directè fuerint remissa & remittantur; nam si sciret invaliditatem prioris Confessionis, & rursum confiteretur.

Quantùm ad Confessionem mortalium, estò invalidè Sacerdos absolvisset à peccato aliquo reservato, si tamen alia non reservata erant adjuncta, constat Absolutionem fuisse validam respectu horum, & per consequens peccatum reservatum per eamdem indirectè fuisse remissum, nec propterea pœnitentem minorem recipisse gratiam, quæ non proportionatur peccatis confessis, & absolutis, quasi qui plura confitetur, & à pluribus absolvitur, majorem recipiat gratiam, sed dispositioni, quâ unum vel plura peccata pœnitens confitetur: ergo per illam Absolutionem, invalidam quoad peccatum reservatum, nullius gratiæ internæ passus est detrimentum, sed hoc tantùm effectum, quòd iteratò

iteratò debeat illud peccatum confiteri eo ipso quòd noverit, invalidè fuisse absolutum, id est, manſit obligatio confitendi illud peccatum, quæ parùm nocet pœnitenti, quousque non ſcit invaliditatem Abſolutionis. Cur ergo Confeſſarius, cum rubore & verecundia, ſub gravi peccato debeat iſtum defectum indicare pœnitenti? Cur non ſufficiat, quòd doleat de ſua culpa commiſſa, & eam confiteatur ſuo Confeſſario? Certè non video tantam obligationem, ſaltem ratione carentiæ gratiæ, quæ danda fuiſſet per primam Abſolutionem.

156. Quid ſi fuerit invalida reſpectu omnium?

Sin autem Abſolutio reſpectu omnium peccatorum fuerit invalida, tunc res habet majorem difficultatem propter maximum damnum, quod ſequitur pœnitenti, ſcilicet carentiam ſtatûs gratiæ, & per conſequens periculum damnationis æternæ, caſu quo abſque nova Confeſſione & Abſolutione valida contingat eum decedere ex hac vita; ut proindè exiſtimem, tunc ſaltem Confeſſarium pœnitentem debere admonere de defectu commiſſo; & ni fecerit, quando poteſt, ſinè alio graviori incommodo, quàm rubore & verecundia, peccare mortaliter; præſertim ſi defectus fuerit culpabilis.

Immo puto; quòd tunc etiam majora incommoda non excuſarent, quia eſt res graviſſima, contra ſuam voluntatem permanere filium diaboli & capitalem inimicum Dei; ac proinde privari omni merito de condigno gratiæ & gloriæ cum periculo, ût dixi; licèt non ſemper proximo, æternæ damnationis. Puto etiam, non ſufficere ſolam admonitionem; ſed, ſi fieri poſſit, Confeſſarium per ſeipſum debere abſolvere; ne pœnitens cogatur alteri, cum maxima aliquando difficultate, eadem peccata in particulari confiteri, cùm eidem Confeſſario, qui adhuc habet notitiam peccatorum, facilè poſſet iteratò confiteri, ſolùm explicando in genere peccata, quæ anteà confeſſus fuit.

157. Quid ſi Confeſſarius ſciat poſtea pœnitentem fuiſſe validè abſolutum?

Sed quid, ſi Confeſſarius ſciat, poſt ſuam Abſolutionem invalidam pœnitentem ab alio validè abſolutum? Exiſtimo, non eſſe admonendum, ſaltem propter carentiam gratiæ prioris Sacramenti; quia illam recuperare non poteſt, niſi per novam Confeſſionem, & illam gratiam jam accepit per Confeſſionem, factam alteri Sacerdoti. Tunc ergo admoneri debet propter materialem tranſgreſſionem legis divinæ, quæ præcipit Abſolutionem directam omnium peccatorum, qualem hic nondum accepit, ût ſuppono; illam autem præcavere debet, qui hujus tranſgreſſionis poſuit cauſam, idque ût putat Lugo ſuprà n. 58. cum majori ſuo incommodo, qui culpabiliter, quàm qui ſinè culpa.

Lugo.

Confeſſarius qui culpabiliter invalide abſolvit ampliùs obligatur, quàm qui inculpabiliter.

Quod quidem, inquit ille, in aliis materiis manifeſtum eſt, præſertim in materia juſtitiæ: nam ſi culpabiliter aliquem infamaſti, debes etiam cum incommodo tuo illius famam reſarcire; ſi verò inculpabiliter, quia v. g. credebas publicum, quod erat ſecretum, vel credebas verum crimen, quod audieras à fide dignis, cùm eſſet falſum; tunc teneris quidem, ſi abſque incommodo pores, revocare quod dixeras, non tamen cum incommodo tuo gravi, ût cum Aliis docet Leſſius lib. 2. de Juſt. c. 11. dub. 22. n. 116. quod idem eſt de quocumque, qui damnum inculpabiliter intulit. Idem ergo dicendum videtur in materia præſenti, cùm procedat eadem ratio in ipſa, quæ in aliis. Hæc ille.

158. Objectio ex Arriaga.

Sed contrà arguit Arriaga ſuprà n. 14. Si duo, unus ex malitia, alter invincibiliter dixiſſet Petro: *Hodie non eſt Feſtum, non teneris audire Sacrum*; cùm tamen re ipsâ eſſet Feſtum, non crederem, ad tollendum errorem magis obligari unum, quàm alterum; quia Petro in toto rigore neuter intulit injuriam aut damnum: illa enim omiſſio materialis Sacri, non eſt ei mala, ſuppoſitâ ignorantiâ invincibili; ac proinde ipſe Petrus non magis optat ab uno, quàm ab altero eam auferri; immo fortaſſe gaudet non auferri.

Si autem conſideremus damnum quaſi illatum ipſo præcepto divino, quod tunc non ſervatur, difficile eſt creditu, quòd illud magis debeat tolli ratione culpæ præcedentis: ibi enim ſunt duo præcepta, unum non dandi Abſolutionem ſinè juriſdictione; huic jam non poteſt ſatisfieri: alterum confitendi integrè omnia peccata; hoc à neutro ex illis Confeſſariis eſt adhuc violatum, ſed data cauſa, ut materialiter tantùm violetur à pœnitente. Cur ergo, quæſo, hoc præceptum magis obligabit unum Confeſſarium, quàm alterum, ex eo quòd unus peccaverit contra aliud præceptum, alter contra nullum? Eſt ergo adhuc probabilis ſententia Suarii ſuprà n. 6. nullam faciens diſtinctionem ex hoc capite inter eos duos Confeſſores. Hactenus Arriaga.

propter quam putat ſententiam Suarii adhuc eſſe probabilem

159. Quæ fuerit ſententia Suarii.

Ego autem dico Primò: tametſi Suarius nullam faciat diſtinctionem ex hoc capite inter eos duos Confeſſores; non tamen etiam negat eam diſtinctionem; ſolùm enim contendit, utrumque Confeſſorem teneri alium admonere, ut in re ipſa præceptum divinum impleat, quando ſinè gravi nocumento ipſius Confeſſoris, & ſinè ſcandalo id fieri poteſt, an verò idem nocumentum reſpectu unius poſſit eſſe grave, & non reſpectu alterius, ibi non diſputat.

Exiſtimo, inquit Suarez, inter hos Auctores non poſſe eſſe in re ipſa differentiam; quia hæc opinio poſterior vera eſt per ſe loquendo, id eſt, quando ſinè gravi incommodo, & ſinè ſcandalo id fieri poteſt; nam tunc poteſt prodeſſe monitio Confeſſoris, & non affert nocumentum alicui: ergo tenetur eam facere, quia ipſe fuit in cauſa, ut divinum præceptum

non impleretur in re ipsa : ergo tenetur alium admonere, ut re ipsâ impleat.

Unde ad hoc non refert, quòd fortasse Confessor priùs non peccaverit ; quia ex facto ipso hæc obligatio nascitur, si postea sufficienter intelligatur. Sicut qui alium decepit, dicens, hodie non esse diem festum, cùm verè sit, tenetur illum maturè admonere, si potest, ne in re ipsa præcepti observatio omittatur, etiamsi ille esset per ignorantiam invincibilem excusandus. Denique in universum Iudex, si malè tulit sententiam, tenetur illam declarare, si commodè potest. Hæc ille.

160. Qui culpabiliter est causa alicujus damni, magis obligatur, quàm qui inculpabiliter.

Putas autem, quòd Iudex, qui culpabiliter tulisset malam sententiam, non teneretur cum majori incommodo declarare illam, quàm qui tulisset sinè culpa ? Non est verisimile. Nec puto Suarium id uspiam docuisse, & tamen etiam in illo casu oritur obligatio ex facto ipso, & non præcisè ex peccato Iudicis.

Probatur variis exemplis.

Idem est, si unus culpabiliter, alius autem inculpabiliter persuadeat alicui, Spiritum S. non procedere à Filio ; putas, quia uterque cum æquali incommodo debeat auferre illum errorem ? Et nonne est error pœnitentis, quòd putet se satisfeciisse præcepto divino, cùm reverà non satisfecerit ? Cur ergo qui culpabiliter est causa illius erroris, non teneatur cum majori incommodo illum tollere, quàm qui inculpabiliter ?

Nonne ipse Arriaga suprà in principio numeri allegati admittit, si consideremus damnum illatum proximo ablationis gratiæ, magis teneri ad illud resarciendum ; Confessarium, qui culpabiliter nocuit, quàm alterum, qui inculpabiliter ? Cur ergo consimiliter, si consideremus errorem causatum in intellectu pœnitentis ; si expendamus damnum, quod infertur per materialem transgressionem ipsi præcepto, & quodammodò Deo præcipienti ; si attendamus materialem transgressionem præcepti divini, quæ licèt non sit mala formaliter, sive malum formale pœnitentis, est tamen mala materialiter seu malum materiale pœnitentis ; cur, inquam, non pari ratione dicimus, magis teneri ad illud impediendum, qui culpabiliter, quàm qui inculpabiliter posuit ejus causam ?

161. Qui culpabiliter apposuit ignem magis obligatur, quàm qui inculpabiliter.

Nonne qui culpabiliter apposuit ignem domui alterius, cum majori incommodo tenetur incendium extinguere, quàm qui sinè culpa ? Et qui sinè culpa, magis obligatur, quàm qui nullo modo ignem apposuit ? Et admisso, prout suprà admisimus, quòd non quilibet privatus teneatur ex lege correptionis fraternæ impedire peccatum materiale contra legem humanam ; equidem contra legem divinam, vel naturalem, tenetur, quando commodè potest ; quantò magis, qui dedit causam illius peccati, culpabiliter vel inculpabiliter ; & quidni primo loco, qui dedit causam culpabiliter ? Non dubito.

Enimverò hoc ipso quòd aliquis scienter persuadet alteri, non audire Sacrum die festo, dicendo : *Hodie non est festum, non teneris audire Sacrum*, jam peccavit, saltem indirectè, contra præceptum audiendi Sacrum ; quidni ergo cum majori incommodo teneatur illam transgressionem materialem impedire, quàm alius, qui bonâ fide, nesciens esse diem festum, id dixit ?

Igitur Sacerdos, qui malâ fide absolvit invalidè suum pœnitentem, & re ipsâ quasi dixit : *Non teneris iterum illa peccata confiteri, quia directè absoluta sunt*, eo ipso, saltem indirectè, peccavit contra præceptum divinum integrè confitendi, quia voluntariè dedit alteri causam positivam illud præceptum non adimplendi ; quid ergo mirum, si teneatur cum majori incommodo procurare integram Confessionem, quàm ille, qui id fecit inculpabiliter ?

Sic tamen, ut incommodum non sit respectivè grave, id est, gravius malum omnibus consideratis, quàm sint materialis transgressio legis divinæ, & alia incommoda, quæ possent indè sequi pœnitenti. Hinc illud incommodum, quod excusat pœnitentem ab integra Confessione, indubiè etiam excusat Confessarium ab illa admonitione.

Deinde bene considerandum scandalum, quod sequi potest in ipso pœnitente, & imbiè evitandum est, ut passim Auctores monent ; quandò docent, Confessarium teneri admonere pœnitentem, dum sinè scandalo ea monitio fieri potest.

Solus, quem scio, Arriaga se opponit suprà n. 11. dicens : Ego (ut verum fatear) hìc non video ullum periculum scandali ; cùm enim res sit secreta, non aliud esse potest scandalum, quàm quòd pœnitens agnoscat Confessarium iniquè se gessisse ; hoc autem periculum sibi debet Confessarius imputare, qui eam causam dedit. De scandalo igitur nihil ibi timendum. Hæc ille.

At, meo judicio, de scandalo multùm ibi timendum ; quia datur occasio pœnitentibus temerè suspicandi de aliis Confessariis similem defectum, & plures tales defectus de hoc Confessario ; datur occasio pœnitentibus, vitandi imposterum talem Confessarium, qui fortè est necessarius est ad salutem ; datur occasio murmurandi, indignandi, detrahendi Confessario, & fieri potest, ut admonitus, nolit amplius sua peccata confiteri ; adeòque jam peccet formaliter contra integritatem Confessionis, ubi non admonitus peccasset solùm materialiter.

Quid videtur tibi benignè Lector, nihil hìc de scandalo est timendum ? Certè, qui hæc scandala non videt, oculos non habet apertos ad videndum. Hæc ergo omnia dispiciantur, & secundùm dictamen prudentiæ Confessarius

admoneat, vel non admoneat pœnitentem, intrà, vel extra Confessionem, salvo semper sigillo. Quod Arriaga suprà n. 12. putat salvum, si in genere dicat: *Ego te non absolvi*, non declarando, utrùm defectu jurisdictionis, an intentionis. Habetque locum hæc admonitio, etiamsi defectus fuerit ex parte pœnitentis, quia etiam ratione illius dicere verè poterit Confessarius: *Ego te non absolvi.* Ita Arriaga. Verè an falsò, facilè colliges ex dictis Sect. præced.

Sed numquid idem faciendum Confessario, quando Absolutio fuit valida, licèt inquè data, quia non admonuit pœnitentem debitæ restitutionis, aut non satis examinavit numerum, species, aliasve circumstantias? Respondeo:

CONCLUSIO VII.

Confessarius, qui suâ culpâ non admonuit pœnitentem debitæ restitutionis, non tenetur restituere, etsi sit proprius Pastor. Tenetur admonere, quando potest sinè gravi respectivè incommodo. Qui autem suasit non restitutionem (etsi non sit proprius Pastor) restituet in defectum pœnitentis, nisi tempestivè & efficaciter revocet suum consilium. Non satis examinavit numerum, speciem &c. peccatorum, examinet si redeat ad Confessionem, nisi aliquid obstet.

165. Causæ privativæ damni non debent restituere, nisi ex officio obligentur.

SUppono ex Tract. de Iust. & Iure, causas privativas damni (quales censentur, mutus, non obstans, non manifestans) non teneri ad restitutionem, nisi ex officio obligatæ fuerint ad damnum impediendum. Ratio est; quia alioquin non obligantur ex justitia, sed solùm ex charitate; non oritur autem obligatio restituendi, nisi ex damno illato per actionem injuriosam. Hoc supposito,

Probatur 1. pars Concl.

Probatur prima pars Conclusionis: Confessarius, etsi sit proprius Pastor, non tenetur ex officio procurare bonum corporale aliorum; sed tantùm bonum spirituale pœnitentis: ergo non manifestans pœnitenti debitam restitutionem, non peccat contra justitiam respectu aliorum, sed tantùm contra charitatem: ergo non tenetur aliis restituere, quoniam violatio solius charitatis non inducit necessitatem restituendi; nisi dixeris, hominem privatum obligari ad restitutionem, si vnico verbo possit inducere furem, ut restituat, & tamen taceat.

166. Docet Cajetanus causas privativas aliquando obligari ad restitutionem etsi ex officio non teneantur.

Quod licèt Aliqui videantur asserere, tamen absque solido fundamento, ùt jam ostendo ex Cajet. verb. *Restitutio* cap. 1. §. Advertè quòd in his tribus immediatè præcedentibus capitibus, scilicet mutus, non obstans, non manifestans, quàmvis verum sit regulariter, quòd soli illi, quibus ex officio incumbit loqui, obstare aut manifestare, comprehendantur, verùm tamen quoque est, comprehendi illos, qui ex occurrenti articulo necessitatis urgentis, manifestè tenentur & possunt absque suo damno & periculo: ùt si quis sciat invasurum aliquem domum alterius, & rapturum seu furaturum, & nisi ipse præsignificet, sequetur furtum, & potest absque periculo & damno providere, reus est furti: sicut reus esset homicidii, si eodem modo sciret homicidium futurum, & posset providere, & non curaret. Et quia est causa injustæ actionis, quàmvis indirectè, ad restitutionem tenetur. Hæc ille.

sed sinè solido fundamento.

Sed, ùt vides, absque solido fundamento; hoc enim est, quod quæritur, an qui solùm est causa privativa injustæ actionis, teneatur ad restitutionem, & si ipse affirmando probavit, ego negando reprobavi.

167. Objicitur c. 47. de Sent. Excom.

Objiciunt Aliqui cap. *Quanta* 47. de Sent. Excom. ibi: *Ne autem solos violentiæ huiusmodi auctores aliquorum præsumptio existimet puniendos, facientes & consentientes pari pœnâ plectendos, Catholica condemnat auctoritas: Eos delinquentibus favere interpretans, qui cùm possunt, manifesto facinori desinunt obviare.* Ubi pari pœnâ condemnatur ab Ecclesia, qui manus injiciunt in Clericos, & qui consentiunt injicientibus. Ergo æqualiter peccant contra justitiam, & æqualiter tenentur ad restitutionem.

Solvitur.

Respondeo cum Glossa verb. *Consentientes: Hoc intellige per comparationem præstando auctoritatem, quia tunc eâdem pœnâ puniuntur facientes & consentientes.* Et verb. *Interpretans* sic ait: *Alii dicunt, quòd ad solos Prælatos sive Iudices, vel alios, qui habent aliquam potestatem in alios, hoc pertinet, & ad hoc tenentur ratione potestatis, non alii 23. q. 4.* Fortè. *& cap.* Duo illa nomina. *Vnde si ego, qui non habeo aliquam potestatem, video, quòd aliquis vult verberare Clericum sive percutere, sine meo consilio, vel auxilio, non credo, quòd sim excommunicatus: si non prohibeo illum, licèt alias fortè peccem, quia ipsum non defendo, cùm possim; pœna enim non debet amplius egredi, quam delictum reperiatur sup. de his quæ fiunt à na. part. cap.* Quæsivit & C. *de pœ.* Sancimus. *Et quod dicit*, Qui cùm possint, *intelligo de his, qui ratione potestatis, quam habent in illos, ad hoc*

tenentur, aliàs consentire videntur, & præstare auctoritatem, si viuent illum, & non prohibent.

168. Replica. Sed dicet aliquis; Confessor ex officio tenetur impedire non restitutionem: ergo si non impediat, interpretatur favere delinquenti seu non restituenti: ergo pari pœnâ plectendus: ergo pariter obligatur ad restitutionem.

Solvitur. Resp. Neg. ultimam Conseq. quia restitutio solùm debetur ex actione injuriosa; pœna autem excommunicationis, vel alia, infligi potest propter quodcumque peccatum mortale, etiam solùm contra charitatem, ut clarum est. Quòd autem illa omissio admonitionis, seu permissio non restitutionis, licèt ex officio Confessarius teneatur admonere, non sit actio injuriosa, jam suprà diximus; quia officium ejus non respicit, nisi ipsum pœnitentem, seu bonum pœnitentis: ergo licèt peccaret contra justitiam respectu pœnitentis, haud equidem respectu creditorum: ergo licèt teneretur ad restitutionem damni spiritualis, quod indè patitur pœnitens; secùs ad restitutionem damni temporalis, quod indè provenit creditoribus.

169. Objicitur aliud jus, scilicet c. 6. de Homic. Ex his facilis est solutio alterius juris, cap. *Sicut dignum* 6. de Homicidio. Ubi Alex. III. sic scribit: *Illi etiam, qui non ut ferirent, sed ut percussoribus opem ferrent, si fortè per aliorum violentiam impedirentur, paulò minori debent pœnâ mulctari: quia cùm scriptum sit:* Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberavit, eum occidit: *consilat ab homicidii reatu immunes non esse, qui occisoribus opem contra alios præstare venerunt, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.*

Solvitur. Facilè, inquam, respondetur ad hoc jus: tales quidem non esse immunes ab homicidii reatu, scilicet interno; attamen liberos esse ab externo homicidii reatu, & ideo, quàmvis puniendi sint, haud equidem restituere tenentur; cùm obligatio restitutionis non oriatur ex peccato interno, sed ex actu externo, injustè damnificante. Et ita in casu proposito, estò Confessor posset peccare contra justitiam actu interno, ideo non admonens pœnitentem de facienda restitutione, quia complacet sibi in injusta retentione rei alienæ; nihilominus non teneretur ad restitutionem, quæ, sicut dixi, non oritur nisi ex actione externa, injustè damnificante, qualis non est illa actio, seu potiùs omissio actionis.

Dicitur ergo occidere, qui potuit hominem liberare à morte, & non liberavit, dicitur, inquam, occidere privativè; sicut dicitur ex D. Ambrosio dist. 86. c. 21. *Pasce fame morientem. Quisquis enim pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti,* nempè privativè; & ideo tantùm ibi est culpa homicidii, ut opponitur charitati, non autem, ut est contra justitiam, & ideo non oritur obligatio restitutionis. Ergo similiter in casu nostro.

D. Ambros.

Si dixeris; is, qui suadet alteri, ne impediat furem aut latronem, aggredientem alium quem, tenetur ad restitutionem: ergo etiam is, qui non impedit, dum facilè potest.

Resp. si alter ex justitia teneatur impedire furem vel latronem, Concedo totum; sin autem solùm ex charitate, Neg. Antec. nisi id faciat vi vel fraude: nam unusquisque habet jus, ut alius, qui potest ipsum liberare, si velit, etsi non teneatur ex justitia, sed solùm ex charitate; ut, inquam, maneat liber; quando ergo illa libertas vi vel fraude auferetur seu impeditur, fit vera injuria illi tertio, qui habebat jus justitiæ ad illud auxilium, non quidem simpliciter, sed quatenus erat positum in libera alterius voluntate.

Sin autem suadeat sinè vi vel fraude; cùm tunc non auferatur ejus libertas, sicut ipse, qui non impedit, dum facilè potest, non peccat contra justitiam, & per consequens non obligatur ad restitutionem; sic nec ille, qui suadet non impedire. Simile sit in illo, qui suadet Ioanni, ne Petrum instituat suum hæredem, quod alioquin jam constituerat facere; si id suadeat sinè vi vel fraude, non tenetur ad restitutionem; secùs si vi vel fraude.

Arguis rursum; Gubernator Reipubl. qui non impedit furta, quæ facilè posset impedire, tenetur civibus suis ad restitutionem: ergo similiter Confessarius creditoribus sui pœnitentis, cujus injustam retentionem non impedit, cùm facilè posset impedire.

Resp. Neg. Conseq. do disparitatem: quia Gubernator tenetur ex officio, respiciente bonum temporale eorum, qui damnum patiuntur; nam officium ejus respicit pacem & securitatem civium, saltem circa vitam eorum & fortunas, undè ei vicissim tributa præstantur & munera. Quid autem simile reperitur in Confessario, respectu eorum, quorum pœnitens bona injustè retinet?

Urges; Superior, non impediens detractionem subditi, tenetur infamato ad restitutionem famæ in defectum subditi: ergo &c.

Respondet Malderus de Iustitia tract. 2. c. 2. dub. 2 Advertendum est, non teneri superiorem ex justitia semper ex tempore se opponere talibus injuriis subditorum, cum his multis incommodis obnoxium esset, ad æternam tamen correctionem ex charitate tenetur. Tenebitur ergo Prælatus restituere infamato, si nolit suo tempore detractorem ad restitutionem cogere, aut si nolit jus dicere conquerenti, & secundùm leges compellere diffamatorem, ut probet, & deficientem punire: neque enim Prælatus subdito adest, ut eum ex officio cohibeat, ne cui detrahat, sicuti Centurio ex officio adest militi, ne quem in itinere concutiat.

Præterea etiamsi Prælatus ex justitia teneretur hìc & nunc corripere subditum detrahen-

tem,

tem, non indè sequitur, quòd omittens teneatur infamato: quid si enim ex justitia obligatus sit solùm in bonum spirituale detrahentis, non autem in bonum famæ infamati? Ex quo fundamento Confessarius, qui absolvit non injunctâ debitâ restitutione, non tenetur creditori, ùt alibi diximus, quàm vis teneatur pœnitenti, si injungat ei ex lata culpa aut dolo restitutionem faciendam, quæ facienda est per alium. Hactenus Malderus.

173. Responsio Lugonis.

Lugo autem suprà n. 70. respondet ad hoc argumentum, Neg. Conseq. Ratio, inquit, discriminis est, quòd Prælatus est etiam caput politicum suorum subditorum: quare tenetur eos gubernare in ordine ad bonum commune aliorum civium, sicut dominus tenetur gubernare suos servos, & procurare, ne inferant damna aliis civibus: illi enim, qui caput est politicum, tribuuntur & imputantur damna à subditis illata; Confessarius autem non est caput politicum pœnitentium sed solùm Medicus spiritualis ipsius, nihil aliud respiciens, nisi bonum solius pœnitentis, sinè ordine ad alios, quibus ipse nihil debet, sed soli pœnitenti.

Probatur à simili.

Sicut, si infirmus, ob Medici negligentiam, qui medicinam opportunam non dedit illi, incidit in amentiam, & furiosus aliquem occidit, Medicus non tenetur restituere, quia ipse non se obligaverat aliis, sed soli infirmo, cujus solius bonum debebat procurare; & licèt omiserit id, quod ex officio debebat, non tamen ex officio, respiciente alios, præter infirmum. Aliud esset, si dedisset positivè & culpabiliter medicinam contrariam, quæ furorem & insaniam attulit: tunc enim, si prævisum fuisset homicidium, fortasse teneretur Medicus ad restitutionem. Sic ergo dicendum est cum proportione de Confessario, qui est Medicus spiritualis & Pastor solùm in ordine ad pœnitentem. Hucusque Eminent.

Utraque solutio satisfacit; ac proinde manet vera prima pars Conclusionis, scilicet: *Confessarius, qui suâ culpâ non admonuit pœnitentem debitæ restitutionis, non tenetur restituere, etsi sit proprius Pastor.* Quantò minùs tenebitur, qui inculpabiliter tacuit?

174. Qui non admonuit pœnitentem debitæ restitutionis, debet eum postea admonere.

Sed numquid uterque tenetur pœnitentem postea admonere, eique ostendere obligationem restituendi? Prorsus tenetur, *Quando*, ùt habet sequens pars Conclusionis, *potest sinè gravi respectivè incommodo.* Dico: *Respectivè*, id est, comparatione tum culpæ commissæ, juxta dicta Conclus. præced. ita ut magis incommodum subire debeat, qui ex gravi culpa tacuit, quàm qui ex levi, aut nulla culpa, tum comparatione damni, quod alius patitur ex non restitutione, ùt infra latiùs explicabo.

175. Limitatio quædam Lugonis.

Aliam limitationem addit Lugo suprà n. 65. dicens: De utroque autem credo, teneri postea admonere pœnitentem, quando pœnitens ex illa omissione, & silentio Confessarii, moveri potest ad credendum licitum, & faciendum id, quod est illicitum, & in damnum tertii; secùs verò, si pœnitens ex illo Confessarii silentio non moveatur.

quam examinat Auctor.

Verùm enimverò, si Eminent. intelligat motionem positivam, qualis provenit ex positiva suasione non restitutionis, puto hanc minimè necessariam; vel si necessaria est, non video, quomodo excusetur à restitutione, qui suâ culpâ omittit admonitionem; nam qui suadet positivè non restitutionem, ùt habet sequens pars Conclusionis, & Omnes communiter docent, tenetur ad restitutionem: ergo si omissio admonitionis æquivaleat suasioni, & perinde moveat, ac si Confessarius expresè diceret: *Noli restituere, quia non teneris*; quidni ex illa omissione oriatur obligatio restitutionis, sicuti oritur ex illis verbis?

176. Ratio Adversariorum, quâ probant, Confessarium qui tacet debere restituere.

Atque hæc est ratio Adversariorum, quâ moventur, ut obligent Confessarium, qui tacet, dum loqui deberet, ad restitutionem, quia, inquiunt, qui tacet, quando ex officio loqui deberet, virtualiter dicit, non esse obligationem restituendi: ergo est causa moralis & positiva, quòd pœnitens non restituat, & per consequens tenetur ipse ad restitutionem.

177. Responsio Lugonis.

Resp. Card. suprà n. 68. Confessarium teneri ex officio ad monendum; non ex officio in ordine ad creditores, sed solùm in ordine ad pœnitentem, cui soli, & non aliis obligatur ex officio: tunc autem negatur, omnes qui ex officio quocumque modo tenentur monere & tacent, virtualiter docere contrarium; possunt enim tacere ex oblivione, ex metu, ex verecundia: non ergo est causa moralis Confessarius illius retentionis, nisi valde impropriè. Hæc ille.

178. Taciturnitas in casu proposito aliquando æquivalet doctrinæ contrariæ, Dicastillo.

In quibus verbis insinuat, aliquando taciturnitatem æquivalere doctrinæ contrariæ; quando autem hoc sit, non explicat: immò, ùt notat Dicastillo suprà n. 524. non est facilè discernere, sed judicio prudentis discernendum est.

Unum, inquit hic Auctor, adhibeo exemplum, quod mihi occurrit, in quo sola taciturnitas videatur esse dare consilium, aut dicere seu concedere, quòd non teneatur restituere. Nempe si pœnitens dicat Confessario: *Ego talem contractum inivi cum Petro, & vestra Reverentia bene scit, quòd ista res licitè potest fieri, nec est cur sim solicitus nec scrupulosus* &c. ille autem Confessarius absque sufficienti causa tacendi, taceat; tunc physicè omninò ille tacuit, quia nullum verbum dixit; moraliter tamen censetur approbare suâ taciturnitate id, quod facit pœnitens.

Unde si videat pœnitentem non restituere, & paratum esse talia facere, nixus illius Confessarii sic tacentis auctoritate, quem, quia tacet, & non contradicit, eo ipso putat consentire

sentire & approbare; tunc non videtur merum silentium, sed externum signum annuentis tali sententiæ, cui non contradicit.

An tunc Confessarius tacens teneatur ad restitutionem.

In iis ergo & similibus casibus non ausim negare, Confessarium tacendo peccare contra justitiam, & esse restitutioni obnoxium. Tunc ergo tantùm contra justitiam non peccat, quando solùm negativè se habet, non solùm tacendo, sed tali silentio, ut non censeatur tacendo consulere, aut approbare id, quod non reprobat loquendo. Ita Dicast.

179. Quando taciturnitas non æquivaleat doctrinæ contrariæ.

Quæris à me, de qua ergo motione intelligendus veniat Lugo, quandoquidem tali casu neget obligationem restituendi. Respondeo: de motione planè per accidens, v. g pœnitens confitetur aliquod peccatum, dubitans, utrùm teneatur ad restitutionem; cogitat, si Confessarius taceat, non restituam, secùs si admoneat; interim Confessarius tacet culpabiliter, vel inculpabiliter, dico; tali casu, quàmvis pœnitens moveatur ex illa taciturnitate ad non restituendum, equidem Confessarius non tenetur ad restitutionem; quia illa taciturnitas non est approbatio ejus, quod facit pœnitens, neque æquivalet virtualiter aut moraliter consilio, sed ex ea merè per accidens, ex imprudentia sua movetur pœnitens ad non restituendum, cùm scire possit & debeat, Confessarium sæpè ex oblivione tacere, aut ex alia causa, v. g. quia supponit pœnitentem satis instructum, & aliundè scire suam obligationem.

180. Qui suo malo exemplo provocat alterum ad furtum, non tenetur ad restitutionem.

Sicuti, qui malo suo exemplo provocat alterum ad furtum, non tenetur ad restitutionem, quia licèt exemplum aliquando plùs moveat, quàm verba, equidem exemplum ad hoc ex natura sua non ordinatur; verba autem consulentis expresè furtum, ex natura rei ad hoc ordinata sunt, ut alteri furtum persuadeatur; adeòque in communi æstimatione hominum, consulens censetur causa efficax damni; secùs qui furto suo alterum movet ad furandum: quia illud furtum non est nisi causa valde remota, & per accidens alterius furti. Unde nullus putat mihi fieri injuriam ab illo fure, qui solùm per suum exemplum est causa, cur alter res meas furetur.

Censes, quia si quis, propter furtum rei suæ, tantum dolorem concipiat, ut indè moriatur, censes, inquam, quia mortem suam furi poterit imputare, tamquam causæ morali, sibique injuriosæ? Absit; quia merè per accidens sequitur ex illo furto, sed sibiipsi potiùs debet imputare, qui irrationabiliter tantùm dolet.

181. Quid si cogat ipsum secum potitare.

Hinc si quis, etiam per vim, cogat alterum secum potitare, quàmvis sciat, quòd alter occasione illius compotationis postea furabitur, non tamen tenetur ad restitutionem, neque ipsi furi, neque tertio; quia hoc furtum non sequitur per se ex illa actione injusta alterius, sed per accidens ex malitia furis.

Sin autem vi vel fraude aliquem constituat in talibus circumstantiis, in quibus moraliter loquendo vix ullus non peccat; v. g. cogis aliquem cohabitare personæ lubricæ, & cum illa habere secretas conversationes; cùm hæc cohabitatio & conversatio sint causa proxima peccati alterius, teneris ad restitutionem damnorum tam spiritualium, quàm temporalium, quæ ex peccato alteri, vel tertio ùt plurimum sequuntur.

Sic ergo in casu proposito, estò pœnitens non restituat, quia Confessarius tacet, restitueret autem si Confessarius loqueretur; equidem hæc taciturnitas non est causa per se & proxima, sed per accidens & remota, cùm ex natura sua non ordinetur ad illam non restitutionem: nam pœnitens restituere tenetur, etiam tacente Confessario, & si aliquando dubitet, tenetur Confessarium desuper interrogare; si ergo non faciat, & propter taciturnitatem Confessarii, fortè ex oblivione, ex metu, reverentia, vel alia causa provenientem, non restituat, hæc non restitutio minimè Confessario tamquam causæ per se; sed ipsi pœnitenti, ejusque ignorantiæ aut imprudentiæ debet imputari.

Quare tali casu audeo Confessarium excusare ab obligatione restituendi; secùs ab obligatione admonendi; quia saltem dedit causam remotam seu per accidens, si non peccat formalis, equidem materialis; illam autem causam, sicuti voluntariè absque justa ratione non potuit Confessarius ponere sinè peccato, ita etiam non potest eam relinquere, sed eâdem obligatione tenetur eam tollere, si commodè possit.

Unusquisque (inquit Lugo suprà n. 67.) tenetur procurare, ne ex sua actione, vel etiam ex sua omissione scandalum accipiant alii, hoc est, incitamentum ad peccandum: quare non solùm peccat, qui scandalum præbet, comedendo carnes, quæ est actio positiva, sed etiam, qui scandalum præbet, non audiendo Missam, quæ est omissio: nam ex hac etiam omissione moveri potest proximus ad peccandum.

Immo non solùm est obligatio procurandi, ne ex nostris actionibus vel omissionibus alii moveantur ad peccandum; sed etiam, ne moveantur ad violandum materialiter mandata Dei vel Ecclesiæ. Quare debeo procurare, ne ex mea omissione Missæ alii moveantur ad non audiendum Missam, putantes non esse Festum, quia ego non audio Missam; sicut debeo procurare, ne ex mea comestione carnium alii comedant carnes, putantes non esse prohibitionem.

Quando ergo ex illo silentio Confessarii pœnitens movetur ad non restituendum, eò quod Confessarius nihil illi dixerit, debet Confessarius procurare, ne ex illa sua omissione oriatur

oriatur tale scandalum, & occasio violandi saltem materialiter præcepta divinæ legis. Hæc ille. Iam autem pœnitens potest moveri, ùt ostendimus, ex illa taciturnitate, estò non æquivaleat consilio.

184. Quid si pœnitens nullo modo moveatur ex taciturnitate Confessarii. Quid ergo, si nullo modo moveatur? v. g. nunquam cogitavit de restitutione, neque de taciturnitate Confessarii, interim Confessor scit, si loqueretur & indicaret ei suam obligationem, libenter restitueret.

Resp. tenetur postea admonere, si absque gravi respectivè incommodo potest. Ratio mea est; quia licèt pœnitens propriè non moveatur ex illo silentio, equidem Confessarius ex suo officio tenetur tali casu, in confessione eum admonere, ne retinendo bona aliena, continuè peccet contra legem naturalem, saltem materialiter. Nam etiam alii tenentur ex generali præcepto correptionis fraternæ; quantò magis Confessarius, cui ex officio illa correptio incumbit, saltem in ipso Sacramento? Quidni ergo teneatur corripere, si redeat ad Confessionem? Vix dubito, quando sinè alio incommodo potest.

Immo extra Sacramentum, puto, eum præ aliis obligari, salvo semper sigillo; quia non satisfecit officio suo in ipso Sacramento; adeòque est causa negativa illius peccati materialis, quod potuit & debuit impedire. Sicuti ergo Superior præ cæteris ex officio suo tenetur subditos corripere, & in eis impedire peccata, non tantùm formalia, sed etiam materialia, quando commodè potest; simili profectò ratione Confessarius, maximè si culpabiliter tacuit, immo etsi inculpabiliter ex inadvertentia, tenetur postea, si commodè possit, admonere pœnitentem, & impedire retentionem rei alienæ, estò solùm materialiter malam. Quantò magis, si culpabiliter vel inculpabiliter suasit non restitutionem debitam; aut restitutionem indebitam?

185. Quid si fuerit non restitutionem debitam, aut restitutionem indebitam? Tenetur restituere. Sanè non tantùm tali casu tenetur admonere, sed etiam restituere creditoribus, aut ipsi pœnitenti in defectum principalis, *Nisi*, ut habet sequens pars Conclusionis, *tempestivè & efficaciter revocet suum consilium*, tametsi etiam non sit Pastor. Hæc est communis sententia DD. & ratio plana est; quia alioquin per actionem externam injuriosam est causa illius damni.

Nonne qui consulit furtum, si id faciat ex culpa mortali, tenetur ad restitutionem; fure non restituente? Ergo similiter, qui consulit non restitutionem rei furtivæ.

Quid miramur? Positivè quippe cooperatur furi ad retentionem rei alienæ, quæ æquivalet primæ acceptioni, contra jus, quod dominus habet, ne fur impediatur à restitutione facienda. Et dato, quòd absque culpa fecisset; nonne quando advertit injustum consilium, tenetur illud ex justitia revocare? Quippe unusquisque tenetur ex justitia, non solùm ad non inferendum directè & ex industria malum proximo; sed etiam ad procurandum, quantum commodè potest, ne ex sua actione proveniat proximo damnum contra jus illius.

186. Qui inadvertenter accendit domum tenetur ex justitia ignem extinguere. Pono casum, quòd inadvertenter accenderis domum alienam, teneris, cùm primùm advertis; ex justitia extinguere ignem, si commodè potes; licèt alius, qui non accendit ignem, non teneatur ex justitia, sed solùm ex charitate illum extinguere. Nam licèt actio illa fuerit inculpabilis, fuit tamen tua, & teneris procurare, ne ex tua actione patiatur aliquod detrimentum proximus in rebus suis, si commodè possis: minor enim est hæc obligatio, quàm illa alia non lædendi positivè, & ideo ad hoc non teneris, nisi cùm commodè possis impedire.

Similiter qui bonâ fide infamavit, ex justitia famam restituere. Similiter si bonâ fide infamasti aliquem, putans esse verum crimen, quod audieras de illo, debes postea, si commodè potes, cognito errore reparare illius famam, & extinguere incendium famæ, quòd inculpabiliter accenderat. Sic ergo Confessarius licèt bonâ fide consuluerit retentionem rei alienæ, debet, cognito errore, revocare quod dixit, & manifestare pœnitenti obligationem, quam habet. Ita Eminent. *suprà* n. 62. Estque doctrina probabilis, & quidem in praxi sequenda, & omnino consulenda. *Lugo.*

187. Oppositum placet Dicast. de eo, qui accendit domum. Interim Dicast. *suprà* n. 519. si merè ratione agamus, putat probabile, eum, qui inadvertenter accendit domum alienam, non teneri, cùm primùm advertit, ex justitia extinguere ignem, etsi commodè possit, sed solùm ex charitate. Et generaliter id docet de omnibus causis, quæ, semel applicatæ, non ampliùs operantur in virtute, aut nomine applicantis, nec nituntur ampliùs in illo, quasi adhuc aliquâ ratione censeatur in sua actione perseverare, & illâ perseverantiâ causare.

Probatio. Probatur; quia non est major ratio, cur hic teneatur ex justitia, quàm quivis alius, qui non fecit actionem illam, unde damnum sequitur. Si enim alius non tenetur, est, quia non fuit causa, nec actio illa noxia fuit ab illo; atqui neque ab eo, qui inculpabiliter eam actionem fecit, processit ùt damnificans actio illa; ergo neque hic tenetur. Probatur Antecedens; quia talis inculpabiliter operans non fuit causa voluntaria & culpabilis illius, quod neque intendit, neque prævidit.

Unde hoc loco non interveniunt illa celeberrima capita injustitiæ & obligationis reparandi, nempe res accepta, injusta acceptio, & damnum injustè illatum, nec fit contra jus patientis. Hic enim non habet jus contra exhibentem actionem, ut illam etiam inculpabiliter non exhibeat; sed ut illam voluntariè non exhibeat & culpabiliter. Dicere autem, quòd satis

sit quâcumque ratione illam fecisse, ut teneatur ex justitia, & assumere pro principio, quòd quocumque modo processerit actio ab illo, teneatur ex justitia avertere illud damnum, videtur petitio principii, & assumi in antecedenti id ipsum, de quo est quæstio. Hæc ille.

188. Responsio Aliquorum.

Respondent Aliqui; intervenire hìc titulum injustæ acceptionis; non quidem incipiendo acceptionem, sed eam continuando, id est, injustæ acceptionis futuræ.

Alia responsio.

Alii dicunt intervenire titulum rei acceptæ; quia illud censetur moraliter apud aliquem existere, quod reddere potest sinè incommodo, quando ergo inculpabiliter abstuli famam alicujus, si absque incommodo meo possim famam ablatam restituere, moraliter eam apud me detineo, & ideo teneor eam restituere; sicuti si inculpabiliter abstuli pecuniam alienam, vel aliquis, me ignorante, eam posuit in sacco meo, teneor eam restituere eo ipso quòd scio esse alienam.

189. Arguitur contra 1. responsionem.

Sed contra primum: & istud videtur esse petitio principii; nam hoc est quod quæritur, an peccet contra justitiam, qui continuat accensionem ignis negativè, id est, accendit inculpabiliter ignem, & non extinguit illum, cùm facilè posset extinguere, magìs, quàm ille, qui non accendit, & tamen æquè facilè posset extinguere. Similiter, qui inculpabiliter abstulit famam, & non restituit, quando commodè potest, magìs, quàm ille, qui non abstulit, posset tamen æquè commodè famam alterius reparare, unico verbo ostendendo, falsum esse, quod alius dixit.

190. Contra 2.

Contra secundum facit; quòd exinde videatur sequi, eum, qui, sicut mox dixi, potest absque ullo incommodo reparare famam, quam ipse non abstulit, teneatur nihilominus ex justitia eam reparare; sicut qui non abstulit pecuniam, tenetur eam reddere, si apud se repositam inveniat. Quid enim interest inter famam, & pecuniam, si aliquis utramque apud me ignorantem deponat, ut potiùs pecuniam, quàm famam debeam restituere?

Si ergo aliquis diceret; Petrum v. g. esse furem, & id solâ auctoritate Ioannis confirmaret, si Ioannes solâ negatione posset Petrum ab illa infamia liberare, putas, quia non obligaretur ex justitia id facere? Cur minùs, quàm reddere pecuniam Petro, quàm aliquis posuisset in manibus Ioannis? Disparitatem expectabo à Doctioribus.

191. Disparitas inter illum, qui infamavit, & qui accendit domum.

Cæterùm, disparitas videtur esse inter illum, qui infamavit alterum, & illum, qui accendit domum alterius, aut posuit candelam loco periculoso; quòd ignis agat omnino naturaliter, nullatenus in virtute aut nomine applicantis; dictum autem infamatorium operetur in virtute aut nomine infamantis: ideo enim existimo, Petrum v. g. esse furem, quia persona talis auctoritatis hoc dixit, quæ si dictum suum revocaret, statim cessaret ipsa fama.

Idem est, si inculpabiliter mandavit, aut consuluit acceptionem, aut retentionem rei alienæ; tunc enim causa exequens damnum, operatur moraliter mota ab alio, qui mandavit, aut dedit consilium; & non revocat mandatum, aut consilium, dum commodè potest, censetur in illo moraliter perseverare, & semel à se datum, non tantùm non revocare, sed potiùs approbare; adeòque causa exequens censeri potest adhuc operari vel nomine mandantis, vel mota ab exhortatione, vel consilio illius innixa: cur ergo tali casu, qui mandavit, aut consuluit inculpabiliter, si non revocet mandatum, aut consilium, quidni, inquam, teneatur ad restitutionem?

Hoc autem provenit, inquit Dicastillus [illegible] prà n. 520. non ex vi consilii, exhortationis, mandati quatenus initio datum fuit, idem inculpabiliter factum fuit, sed quatenus jam deprehenso errore, adhuc censetur perseverare in priori sententia, & consilio; quia causa exequens adhuc existimat, consulentem, & mandantem perseverare, & esse ejus sententiæ, eo ipso, quòd nihil in contrarium ab illo habet; censetur enim in tali casu adhuc causa conservans suum consilium, vel mandatum, utpote perseverans in consilio & sententia, ac proinde quæ causa, initio mandatum, aut consilium dans, non censebatur injusta; ita deprehenso errore, illum non revocando, incipit esse injusta, & injustæ causæ obligationibus subjacere, adeòque censeri restitutioni obnoxia. Hæc ille.

Sed consimiliter loquitur communis sententia de eo, qui candelam v. g. loco periculoso inculpabiliter reliquit ardere; quàm enim ipsa ardens candela, quæ est causa exequens incendium, naturaliter operetur, attamen quatenus applicata materiæ combustibili, quæ utique applicatio quàmvis ab initio fuerit inculpabilis; equidem deprehenso periculo, nisi ille, qui applicavit, eam amoverit, dum commodè potest amovere, censetur continuare suam applicationem; ac proinde quæ causa initio applicans non censebatur injusta, ita deprehenso periculo, illud non evitando, incipit esse injusta, & injustæ causæ obligationibus subjacere.

Atque ut non esset omnimoda paritas inter causam exequentem naturaliter, & causam exequentem liberè; hoc certum est, communem sensum fidelium majorem apprehendere obligationem extinguendi ignem in eo, qui ignem accendit, quàm in alio qui[illegible], qui nec physicè talem actionem causavit. Præsertim in his rebus moralibus, & obligationibus, multùm valet communis apprehensio; & non dubito, quin in foro externo talis condemna-

tus

retur ad restitutionem : ergo & in foro interno eum condemnemus, cùm nullam prorsùs mereatur gratiam, qui, cùm commodè posset, noluit damnum proximi sui, proveniens ex sua actione, saltem physica, impedire, in quo procul dubiò graviter peccavit.

193. Grave incommodum videtur excusare ab omni peccato. *Lugo.*

Dico; *Cùm commodè posset*; nam grave incommodum eum excusat ab omni peccato: grave, inquam, incommodum respectivè, ùt suprà insinuavi, & jam amplìùs declaro ex Lugone suprà n. 63. ubì sic ait: Cæterùm in hoc casu commodum & incommodum Confessarii debent accipi respectivè ad damnum, quod ex illo errore consequi potest: nam si inculpabiliter dixit, non esse obligationem restituendi Regnum, cùm reverà esset; non excusabitur à monendo pœnitente, eò quòd debeat expendere decem nummos aureos, & tres vel quatuor dies in itinere; quia respectivè ad rem, de qua agitur, satìs commodè potest admonere: sicut qui inculpabiliter accendit ædes alienas, quæ valeant centum mille aureos, non excusabitur ab extinguendo incendio, si possit uno aureo vocare sibi socios, qui illud extinguant; commodè enim potest illud extinguere respectivè ad damnum, de quo agitur. Ita Emin.

Addo ego; illum, qui culpabiliter hoc fecit, aut illud dixit, obligari cum æquali suo damno, alioquin non reparatur damnum injustè illatum, ùt liquidò constat, & ab omnibus admittitur.

194. Confessarius satisfacit suæ obligationi si tempestivè & efficaciter revocet suum consilium.

Adverte tamen; in casu Conclusionis, quando Confessarius ex malitia consuluit non restitutionem debitam, aut restitutionem indebitam, satisfacere eum suæ obligationi, si postea pœnitentem potentem adhuc restituere, vel non restituere, doceat, quid debeat facere; nec ad aliquid teneri, licèt ille non restituat, quod debet restituere, vel restituat, quod non debet. Quod significatur in Conclusione his verbis: *Nisi tempestivè & efficaciter revocet suum consilium.*

Quare dicatur *Efficaciter.*

Dico; *Efficaciter*; quia si aliquis suasit, ostendendo medium damni inferendi, vel detegendo injustè rem alterius, tenetur ad restitutionem, quoties non potest persuadere contrarium; sicuti qui malitiosè ignem adhibuit domui, non definit esse causa incendii, neque liberatur ab obligatione restituendi, nisi efficaciter incendium restinguat.

195. Disparitas inter consulentem & mandantem.

Atque hæc est disparitas inter consulentem & mandantem; quòd revocato mandato, hoc ipso mandans liberetur ab onere restituendi damnum, quod mandatarius, sciens revocationem mandati, exequitur; at verò consulens, etiam revocato consilio, sæpiùs maneat obligatus. Ratio; quòd mandatum expiret per revocationem mandantis, ut proinde si mandatarius inferat damnum, non censeatur id facere ex mandato, sed ex sola mala propria voluntate: at verò revocato consilio, alter adhuc verè movetur ex illo consilio, ad damnum inferendum.

Enimverò mandatum datur in gratiam mandantis; consilium verò in gratiam consulti. Revocato itaque mandato, mandans satìs significat sibi non fore gratam executionem mandati; revocato autem consilio, consultus adhuc movetur verbis consulentis ad executionem consilii, quod datum est in ipsius gratiam. Sicut ergo qui alicui daret arma ad nocendum, censeretur causa damni, per illa illati, quàmvis vellet ipsi auferre arma, si verè non auferat, & per consequens teneretur ad restitutionem; ita etiam dans consilium, ostendendo modum & medium damni inferendi, censeretur causa damni illati, & per consequens teneretur ad restitutionem, tametsi omnibus modis conaretur alterum avertere ab illatione damni, si verè non avertat: quia motiva, quæ attulit consiliarius, perseverant in mente alterius, qui consilium accepit, atque ideò consilium præteritum influit, quantumcumque consilium revocetur.

196. Consilium Confessarii communiter non influit in damnum hoc ipso quòd revocatur.

Porrò in casu Conclusionis tale communiter consilium non intervenit, sed dictum Confessarii solùm influit propter auctoritatem ejus, quæ omnino aufertur revocato suo dicto, & factâ protestatione de veritate contraria; quare non potest jam amplìùs influere in negationem restitutionis debitæ, aut in restitutionem indebitam.

Casus in quo posset dubitari an influat ex Lugone.

Solùm (inquit Lugo suprà n. 64.) posset dubitari, casu quo pœnitens habuisset verè intentionem restituendi tunc, quando confessus est, & postea, mutato animo in pejus, nollet; quo casu videtur Confessarius, qui malitiosè & culpabiliter dissuasit restitutionem, manere obligatus postea, non solùm ad revocandum consilium, sed ad restituendum; cùm suâ culpâ fuerit causa, ne fieret restitutio, quæ jam facta fuisset, & modò non fiet. Hæc ille.

197. Quid faciendum Confessario, qui erravit non in damnum tertii, sed haud satìs examinando numerum aut species, aut alias circumstantias peccatorum, quem Suarius Disp. 32. Sect. 6. n. 8 existimat regulariter ad nihil teneri, nisi ad pœnitentiam agendam; quia, inquit, pœnitens non tenetur illam Confessionem iterare, unde per Attritionem potest supplere defectum, si aliquis fuit ex parte ejus.

Pœnitentem communiter non esse monendum docet Suarez & Filliucius.

Dico autem, *Regulariter*; quia si fortasse Confessor decepit pœnitentem in re aliqua pertinente ad salutem animæ ejus, ex qua pendet, ut maneat in occasione peccandi, tenebitur illum monere vel illuminare juxta regulam charitatis & prudentiæ, vitando scandalum quoad fieri possit. Hæc ille. Quem sequitur Filliucius to. 1. tract. 7. cap. 12. q. 7. n. 374. & ibidem in instructione pro Confessio-

fessionibus excipiendis cap. 4 & Alii, quos citat Diana p. 2. tract. 1. Miscel. resol. 7.

198. Oppositum tenet Fernandez. Oppositum docet Fernandez in Exam. Theol Mor. p. 3. aliàs 4. c. 5. §. 11. n. 3. qui putat hunc defectum esse urgentem causam obligantem Confessarium, ad petendam à pœnitente facultatem, ut illum moneat de re necessaria circa factam Confessionem. Ac proinde si monitio absque scandalo fieri possit, tenetur talis Confessarius pœnitentem monere; dummodo illi non adveniat grave detrimentum. Ita refert Dia. sup.

Item Medina. Pro eadem sententia referri posset Ioan. Medina Cod. de Confessione q. 39. quia putat hic Auctor, non debere permitti pœnitentem manere cum sola Absolutione indirecta peccati, ad quod confitendum tenetur ex præcepto Christi; adeòque in nostro casu debebit Confessarius illum monere, ut possit directè absolvi, & non transgrediatur etiam materialiter tale præceptum.

199. & Vasquezius. Idem videtur sentire Vasquez q. 93. a. 3. dub. 8. n. 6. approbans rationem Medinæ. Et quàmvis loquatur de Confessione invalida, equidem ratio illa generaliter probat, etiam in hoc casu. Sacerdos enim in causa est, ne pœnitens omnia peccata secundùm numerum, speciem & alias circumstantias confiteatur, prout tenetur confiteri ex præcepto divino, putans se illi satisfeciisse.

Unde, inquit Vasquez, transgressio illius præcepti, ex ignorantia tamen pœnitentis, semper manet, & causa illius fuit Sacerdos, sive scienter, sive bonâ fide, parùm refert, modò postea sciat: unde tenetur conari, ne ob suam causam extet semper transgressio in re illius præcepti integritatis Confessionis. Ita Vasq. n. 7.

200. Sententia Lugonis distinguit. At verò Lugo suprà n. 73. distinguendum putat; nam, vel Confessarius positivè fuit causa, quòd pœnitens non confiteretur integrè, dicendo v. g. non oportere explicari aliter numerum, nec alias species vel circumstantias; vel ita omittendo interrogationes, ut perinde esset ac si diceret, non esse necessarium alia, vel magis explicare, ita ut pœnitens ejus auctoritate motus, non curet ampliùs de confitendis iis, quæ relicta sunt; vel solùm purè omissivè se habuit non interrogando, quæ interrogari deberent. In primo casu sive culpabiliter; sive inculpabiliter id fecerit Confessarius, videtur postea debere admonere pœnitentem, si absque scandalo vel gravi detrimento possit: ita tamen, ut magis strictè ad id teneatur, quando præcessit culpa gravis Confessarii, minùs quando non præcessit. Ita Eminent.

Et patet ex dictis suprà in simili casu, quando Absolutio fuit invalida, in toto vel pro parte. Et sicut ibi specificavimus incommodum, quod potest excusare eum, qui culpabiliter id fecerit, scilicet illud idem, quod ipsum pœnitentem excusat ab iterata Confessione illius, vel illorum peccatorum, invalidè absolutorum; ita consequenter hic videtur dicendum, illud incommodum, quod excusat pœnitentem à Confessione numeri, speciei, aut circumstantiæ omissæ, etiam excusare Confessarium, qui fuit causa culpabilis omissionis, ab admonitione.

Quando verò inculpabiliter factum fuit, multò minor causa sufficit ad excusandum Confessarium; quia ipse postea non adstringitur præcepto integritatis, sed alio præcepto procurandi, ne ex sua actione pœnitens moveatur ad violandum præceptum integritatis, cujus obligatio minor est, quàm obligatio ad integritatem, & ideo minor causa excusat.

Quod in aliis præceptis, inquit Lugo suprà n. 74. manifestum est. Nam, si inculpabiliter dixisti alicui, non esse obligationem audiendi Missam, vel jejunandi tali die; minor causa sufficit, ut excuseris ab illo postea admonendo, quàm ut excuseris ab audiendo Missa, vel à jejunio. Sicut etiam in materia justitiæ, minor causa requiritur, ut excuseris ab admonendo aliquo, cui bonâ fide dixisti licitum esse talem contractum, vel à restituenda fama alterius, quam inculpabiliter lesisti, quàm ut possis retinere alienum, vel lædere scienter alienam famam. Majus enim jus habet proximus adversus me, ne lædam illum, quàm ut procurem, ne ex mea actione, bonâ fide positâ, sequatur ejus læsio. Quare rarò teneretur fortasse Confessarius, qui bonâ fide decepit pœnitentem circa integritatem Confessionis, ad illum postea extra Confessionem admonendum, quia regulariter absque incommodo & detrimento suo id non potest facere. Hactenus Card. de primo membro distinctionis.

Et continuò attexit secundum membrum dicens: Quando verò negativè seu purè omisivè commisisset Confessarius illum defectum, sive culpabiliter sive inculpabiliter id fecerit, credo postea non teneri extra Confessionem admonere pœnitentem; quia præceptum integritatis non obligat directè Confessarium, sed pœnitentem: Confessarius autem tenetur interrogare & examinare, quia est Iudex, & non potest licitè proferre sententiam, nisi prius plenè informetur de toto statu causæ & personæ, quam debet absolvere. Unde postquam sententiam protulit, & functus est officio Iudicis, non obligatur ampliùs illo præcepto interrogandi & examinandi.

Aliundè verò ipse non est causa, quòd pœnitens postea non confiteatur illa peccata, ut suppono, quia nec ipse id dixit formaliter, nec virtualiter, ita ut pœnitens ab ejus auctoritate moveatur ad illa non confitenda, sed à sua oblivione vel imperitia: & licèt debuerit eum docere

docere in actu Confessionis, non tamen postea: immo licèt esset Parochus ejus, & magister ex officio, id tamen munus non est ad docendum ex notitia Confessionis extra illud Iudicium: nam extra Confessionem non debet pascere nec gubernare subditos ex notitia Confessionis; sed sicut, si eorum peccata non audisset. Hæc ille.

203. Objectio. Si objicias: Quilibet debet docere pœnitentem, quem videt propter ignorantiam violare aliquod præceptum divinum, si commodè possit; cùm ergo Confessarius sciat, pœnitentem propter ignorantiam violaturum præceptum divinum circa integritatem Confessionis, deberet eum monere.

Solvitur à Lugone. Respondet Card. n. 76. illam obligationem esse tenuissimam circa aliqua præcepta, quando sinè peccato violantur, quare illud incommodum & tædium quod secum affert loqui cum pœnitente post Confessionem de rebus Confessionis, & admonere de defectu commisso, videtur sufficiens ad excusandum in hoc casu ab ea obligatione, si quæ est, cùm aliunde nihil detrimenti patiatur pœnitens ex illo defectu, & illa peccata remissa jam sint indirectè per Absolutionem directam ab aliis. Hactenus Eminent.

204. Contra argu. Arriag. Sed contrà arguit Arriaga suprà n. 20. si Confessarius non debet pascere vel gubernare subditos ex notitia Confessionis: ergo tametsi positivè fuisset causa, etiam culpabiliter, non teneretur postea extra Confessionem admonere; videturque id (inquit prædictus Auctor) omnino certum; quia esset contra sigillum ejusdem Confessionis. Ideo fortasse aliquis diceret, non violando sigillum posse me pœnitenti dicere: *Ego te non examinavi de circumstantiis mutantibus speciem, nec utrùm esses oblitus alia peccata.*

Oritur Solutio. Hæc tamen solutio in primis non potest ab hoc Auctore tradi; quia destrueret, quod dixerat in fine n. 75. scilicet, eam monitionem non debere fieri extra Confessionem. Nam si hic modus assignatus non est contra sigillum, jam cessat ratio, ob quam etiam Parochum eximebat ab ea obligatione.

Secundò; mihi videtur esse contra sigillum Confessionis dicere: *Non te examinavi de circumstantiis aggravantibus*; quia hæc monitio in venialibus non habet locum, cùm ad ea confitenda non teneamur: ergo idem est ac dicere illi: *Tu mihi es confessus mortalia*, hoc autem est contra sigillum: dicere autem illi; *Te non interrogavi, utrùm esses oblitus alicuius peccati*, est monitio ridicula; quia per hoc non recordabitur ille peccatorum, quæ oblitus est. Unde concludo, vix posse in tali casu habere locum eam admonitionem extra ipsam Confessionem. Hæc ille.

Et post pauca addit: Ideo non scio, ad quid fuerit necessarium huic Auctori, recurrere ad tædium illud, quod secum affert, loqui cum pœnitente extra Confessionem de rebus Confessionis, cùm tale colloquium alioquin non sit licitum.

205. Respondetur ad argumentum Arriagæ. Respondeo; nuspiam Lugo docuit, nec docere potuit sinè gravissimo errore, esse licitum loqui cùm pœnitente extra Confessionem de rebus Confessionis, casu quo illa locutio foret fractio sigilli; sed supposuit illam admonitionem à Confessario fieri posse extra Confessionem, non tamen sinè tædio, salvo sigillo. Prout tu ipse admittis n. 23. dicens: Circa modum monendi in hoc ultimo casu (pura, quando planè positivè Confessarius dixisset, non esse obligationem explicandi eas circumstantias) ne faciat contra sigillum, dico, eum posse etiam extra Confessionem dicere: *Ego tibi dixi universaliter, non esse necessarium circumstantias aggravantes dicere, hoc autem falsum est*: per hoc verò non dicit quidquam, quòd pœnitens sit confessus peccata, circa quæ debuisset interrogari de circumstantiis; id enim esset dicere, illum confessum mortalia, sed retractat doctinam illam universalem abstrahentem à materia. Quam doctrinam potuit Confessarius dicere in Confessione, etiamsi pœnitens nullius mortalis mentionem fecisset. Sic ille.

Quod si verum est, quidni in alio casu possit Confessarius dicere sinè fractione sigilli: *Vniversaliter necessarium est dicere in Confessione circumstantias aggravantes*? Deinde, cur salvo sigillo non posset petere licentiam à pœnitente, loquendi de rebus Confessionis? Vel si respondeas; hoc etiam esse illicitum, eò quòd non soleat illa licentia peti ab illis, qui solùm confessi sunt peccata venialia; unde probas, licitum esse dicere: *Ego tibi dixi universaliter* &c. cùm etiam hoc non soleat dici illis, qui solùm sunt confessi venialia? Præterquam, quòd Confessarius non dixerit hoc universaliter, sed in casu particulari, quem proinde videtur implicitè & indirectè illis verbis significare.

Et verò si non licet gubernare subditum extra Confessionem ex notitia Confessionis, ùt docet hic Auctor, quomodo licet dicere extra Confessionem: *Ego tibi dixi universaliter* &c. cùm, nisi Confessarius audisset Confessionem, hoc pœnitenti non diceret? Hæc expendat Arriaga, & responsionem quærat; nec dubito, quin eâdem poterit uti Eminent. & clarè ostendere, ad quid fuerit necessarium recurrere, ad illud tædium, quod secum affert, loqui, salvo sigillo, cum pœnitente extra Confessionem de rebus Confessionis.

206. Aliud argumentum Arriagæ contra Lugonem. Arguit præterea Arriaga Lugonem de inconsequentia: ipse enim, inquit, purè putè ob servandum præceptum integritatis Confessionis obligavit Confessarium, qui invalidè absolvit, etiam sinè culpa, ad monendum

pœnitentem; in præsenti autem adeò extenuat eam obligationem, ut dicat; etiamsi ex omissione meæ interrogationis, ille non sit postea integrè materialiter sua peccata confessurus, non tamen ideo me teneri illum monere: quomodo enim cùm utrobique sit idem præceptum, utrobique ego sim causa per omissionem, in uno tamen casu teneor, non in altero?

Quòd enim dicebatur; me hìc non esse causam, sed id oriri ex oblivione alterius, fortè non est universaliter verum; quia pœnitens optimè earum circumstantiarum recordabatur: si enim accusabat se de fornicatione, recordabatur sanè, illam fuisse cum Moniali, aut cum sorore: hanc enim circumstantiam vix est morale, quòd fuerit oblitus; eam tamen non dicebat, quia putabat se non ampliùs obligari, quàm ad narrandam peccati substantiam: quando autem videt Confessarium nihil ampliùs monere, putat non esse necessarium eas dicere in Confessione: ergo Confessarius est causa, quòd postea illas non dicat; immo non solùm has in individuo, sed fortè nec alias in aliis peccatis, quæ postea committet, & de quibus confitebitur. Hæc ille.

207. Responsio pro Lugone. Respondeo; Lugonem nusquam dixisse, id esse universaliter verum, sed ex hypothesi, quod in casu particulari foret verum, id est, quòd â sua oblivione vel imperitia, & non ab auctoritate Confessarii moveretur, ad hujusmodi peccata postea non confitenda; tali, inquam, casu non debere admonere pœnitentem extra Confessionem, nisi generali obligatione correptionis fraternæ, à qua videtur excusari propter incommodum & tædium, quod affert illa monitio.

Sin autem supponas, omissionem illam esse verè causam, quòd pœnitens credat se non obligari ad dicendas circumstantias mutantes speciem, tunc Lugo, ùt suprà vidimus, admittit obligationem postea admonendi, si absque scandalo vel gravi detrimento possit.

208. Fortè est quæstio de voce, utrùm omissio in casu proposito sit causa nec ne, ex Arriaga. Et verò, inquit Arriaga suprà n. 22. fortasse potest ad quæstionem de voce reduci, utrùm ea omisio dicenda sit causa nec ne; cùm ille, qui neglexit monere pœnitentem de obligatione restituendi, estò se purè habuerit omisivè, teneatur tamen ex charitate monere eumdem: cur quæso in simili idem non dicemus in ordine ad errorem illum, estò quia hic non est cum damno tertii, non sit tanta ea obligatio, quanta ibìdem? Ita interrogat hic Auctor.

Lugo. Sed quis hoc negat? Lugo in terminis affirmat, & quia non est tanta obligatio, ideo putat illud tædium excusare, quòd tamen non excusat, quando intercedit damnum tertii, quia ibi est major obligatio.

209. Probatur Et quoniam illud tædium & incommodum pro magna parte cessat, quando pœnitens iterum redit ad Confessionem, & quia jam tum est iterum Iudex, qui ad legitimè proferendam sententiam debet interrogare de iis, quæ videt à pœnitente per oblivionem & ignorantiam omitti; hinc, ùt ait ultima pars Conclusionis, debet illum Confessarius in ipsa illa Confessione de defectu, commisso in præcedenti Confessione, admonere, & examen instituere, quod culpabiliter vel inculpabiliter omiserat, non tam ad supplendum defectum Confessionis præcedentis, quàm ad procurandam integritatem hujus Confessionis præsentis, & præintendum examen requisitum ante Absolutionem. Ita docet Lugo suprà n. 77.

Addidi autem in Conclusione: *Nisi aliquid obstet*; quia cùm pœnitens bonâ fide procedit, nisi spes affulgeat integræ Confessionis, & absit omne scandalum, non est movendus, juxta superiùs dicta de obligatione auferendi ignorantiam invincibilem pœnitentis, ad quæ Lectorem remitto.

Illud quasi pro coronide ad calcem hujus Conclusionis addiderim, nullam esse pœnam Ecclesiasticam, jure communi impositam Sacerdoti, qui ex defectu jurisdictionis, scientiæ aut diligentiæ, vel quacumque alia ratione peccat, ministrando hoc Sacramentum.

Dico: *Iure communi*; in primis; quia de illis magìs nobis constare potest, quàm de aliis constitutionibus Pontificiis, quæ extra illud vigantur, vel de Statutis Ordinariorum, quæ consulenda sunt, possunt enim aliquam pœnam continere. Interim in jure communi nulla censura, vel irregularitas invenitur imposita ipso facto, propter indebitum ministerium hujus Sacramenti.

Deinde; quia in Bulla Cœnæ Domini excommunicantur, qui à casibus in ea reservatis absolvere præsumpserint, quæ est quædam pœna ipso facto imposita, propter indebitum Absolutionis ministerium. Et quàmvis illa pœna proximè & immediatè videatur manere, imposita propter Absolutionem à censuris reservatis, quàm propter Absolutionem sacramentalem, tamen utramque videtur comprehendere; sicuti ipsa reservatio non solùm censuram, sed etiam peccatum comprehendit, ut alibi dictum est. Atque hæc est communis sententia, quam sequitur Suarez suprà Sect. 3. n. 1.

Sed nunquid quæ Sacerdotis, eadem est ratio illius, qui Sacerdos non est, sed se fingit, ùt hoc Sacramentum fictè ministret? Communis sententia Canonistarum, quam ùt veram approbat Suarez suprà n. 4. affirmat, omnem hujusmodi fictum ministrum manere irregularem; argum. cap. 1. de Clerico non ordinato ministrante, sequentis tenoris: *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit, ordinatus, propter temeritatem abiciatur de Ecclesia, & numquam ordinetur.* Ita Hormisda Papa.

Ubi

Ubi nota ly *Propter temeritatem*: ergo oportet ad incurrendam hanc irregularitatem, ut aliquis seriò, ac scienter, id est, cum scientia ipsius juris Ecclesiastici, immo & pœnæ impositæ, hunc actum exerceat, alioquin non exercet temerè.

Alii nihilominus, quos citat Suarez suprà n. 3. propter Rubricam illius textûs, quæ tantùm loquitur de Clerico non ordinato, ùt patet ex verbis suprà allegatis, existimant laicum non incurrere hanc pœnam, sed solum Clericum. Vide dicta Disp. 2. Sect. 5. Concluſ. 10. de laico solemniter baptizante, de quo est eadem difficultas.

212. Aliqui affirmant, Aliqui, quos refert Suarez suprà n. 2. simpliciter negant, esse ullam irregularitatem impositam propter hoc crimen, allegantes, eam non satìs expressim in jure, eò quòd ly *Divinum officium*, tantùm significet officium, quod solemniter in Ecclesia ministratur; Confessio autem privatim fit.

quos redarguit Suarez, Sed hoc, inquit Suarez suprà, non satisfacit; quia nomine divini officii intelligitur ille actus sacer, ad quem Clericus consecratur, & non est dubium, quin actus ministrandi hoc Sacramentum in hoc genere contineatur, & inter gravissimos & perfectissimos actus sit. Hæc ille.

213. Nomine divinorum in jure comprehenditur administratio Sacramentorum. Et verò satìs constat ex jure, interdum Divinorum nomine comprehendi administrationem Sacramentorum, cap. *Si sententia* 16. de Sent. Excom. in 6. ibi: *Unde uno interdicto ipsorum, alius licitè admittitur ad divina. Cæterùm cum propter delictum Domini vel rectoris est civitas interdicta: cives eiusdem . . . . . possunt extra ipsam licitè interesse divinis.*

cap. 16. de Sent. excom. in 6. Item cap. 20. eodem in principio: *Is cui est Ecclesiæ interdictus ingressus (cùm sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta) irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi, divinis in ea se ingerat in suo agens officio, sicut priùs.*

cap. 20. eod.

cap. 11. de Sponsal. Et clarissimè ad propositum nostrum cap. *Non est vobis* 11. de Sponsalibus, ibi: *Et si iuxta commonitionem vestram, filiis suis uxores suas infra certum terminum non restituerit, ex tunc in quacumque provinciarum vestrarum detinentur, vel transferuntur, donec ibi fuerint, nulla divina officia (præter Baptismum parvulorum, & Pœnitentias morientium) celebretis, vel permittatis aliquatenus celebrari.* Ita Alexan. III. Archiepiscopis & Episcopis & aliis Prælatis per Angliam constitutis.

Ergo Pœnitentia, seu Absolutio sacramentalis, est officium divinum: ergo qui non ordinatus absolvit sacramentaliter, non ordinatus exercet aliquod divinum officium. Quidni ergo fiat irregularis, si temerè illud fecerit?

Sed imponamus finem huic Disputationi, satìs prolixæ & molestissimæ. Finis autem erit resolutio hujus quæstionis: Utrum Confessarius contrahat cum filio, aut filia Confessionis, quamdam cognationem spiritualem, ratione cujus, in peccato carnali inducatur specialis malitia, necessariò confitenda?

CONCLUSIO VIII.

Confessarius ex audita Confessione non contrahit specialem obligationem, seu cognationem aliquam spiritualem, quæ inducat in peccato carnali cum pœnitente, malitiam, necessariò confitendam.

214. Peccatum carnale, ad quod assumitur Confessio tamquam medium, contrahit indè malitiam sacrilegii. Lugo. NOn quæritur hìc de peccato carnali, ad quod assumitur Confessio tamquam medium, ut, si in Confessione sollicitavit pœnitentem, vel cùm proximè accederet, aut recederet: tunc enim intervenit gravissima malitia sacrilegii, dum Sacramentum per se institutum ad delendum peccatum, assumitur ùt medium ad novum peccatum committendum.

Quod ego etiam intelligerem, inquit Lugo Disp. 16. n. 355. quando occasione & prætextu, quòd habeas curam eam gubernandi, ut pœnitentem tuam, frequenter eam invisas, ut pecces, aut si occasione Confessionis præteritæ eam postea alloquaris; nam hæc omnia reddunt odiosum Sacramentum Pœnitentiæ, & suspectum apud maritos & cognatos, timentes, ne suis uxoribus, vel filiabus, à Confessariis quid mali proveniat. Quotiescumque ergo ex peccato redundat irreverentia, aut detrimentum in Sacramentum ipsum, jam invenitur jure ipso naturali circumstantia gravis, specie diversa, explicanda in eo peccato; quæ quidem non est malitia incestûs, sed sacrilegii & irreverentiæ specialis contra Sacramentum. Hæc ille. Quem sequitur Dicastillo Disp. 9. n. 595.

215. Hæc malitia etiam inveniri potest in peccato injustitiæ, & aliis quibuscumque. Nota; hanc malitiam non solùm reperiri in peccato luxuriæ, sed etiam in peccato injustitiæ, aut alio quocumque, quod occasione Confessionis committitur, sive ad quod committendum assumitur Confessio tamquam medium; v. g. novit Confessarius ex Confessione, pœnitentem solitum fuisse locare operam suam ad occidendum vel furandum, & ad illa peccata valdè esse proclivem; hâc occasione in Confessione pretio conducit ipsum, ut assassinium perpetret, vel ut furetur, non apparet, cur illa conductio non debeat censeri sacrilegium, & mortalis irreverentia contra Sacramentum.

Itaque

Dicastillo.

Itaque mihi videtur, inquit Dicastillo suprà n. 601. gravissima irreverentia Sacramenti Pœnitentiæ, abuti scientiâ, in illo habitâ, ad movendum hominem ad peccatum, & malitiâ Confessarii fieri, ut remedium institutum ad dolendum de præteritis, & ad emendationem in futurum, serviat ad novum peccatum & incitamentum ad illud. In quo puto consensuros Auctores illos, qui prædicta ratione utuntur in sollicitatione ad peccatum libidinis.

Ex quo constat à fortiori, esse circumstantiam explicandam tamquam sacrilegium gravissimum, id, quod intellexi aliquando factum, in quo Sacerdos pecuniâ conductus sollicitavit fœminam, quam noverat ex Confessione facilem, ut serviret libidini, non tam suæ, quàm alterius, cui pro pretio constituto promiserat (proh nefas) se curaturum, ut illa sui copiam faceret. Hæc ille. Quæ puto esse verissima, nec scio ab aliquo disputari aut negari.

216. Disputatur autem; an quando non accipitur Confessio ùt medium, sed multo transacto tempore, Sacerdos rem habet cum fœmina, cujus aliquando Confessionem excepit (de quo peccato loquitur nostra Conclusio) hæc circumstantia sit necessariò explicanda in Confessione.

Sententia Aversæ ex ministerio hujus Sacramenti oriri veluti cognationem spiritualem. D. Thom. Baludanus.

Affirmant Multi, quos refert & sequitur Aversa q. 16. Sect. 14. ibi: Affirmant ex opposito oriri ex hoc ministerio talem conjunctionem, & veluti cognationem spiritualem, ut inducat in peccato carnali specialem circumstantiam, necessariò confitendam, D. Thom. in 4 dist. 42. q. 1. a. 2. ad 8. Palud. q. 1. a. 1. n. 7. &c. Qui explicant hanc non esse propriè cognationem spiritualem, quæ constituitur inter impedimenta dirimentia matrimonium, qualis erat in Sacramento Baptismi, & Confirmationis; sed esse talem conjunctionem, & relationem inter spiritualem patrem & filium, quæ speciali titulo illicitam ac deformem reddat carnalem copulam inter tales personas, atque adeò cum tali circumstantia explicandam in Confessione. Quam specialem deformitatem Aliqui vocant de genere incestûs, Aliqui de genere sacrilegii, Sanchez refert de utroque genere. Ita Aversa.

Sanchez.

217. *Fundamentum hujus sententiæ, desumptum ex Decretis Pontificum. 30. q. 1. c. 8.*

Fundatur hæc sententia, quæ indubiè probabilis est, & in praxi consulenda pro majori securitate, fundatur, inquam, Primò; in Decretis Summorum Pontificum Symmachi & Cælestini, quorum prior (ùt refertur 30. q. 1. c. 8.) sic ait: *Omnes quos in pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filii, ut & ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel trinæ mersionis vocabulo mergentibus, unda sacri Baptismatis regeneravit. Sylvester quoque docens, admonet unumquemque Sacerdotem, ut nullus causa fornicationis ad suam pœnitentialem accedat; quia scriptum est:* Omnes quos in pœnitentia accipimus, ita filii nostri sunt, ùt in Baptismate suscepti. *Quapropter hoc scelus, si quis perpetraverit, non solum dignitatis honorem amittat, verùm etiam usque ad extremum vitæ suæ tempus pœnitentiæ se subdat.*

Posterior autem (ùt ibidem refertur cap. 9.) *Si quis*, inquit, *Sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat se grave adulterium commisisse. Idcirco fœmina, si laica est, omnia derelinquat, & res suas pauperibus tradat, & conversa in Monasterio Deo usque ad mortem serviat. Sacerdos autem, qui malum exemplum dedit hominibus, ab omni officio deponatur, & peregrinando duodecim annos peniteat; postea verò ad monasterium vadat, ibique cunctis diebus vitæ suæ Deo serviat.*

Et cap. 10. eadem ex eodem Pontifice in lego: *Non debet Episcopus aut Presbyter commisceri cum mulieribus, qui ei sua fuerint confessa peccata. Si forte (quod absit) hoc contigerit, sic puniatur, quo modo de filia spirituali, Episcopus 15. annis, Presbyter 12. & deponatur: si tamen in conscientiam populi devenerit.*

Consonat etiam (inquit Aversa suprà §. 1. *ita quidem*) communis æstimatio & modus loquendi fidelium, quo Confessarii appellantur spirituales patres, ac pœnitentes filii. Et ex ipsa sanctitate hujus ministerii, & ratione Confessionis, in qua deteguntur & absterguntur peccata, per se conveniens apparebat, ut nisi & speciali deformitate criminis absterreatur hujus Sacramenti minister, à committendis talibus peccatis cum personis, quas in Confessione audivit.

Nec requiri debet continuatio Confessionum ad longum tempus, vel electio talis Confessarii ad continuatum regimen animæ, vel alia superioritas Confessarii erga pœnitentem. Quinimmo sufficere etiam solam auditionem Confessionis absque Absolutione, indicat Graffius, Sanchez, & Alii ex allegatis. Hæc tamen videtur nimia extensio; quia hoc ministerium non nisi per Absolutionem perficitur, sicut & spiritualis cognatio in Baptismo perfectè non contrahitur, nisi per completam exhibitionem Sacramenti. Hactenus Aversa.

Legi Sanchez loco citato ab Aversa, scilicet lib. 7. de Matrim. disp. 55. sed illam extensionem ibi non invenio. Vidi etiam Graffium, non quidem to. 1. lib. 4. de Cognat. spirituali n. 20. juxta citationem Aversæ, sed part. 2. decis. lib. 1. c. 5. n. 53. ubi sic ait: Oritur etiam cognatio spiritualis inter Confessarium & illos, quos audivit in Confessione &c. Verùm quòd sufficiat Confessio absque Absolutione, eò loci expressè non dicit, quidquid sit de loco citato ab Aversa, quem non potui videre.

Atque ut hi Auctores, & Alii id dicerent, numquid ex Confessione sinè Absolutione oritur obligatio sigilli? Cur ergo non oritur etiam cognatio spiritualis? Nam communis æstima-

æstimatio & modus loquendi fidelium, quo Confessarii appellantur spirituales patres, ac pœnitentes filii, non distinguit inter Confessionem cum Absolutione, & sinè Absolutione, & sanctitas hujus ministerii, ac ratio Confessionis, etiam militant in hoc casu; nam sola auditio in ordine ad Absolutionem, quàmvis ea non sequatur, opus sanctum est, etsi non tam sanctum, atque Absolutio subsequens; & in tali Confessione deteguntur peccata, & pœnitens, si legitimè est dispositus, accipit jus ad absterſionem peccatorum: dato ergo quòd ex malitia Sacerdotis non sequatur absterſio, quid hoc refert, ut indè magìs vel minùs oriatur illa quasi cognatio spiritualis? Putas, quia non peccaret graviſſimè & puniretur ab Ecclesia, qui in tali Confessione sollicitaret pœnitentem ad turpia? Noli putare, si non vis errare.

220. Alia probatio ex Sanchez.

Audiamus Ioan. Sancium in Select. disp. 11. n. 7. ubì docet, quòd per solam Confessionem circumstantia notabiliter aggravans oriatur: Nemini, inquit, debet dolus & fraus patrocinari c. 1. 15. q. 6. & cap. *Constituit* 20. q. 3. & l. *Neque ex dolo* ff. de dolo. Sed Confessarius posset dolosè negare Absolutionem, ne fœmina efficeretur ejus filia. Addit: Confessio, ad quam non sequitur Absolutio, dicitur sacramentalis, modò fiat à peccatore in recognitionem suæ culpæ & cum spe Absolutionis impetrandæ.

Ex quo deducit n. 8. si fœmina accederet ad Confessarium animo alliciendi eum ad lasciviam, quia erat ejus amore capta, & ideo non absoluta, non oritur circumstantia notabiliter aggravans, etsi copulam habuerit Confessarius cum ea, cùm Confessio sacramentalis non sit, nec tenebitur Sacerdos celare. Hæc ille.

221. Citur similiter non sufficiat ad cognationem spiritualem Baptismus invalidus. Reg 15 de Reg juris in 6.

Quantùm ad cognationem, quæ oritur ex Baptismo, est alia ratio; quia hæc, utpote impedimentum dirimens matrimonium, ac proinde restringens libertatem naturalem hominis, tamquam odiosa strictè est interpretanda, juxta Reg. Iuris 15. de Reg. Iuris in 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari.* Ergo per Baptismum, ex quo oritur illud impedimentum, rectè intelligitur completa exhibitio Sacramenti. At verò cognatio spiritualis, quæ oritur ex Confessione, favor potiùs est, quàm odium, utpote secundùm Aversam, & alios Auctores illius sententiæ, solùm spectans reverentiam debitam Sacramento, utì obligatio sigilli; quidni ergo Confessio latè interpretanda, etiam de Confessione sinè Absolutione?

Sanè tota occasio peccandi cum pœnitentibus oritur ex Confessione, & non ex Absolutione. Si ergo conveniens appareat, ut novâ ac speciali deformitate criminis absterreatur Confessarius, à committendis talibus criminibus, conveniens etiam fuit, ut nova illa ac specialis deformitas oriretur ex Confessione etiam incompleta, seu sinè Absolutione. Vel ergo non oritur cognatio spiritualis ex Confessione, etiam completa, quæ est Conclusio nostra, vel videtur etiam oriri ex Confessione incompleta.

222. Ex Confessione etiam completa non oritur cognatio spiritualis propriè dicta. *Vasquez. Lugo. Dicastillo. Bas. Ponc. Ioan. Sanchez. cap. fin. de Cog. spirit. in 6.*

Quòd autem non oriatur ex Confessione, etiam completâ, prout docet Vasquez q. 91. a. 1. dub. 2. n. 20. Lugo suprà n. 359. Dicastillo suprà n. 604. Basil. Pontius lib. 7. de Matrim. c. 38. Ioan. Sancius in Select. disp. 11. n 5. & Alii, quos citat Aversa, suprà & Diana part. 1. tract. 7. resol. 12. probatur, & quidem efficaciter, si intelligatur cognatio spiritualis impediens, aut dirimens matrimonium; argum. cap. fin. de Cognat. spirit. in 6. ibi: *Ex datione verò aliorum Sacramentorum (scilicet, ùt ait Glossa verb. Sacramentorum. Pœnitentiæ, Corporis Christi, Extremæ Unctionis, Ordinis & Conjugii) cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat vel dissolvat.*

Rationem assignat dicta Glossa: *Renascimur enim in Baptismo, & Chrismate frontis illam confirmat: quod non est in aliis Sacramentis: & ideo per ista spiritualis contrahitur compaternitas, non per illa.* Quidquid ergo olim fuerit ante hanc Constitutionem Bonif. VIII. saltem post eam liquidò constat, ex Sacramento Pœnitentiæ, etiam completo, nullam oriri hujusmodi cognationem spiritualem. Atque hoc Adversarii omnes admittunt.

223. An oriatur similis aliqua cognatio.

Attamen contendunt, propter textus suprà allegatos ex 30. q. 1. oriri ex Sacramento Pœnitentiæ aliam similem cognationem, quæ nullum habeat respectum ad matrimonium. Nam, quòd ipsummet impedimentum non sit cognatio, sed id, quod sequitur cognationem, quam præsupponit, & possit esse cognatio, sinè respectu ad matrimonium, aut ejus impedimentum, videtur omnino verum, inquit Dicast. suprà n. 605. *Dicastillo.*

Ipsa cognatio propriè dicta non est impedimentum formaliter & propriè loquendo.

Si enim cognatio spiritualis est inducta ab Ecclesia (ùt constat) non solùm inter masculum & fœminam; sed inter masculum & masculum, aut fœminam & fœminam, ùt inter baptizantem Sacerdotem, & baptizatum, etiam masculum, & inter levantem marem, & levatum masculum; & inter levantem fœminam, & levatam fœmellam; cognatio ipsa non est impedimentum formaliter & propriè loquendo, sed id, unde provenit impedimentum inter eos, qui possent alioquin jure naturæ copulari, ecclesiasticâ lege sic impediente; ridiculum enim esset dicere, quòd Ecclesia induxerit impedimentum matrimonii inter masculum & masculum, & tamen inter eos induxit cognationem: ergo cognatio, quæ inter illos est, non est impedimentum formaliter & propriè. Potest ergo intelligi cognatio, quæ sit verè cognatio, & inter illos ipsos, inter quos est, non sit posita, ut sit impedimentum matrimonii eorumdem.

224. Probatur posse oriri ex Confessione quasi cognationem.

Ergo cùm Bonif. VIII. non omninò absolutè dixerit: Ex datione aliorum Sacramentorum cognatio spiritualis nequaquam oritur;

sed quasi restringendo addiderit, non oriri talem, quæ matrimonium impediat aut dissolvat: potest adhuc manere locus cognationi illi, quæ quàmvis cognatio sit, non impediat vel dissolvat matrimonium, & nihilominus sufficiat, ut si duo extra matrimonium luxuriosè agant, sit contra reverentiam, quam cognato spirituali quis debet; ita ut Ecclesia quidem cognationem lege positivâ statuat; hâc tamen statutâ, ex natura rei dissonet rationi, & sit irreverentia specialis independenter à respectu ad matrimonium, quòd tales cognati lascivè inter se agant. Ita hic Auctor pro sententia Adversariorum.

225. Interim non satis probatur, Ecclesiam talem cognationem statuisse.

Nihilominus, sicut ipse, ita & ego persisto in Conclusione, & ideo Respondeo ad hunc discursum; quidquid sit de possibili; nuspiam Ecclesiam statuisse aliquam cognationem, quæ sufficiat, ut duo, extra matrimonium luxuriosè viventes, peccent speciali peccato contra reverentiam debitam cognatis, quin per se loquendo, id est, inter illos, qui sunt capaces matrimonii, ex illa cognatione resultet impedimentum matrimonii; adeò, ut si de facto suum impedimentum tolleret, possent luxuriosè vivere extra matrimonium, absque speciali peccato contra reverentiam debitam cognatis.

Patet in cognatione carnali seu consanguinitate, cujus impedimentum antiquitùs extendebatur ad 7. gradum (teste Greg. Papâ cap. cap. 16. 35. q. 2. ibi: *Progeniem suam unumquemque usque ad 7. decernimus observare generationem, & quamdiu cognoscant se affinitate propinquos, ad coniugalem copulam accedere denegamus* &c.) hodie non excedit 4. gradum; ùt patet ex cap. *Non debet* 8. de Consanguinit. ibi: *Prohibitio copulæ coniugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat.*

cap. 8. de Con. ang.

226. Impedimentum Affinitatis ex fornicatione restrinxit Trident.

Immo impedimentum, quod propter affinitatem, ex fornicatione contractam, inducitur, Trident. postmodum restrinxit ad secundum gradum sess. 24. de refor. Matrim. c. 4. ibi: *Præterea Sancta Synodus.... impedimentum, quod propter affinitatem, ex fornicatione contractam, inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo & secundo gradu coniunguntur, restringit.*

cap. 1. de Cog. spir. in 6.

Similiter cognatio spiritualis, quæ olim oriebatur ex Baptismo inter baptizatum, & suscipientis filios, & uxorem cap. 1. de Cognat. spirit. in 6. ibi: *Nedum inter baptizatum & illum, qui eum suscepit de Baptismo, ac inter eumdem baptizatum & suscipientis filios & uxorem ante susceptionem carnaliter cognitam ab eodem*, per Trident. suprà cap. 2. totaliter sublata est.

Et ideo hodie consanguinei in 5. & ulterioribus gradibus, affines ex fornicatione in 3. & ulterioribus gradibus, item baptizatus, & filii suscipientis filii, possunt luxuriosè vivere extra matrimonium, absque speciali peccato, contra reverentiam debitam cognatis & affinibus.

Ergo similiter, estò ante constitutionem Bonif. VIII. c. fin. de Cognat. spirit. in 6. suprà allegatam, propter impedimentum matrimonii, quod fortè tunc erat, non potuisset Confessarius & pœnitens luxuriosè vivere extra statum matrimonii, absque speciali peccato, contra reverentiam debitam cognatis spiritualibus; equidem post illam constitutionem, per quam impedimentum illud sublatum fuit, cur magis peccent, quàm cognati in 5. gradu, aut affines ex fornicatione in 3. &c?

Non video rationem disparitatis, nisi dicatur cum Aversa suprà, Bonifacium potuisse de suâ lege non ita loquutum fuisse, quasi voluerit dando cognationem ex aliquo alio Sacramento anteà constitutam; sed potiùs asserendo, non ex alio Sacramento oriri, juxta antiqua jura, scilicet quoad impediendum ac dirimendum matrimonium: quare, inquit ille, non negat vim ejus conjunctionis spiritualis quoad constituendam novam malitiæ speciem.

Sed hoc gratis asseritur, & contra ostendo ex Gloss. cap. *Omnes* 30. q. 1. *Ut & ipsi.* ubi sic ait ad propositum nostrum: *Nec notat omnimodam similitudinem, inter quemlibet sum Sacerdotem, qui suscipit in pœnitentiam; plus enim eius bene potest ducere, quam pater recipere in pœnitentiam, non tamen quam immersit in Baptismo. Multa enim attenduntur in Baptismo, quæ non attenduntur in pœnitentia. Si enim te suscipio ad pœnitentiam, non ideo parentes tui mihi comparent, quia per Baptismum plena sit remissio peccatorum, non autem per pœnitentiam. Si ergo laicus audiat in necessitate peccata alicuius mulieris, non potest postea cum ea contrahere, argumentum hic. Si tamen contrahit, fortè tenet matrimonium, videtur enim tunc hoc Sacerdoti prohiberi, cùm eius tantùm officium audire peccata consitentium.*

Ubi Gloss. ùt vides, agnoscit omnimodam similitudinem inter Sacerdotem, qui suscipit in pœnitentiam, & qui immergit in Baptismo, atqui qui immergit, jure antiquo nec licitè nec validè poterat contrahere matrimonium cum filia, quam immerserat: ergo nec Sacerdos cum filia, quam susceperat in pœnitentiam.

Hinc si illo tempore, justis de causis, Sacerdos aliquis liberatus fuisset à voto castitatis & prohibitione matrimonij, non potuisset contrahere matrimonium cum filia, quam susceperat in pœnitentiam magis, quàm cum filia, quàm immerserat, juxta glossam jam allegatam, quàmvis non approbem, quod ibi docet de hoc eo, cùm illa narratio peccatorum non sit ver-

Con-

Confessio magis, quàm narratio extra necessitatem. Et ideo bene subjungit: Videtur tantùm hoc Sacerdoti prohiberi.

229. Responsio ad argumentum Aversæ. Itaque respondetur potest ad illud argumentum Aversæ; Bonifacium posteriori suâ lege ita locutum fuisse, vel quasi tollendo cognationem, quæ ex Sacramento pœnitentiæ anteà constituta erat, aut certè asserendo, jam pridem in Ecclesia Dei sublatam fuisse, in quantum erat impedimentum dirimens aut impediens matrimonium, & per consequens sublatam fuisse irreverentiam specialem, quæ ex illo impedimento resultabat in peccato carnali talium cognatorum.

Ostendat ergo Aversa, ubi Ecclesia specialiter prohibuerit actum luxuriosum inter confessarium & pœnitentem, absque ullo respectu ad matrimonium & dicemus cum ipso, illum textum Bonifacii non satis efficaciter probare intentum.

230. Existimas, quia si hodie Ecclesia tolleret impedimentum matrimonij inter baptizantem, & filiam baptizatam, Sacerdos, qui fornicaretur cum filia spirituali, id est, à se baptizata, peccaret speciali sacrilegio, & deberet necessariò illam circumstantiam in Confessione explicare? Planum est quòd non. Et tamen Cælestinus suprà allegatus ex 30. quæstione 1. ait: *Si quis Sacerdos cum filia spirituali* (id est, à se baptizata) *fornicatus fuerit, sciat se grave adulterium commisisse.* Sicuti idem Pontifex ibidem dicit: *Non debet Episcopus aut presbyter commisceri cum mulieribus, quæ ei sua fuerint confessa peccata.*

Cælestinus cap. 2 30. q. 1. non prohibet specialiter commixtionem cum filia Confessionis sine respectu ad Matrimonium.

Ergò ex his ultimis verbis non rectè infertur, Cælestinum ibi prohibere specialiter illam commixtionem, sinè ullo respectu ad matrimonium. Nam certum est, quòd habeat respectum ad filiam spiritualem, sive ad irreverentiam, quæ committitur in fornicatione cum filia spirituali; nam sequitur: *Si fortè* (*quod absit*) *hoc contigerit, sic pœniteat quomodo de filia spirituali* &c. Sicut autem ostendimus, non esset specialis irreverentia in copula cum filia spirituali, si foret sublatum impedimentum matrimonii: ergò &c.

231. Solvitur Objectio. Nec obstat communis existimatio, & modus loquendi fidelium, quo Confessarii appellantur spirituales patres, & pœnitentes filii; quia etsi impedimentum matrimonii esset ablatum inter baptizantem & baptizatum, adhuc fideles appellarent baptizantem spiritualem patrem, & baptizatum spiritualem filium, nec tamen ideò actus luxuriæ inter illos, haberet specialem malitiam, in Confessione explicandam.

Et sanè, quidni distribuens Eucharistiam, etiam possit dici spiritualis pater, seu potiùs nutritius? Quis propterea dicit, Sacerdotem specialiter peccare, si fornicetur cum eâ, quam aliquando communicavit?

Sed juvat audire Basil. Pontium lib. 7. de Matrim. c. 38. n. 7. Posset, inquit, aliquis existimare, me judice, nec immeritò, cùm ea cognatio (loquitur de casu proposito) tantùm jure positivo Ecclesiastico inducta sit, abolitam esse contrariâ consuetudine. Tum; quia res ipsa per se clamat, non adeò strictam remanere obligationem pœnitenti erga Confessarium, sicut suscipienti in Baptismo, & Confirmatione. 232. Bas. Pontius existimat cognationem ortam ex Confessione, consuetudine abolitam esse. & probat primò.

Tum etiam; quia in Confessionibus quis est, qui eam circumstantiam fateatur? Unde in hac editione Romana Emanuelis de Sa, juxta Codicem expurgatorium Romanum, ea propositio, quâ olim asserebat, explicandam esse eam circumstantiam in Confessione, expuncta est, & loco illius contraria propositio excusa. Secundò.

Denique; si cognatio spiritualis oritur ex Pœnitentiæ Sacramento, tam id verum erit circa mares, quàm circa fœminas, sicut & in Baptismo, & Confirmatione contingit. Erit ergo specialis malitia incestûs, si quis turpiter misceatur cum eo, cujus Confessionem excepit aliquando, quod inauditum est. Nam incestus, qui ex Sacramentis Confirmationis, & Baptismi cognatione proveniret, videtur contra virtutem Religionis esse, cùm ea cognatio inducta sit ab Ecclesia ex virtute Religionis, non ex propinquitate sanguinis; circa quam versatur pietas. Unde hæc incestûs malitia propriè sacrilegium est, non verò specialis incestus contra pietatem. 233. Tertiò.

Hæc omnia, multorumque hominum timoratæ conscientiæ judicium, in praxi mihi persuadent, abolitam eam spiritualem cognationem, si quæ erat jure Ecclesiastico inducta, contrariâ consuetudine, vel illâ Constitutione Bonif. VIII. c. fin. de spirit. cognat. qui voluisse videtur; nullam aliam cognationem esse, præter eam, quæ Matrimonium impedit, ortam ex Baptismo, & Confirmatione; vel potiùs existimarim, illos Canones non inducere veram cognationem spiritualem ex Confessione, sed analogiam quandam, quare in eo peccato nec incestus, nec sacrilegium est. Hucusque Pontius. Quartò.

Sed ad hoc ultimum respondet Aversa suprà, quòd expresè illi Pontifices analogiam & similitudinem ponant in hoc, quòd speciali titulo detestabile ac deforme sit carnale peccatum Confessarii cum pœnitente, & ex ipso respectu Sacramenti habeat majorem gravitatem, atque adeò diversæ speciei malitiam ab intrinseca fornicationis pravitate. Et continuò attexit: Neque admitti potest contrariâ consuetudine ablatam esse hanc diversam malitiæ speciem: tot enim Auctores, qui hanc circumstantiam confitendam docent, majorem fidem faciunt de usu eam confitendi. Et Correctior Emanuelis non plus in hoc potuit, quàm suam sententiam promere. Hæc ille. 234. Responsio Aversæ ad 4.

Rejicitur responsio ad 1.

Incipio à Correctore Emanuelis, de quo dici posset, prompsisse suam sententiam, juxta Codicem expurgatorium Romanum, ùt ait Pontius, & ideo hanc sententiam præferendam videri.

235. Auctor existimat nec unam, nec aliam sententiam posse probari efficaciter ex consuetudine.

Quantùm ad consuetudinem, ego puto nec unam, nec aliam sententiam ex ea posse probari, saltem efficaciter: quis enim novit, quid pœnitens hujusmodi confiteatur, nisi ipse Confessarius & pœnitens? Et siquidem pœnitens non explicet illam circumstantiam, sed simpliciter dicat: *Ego fui fornicatus*, quotus quisque Confessarius sciet, quòd fuerit fornicatus cum filia Confessionis? Quomodo ergo testabitur de usu, non explicandi illam circumstantiam?

Quis ergo potest testari nisi pœnitens, qui sæpiùs commisit tale peccatum, & non fuit circumstantiam illam confessus? Et dixeris; quòd Auctores, qui scribunt, & docent, eam non esse explicandam, sint tales pœnitentes? Nullus præsumitur malus, nisi probetur. Vel fortè pœnitentes ad ipsos venerint, & extra Confessionem, vel in Confessione eis dixerint, se non solitos confiteri hujusmodi circumstantiam?

Et idem dici potest de consuetudine confitendi, cùm Auctores illi fortè paucas audiverint Confessiones; & quàmvis aliqui fuissent Pœnitentiarii, illa peccata non sunt tam frequentia, ut ipsi possint testari de consuetudine, maximè universali & obligante. Aliundè autem credo, quòd Confessarii, qui committunt talia peccata, cùm sciant sententiam nostram esse probabilem, non multùm curent de explicatione illius circumstantiæ.

236. Respondetur ad primam replicam Aversæ.

Ad primam replicam Aversæ; transeat, Pontifices similitudinem ponere inter Pœnitentiam & Baptismum, & agnoscere similem cognationem, adeòque similem deformitatem, contra reverentiam Sacramenti: verumtamen pro illo solo tempore, quo erat illa cognatio impedimentum matrimonii; quia ergo hodie illud impedimentum sublatum est, ideo etiam videtur sublata illa specialis deformitas. Cui non placet hæc solutio, quærat meliorem.

237. Ioan. Sanchez etsi neget malitiam specie distinctam, admittit tamen circumstantiam notabiliter aggravantem.

Sancius in Select. disp. 11. n. 6. tametsi neget malitiam specie distinctam, equidem admittit circumstantiam notabiliter aggravantem ùt suprà vidimus, eò, inquit, quòd notabiliter aggravet, quòd ille, qui sub cura sua suscipit pœnitentem curare, sauciet; ob quod Cardin. Roxas Archiepiscopus Toletanus in Constitutionibus Synodalibus in casibus reservatis antiquis, reservationem hujus casûs, à prædecessoribus Archiepiscopis inductam, innovavit. Et hoc solùm jura in principio allata convincunt; nec ex illis convinci poterit, quòd circumstantia illa mutet speciem: non tamen erit necessariò aperienda talis circumstantia; quia circumstantiæ notabiliter aggravantes, ex præcepto confitendæ non sunt, sed solùm ex consilio, cùm judicium substantiale qualitatis peccati capiatur sufficienter à Confessario cognitâ specie, licet non gravitate. Ita Sancius.

Sed contrà: Confessarius sub cura sua non suscipit pœnitentem curare, nisi dum sua peccata confitetur; quòd ergo hodie, quando confessus fuit, eum curaverit à peccatis suis, quomodo, quæso, potest aggravare in ratione libidinis peccatum, quod cum ipso committit post 20. v. g. annos, absque ullo respectu ad Confessionem præteritam?

Eò, inquis, quòd tanta sit libidinis passio & affectus, ut nec ab illa deterreatur & abstineat, cujus saltem aliquando fuit Confessarius. Quod utcumque, inquit Dicastillo suprà n. 607. probabile videtur; & cùm non mutet speciem ille intensior affectus, non erit necessariò explicandus in Confessione. Hæc ille. Quod verum ego arbitror, etiam in sententia, quæ docet, circumstantias notabiliter aggravantes esse explicandas; quia non video, quomodo ille intensior affectus notabiliter aggraveret.

Quòd autem illud peccatum ab aliquibus Episcopis reservetur, non ita provenit ex majori ejus gravitate, præcisè in ratione luxuriæ, quàm ad deterrendum Confessarios ab hujusmodi peccatis, maximè dum committuntur acceptâ occasione ex ipsa Confessione, quandò, ùt in principio diximus, superadditur gravissimum sacrilegium, quod in certis casibus Ecclesia gravissimè punit, ùt alio loco vidimus. Et perinde est ad hoc peccatum sacrilegii, sive Confessarius abutatur fœminâ sive masculo; quia eadem est ratio; immo major in peccato cum masculo, quod gravius est, adeòque gravior irreverentia Sacramenti.

Dico; *Ad hoc peccatum sacrilegii*; quia si præcisè spectemus malitiam, quam aliqui putant provenire ex lege positiva Ecclesiæ; cùm jura superiùs allata solùm loquantur de copula cum filia spirituali, existimant Nonnulli, oppositam sententiam non minùs probabilem & tutam in praxi.

Ita Dia. suprà resol. 56. cum Basil. Pontio in Tract. de imped. Matrim. caus. 30. c. 24. §. 2. ver. *Atque hæc.* & aliis, contra Sancium in Select. suprà n. 12. ubi sic ait: Etsi jura de commistione cum fœminis Confessionis, filiabus solùm loquantur, eadem omnino ratio procedit respectu virorum, & eadem injuria Sacramento. Unde licèt in pœnalibus non fiat extensio, etiam ex identitate seu majoritate rationis, id intelligendum in criminibus diversi generis, non in ejusdem, ùt contingit in sodomia cum fœmina, vel cùm viro, non in sodomia aut bestialitate, etsi hæc sit longè gravior illo crimine sodomiæ.

Eo mo-

Eo modo, quo crimen Confessarii sollicitantis virum in Confessione ad carnalia, deferendum est ad inquisitionis tribunal; licèt Bullæ Pii IV. & Clement. VIII. solùm loquantur de Confessariis sollicitantibus fœminas in actu Confessionis, cùm ratio in ipsis Constitutionibus expressa, ibi: *Ne Sacramentis ab Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant*, conveniat etiam huic casui. Hæc ille.

241. Quare iura meminerint solius fœminæ.

Quæris; quare ergo jura memineriut solius fœminæ? Respondet Sancius: Ea quæ fieri frequentiùs contingit, nominatim à lege prohibentur l. *Nam ad ea* ff. de ll. *Nam ad ea, quæ frequenter accidunt, leges adaptantur*; ob quod solicitationis fœminarum, non virorum facta est mentio. Hæc ille.

Quia tamen ab Aliquibus de hoc puncto dubitabatur, & contrarium asserebatur, ad amovendam omnem rationem dubitandi, & contrarium asserendi, Greg. XV. anno 1622. die 30. Augusti usus fuit hisce verbis: *Declaramus, quòd omnes & singuli Sacerdotes, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta sollicitare vel provocare tentaverint, ab Inquisitoribus severissimè puniantur.* Ex eo ergo, quòd ait: *Personas quæcumque illæ sint*; idem est ac si diceret; sive persona sit fœmina, sive vir. Et licèt prædicta lex respectu sollicitantis pœnalis sit, respectu Sacramenti est favorabilis, ob quod extendenda. Ita Sancius.

242. An turpes tactus & pollutiones habeant eandem malitiam, quam copula? Negat Sancius, & occurrit objectioni.

Qui ibidem n. 13. negat tactus turpes, & pollutiones inter fœmora pœnitentis indè ortas, habere specialem malitiam, quam habet copula cùm filia, vel filio Confessionis. Ratio ejus est, quia jura suprà allegata solùm loquuntur de copula.

Nec obstat, inquit, quòd pollutio gravius sit peccatum, quàm fornicationis simplicis crimen: nam in pœnalibus non fit extensio etiam ex identitate seu majoritate rationis in criminibus diversi generis ex regul. *Odia* in 6. & cap. *Pœnæ* de Pœnit. dist. 1. *Pœnæ* (sicut in ff. tit. de Pœnis legitur) *legum interpretatione molliendæ sunt potius, quàm exasperandæ.*

243. Responsio Auctoris.

Respondeo, quando sunt meræ pœnæ, id est, lex pœnalis restringenda est, nisi fuerit favorabilis; hæc autem jura licèt pœnalia sint, tamen favorabilia, ùt idem Auctor admittit n. 12. dicens: Licèt prædicta lex respectu sollicitantis pœnalis sit, respectu Sacramenti est favorabilis, ob quod extendenda: ergo similiter licèt prædicta jura pœnalia sint respectu Confessarii, qui commiscetur pœnitenti; respectu tamen Sacramenti favorabilia sunt, ob quod extendenda, saltem ad ea, quæ sunt quasi via ad ipsam commixtionem; & ideo meritò sub illa intelligenda, maximè cùm non minor, sed major fiat per ista injuria Sacramento; unde indubiè continent specialem malitiam sacrilegii, quando occasione Sacramenti committuntur; quidquid sit de malitia, quæ specialiter oritur ex lege positiva Ecclesiæ, de qua sola loquitur Sancius.

Cæterùm & hanc malitiam participare tactus turpes & pollutiones inter pœnitentis fœmora, existimat Lugo suprà n. 361. quem sequitur Dicast. suprà n. 609. Nam (inquit Eminent.) sicut prohibitâ copulâ inter cognatos cognatione spirituali, orta ex Baptismo, tactus etiam, & alia peccata turpia inter illos, contrahunt specialem malitiam; necessariò declarandam; sic positâ speciali prohibitione Ecclesiæ de copula Confessarii cum pœnitente, propter speciale vinculum, ab eadem Ecclesia inter illos constitutum, consequenter tactus, & reliqua turpia peccata contraherent specialem malitiam necessariò declarandam. Hæc ille.

244. Oppositum docent Lugo & Dicast.

Quæ placent, suppositâ veritate illius sententiæ, id est, supposito illo speciali vinculo & impedimento matrimonii inter Confessarium & pœnitentem.

245. An liceat peccatum, commissum cum Confessario, eidem confiteri.

Sed nunquid, interrogat quispiam, peccatum commissum cum Confessario, licet aut convenit eidem confiteri? Aug. (vel quisquis est Auctor) lib. de verâ & falsâ pœnit. c. 20. (& refertur de Pœnit. dist. 6. c. 1.) *Sacerdos*, inquit, *cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit iudicandus, quæ in alio iudicare est promptus. Iudicans enim alium, qui est iudicandus, condemnat seipsum. Cognoscat igitur se, & purget in se, quod alios videt sibi offerre.*

c. 1. de Pœnit. dist. 6.

Ad eandem quæstionem respondet Doctor Angel. in Addit. q. 20. a. 2. ad 1. *Quod in tali casu nec Sacerdos debet audire Confessionem mulieris, cum qua peccavit, de illo peccato, sed debet ad alium mittere: nec illa debet ei confiteri, sed debet petere licentiam ad alium eundi, vel ad Superiorem recurrere, si ille licentiam denegaret: tum propter periculum; tum quia est minor verecundia: si tamen absolveret absoluta esset. Quod enim Aug. dicit, quod non debet esse in eodem crimine, intelligendum est secundùm congruitatem, non secundùm necessitatem Sacramenti.* Quæ doctrina verissima est.

Sententia Doct. Angelici, quod non debeat.

246. Opinio Basil. Pontii.

De qua Basil. Pontius suprà n. 3. ita scribit: si quis, qui rem habuit cum aliqua, utroque postea ad sanam mentem redacto, patris spiritualis munus suscipiat, ita ut deinceps eam non cognoscat, non video cur reprehendi debeat, si tamen periculum absit, ne ad turpem denuò familiaritatem redeat. At si frequenter cum illa rem habuerit, ejusque veluti concubina sit, & ne turpis illa familiaritas & consuetudo ad alterius cognitionem deveniat: vel ut turpis amicus exploratum magis habeat fœminæ animum, illius Confessionem, cùm se offert occasio, audire velit, numquam nisi in rarissimo aliquo casu sentio licitum esse Confessiones excipere ejus, cum qua in peccatis perseverat, aut turpi contubernio.

Res est periculis plena, & occasio committendi non pauca sacrilegia. Quem enim animum

mum esse cogites & Confessario, & pœnitenti, qui libidine inardescunt, amicitiâ & familiaritate tenentur, cùm & pœnitens animum suum illi aperit, quem tenerè diligit, & ea repetit, in quibus pariter delectati, & Confessarius in eo tribunali, in quo nullum mendacium dici potest, nudum videt fœminæ amicæ pectus? Itaque ratione periculi novi consensûs, & committendi sacrilegii, istud illicitum asseveró; nisi fortè in extremæ necessitatis casu, aut quando imminente præcepto Confessionis annuæ, non esset copia Confessoris ob magnum aliquod periculum, & nullâ ratione dissimulari posset omissio præcepti. Nam extra hos casus dicerem, illam non habere copiam Confessoris, si non alteri, quàm amasio confiteri potest, atque adeò non teneri præcepto Confessionis. Hactenus Pontius.

247. Ab ea discedit Sanctius;

A quo, inquit Sancius in Select. suprà n. 16. discedo, quatenus ait, hujusmodi periculum ferè semper reperiri, & ob id censet numquam licere, nisi in rarissimo casu, Confessionem concubinæ excipere. Immo licèt publicum sit, Confessarium & fœminam in concubinatu vixisse, fas erit ipsius admittere Confessionem; cùm ex actione, de se licita, nullum possit offerri activum scandalum, dum aliàs quoquè actio mali speciem non præferat. Ita Sancius.

& Auctori ei subscribit,

Sed ego subscribo sententiæ Pontii, intellectæ, sicuti intelligi debet, de illa concubina, cum qua in peccatis perseverat, aut turpi contubernio. Nec puto quòd Sancius ab eo discessisset, si ad hæc verba attendisset. Et censeo, tali casu illam actionem præferre mali speciem, adeòque ex illa actione offerri activum scandalum, præbendo occasionem aliis, suspicandi malum, & etiam faciendi malum, spe obtinendi à complice Absolutionem.

Hinc meritò Andreas Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Mechlinienſis piæ memoriæ, reservavit quodlibet peccatum mortale externum contra castitatem, si (quod Deus avertat) contingeret committi cum pœnitente seu complice. Et Archiepiscopo Trevirensi reservata est commixtio Sacerdotis cum filia sua spirituali, quam scilicet baptizavit, vel cujus Confessionem audivit.

In quibus proinde Diœcesibus absque speciali licentia seu potestate absolvendi à reservatis, Confessarius non solùm illicitè, sed etiam invalidè absolvit pœnitentem ab illo peccato, estò alioquin esset legitimè dispositus, & nullum foret periculum ulterioris consensûs. Unde quod suprà dicebat Doctor Angelicus: *si tamen absolveret, absoluta esset*, intelligendum est, nisi aliquid aliud obstet, id est, nisi obstet reservatio seu subtractio jurisdictionis circa tale peccatum. Et hactenus de Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei. Sequitur Disputatio nona de Sacramento Extremæ Unctionis.

DISPU-